


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

E xx 821

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Geog. 192.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

KW 443 C 16

JACOBI REVII
DAVENTRIÆ ILLVSTRATÆ,
Sive
HISTORIÆ
URBIS DAVENTRIENSIS,
LIBRI SEX.

Perducti uſque ad annum à nato Chriſto cIↃ IↃc XLI.

Quibus etiam non pauca quæ ad univerſam Tranſiſalaniam, *& regiones finitimas ſpectant, per occaſionem ediſſeruntur.*



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ PETRI LEFFEN. A°. cIↃ IↃ cL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Nobiliſsimis, Ampliſsimis, Conſultiſsimis

DOMINIS,

DD. CONSVLIBVS,

SCABINIS, & CONSILIARIIS
liberæ & Imperialis Civitatis

DAVENTRIENSIS.

Salvere & benè rem gerere.

Nobiliſs. Ampliſs. Conſultiſs. Domini,

QUanquam, ut quidam non inſcitè dixit, præclarum ſit, omnem terram pro patria habere, & omnes homines fratres & amicos putare, quippe cum genus ſimul omnes a Deo ducamus, eàdem ſimus naturâ, & eadem ſit tum ſermonum, tum affectuum omnium communio ac conteſſeratio, quocunque quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

appellat terrarum, aut ubicunque commoretur, nihilominus, ut addit idem, infallibilis eſt quodammodo cognatio, & omne quod ad ſe revocat, id proprium eſt. Veritatem hujus dicti meopte experimento didici, qui licet in auguſtiſſimo ſapientiæ ac virtutum emporio, ideoque in ſede quæ non poteſt non eſſe jucundiſſima conſtitutus, nunquam tamen Natalis ſoli memoriam ex animo deponere potui, ſed aſſiduo in eam cogitationem eum defixum ſenſi, quo pacto grati ac non degeneris civis qualecunque monumentum relinquerem. Eam porro ad rem nihil mihi occurrit accommodatius & opportunius hac hiſtoriâ, quam ut à multis retro annis colligere exorſus ſum, ita nunc tandem divino favore adminiculante, ad umbilicum perduxi. In qua, ſi dicendi florem, aliaque quæ ad tantum conatum requirebantur, multi, nec immerito, deſideraturi ſint, hoc unum me aſſequutum ſpero, ut nec in nihili argu-

mento

mento verſatum me eſſe, nec omnino indiligenter id pertractaſſe ſint faſſuri. Sed de mea quidem operâ quiſque ut libet arbitretur, Civitatem autem veſtram dignam eſſe cujus memoriam & res geſtas intercidere non patiamur, quis audebit inficias ire, qui vel famam vetuſtatis, vel pacis artes, vel virtutem bellicam, vel avitorum jurium (etiam in ſummis periculis) ſcrupuloſiſſimam cuſtodiam apud ſe conſiderarit? Sed duo hic vel maximam commendationem meo judicio habent, literarum videlicet & pietatis ſtudium penè ſingulare. Prioris indicium ſunt tot eximii in omni eruditionis genere heroës, qui ex hac veſtra urbe, velut ex equo Trojano prodiere. Cui enim, per Deum immortalem, non noti Hegii, Murmellii, Eraſmi, Longolii, Noviomagi, Guinterii, Voerthuſii, Pithopœi, Reydani, Bronchorſtii, aliique, quos in ipſa hiſtoria legi malo, quam hic ambitioſius recenſeri? Nec omittendi, qui ſuis opibus

hæc ſtudia apud vos provexerunt, Capotii, Dwergii, Cuſani, Bodekeri, viri in variis conſtituti dignitatibus, & eruditione quoque ex parte celeberrimi. Pietatis porro negotium inter prima ſemper habuiſſe hanc veſtram urbem non minus eſt evidens. Ut enim mittam Lebuinum cum comitatu ſuo, qui cultum Chriſti in veſtro ſolo plantaſſe creditur, quantum ardoris ad eum à ſubnato lolio ac ſterilibus avenis repurgandum attulerint Gerardus Magnus, Florentius Radwini, Gerardus Zerbolt, Thomas a Kempis aliique, cui obſcurum eſſe poteſt? Quanquam enim fatendum eſt, viros illos reformandis magis moribus quam doctrinæ, quam tantopere à priſtina integritate prolapſam eſſe ſuſpicari non audebant, inſudaſſe, nihilominus, haud contemnendas eis veritatis ſtricturas affulſiſſe, attento eorum quæ ſcripta reliquerunt lectori obſervatu non erit difficile. Verumenimvero, quum Deus O. M. miſertus tenebrarum

brarum quæ orbem Chriſtianum involvebant, Euangelii ſui ſolem, etiam in hiſce oris poſtliminio oriri voluit, quanta animi alacritate inter primas hæc veſtra urbs eum receperit, & quot difficultatibus eo nomine conflictata fuerit, quid attinet dicere? Quid item, quod noſtrâ iterum memoriâ, quum vera in hiſce regionibus religio, quorundam malè feriatorum artibus cœpta eſſet turbari, vinculum mutuæ unionis quo adverſus communem hoſtem aſtringebamur diſſolvi, omnia ad civile bellum ſpectare, hæc urbs inter veſtrates penè ſola bonas partes fovere, eiſque ſe palam adjungere fuit auſa, quæ ejus magnanimitas totam poſtea provinciam eodem ſecum traxit, nec leve momentum ad lapſæ per haſce oras reipubl. & eccleſiæ inſtaurationem attulit. Hæc & ſimilia (neque enim omnia hic accumulanda ſunt) ſi ad laudem veſtræ civitatis (ut res eſt) faciunt, multo majorem in modum ad gloriam Dei omnis

boni

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

boni largitoris munificentiſſimi referri æquum eſt, & ſecundum eum, ad ſempiternam venerationem vigilantiæ, induſtriæ, fidei ac conſtantiæ Principum Arauſionenſium, quorum virtus incomparabilis in hiſce præ cæteris enituit. Sentio, Nobiliſs. & Ampliſs. V V. animum meum amore & horrore, ſpe ac metu in varia diſtrahi, & omnino aliovorſum rapi, quam eo ad quod dicendum acceſſi. quis enim tam ferrei pectoris eſt, cujus interiora non concutiat ſtrages illa quæ Patriam noſtram, jam nihil niſi optatæ pacis commoda meditantem, in luctum & ſqualorem dedit? repentinus inquam ille caſus, & inæſtimabilis jactura noviſſimi noſtri Principis? eheu!

Oſtendunt terris hunc tantum fata, neque ultra
Eſſe ſinunt.

Nimirum, hoc voluimus, hunc fulminis ictum peccata noſtra, indulgentiſſimo Patri extorſerunt. Sed ecce, idem qui ſauciavit, è veſtigio oſten-

oſtendit in ſua quoque manu medelam eſſe, dato cœlitus paternarum virtutum (ita auguror) novo hærede. Faxit Deus, ut & ille in ſalutem reipubl. ac divinæ ſtirpis æternitatem ſuboleſcat, & Patria interim noſtra, in vera pietate & animorum conjunctione indivulſa, omni divinarum benedictionum genere beata floreat. Deſino, in hoc omine, ac Deum precor.

Nobiliſs. Ampliſs. Conſultiſs. Domini, ut vos in felici & pacato regimine diu incolumes eſſe velit. Dabam Lugd. Bat. anno æræ Chriſtianæ CIↃIↃCL. VIII KAL. OCTOB. GREG.

Nobb. A. A. V. V. addictiſs.

JACOBUS REVIUS,
S.S. Theol. Doct. & Collegii Theologici Ill. Ordd. Holl. & Weſt-Friſiæ præfectus.

IN

DAVENTRIAM,

Reverendi ac Celeberrimi Viri

JACOBI REVII,

SS. Theologiæ Doctoris, Collegii Theologici Perilluſtrium DD. Ordinum Hollandiæ ac Weſt-Friſiæ Regentis digniſſimi, amici ſummi.

QUem dedit admiſſis jam ſacra Daventria Muſis,
A patriâ quamvis tam procul hoſpes agit,
Muſarum & Phœbi propriam tranſlatus in urbem,
Hic vbi Lugdunum tollit in aſtra caput,
Abſens in patriâ manet, abſentemque pererrat,
Et Famæ partes, ne moriatur, agit.
Excute Poſteritas tanti vim muneris. abſens
Præſentem hic patriam donat habere tibi.

DANIEL HEINSIUS
ex tempore ſcribebat.

PETRI

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Elegia
IN
DAVENTRIAM ILLVSTRATAM
JACOBI REVII,
V. CL^mi. & antiquitatum patriæ ſuæ peritiſſimi.

QUòd non hîc SALII, formidatíque SICAMBRI,
 FRANCIA vel Reges progenitura ſuos,
Vel ſua tranſlatis qui debent nomina cunis,
 Liliger in ſceptris queis modò fulget apex,
Auſpicium faciunt, aliorum induſtria fecit.
 Optima * Pontani cura, laborque fuit.
Ille SALÆ populos, FRANCOſque ab origine primâ
 Digeſſit, Faſtis aſſeruitque ſuis.
Nec minùs exacti laudanda DAVENTRIA REVI:
 Geſta foris laudes, ſed magè geſta domi.
† Omne tulit punctum, me judice, TWICKELA dives,
 Quæ viduo tractat non niſi magna thoro.
TWICKELA femineas inter nutrita cathedras,
 Dum licuit, ſoli docta placere viro;

* *Originum Francicarum libb.* VI. *Cujus preſtantiſſimi Operis me ergodioctam fuiſſe anno* 1616. *libenter profiteor.*

† *Vide Revium ad Annum* MDLXXXVII. *Erat hæc Anna à Twickelo, benefica in omne nomen literarum, vidua V. N. Martini à Bodecher, ſuperſtite filio unico Balthaſaro.*

Audet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Audet Apollineum mulier ſperare Lyceum;
Terque tribus ſedem conſtituiſſe deis.
Talia Reginam deceant ſpectacula Suecam,
Per quam Pegaſeis Holmia ſplendet aquis.
CHRISTINAM chorus omnis amat: ſed nobilis ANNA
Prævia, CHRISTINÆ monſtrat in aſtra viam.
ANNA per Illuſtres celebrabere TWICKELA Muſas;
TWICKELA GRONOVI pagina prima mei;
Cuî mando ELOGIUM; me ſuſpendente tabellam,
UT PIA DONA NOVÆ SINT DIUTURNA SCHOLÆ.
Ne ferus invadat prædo, ne Cantaber hoſtis:
Sat, ſemel Hiſpanas extimuiſſe minas.
Addita donatis Tranſiſala prædia fundis
Mirer, & ex alio dona profecta ſinu.
Sint Mæcenates, auſim ſpondere Marones.
Hîc ego munificam vellem adhibere manum.
Sed propiora mihi Batavæ delubra Minervæ;
Blandaque legitimi pignora bina thori.
Ambo mares: ſiquidem nec vincla jugalia fruſtra;
Et quoque Lucinæ dotibus ambo patres.
Jamque ferebar avus: ſed honos fuit iſte caducus,
Et citò natorum rapta quadriga mihi eſt.

ILLUSTRIS SCHOLA *Daventriæ aperiri cœpta* A°. 1630. *in quâ Gronovius Clariſſimi nominis Profeſſor.*

Quòd

Quòd ſi deſtituar, dederint nec fata nepotes,
  Ac taxo nuptas cogar habere comas,
Sicque orbus moriar, natis morientibus orbis,
  Poſtque triplex funus vixerit uxor anus;
(Quæ modò conjugii poſt quinquageſima liba,
  Natalem Genii devenerata ſui;)
TWICKELA quod fecit, voveam. Laudabile votum
  Hoc MEA poſt cineres ſic luat ANNA meos.

Lugd. Bat. CIↃIↃCL.

IN
DAVENTRIAM
ILLUSTRATAM
Reverendi & eruditiſſimi Viri,
JACOBI REVII,
Non patriæ tantum ſuæ, ſed & Academiæ Leidenſis
Batavæ ſingularis ornamenti.

REvius in Batavis Batavo gratiſſimus oris,
Dum raras animi ſuada recludit opes,
Immemor haud patriæ eſt; denſiſque obſcura tenebris
Primus in illuſtrem protulit acta diem.
Debeat Urbi alius: nato Daventria ſemper
Debebit, patriæ qui pater ipſe ſuæ eſt.

VIRO
ET
AMICO
EXIMIO,
DE ECCLESIA DEI
OPTIME MERITO,
OPTIME MERENTI,
PATRIAM NUNC QUOQUE SUAM
EGREGIO HOC OPERE
ILLUSTRANTI,
SIBIQUE DEMERENTI,
L. M. Q.
S.
MARCUS ZUERIUS BOXHORNIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

IN

Reverendi & Singularis Viri

JACOBI REVII

DAVENTRIAM.

TErrigenas alii, ſerpentum ſemina, fratres
Jactent, & promptam ducere ſaxa chelyn,
Furtivoſque toros Gradivi, & parcere juſſum
Amnem, & præbentes ubera fœta lupas.
Te tua nobilius, DAVENTRIA, celat origo:
Quam ſatis eſt magnam noſcere, parva lates.
Sic caput arcano quæſitum fonte recondit
Ille ſuo Phariis pro Jove, Nilus, agris.
Quæ licuit tamen & patitur penetrare vetuſtas,
REVIADÆ ſoli cuncta patere vides.
Cive quid hoc majus? quo Sacra iuterprete quondam,
Nunc quoque Se Veterem Patria diſcit ovans.

JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

IN

IN
DAVENTRIAM
ab
Eruditiſſimo Viro
D. JACOBO REVIO
deſcriptam
EPIGRAMMA.

Ὃς μεγαλεῖα θεοῦ καὶ πατρίδος οὐρανίοιο
Ῥήσιος ἐκφράζει μυστοπόλοισι νέοις·
Νῦν καὶ ἐπιχθονίῳ ἧ πατρίδι φαίδιμος ἀστὴρ
Ἦρα φέρων Βατάβοις θαύματα πολλὰ λέγει.
Ἄστεος εὐρυχόροιο Δαβεντρίδος ἄγλαα δῶρα,
Καὶ προτέρων ὁρμὰς δεικνύει ἡγεμόνων,
Ἀνδρομεόντε μένος ναετῶν καὶ ἀρήϊον εὖχος
Ἐχθροῖς αἰὲν ἑοῖς ἶφι μαχεσσαμένων.
Εὐαρότους περὶ τοῖσδε γύας πεδίοιο καὶ ὕλην
Ὑψικόμοις κλείει δένδρεσ' ἀειθαλέα,
Ἔνθεν ἐπ' ἀγχιόρους δούρων μέγα πλῆθος ἱκάνει.
Χείματος ἐν ὥρῃ χάρματα πυκνὰ φέρον.
Ἧχι καὶ ἀενάοισι παρορνύμενος προχοῇσι
Τείχε' ἐπικλύζει δεινότατος ποταμὸς,
Ὃν καλέουσ' Ἰσάλην, Δρούσου πόνος Αὐσονίδαο
Ἕρκος ἀπόρθητον δυσμενέεσσι πορών.

Ἐξέτ'

Ἐξέτ' Ἀθηναίης φρενοτερπέος αἰπὺ μέλαθρον,
Καὶ σοφίης φαίνει μέτρα διδαξαμένους.
Οὐ πολιός τι λέληθε γέρας κλυτόν. ἀθρόα πάντα
Τῇσιν ἀναγνώσῃς ἐν σελίδεσσιν ἴδῃ,
Νηοῦσθ', ὑψερεφεῖσ τε δόμους, ἀγοράσ τε δίκασ τε,
Ἀτρέστουσ τε θεοῦ μάρτυρας, ἠδ' ἕτερα.
Χαῖρε διοτρεφέων ἀνδρῶν θάλος· ἦ τοι ἀμοιβὴν
Οὐκ ὀλίγην ὄφλει Βελγὶς ἀριστοτόκος.
Ἄξιος εἶ βίον ἀθάνατον καὶ κῦδος ἀρέσθαι
Ἀθάνατον πάτρῃ δοὺς κλέος ἠδὲ βίον.

LAMBERTVS BARLÆVS
Græcæ linguæ Profeſſor.

*** HONO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

HONORI

Viri Reverendi, Theologi & Polyhiſtoris eximii,

D. JACOBI REVII,

Regentis Colleg. Theol. Ordd. Holl.

CVM

DAVENTRIÆ

Hiſtoricam deſcriptionem ederet.

Magne ſenex, quem ſacra ſuâ Permeſſide lâvit
Pagina, quem Pietas intemerata colit,
Quem ſibi patronum ſelegit candida virgo
Relligio ſacras dilacerata comas;
Te peperit florens ſtudiis Daventria mater,
Et tantum gaudet ſe peperiſſe virum,
Gaudet & exultat: nam quæ tibi præmia reddet,
Dum Matri vitam & lumina reſtituis?
Dum calamo ſtatuis veſtræ fundamina gentis,
Hiſtoriasque omnes eruis è tenebris?
Ipſa ſtupet, nec ſe Daventria credit eandem,
Ac vultu ſubito vividiore nitet,

Ebul.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ebullit, lætoque exuberat Iſala fluctu,
Tranquilloque ſuos flumine lambit agros.
Fallor, an ad populi vocem ſe mobilis Echo
Flectit & exclamat: Tu Pater es Patriæ,
Tu Pater es Patriæ veſtræ, Doctiſſime Revi,
Terque quaterque addit vocibus haud dubiis,
Hic calamus vivet, vivet Daventria mater,
Dum volucer nitidas Iſala volvet aquas.

A. THYSIUS JC.

IN HISTORIAM
DAVENTRIÆ CIVITATIS,

à Viro Clariſſimo

JACOBO REVIO, SS. Theol. Doctore,

adornatam.

הוֹצִיא שֶׁבַח. טוּב מִזֶּבַח. אִישׁ מְשֻׁבַּח
עִיר מוֹלַדְתּוֹ.
דְּבֵין־טְרִיָּה. עִיר תּוּשִׁיָּה. קֶרֶת בְּרִיָּה.
הִיא מְכַבַּדְתּוֹ:
מְאוֹר מִזְרַח. הוֹדָהּ יִזְרַח. מְאָז יִפְרַח.
שְׁמָהּ כְּשׁוֹשָׁן.
זִכְרָהּ יְסֻלֶּה. בִּלְתִּי יִכָּלֶה. שְׁבִיבָהּ יַעֲלֶה.
מִבְּלִי עָשָׁן:

HAuſit uti Patriæ primam intra mœnia lucem;
Sic primam Patriæ Revius hanc retulit:
Inclyta, non uno Daventria nomine felix!
Nativum illuſtrat te, propriumque decus.

ALLARDVS UCHTMANNVS
Linguæ S. Profeſſor.

DAVEN-

DAVENTRIAE ILLVSTRATÆ, SIVE HISTORIÆ URBIS DAVENTRIENSIS

LIBER PRIMVS.

TRanſiſalana ditio, cujus metropolim *Daventriam* deſcribemus, ita dicta eſt, quia ultra *Iſalam* ferè ſitum ſuum habet. Vetus hic Saliorum ſedes fuit, unde appellatio *Iſalæ* (ita enim ſcribendum monet *Iunius*) & *Sallandiæ*, & *Aldenſalæ*. Sed ipſum *Hadrianum Iunium* audire præſtat. Ita igitur ille, Bataviæ cap. 1 x. Pag. 97.

,, At tu Tranſiſalana, gloriare iſto lumine quod primus ego tibi aperui,
,, commonſtrator avitæ laudis, atque hac immortalis gloriæ prædicatione te
,, efferto, apud te repertos eſſe fontes & natales præpotentis & inclytæ Fran-
,, corum gentis, veſtram eſſe genitalem Imperatorum maximorum & Regum
,, tellurem, ut merito tibi de ſuo jure decedere debeat Creta Iovis glorioſa
,, cunabulis, & Herculis ortu ſuperbæ Thebæ: veſtram eſſe legum quæ
,, vobis & pietati poſitæ fuerunt officinam. Francorum genus, nequis ſcrupu-
,, loſè ſectam in parteis diviſionem à me expectet, geminum apud ſcriptores
,, invenio, Anſuarios & Salios. Marcellinus lib. xx. ſcribit Anſuarios, ſive

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ (quæ apud Tacitum extat lectio) Anſibarios, tranſmiſſo Rheno extimam „ Gallorum oram inquietaſſe. *Regionem*, inquit *ſubito peruaſit Francorum, quos Anſuarios vocant, inquietorum hominum, licentius etiam tum percurſantium extima Galliarum.* Eoſdem nihil hoſtile metuenteis, quod nullum unquam Principem „ ob impeditas viarum ſalebras ad ſuos pagos penetraſſe meminerant, à Iu„ liano mira celeritate dicit oppreſſos. Quo in loco prior editio ſcripturam „ *Anſuarios* magis mihi probat, quam poſterior quæ *Attuarios* habet: quan„ quam & *Attuarios* alibi apud eundem lego, ubi refert, *Petulantes* (gentis no„ men, aut legionis eſt) & *Celtas* irrito precum molimine obſecraſſe Julianum, „ jam militari acclamatione Auguſtum enunciatum, pro Attuariis, ut mitte„ rentur ad occupandas provincias quas ipſi viſum eſſet: quo in loco vulgata „ exemplaria vitioſe ſcribunt, pro *actuariis.* Eoſdem eſſe arbitror cum his qui à „ Strab. lib. 7. *Chattuarii* vocantur, ſive corrupta librariorum vitio ſcripturæ „ fide, ſive Geographum Germaniæ populorum nomina Græcis auribus avia, „ procliviorem in errorem induxerunt. & mox: Sed ut momenti parvi iſtud „ eſt, ita illud aliquanto majoris, *Anſibarios* inter Palatina auxilia cenſos fuiſſe „ olim, & quum agros vacuos prope Rheni ripam occupaſſent, quibus juſſi „ decedere Friſii, quum obſtinatus præfecti Romani rigor idem illis quo„ que denegaſſet, retro conceſſiſſe ad Uſipios & Tubantes. & mox: Hos „ ego, (Anſuarios) non abſurda conjectura *Daventrios*, vel certe finitimos il„ lis libenter facerem, quod videantur mihi ab *Anſis*, quo vocabulo proceres „ & heroës denotari monui, dicti eſſe, quod nomen illorum civitas non ab„ nuit, *Anſen-ſtadt*, id eſt, Anſuariorum civitas, nominari ſe publicis ſcriptis „ paſſa. Quod ſi *Attuariorum* ſcripturam potius admittemus, recepta nunc *Da„ ventuariorum* appellatio primæ gentis nomenclationi atteſtabitur. Quid enim „ ortui ſuo vicinius in tanto ſeculorum decurſu, & linguæ ſemper degeneran„ tis ac ſe vulgato uſui accommodantis mutatione ſervari potuit, quam quod „ ex articulo *De* & *Attuarii*, nuncupati fuerint qui nunc *Daventuarii* vocantur? „ nam qui obſoleta ratione vulgarem pronuntiationis formam ſequentes, à „ *Fortuna* quæ populariter *Aventura* audit, nominis auſpicium trahunt, fabulam „ incœptare mihi videntur. (poſtea de Saliis agit.)

ISALA porro, (quem auctores mediæ ætatis *Iſlam*, & *Hiſlam* vocant, antiquitus autem *Nabalia* dictus putatur, aut, ut alii malunt, Flevus, vel Flevum) inter foſſas Druſianas recenſetur, quas Suetonius in Claudii vita trans Rhenum novi & immenſi operis à Druſo effectas ſcribit. per hanc, ut Tacitus tradit, ex Rheno, per lacus in Oceanum navigabatur. intellige eam Iſalæ partem, quæ ſupra Arenacum urbem, ad pagum nomine *Malburgum*, ex Rheno in Iſalam *Doeſburgi* effluit, unde hoc oppidum nonnulli *Druſoburgum*, in facti memoriam, appellare malunt. Hunc Iſalam aquas ſuas olim non commiſcuiſſe Rheno veri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

veriſimile videturOrtelio in Theſ.geogr.;cum fontem & nomen adhuc habeat in regione Weſtphaliæ, inter *Scherenbeeck* & *Ranſdorp*, oppida,quæ deſcendens verſus *Dotechemum*, dictum Doeſburgum alluit, rectaque Oceanum petit.ita Ortelius.Georg. Braun, & Franc. Hogenbergius Civit.Orb.terr. part.1. Iſalam (ut nunc eſt) ex Rheno ortum ducere obſervant, nomen autem inter *Arnemium* & *Zutphaniam* acquirere, unde artificiali multarum impenſarum curſu ad Daventriæ mœnia ſubductus ſit. Hoc namque tempore paulo ab urbe remotius, verſus Orientale latus, ſtagnum conſpici, *Iſalæ veteris* appellatione notum, quia nimirum priſcis temporibus naturalem hoc loci alveum obtinuerit. *Hanſeaticæ* porro *civitatis* appellatio, cujus mentio eſt apud Iunium, ab aliis aliter explicatur. res ipſa, juxta communiorem ſententiam, ita habet:cum Hunni aliique barbari Germaniam vexarent, adverſus eos, & ad commerciorum commodum, præcipuæ Germaniæ urbes maritimæ & fluminibus aſſitæ in unum coiere, inde à *Fumico ſinu* qui eſt in ultimo receſſu maris Balthici, uſque ad Rheni oſtia, nomenque ſibi indiderunt Anzeaticarum, vel à mari Teutonico, quod ad illud ſitæ eſſent, hoc enim eſt *An-zee*, vel à fide quam dextera pangere gentibus mos eſt, manum enim Germani *Hant* vocant, vel à *fide & concilio*, quod priſca Germanorum voce *Hanſam* dici ajunt, prolato etiam è veteri codice N.T. loco ubi pro eo quod latine dicitur *Concilium fecerunt in eum*, Germanice legitur; *fecerunt Hanzam*. In eam ſocietatem recipiebantur civitates Germaniæ, quæ jus habebant portarum ſuarum claudendarum & aperiendarum, ſive eæ de cætero principem agnoſcerent, ſive omnino eſſent liberæ. & hactenus intellige eas dictas *Hanſaticas liberas*. Dividitur *Hanſa* in IV.regiones. *Lubecenſem, Colonienſem, Brunſvicenſem, Boruſſicam*. Lubeca Hanſæ caput eſt. in ea ſunt archiva ſocietatis, cum jure evocandi vicinas urbes. habet autem ſibi junctas civitatis Vandalicas *Hamburgum, Roſtochium, Wiſmariam, Straleſundam, & Luneburgum*, Pomeranicas 8. *Stetinum, Anclemium, Golnavam, Gripſwaldam, Colbergam, Stargardam, Stolpam. Colonia Vbiorum* quæ anno CIↃCCCC LXXXI. Anſæ acceſſit primaria eſt ſecundæ regionis civitas, habetque ſibi ſociatas civitates Clivenſes & Markenſes, *Veſaliam, Duiſburgum, Embricum, Warburgum, Vnnam. Hammonam.* Weſtphalicas item, *Monaſterium, Oſnabrugam, Tremoniam, Suſatum, Herfordiam, Padebornam, Lemgoviam, Bilefeldiam, Lippiam, Coeſfeldiam.* Et Geldricas, *Noviomagum. Zutphaniam, Ruremundam, Arnemium, Venloam, Elburgum, Hardervicum.* Præterea Tranſiſalanas, *Daventriam, Campos, Zwollam.* Denique Friſicas ſeptentrionales, *Groningam, Bolſwerdiam, Staveram. Brunſwiga* primaria tertiæ regionis, habet ſub ſe urbes Saxonicas, *Magdeburgum, Goſlariam, Embecam, Gottingam, Hildeſhemium, Hanoveram, Vlſam, Buxtehudam, Stadam, Bremam, Hamelam, Mindam. Dantiſcum* primaria *Boruſſiæ* civitas habet ſub ſe *Regiomontum, Colmariam, Toruniam, Elbingam, Brunſbergam.* Livonicas quoque urbes, *Rigam, Dorpatum*, & *Revaliam.* eſt & in Norvegia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Berga juris Hanſeatici. De iis quæ controverſi juris ſunt, item de Anſæ potentia, privilegijs, cæteriſque hujuſmodi nihil addam. apud alios ea legi poſſunt. nominatim apud P. Bert. Comment. rerum Germ. lib. I I I. cap. I V. & Pont. Hiſt. Dan. lib. V I I I. pag. 494.

Werdenhagius rerump. Hanſ. præfat. (* * 4. & deinceps) Vandalice *Hanſam* & *onus* & *congregationem* notare ait. ſed & ex Iornand. I. de reb. Goth. lib. X V I I. citat, Gothos proceres ſuos, Romanis devictis, Fuſcoque duce extincto, quaſi qui fortunam vincebant, non puros homines ſed ſemideos, *Hanſos* vocaſſe. plura apud illum require.

Sed neque de nomine & ortu urbis *Daventrienſis*, de qua conjecturas Hadr. Iunij audivimus, idem auctores ſentiunt. nam ij quos ſupra lau-
„ davimus Georg. Braun & Franc. Hogenbergius, eam Tranſiſalanæ re-
„ gionem quæ Iſalæ vicina eſt *Iſſellant* (lege, *Sallant*) communiter vocari
„ ajunt, quæ vero trans *Vidrum*, quem *Vecht* nuncupant, fluvium ſita eſt,
„ *Twent* (inquiunt) dicitur, antiquam, ut videtur, Strabonis & Taciti appel-
„ lationem retinens, qui juxta Camannos, *Tuenterorum*, ſive, ut apud pleroſ-
„ que invenio, *Tencterorum*, & *Teventerorum* gentem poſuere. Quæ *Daven-*
„ *triam* urbem habet præcipuam, cujus quidem appellatio non inepte ad
„ *Teuenterorum* nomen alludit. Sunt autem viri docti, quibus hæc urbs vi-
„ vendi initium dedit, qui non *Daventriam*, ſed *Davontriam* dicendam conten-
„ dant. Cum teſtentur id duo perantiqua quædam monumenta lapidea, quo-
„ rum alterum ad ſenatoriæ domus ingreſſum conſpiciatur, alterum autem
„ in porta quæ Brinconis dicitur, quibus *Davontur* ſcriptum legatur. Quod
„ quidem ab eorum etiam opinione non nimium abhorrere videtur, qui
„ non aliunde quam à Davone, viro quondam inter Saxones honorato &
„ potente, nomen huic urbi inditum aſſeverant. cujus inſignis benevolentia
„ erga Lebuinum (de quo poſtea) extiterit, uſque adeo ut Lebuino morte
„ ſublato, magnificum Deo oratorium, B. Lebuini appellatione clarum, jux-
„ ta arcem ſuam erexerit, in quo eum decenti & magnifica ſepultura deco-
„ rarit. Ad hanc autem Davonis arcem, propter erecti templi magnificen-
„ tiam, multos ædes ſuas habere deſideraſſe, ita ut iſta ædium multitudo &
„ conjunctio paulatim muris ac foveis cingi, & urbis nomen à Davonis arce
„ ſortiri, atque imperialibus privilegijs gaudere cœperit. Hæc illi, qui Davonem hunc, & urbis exordia referunt ad tempora quibus Sergius. pont. max. Juſtinianus Imp. Aug. & Pipinus Francorum Rex imperarunt, anno poſt natum Chriſtum plus minus D. X L. Alii multo altius urbis hujus origenem repetunt, nempe ab anno Chriſti C X X X. tunc enim Cattos, una cum Hermunduris Hercyniam ſylvam incolenteis, atque inde à Salinis expulſos, partim in Galliam ſe recepiſſe, partim una cum Alanis Hiſpaniam petiiſſe, atque inibi Cataloniam fundaſſe, quæ & à Cattis nomen habeat, eos qui in

Gallia

Gallia conſederant, inde fugatos, ac ſecundo Rheno devectos, ad ſuperiorem ejus alveum arcem extruxiſſe quam *d'Avonturium* vocarint, non à *Davone*, quod ſuperior opinio habet, ſed à *fortuna*, quæ eorum lingua ita appellaretur, cuique tam felicem vagationis ſuæ eventum grati imputarent. hæc colligere eſt ex rhytmica quadam compoſitione, ante ſeculum, aut præter propter Daventriæ excuſa, & urbis delineationi ſubjecta. quam in hiſce noſtris conſervari ab interitu non ingratum, ut opinor, erit. ita autem habet:

Rythmica compoſitio.

MEN vint claerlick in Hiſtorien geſchreven,
Wie Julius Ceſar in ſynen dagen
Den Romeren tho gefalle heft over gegeven
Vele Landen tho dwingen in ſynen leven
Vnd die tho brengen onder des Rijcks verdragen.
Welke tijdinge men hier hoerde gewagen
Want hy dwanck die Wilten vnd Slaven,
So dat vele dat ſpel verlaren ſagen,
Vnde ten leſten ſick onder den Roemeren gaven.
Hier mede liet Julius ſyn weldicheyt draven
Wederkyrende metter victorien geſchalle.
Acht vnd vijftich jaer ſachmen dit laven
Vor Chriſtus geboerte, by rechten getalle.
Daer na omtrent vier vnd negentich jaren
Doe Claudius was regerende machtich,
Welck in Britanien ſick dede apenbaren
Den tinſpenninck halven vnd gewalt to waren,
Vnd de averwonnen hebbende warachtich
Wederkyrende is hier gecamen prachtich,
Vnd deſſe Meerlanders weder tondergebrocht
Welck dit Lant mede was beclachtich
Vnd die Inwoners hebben genade geſocht
An Claudio met fryheit vnde tocht
Vnd den Roemeren ewige trew geſworen,
Vnd met gelimpe den frede gekocht
Den ſy niet lange wolden orboren.
Hondert jaren vnd dertich ſonder falgyren

Na dat Chriſtus ons heil was geboren
So iſſer ein volck geweſt int vermeren
Welck ſich metter wapen conde generen
Vnd hieten de Catthi onder Marte vercaren.
Machtich vnd ſtrytbar, grimmich van toren
Grof van ſtature, ſeer moedich vnd ſtolt,
Die wonachtich waren in tyden hier voren
By den Hermunduren int wilde wolt
Hercynion genant, dan na onderholt,
Sint ſy verdreven van den Salinen ſterch
Om eynen ſtroom, de fruchtbar was van ſolt
So die noch ter tÿt bewÿſt ſyn merch.

Als nu die Catthi waren verdreven,
Hebbe ſy vele Landen verwoeſtet ſere,
Wykende op Galliam, vnd ſick dar gegeven,
Vnd ein deel is metten Alanen gebleven,
Vnd ſick verſammelt na Martis lere,
Die namaels in Hiſpanien ten korſten kere
Sint geſlôcht, vnd na Cathaloniam geſundyrt,
Metter wapen landt vnd luden vermeert,
Die ſo noch genoemt blift in haerder ere,
Conradus Celtis ons hier in docyrt
Dat die Catthi ôck Heſſen werden genoemt
Wie wal Rhenanus dat anders probyrt,
Twe nabuers werden wal by ein geſoemt.

Dat ander deel der Catthi excellent
Sint durch twiſt wt Galliam geiaecht,
Vnd als vagabundi om her bekent
Den Rhyn afcamende, vnd daer omtrent
Innemende eyn plaetſe, vnd dat gewacht
An den overſten arm des Rhyns ſick gelâcht
Dier tyt weſende ein wilt Lant vnd ledich
Recht al had ſy die Fortune daer gedacht
Soe heftet deſſẽ behaecht, des, ſy vermedich
Raſt namen, vnd al was dit volck onſedich

Soe

Soe hebben ſy dan noch ein veſtinge verclårt,
Vnd die Davontur geheten fredich,
Vnd lange duſſe plaetſe ruſtelick bewaert.
Dan doe dit volck durch haer vermeten
Gans hadde vergeten der Ròmeren gebot,
Sich nemende wt den Francken by geſeten
Einem Oberſten, ſo die Cronicken doen weten,
Welck ſy deden den Romeren tho trot,
Biſz dat Conſtantius na der Fortunen lot
Regnerende was, tis niet gelagen,
Die heft ſy weder bedwongen tot ſynen genot
Vnd ſo mede na Vriſlant geſlogen,
Vnd die Batavos met gelimpe bedrogen
Drie hondert jaer vnd thien doemen ſchref
Na Chriſtus gebort hòrdemen dit verhogen,
Daer menich from Cryſchman om bleff.

Wie wal Conſtantius deſſe Nederlanden tſamen
Dwanck onder den Ròmeren in ſynen dagen
So was dit volck vnd de Wilten met namen
Altijt partijch, ſoo dat ſy dickmael onder quamen.
Vnd want ſy from waren vnd ſtolt int wagen
Geſchickt ten Krige vnd om Wapen tho dragen
So ſint ſy by den Ròmeren ſeer geacht:
Want ſulcke volck conde hen behagen
Die hen byſtonden met ganſer macht.
Vnd al waren ſy dickmåls anders bedacht
Noch ſint ſy van deſſer tijt onder den Ròmeren gebleven
Fry ſonder tins, ſonder eygen pacht
Noch den Rômeren geen tribut gegeven.
Vnd al ſyn deſſe Landen dickmål verheert
Vnd verwôſtet in mennige manyren
So is daerom Davontur rijckelick gepaſſeert,
Vnd den nâm geholden, wie ſy was gefundeert.
Der Catthi naem was fremt int fieren,
Want ſy hadden die konſt om tenten tho ſpiren

Dan

Dan na verandert, vnd den naem vergeten
Biſz datmen hier Gades Tempel dede vercyren
Afſtellende alle afgodrie vnd ydel vermeten
Annemende dat Geloof, met wil vnd weten
Durch vlijt van hillige Mannen vnd gůde leringe.
Seven hondert jaer ſachmen ſulcks verpeten
Na Chriſtus geborte vnd ſyne beheringe.

Vijftich jaren na das dit Lant was bekert,
Is deſſe plaetſe overwonnen met gewalt,
Vnd van den Wenden vnd Denen overheert,
Verwoeſtet, wtgebrant, vnd ganz omgekeert,
Vnd dat Berchſlot opt Davontur geſtelt
Is mede verwonnen vnd ſchandich vermaelt,
Welck naemals veel vaſter is gemaeckt.
Vnd is onder den Rijcks-borgeren getalt
Vnd na deſſen tijt den Roemeren niet meer verſaeckt
Sick gevende tot den frede, hebbende geſmaeckt
Dat twiſt groote dingen kan verminderen:
Dus is Davontur ondert Rijck geraekt
Vnd daer by gebleven als gude kinderen.

Domen ſchref negen hondert vnd twintich jaren
Wert Vtrecht vnd dit Landt gedeſtrueert,
Welck Baldricus weder dede bewaren,
Met muren vnd tórnen, vnd dede vergaren
Alle deſólatien, vnd datter was verheert
Heft hy met alle luſten gereedificeert.
Negentich jaer hyr na onder Bernulphus regeren
Is Davontur ſeer vaſtelick vermeert
Durch liefte die hem dat dede funderen,
Hier ſettende ein Collegium met gůden leren.
Vnd die Kercke begaeft ſeer rijckelick
Welck noch dagelicks ſtaet tho meren,
Als daer openbaer is vnd blickelick.

Otto de III. Romſch Keyſerl. Majeſtaet
Heft dat Dütſche Rijck ſeer verheven

Durch gûde ordinancie vnd wyſen raet,
Want den Chür gaff by ter baet
Den dütſchen Forſten, wie noch is in onſen leven,
Die heft dat lant veele regalien gegeven
Vnd rycklick vercyrt, women noch kan mercken.
Dit geſchach domen ſchref duſent vnd ſeven:
Daer na toe eyn ewich verſtercken
Omtrent lxxxx. jaer, ſachmen oeck mercken
Eyn verbontenis, welck de Anſe wert geheten
In welcker die Averyſelſe percken
Samptlick mede gingen ſo ſy waren geſeten.
Dus is Davontur orſproncklick begonnen
Met den Arent vercyrt dragende root vnd wit,
Vaſt by den frede, noch vaſter beſonnen
In tyden des twiſtes, öck ny verwonnen
Van der tyt dat ſy bleff int Rÿcks beſit.
Wie wal hier eertydes eyn ander gerit
Veel heben bedreven onder ſchilt vnd wapen.
Want ſy vüuden ein Borch int rode verpit
Biſz dat Otto anders dat wolde betrapen,
Dus wert ſy genoemt onder Heeren vnd Knapen
Eyn Keyſer vrye Anſe-Stat bondich vnd vaſt:
Wie wal ſommige daer lelick om gapen,
Got geve Davontur altyt frede vnd raſt.

DAVONTURIUM.

Ornarunt Catthi, ſed poſt ornatius iſtis
Dans aquilam Cæſar, luxit in arce mea.
Sic libertatis ſumpſi primordia ſummæ
Dives opum, Muſas ſedula & uſque colo.

MARS.

Mars ego qui Catthos feci hic dominari animoſos
Quorum pars ſtruxit mœnia ſacra mihi.

Namque loci regem (quamvis Fortuna vocetur)
Me faciunt, noſtro hic numine tutus erit.

FORTUNA.

Divitiæ & nomen ſunt me genitrice reperta
Caſtri hujus quondam: ſic mea jura manent.
Quod cinxit primis Catthorum audacia vallis
Sub regni titulis, tollit ad aſtra caput.

Sed ut ad Lebuinum veniamus, res ita Chron. Holl. Div. III. Cap. III. ediſſeritur: Pipinus Francorum Rex, copias duxit in Friſios, qui & Hollandiam poſſidebant, ea enim tunc temporis ſub Friſiæ regno comprehendebatur, quique rapinis & incendiis Francos Orientales infeſtabant. Urbem autem Trajectinam obſedit & occupavit, ac Friſiorum regem Radbodum ea ejecit. quo facto Wilibrordum cum ſociis, *Swiberto, Acca, Wigberto, Willibaldo, Lebuino, duobus Ewaldis, Werenfrido, Marcellino, Adelberto*, Anglia profectos in Friſiam ablegavit, ut Friſios, Hollandos, Zeelandos, viam ſalutis docerent. Miſſis autem a Gregorio III. Epiſcopo Trajectenſi in Tranſiſalanam regionem Marcellino, Willibaldo, Lævino (ita eum vocat Chron. Holl. Div. III. cap. XXXII. *Lijf-wijn*) hic Daventriæ conſedit. De quo nunc paulo plenius agendum. ac operæ prætium eſt, quæ de nominis ejus etymo mihi obſervata, lectori communicare.

Lebuini nomen Paſſionale Colonienſe dicit, ſignificare *carum amicum*, quod cum primum legerem ſuſque deque habebam, prout multa in obſcuris illis auctoribus inepta reperiuntur, ſed mox id veriſſimum eſſe mihi citra omne dubium perſuaſi, dum recordor Willeramum illum, qui in Canticum Solomonis ſua, id eſt, veteri noſtratium lingua doctiſſimam paraphraſim ſcripſit, ubicunque dicitur *amicus meus*, vertiſſe *mine wine.* hac ergo obſervatione didici, ea Germanorum nomina in quibus vox *Wine* comprehenditur, non a *Vino*, quod hactenus creditum fuit, ſed ab *amicitia* derivari, quorum non minus magnus eſt numerus quam eorum quæ apud Græcos τὸ φίλον præferunt. ergo nomen *Chlodovæi*, quod ſcribendum *Hladewin* nos alicubi docuit Scaliger, vertendum eſt *amicus populi*, δημόφιλος. Alcuinus *Elcwijn* (ita ſcribitur à Pontano, hiſt. Danicæ pag. 85.) ἑκαςόφιλος. *Lieb-win* φιλόφιλος. *Winholt* φιλόπιςος. *Friedwin* & *Winfrid* εἰρηνόφιλος. *Baldwin amicus ſtrenuus.* Beka in vita Wilibrordi modo hunc noſtrum *Livinum*, modo *Lijf-winum*, modo *Lebuinum* vocat. Buchelius priores appellationes hic rejicit, & diverſa nomina eſſe putat. Ego unum idemque nomen eſſe non dubito,

bito, ſed poſtremum juxta Germanicæ Linguæ genium ſcriptum *Lieb-*
wijn. (hoc autem eſt *Lebuinus*) reliqua duo ſecundum Belgarum conſuetudi-
nem *Lief-wijn.* (quod eſt *Livinus.*)

Floruit Lebuinus noſter circa annum Chriſti IↃCXCVI. & poſtea tempore
Pipini, Papa Sergio. (v. in Marcellino.) Natione Anglus fuit, ab Epiſcopo E-
boracenſi Egberto in Friſiam cum aliis undecim monachis miſſus eſt. Balæus
Cent. II. cap. XIX. Perveniſſe dicitur uſque ad annum IↃCCLX. Bu-
chelius in Bekam pag. x. Prædicavit in Velua. Et poſtea in antiqua Saxo-
nia ſive Weſtphalia. Faſc. temp. Cum ad Gregorium Epiſcopum Ultra-
jectinum III. perveniſſet, is ei aſſignavit locum ad Iſalam fluvium,
ubi Gallis & Saxonibus paganis Euangelium annunciaret, adjuncto ei Mar-
cellino, diſcipulo quondam Wilibrordi. Hic apud viduam quandam Abra-
hildam nomine divertit, cumque multos doctrina & exemplo converteret,
oratorium ei extructum ab eis fuit ad Occiduam Iſalæ ripam, quod nunc
nomine *Wulp* inſignitur, nec multo poſt inſigne ejus uſui extructum fuit
templum, in ripa orienrali ejuſdem Fluvii, quod a nomine Virginis Mariæ
vel tunc vel poſtea denominatum eſt. quare in furorem verſi infideles
Saxones, agmine facto idem templum incenderunt, ac novos Chriſtianos
omnes loco pepulerunt. regem tum temporis aut Dominum Saxones non
habebant, ſed quotannis ex optimatibus ſuis XII creabant judices, qui ſin-
gulis annis conſtituto tempore conveniebant eo loco qui *Markelo* dicitur,
ubi de rep. conſilia habebant, huc cum Lebuinus ſe contuliſſet, & doctri-
nam Chriſti eis prædicavit, & prædixit eis ſuperventurum regem peregri-
num ac potentem qui Dei vice eorum pertinaciam caſtigaret. Hic eum
diſcerpſiſſent pagani, niſi divina ope evaſiſſet. Et Buto quidam nomine, ex
eorum numero, eos graviter increpuit, quod cum legatos Normannorum,
Sclavorum, Friſiorum non modo honeſtè recipere, ſed & muneribus orna-
tos dimittere conſueſſent, penè violaſſent legatum regis regum, niſi ejus
auxilio qui ipſum ad ſeſe ablegarat fuiſſet liberatus. haud dubie eis even-
tura quæ vir ſanctus eis prædixerat. hoc ſermone territi ac mitigati, Lebui-
no deinceps libertatem dedere eundi ac redeundi quocunque liberet. qui,
exacto vitæ ac miniſterij curriculo, febre correptus ad alteram vitam mi-
gravit, ac ſepultus eſt in templo portus Daventrienſis. hæc ex manuſcripta
quadam legenda quæ eſt in bibliotheca Daventrienſi excerpſi, ubi & dicitur
Lebuinus habitaſſe in platea vulgo dicta *de Aſſen-ſtrate*. cumque ægrotaret ac-
ceſſiſſe eum urbis ſcabinos, petiiſſeque ut precibus ſuis aliqua a Deo ſibi
obtineret, & quædam impetraſſe, ſed in uno, quod valde deſiderabant, ab
ancilla, quæ, dum colloquebatur cum Angelo, cubiculum intrabat, intertur-
batum fuiſſe, Angelo diſcedente, ac mox obiiſſe, ita ut ſuper hoc reſponſum
non acceperint, quapropter valde doluiſſe, &c. fides ſit penes auctorem.

Quod templum ubi ſepultus dicitur Lebuinus *templum portus* dicatur, ex eo ſuſpicari licet tum temporis eo loci portum Daventrienſem fuiſſe, a quo non abludunt nomina vicinarum II. platæarum quarum altera *de Waterſtrate* quaſi platæam aquæ dicas, altera *den Graven* I. Foſſa nominatur.

Vitam Lebuini Bonifacium, quem Apoſtolum Germanorum vocant, deſcripſiſſe ait Trith. de ill. vv. Germ. Aub. Miræus in vita S. Willibrordi, p. XXVI. ait Lebuinum obiiſſe XII. Nov. poſtridie feſti S. Martini, quem diem etiam ei feſtum eſſe, ac propterea ab Hollandis ac Friſiis vulgo dici *S. Martini pupillum* vel *S. Martini ſecutorem* (*S. Martens Pil.* ofte *S. Martens Volger.*)

Non invidebo Lectori, quod invenitur in manu exarato Chronico Friſiæ, quod auctorem habet Worperium de Reinſma-geeſt, (erat autem codex Clariſſ. Boxhornii) Dicit ſcriptor ille lib. II. cap. XIV. Lebuinum qui cum Wilibrordo advenerat in Orientali Francia pontificatum adeptum, ac martyrio prope Germaniam coronatum, quæ vero de eo a nobis ſunt recenſita ad alium quendam Lebuinum refert cap. XXII. Interim (inquiens) ex Anglia venit quidam ſacerdos ex antiquis Phryſiis in Anglia oriundus, nomine *Liaſ-winus* (forte ſcribendum *Liaf-winus*) qui & *Lebuinus*, ad Epiſcopum Trajectenſem, dicens, à Domino ſibi præceptum ut in confini Francorum atque Saxonum ſecus flumen Iſſulam, plebi in doctrina præeſſet. Tunc Gregorius Epiſcopus direxit eum Daventriam, ut illic fidem, quam dudum à beato Marcellino preſbytero acceperant, corroboraret & ampliaret. Seminavit ergo ibi beatus Lebuinus documenta ſalutis, feceruntque ei fideles oratorium in occidentali parte fluminis, in loco qui vocatur *Wilp*, poſt hæc etiam eccleſiam ædificaverunt in Orientali litore, in loco qui vocatur *Daventria*. Quam Eccleſiam non multo poſt Saxones & Weſtphali, fugatis fidelibus, combuſſerunt igni. Deinde Lebuinus ad propria reverſis prædonibus, reædificavit Eccleſiam combuſtam, & ibi docens defunctus eſt, & ſepultus in ea. videt hic lector duos Lebuinos, unum qui cum Marcellino ac reliquis fidei doctrinam primitus poſt adeptum pontificatum (I. Epiſcopatum) in his oris ſeminavit, ac martyrio coronatus fuit, alterum qui poſtea eodem appulit, & fidem, quam *dudum* à Marcellino barbari acceperant, *corroboravit*, & nec ad pontificatum, nec ad martyrium pervenit. et huic non illi attribui ea quæ Lebuino Wilibrordi ſocio reliqui aſſcribunt. qua de re eruditus lector judicet. nunc de Marcellino.

Marcellinus preſbyter deſcripſit vitam S. Lebuini. fuit unus ex illa ſodalitate de qua ante dictum. Narrat Lebuinum adeptum pontificatum Gandavenſem (convenit hoc cum iis quæ adduximus ex Worperio) alios alia. ac addit: Et ego Marcellinus preſbyter inutilis a præfatis pontificibus miſſus ad partes Tranſiſalanas, locum Aldenſeelem, Trentam, & Twentam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ & Couordiam, ac Daventriam rego, & Dei providentia totum ferme „ populum Chriſto prædicando lucratus ſum, & purgavi a cultu idolola- „ triæ v. Bertium rerum Germ. lib. III. in *Vltrajecto* p. 684.

Aſſiduo prædicavit Euangelium annos fere LXV. videlicet annos V. ante Epiſcopatum Wilibrordi. XL. ſub Wilibrordo XVI. ſub Bonifacio IV. ſub Gregorio Epiſcopis Trajectinis. a quorum poſtremo una cum Lebuino ablegatus eſt Daventriam ad docendum Tranſiſalanos, ac præfuit Aldenſaliæ, Trentiæ, Tubantiæ, Coevordiæ, Daventriæ, ac totam gentem convertit & baptiſmo initiavit. *Chron. Holl. Diviſ.* III. *cap.* XIII. Hiſt. MS. Arn. Bocopii, Gregorium ait miſiſſe Daventriam Lebuinum, Marcellinum, & Wilholdum (ut ipſe vocat) ad annum IↃCCLIV. Idem dicit, vivente adhuc Gregorio & propter invaletudinem ejus Epiſcopatum regente Alberico, Carolum Magnum Eccleſiæ Ultrajectinæ univerſam ripam Leccæ & Iſalæ dono dediſſe anno nono imperij ſui. Wilhelmus Heda Catal. Epiſcop. Tra- „ ject. in S. Wilibrordo Epiſcopo I. pag. XV. ait: Marcellinus preſbyter „ prædicatione ſua Salios Francos, ac gentes circumvicinas convertens, ple- „ nus dierum moriens Daventriam adornat. quod de Saliis Francis dicit, vehementer videtur favere iis quæ ſupra ex Hadriano Junio Hiſtoriæ noſtræ inſeruimus.

Anno Chriſti DCCLXXIII. Carolus cognomento Magnus bellum ſumſit adverſus Saxones, quos cum identidem vinceret, tamen ex voto in ordinem redigere non potuit, ſimulac enim eis tergum obverteret, a pactis reſiliebant, neque diplomata, juramenta, cautiones quicquam ad eos a rebellione retrahendos valebant. ſemel ad decem millia cum uxoribus & liberis e patria abduxit Carolus, & hac illac per imperij fines diſperſit, Colonijs Francorum ac Teutonum in eorum ſedes tranſlatis, qua re eos primum dicto audientes fecit, ac deinde vi violenta idola eorum ſuſtulit, ac ad Chriſtianam fidem eos adegit. qua in re præcipuum ei negocium fuit cum Weſtphalis. qui cum identidem diſcedente Carolo a vera religione deficerent, pœnæ formidine eos in officio retinere ſtatuit. conſtitutis paſſim occultis judicibus, qui vulgo nominabantur *De Veem-ſchepenen* cum poteſtate abſoluta, ſi quem deprehenderent perjurum, fœdifragum, fidei deſertorem aut alioqui criminoſum, eum clam apprehendendi, & e veſtigio, abſque ulla judicij forma ſupplicio afficiendi. Principes autem ejuſmodi viros occulto huic tribunali præficiebat, qui a juſtitia, æquitate & prudentia noti ac celebres erant. Horum opera exterriti Saxones & Weſtphali, non tam facile Chriſtianam religionem deinceps deſerebant, neque ad idolomaniam relabebantur, cum paſſim in nemoribus ac ſaltibus, ex arborum ramis qua nobiles, qua ignobiles, horribili ſpectaculo ſuſpenſos viderent. ſciſcitantibus autem de cauſa ſupplicij reſpondebatur, niſi malus iſte, ac facinoroſus

 fuiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

fuiſſet, non tam atrociter fuiſſet punitus. Jactabant hi judices eandem ſe poteſtatem habere per totam Germaniam, arma quædam ac alia media ignota penes ſe habebant, quibus quos vellent in poteſtatem redigerent. Communi fama etiamnum fertur, eos poſtquam hunc vel illum morte affeciſſent, deinde diſputaſſe, jurene an injuria eſſet occiſus: & ſi nocens deprehenderetur, bene habebat, ſin innocuus, quaſi hoc ad placandos manes ſatis eſſet, infauſta arbore detractus ſepulturæ mandabatur: unde in quam nefariam tyrannidem hoc judicium degenerarit, facile eſt colligere. duravit id clandeſtinum judicium etiam in regionibus Tranſiſalanis, & nominatim Daventriæ ignotum & quaſi ſub larva graſſatum eſt uſque ad annum cIↄccc xciv. ut ibi videbitur. *Bocop. Hiſt. MS.*

Quod ſit vocabuli *de Veme* (unde *Veem-ſchepenen*) etymon, pro certo affirmare non poſſum. Ulrichus Huttenus Orat. iv. in ducem Wirtenbergenſem vocat *Scientes*. Verba ejus ſunt: *Monui, inquit, ſe defenderet, & opprobrata culpa aggreſſus ſum punire ad formam judicij in Weſtphalia Scientium. Vbi mihi reſponde iterum, quid monere oportuit ut ſe defenderet, eum quem jure & ob delictum interimere licuit? Aut quomodo ex ſupplicio pugnam, ex pugna ſupplicium facis?* & mox: *Iam, quod ais, ad formam judicij Scientium, nonne prodigio ſimillimum eſt? Quis Scientium ita judicavit? & virum nobilem judicavit? Aut ſi tale illud judicium eſſet, quis ferendum putaret? Proinde inſcij ſui jures ſunt iſti Scientes, ſi te non in fruſta diſcerpunt, veterem ſui inſtituti auctoritatem, facinore fœdo ac deteſtabili contaminantem. Tu ob id acrius puniendus venis, qui tuis peſſimis ſceleribus ſanctarum legum ſpeciem prætendis.* Dux ille Joannem de Hutten Ulrichi gentilem, ut ejus uxore potiretur, in ſylvam abductum ſuis manibus confoderat, & confoſſum de arbore ſuſpenderat. huic execrabili facto prætendebat formam judicij Scientium.

Sed quomodo hinc eſt *Veme?* niſi eſſet *Weet-mén.* puto tamen potius eſſe *Vede-mén. Vede* eſt hoſtilitas, bellum, ut *Vede* & *Vrede* opponantur. *Vede-men* ergo ſunt *Viri* conſtituti ad eos coërcendos qui pacem violant, & *Vedam* i. Bella ac latrocinia inceptant. ita vox belle quadraret cum primo hujus ordinis inſtituto. nihil tamen affirmo. judicent talium rerum periti.

Defuncto Gregorio, qui iii. Antiſtes Ultrajectinorum fuit, Albericus qui & Albertus dicitur, ejus ſucceſſor Daventriam miſit *Ludgerum*, qui poſtmodum primus Epiſcopus Monaſterienſium evaſit. Locum ipſum jamdudum poſt Gregorij & Lebuini obitum vicini Saxones ſeu Weſtphali corruperant, & populum ad perfidiam paganam coegerant, ipſumque templum, & omnia in eo igne vaſtantes deſtruxerant, ita ut nec Lebuini defuncti corpus inveniri poſſet, quo invento tandem (miraculo, ut ajunt) Ludgerus ædem è fundamentis denuo excitavit, ac viva Euangelij voce inibi diſſipatam Eccleſiam denuo collegit. Vita Ludg. Hæc. Baron. conjicit in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

in annum Domini I ↄcc lxxviii. temp. Imperatoris Caroli Magni & Papæ Adriani.

Mortuus eſt Ludgerus Bilderbecæ anno I ↄccc ix. vii. Kal. apr. ſepultus Verdæ *Chron. Holl. Div.* iii. c. xxxv.

Odilbaldus Friſius xii. Epiſcopus Trajectenſis fuit, cui Lodovicus rex primum, & poſtea Zuentibolchus filius Arnulphi Imperatoris, confirmarunt, quicquid Ludovicus, Carolus, Pipinus, alijque reges conceſſerant, & proprietatem ac immunitatem ab eis obtentam extenderunt ſurſum Daventriam, & Tielam, & univerſa alia loca in ipſo Epiſcopatu conſiſtentia ut habet diploma, quod verbotenus ita ſonat:

„ In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Zuentibolchus gratia Di-
„ vina Rex: cum petitionibus ſacerdotum juſtis ac rationabilibus divini
„ cultus amore favemus, ſuperna nos muniri gratia non diffidimus:
„ Quapropter noverit induſtria, ſeu utilitas omnium fidelium noſtrorum
„ tam præſentium quam & futurorum, qualiter Odilbaldus Trajectenſis
„ Eccleſiæ veteris venerabilis Epiſcopus, quæ eſt conſtructa in honorem
„ S. Martini confeſſoris, & aliorum Dei ſanctorum, obtulit obtutibus
„ noſtris auctoritatem immunitatis Domini & parentis noſtri Ludovici
„ piiſſimi Auguſti, in qua erat inſertum, qualiter Dominus & genitor
„ ſuus Carolus bonæ memoriæ clementiſſimus Imperator, & avus Pipinus
„ Rex, & anteceſſores eorum, ad ipſam Eccleſiam conceſſiſſent omnem
„ decimam, de mancipijs, de terris, & de teloneis, vel de negotijs, & de
„ omni re, undecunque quæ ad partem regiam fiſcus teloneum accipere,
„ vel exigere videbatur, & ut homines ejuſdem Eccleſiæ, ſub mundi-
„ burdo & tuitione ipſius Eccleſiæ conſiſterent; nec non in ripis, Dore-
„ ſtado, ut nec bannum, nec fredum, nec conjectum quod ab ipſis *geſchot*
„ vocatum eſſe comperimus, contingere aut exactare præſumeret. Et quiſ-
„ quis ex negotiatoribus in eorum ripas intrare voluiſſet, nullam eis con-
„ tentionem ex hoc feciſſet, nec manſiones in eorum domibus ſine permiſ-
„ ſu eorum accipere auderet, nec eorum res dum vixerint auferre, aut
„ poſt mortem eorum contingere, nec ullo modo eis in aliqua re calum-
„ niam generare quis præſumeret, qualiter præſul ipſius Eccleſiæ liberius
„ eidem clero & populo ſibi ſubjecto alimoniam miniſtrare, & luminaria in
„ ipſa ſede continuare, atque gentiles, qui ad Chriſtianitatem convertuntur,
„ alere & docere poſſit. Hæc rogavit Celſitudinem noſtram jam dictus E-
„ piſcopus, ut ob noſtræ mercedis augmentum illi concederemus, ut ipſam
„ legem quam in Doreſtadio anteceſſores noſtri Reges videlicet & Auguſti,
„ anteceſſoribus ſuis, præſulibus ſcil. & Epiſcopis, ad jam nominatam ſan-
„ ctam Trajectenſem Eccleſiam conceſſerunt in omnibus huic ſanctæ Traje-
„ ctinæ ſedi, ob amorem Dei, & reverentiam S. Martini in Daventre

„ ſcilicet

„ ſcilicet & Thiele, univerſiſque alijs in locis in ipſo Epiſcopatu conſi-
„ ſtentibus conceſſimus. Cujus petitioni libenti animo aurem accommoda-
„ re placuit, & per hanc noſtram auctoritatem confirmare, ut ſicut in Do-
„ reſtadio, in terris S. Martini reſidentibus, vel cum navibus adripanti-
„ bus, aut ibi commanentibus, nec teloneum, aut conjectum, ſeu man-
„ ſionaticum, aut fredus, a miniſterialibus noſtris exigatur, ſic in Daven-
„ triâ villâ, & Thiela, omnibuſque alijs locis in terris & poſſeſſionibus
„ ejuſdem Trajectenſis Eccleſiæ conſiſtentibus & commanentibus, de cæ-
„ tero ab exactoribus noſtris non expetentur, ſed hæc omnia ob mercedis
„ noſtræ augmentum & æternam remunerationem in jus & dominatio-
„ nem jam dictæ Eccleſiæ Trajectenſis redeant, ut S. Martinus, in cujus
„ venerationem iſta contulimus, dignetur pro nobis intercedere, ut veniam
„ peccatorum noſtrorum mereamur habere. Et quicunque hanc donatio-
„ nem infringere aut immutare per malevolentiam tentaverit, in iram Om-
„ nipotentis Dei & S. Martini ſe incurrere ſciat. Et, ut verius credatur, &
„ diligentius obſervetur, manu propria noſtra ſubtus hæc confirmavimus,
„ & ſigillo noſtro aſſignari juſſimus. *Signum Zuentibolchi glorioſiſſimi regis. Wadgerus Notarius ad vicem Radbodi Archicancellarij recognovi. Data* VIII. Kal. Iulii, *anno incarnationis Dominicæ* DCCCXC. *indictione* VIII. *anno vero regni Domini Zuentibolchi ſecundo. Actum Nuimaga palatio regio in Dei nomine feliciter, Amen. (Ex hiſt. Wilh. Hedæ. pag.* 63.)

Arnoldus à Bocop in Annalibus ſuis MSS. ex hoc inſtrumento probat, Daventriam tum temporis pagum fuiſſe; quia dicatur: *in Daventriâ villâ.* perperam, ut ego quidem arbitror, cum *villa* ſeculo illo barbaro (ut & hodie apud Gallos) idem ſignificarit quod *Vrbs.*

Ratbodus ex regia Friſiorum ac Francorum ſtirpe, præceptorem habuit *Nannonem* Staurienſem Philoſophum, & ſub eo ſtudiorum ſocios *Stephanum & Mancionem*, poſtea Tungrenſem & Cabilonenſem Epiſcopos. ipſe ſedem Ultrajectinam adeptus eſt, ac numeratur Epiſcopus ejus urbis decimuſquartus. unde per Danorum irruptionem ejectus Daventriam conceſſit, ac ibi fere egit. v. *Hedam pag.* 71. *Pontanum hiſt. Dan. lib.* IV. *pag.* 107. Sanctitatis & miraculorum opinione claruit, fuitque græcarum latinarumque literarum juxta eruditus, arguunt id ipſius Sylvæ utroque genere ſcriptæ, quæ adhuc extant. ſcripſit &

De laudibus S. Martini.
De laudibus S. Bonifacii.
Flores de S. Wilibrordo.
Vitam & Tranſlationem S. Amelbergæ virginis.

Offi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Officium de Tranſlatione S. Martini.
Eclogam Eccleſiaſticam de virtutibus S. Lebuini.

Sweertius varios cantus in honorem S S. adjungit, in Athenis ſuis Belg.
ex Sifrido *Petri* v. *Bekam & Hedam pag.* 71. 72. 74. *ad g. & comment. ibid.*
At Danis ope Diderici I. Comitis Hollandiæ Ultrajecto profligatis, eam
urbem repetijt, ibique mortuus eſt. Anno I ɔ c c c c x v I. x v. Kal. Dec.
Corpus Daventriam tranſlatum & depoſitum in æde S. Lebuino Sacra, hoc
beneficium Didericus III. IV. Comes Hollandiæ objecit Adelboldo x I x.
epiſcopo Traject. à ſe capto. v. *Chron. Holl. Div.* v I I. *cap.* x I. *pag.* 117. vi-
deantur & L. Hortenſius Seceſſ. Ultr. l. I. Bockenbergius hiſt. pontif.
Ultraject. Deſſel. Biblioth. Baronius Martyrol. Rom. Surius Tom. vI. Beka
ut & Bert. Comment. rerum Germ. l. I I I. in *Vltrajecto,* dicit eum *Ootmarſiæ* mor-
tuum, ſepultum *Daventriæ.* Ita & *Chron. Holl. Div.* v. *cap.* xI. Vbi dicitur na-
tus in Friſiæ oppido Lentegoe, à Romanorum Rege Ludovico impetraſſe
confirmationem & munitionem urbis ac arcis *Daventrienſis.* Præfuiſſe ſuæ
dioeceſi annos xvI I. obiiſſe anno Iɔcccc xvI I. I I I. Kal. Dec. Ootmarſi, quo
è Drentinâ ditione conceſſerat. Bocopius hæc refert ad annum Iɔcccc xxvI I.
& *Radbodum* hunc, modo *Radebaldum,* modo *Adebaldum* nominat. Heda con-
firmationem donationis oppidi *Daventriæ* tribuit Zuentibolcho Galliæ Bel-
gicæ ſive Lotharingiæ, & Conrado Francorum regi. mortuum etiam hunc
Radbodum inter divos relatum ait.

Radbodo ſucceſſit *Baldricus* x v. Epiſcopus Traject. Ludgeri Comitis
Clivenſis x. filius. hic dicitur revelatione divina reppeiſſe corpora SS.
Werenf[?]idi, Lebuini, Plechelmi, Radbodi, &c. eiſque ornaſſe Eccleſiam Ul-
trajectinam *Chron. Holl. Div.* v. *cap.* x I I. *pag.* 107. Beka in Baldrico. Præfuit
annos L I X. mortuus anno Iɔcccc L X X V I I. Imperatore Otthone I I. Verum
id mirum (nec ab re) videtur Buchelio in Radbodo prædeceſſore, & cui Bal-
dericus immediate ſucceſſit, cujus corpus Daventriæ ſepultum fuit. (ridi-
culum enim ad id inveniendum divina revelatione opus fuiſſe.) Apud Hedam
p. 71. hoc hujus præſulis fragmentum extat è quo ejus non vulgarem ut il-
lis temporibus, eruditionem tam ligata quam ſoluta oratione, deprehende-
„ re eſt. ita autem ſonat: Anno ab incarnatione Domini D c c c c. apparuit
„ in cœlo mirabile ſignum, ſtellæ enim viſæ ſunt undique tanquam ex alto
„ in Horizontis imum profluere circa poli cardinem, omnes fere inter ſe
„ invicem concurrere: quod prodigium ſecutæ ſunt triſtes rerum calami-
„ tates, aëris videlicet maxima intemperies, crebrique ventorum turbi-
„ nes, fluminum quoque terminos ſuos tranſgredientium, terribilis quæ-
„ dam quaſi cataclyſmi imago. Et quod his peſtilentius eſt, diræ hominum
„ adverſus Deum ſe extollentium tempeſtates. Hoc eodem anno, priuſquam

tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, tamen Epactæ mutarentur, Folco Rhemorum Epiſcopus Metropolitanus,
,, & Zuentiboldus Rex interfecti ſunt, ac non multis antea diebus ego pec-
,, cator Radbodus inter famulos ſanctæ Trajectenſis Eccleſiæ conſcribi me-
,, rui. Atque utinam cum eiſdem æternæ vitæ conſortium merear adipiſci.
,, Hoc ergo erit Epitaphium meum de viatico Chriſti:

Eſuries te, Chriſte Deus, ſitis atque videndi
Jam modo carnales me vetat eſſe dapes.
Da mihi te veſci, te potum haurire ſalutis,
Vnicus ignotæ tu comes eſto viæ.
Et quem longa fames errantem ambeſit in orbe,
Hunc ſatia vultu, Patris imago, tuo.

Baldrico huic Imperator Henricus confirmavit immunitatem Doreſtadij, Daventriæ & Thielæ. Diploma extat apud Hedam pag. 79. quod quia, mutatis tantum mutandis, idem eſt cum priori, non appoſuimus.

Anno IↃCCCCLXXXIX. Imperij gubernacula ſumſit Otho III. qui anno IↃCCCCXCV. Brunonem Saxonem, filium Othonis Sueviæ Ducis, conſanguineum ſuum ipſe Romæ pontificem creavit, qui eum viciſſim, una cum conjuge Romæ coronavit. at digreſſo Othone pellitur Roma Gregorius, ſed vi ab Othone, punitis adverſarijs, reſtituitur. Gregorius, cum hærede careret Otho, in gratiam Germanorum, Synodo habita decrevit ut ſoli Germani Imperatorem eligerent. hanc ad rem inſtituti VII. viri Electores, cum antea ſucceſſio locum habuiſſet. tulerunt hoc iniquo animo Franci, verum quia ſtirps Carolina defecerat, regnumque pervenerat ad Capetum, repetere imperium deſtitere, maxime quod ipſi duces, novi homines, illa fortuna tunc contenti, moliri majora, regno nondum bene fundato, non ſunt auſi. Hic Otho Baldrico immunitates Daventriæ & ipſe confirmavit, ac Daventrienſem urbem donavit inſigni Aquilæ. cum antea arcem tribus munitam turribus habuerit pro inſigni, prout & obſervatum auctori Rhytmicæ compoſitionis, quam ſuprà integram hiſtoriæ noſtræ inſeruimus quale ſigillum nuper in curia hujus urbis inventum eſt, cujus ectypum penes me eſt.

Tale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16



Tale fere eſt vetus ſigillum Burgenſium civit Trajecti. v. Buchelium ad Bekam pag. 89. & ipſius Romæ, Not. ad Hedam pag. 202.

Anno cIↄxxvI. Epiſcopus factus eſt Ultrajectinus xx. *Bernulphus*. hic ædificavit Trajecti duas collegiatas Eccleſias, unam in honorem S. Petri, alteram in honorem Joan. Bapt. Medietatem vero collegij S. Salvatoris Trajectenſis tranſplantavit in Daventriam, ubi pro reverentia B. Lebuini, canonicorum extruxit Eccleſiam. *Beka.* canonici huc tranſlati viginti fuerunt numero v. *Bertium*, *Bockenbergium*, *Chron. Holl. Diviſ.* Ix. *cap.* III. *pag.* 113. *Pontan. Hiſt. Gelr. lib.* v. *pag.* 79. Bocopius hanc tranſlationem confert in Annum Chriſti cIↄ xlviii.

Huic Bernulpho Henr. III. Imperator donavit dominium urbis Daventrienſis anno cIↄxlvi. diploma habes *Chron. Holl. Diviſ.* viii. *cap.* iv. *pag.* 121. B. & Latine apud Hedam *pag.* 123. hujuſmodi:

,, In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Henricus Divina favente
,, clementia Rex: Noverit omnium Chriſti noſtrique fidelium ſolers in-
,, duſtria, tam præſentium quam & futurorum, qualiter nos ob Dei omnipo-

„nipotentis amorem, noſtrique patris dilectiſſimi Conradi videlicet Im-
„ perat. Aug. nec non interventu ac petitione noſtræ dilectæ conthoralis
„ Reginæ Agnetis, jugeque Bernolphi Traject. Eccl. in honorem S. Mar-
„ tini conſtructæ venerabilis Epiſcopi ſervitium fideliter nobis perſæpe ad-
„ hibitum, talem proprietatem eidem ſupradictæ Eccleſiæ, qualem viſi ſu-
„ mus manu ſub poteſtate tenere, in loco Daventre dicto, in moneta, Te-
„ loneis, placitis cum omni regali diſtrictu, omnique utilitatis commo-
„ ditate, quæ ullo modo inde poterit provenire, & cum Comitatu Amelan-
„ de, ſuo termino ejuſdem comitatus hic ſubtus denotato: De Rathmon
„ ad Hune, de Hune ad Waggeſtapolon, & inde ad Weſterfle, de Weſter-
„ fle ad Agaſtaldaburg, de Agaſtaldaburg ad Stetere per Sultam, & in alia
„ parte Iſlæ; de Lovenen uſque ad Erbeke; de Erbeke ad Suythampe, &
„ item ex alia parte Iſlæ ad Aſcete, in proprium tradidimus & ſtabilivi-
„ mus, eo ſcilicet tenore, ut nullus judex aut exactor, major aut minor
„ perſona, ullam poteſtatem habeat inde aliquid exigendi abſque licentia
„ Epiſcopi, ſed ut prædictus præſul ejuſque ſucceſſores de his ſuperdictis
„ Regijs donis liberam dehinc poteſtatem habeant obtinendi, commutandi,
„ præcariandi, vel quicquid ſibi placuerit ad uſum prænominatæ Eccleſiæ
„ inde faciendi. Et ut hæc Regiæ noſtræ donationis authoritas ſtabilis &
„ inconvulſa per ſuccedentium temporum momenta maneat, hanc paginam
„ inde conſcriptam manu propria roborantes, ut infra poterit videri, ſigil-
„ li noſtri juſſimus impreſſione ſignari. *Signum Domini Henrici tertij Regis*
„ *invictiſſimi. Theodoricus Cancellarius, vice Bardonis Archicapellani, recognovi.*
„ *Datæ* x. *Kal. Sept. an. Dominicæ incarnationis* CIϽXLVI. *Indict.* XIV. *an.*
„ *autem Domini Henrici tertij Ordinationis ejus* XVIII. *Imperij* VII. *actum*
„ *Spiræ.*

Addam & inſtrumentum quoddam Bernulphi, ex Hedæ pag. 127. ubi librarum Daventrienſium mentio. eſt autem hujuſcemodi:

„ In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Bernaldus, ſanctæ Tra-
„ jectenſis Eccleſiæ præſul, notum eſſe cupio cunctis fidelibus, tam futu-
„ ris quam præſentibus, quod quidam ingenuus clericus, nomine Adol-
„ phus, militis officio functus, quandam ſui juris hæreditatem, quam ha-
„ buit infra comitatum Godeſcalci Comitis Thuente nuncupatum, id eſt,
„ Gore, tradidit S. Martino, cum convenientia hæredis ſuæ Wiburgis,
„ Abbatiſſæ videlicet de Frikenhurſt, per manum Advocati ſui Walonis,
„ cum omnibus ad eundem locum pertinentibus curtilibus, ædificiis, man-
„ cipijs, agris, paſcuis, ſylvis, aquis aquarumque decurſibus, quæſitis &
„ inquirendis, cum omni diſtrictu, quicquid fratres ejus Luidolphus &
„ Wernerus ibidem in vita ſua viſi ſunt habere in ſervitio & redditibus, &
„ ipſe Adolphus per ſucceſſionem hactenus in ſua poteſtate tenuit poſtea in
bene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ benevolentia præſtitit ei in beneficium infra Thuente, decimam decem li-
„ brarum Daventrienſium, & infra Thrente decimam ad ſeptem librarum
„ & dimidiam. Quod ſi forte alicui ſucceſſorum noſtrorum hæc precaria
„ diſplicuerit, & conceſſa præſtare neglexerit, ipſe præfatus Adulphus de
„ ſuo quod dedit faciat quod velit. Acta ſunt hæc juxta Gora in placito ſu-
„ pranominato Comitis, coram teſtibus quamplurimis. Et hæc traditio ut
„ firma & inconvulſa in futurum permaneat, hanc kartam ſigilli noſtri
„ impreſſione roborari juſſimus. Obiit Bernulphus anno Chriſti CIↃLIV.

Anno CIↃLXIV. VI. non. Maij Wilhelmus XXI. Epiſcopus Traject. impetravit diploma à Cæſare Henr. III. quo comitatus Hollandiæ Zelandiæque ei ut avitæ poſſeſſiones adjudicabantur, idque occaſione minoritatis Diderici Comitis V. ac miſſo in Hollandiam Godofrido Gibboſo, conſanguineo ſuo, eum armata manu Comitem Hollandiæ, ſedis Trajectinæ feudatarium fecit, qui & ejuſdem Epiſcopi ope tam Orientales quam occidentales Friſios ſubegit. at cæſo non relictis liberis Godefrido, mortuo item eodem anno CIↃLXXV. V. Kalend. Martii. Epiſcopo Wilhelmo, cum ei ſuccederet Conradus epiſcopus XXII. eum in arce Iſelmondæ obſedit Comes Didericus, ac expugnata arce cepit. Ubi inter præcipuos Epiſcopi magnates cecidiſſe invenio Lambertum præpoſitum Daventrienſem. Epiſcopus captus Hollandiæ Comitatum reſignavit in manus Diderici, ipſe cum reliquis captivis dimiſſus eſt. præfuit annos XXIV. cæſus ad aram ὥσπερ βοῦς ἐπὶ φάτνῃ anno CIↃXCIX. VIII. Kal Maij.

Circa annum CIↃCXXI. Trajectum appulit Imperator Henr. V. ac feſtum ibidem pentecoſtes celebravit, orto vero tumultu ac diſſidio in ipſo templo inter Imperatoris ac Epiſcopi miniſtros, Epiſcopus fuga cum ſuis ſe proripuit in ædem Martino ſacram, ubi captus ac coram Imperatore deductus, ab eo cuſtodiæ traditus eſt, qua paulo poſt effracta, urbe exceſſit. Imperator in ejus contumeliam arcem Sculenburgi obſedit. At Dux Saxoniæ Lotharius (poſtmodum Imperator) una cum epiſcopo Monaſterienſi, fautores Trajectini præſulis, ut Imperatorem ab obſidione averterent, Daventriam obſederunt, ac mœnia ſcanderunt, in urbem irrupturi, ſed fortiter à civibus repulſi ſunt, quos liberaturus Imperator, obſidionem Sculenburgi ſoluit, quo commeatum invexit Saxo, ac loco à præſenti periculo liberato, exercitum domum reduxit. *Chron. Holl. Diviſ.* XI. *cap.* VIII. X. p. 134. Obiit hic epiſcopus. Anno CIↃCXXVIII.

In archivis urbis Daventrienſis diploma reperitur Cæſaris Henrici IV. datum IV. NON. AUG. CIↃCXXIII. quo remittit civibus Daventrienſibus, ne deinceps teneantur baptiſmum & ſepulturam redimere, neque exolvere *denarios domorum*, ea lege ut penes decanum & capitulum in poſterum ſit jus collationis in Eccleſia Raeltenſi.

Anno CIↃC XLIV. datum eſt Diploma Caroli II. quo concedit capitularibus, ne de domibus ſuis extra ambitum clauſtri ſitis ullas collectas dare teneantur. extat in archivis Daventrienſibus.

Hermannus ab Hoorn XXVII. Epiſcopus Ultraj. fuit, cujus electioni Civitates Ultrajectinam, Daventrienſem, aliaſq; refragatas invenio, ſed prævaluiſſe armatas preces Hollandiæ, Geldriæ, & Cliviæ Comitum. Obiit Anno CIↃCLXV. *Chron. Holl. Div.* XII. *cap.* XIX. XX. de eo ſic Beka in Hermanno:

Defuncto Hardberto Epiſcopo, gravis diſcordia ſuborta fuit in capitulo. principales namque Vaſalli Trajectinæ Eccleſiæ, videlicet Theodoricus Hollandiæ, Henricus Geldriæ, & Theodorus Cliviæ magnifici Comites, Heremannum de Horn præpoſitum S. Gereonis Colonienſis petierunt in Epiſcopum promoveri. Cives autem Trajectenſes & Daventrienſes cum agricolonis, exoraverunt Fredericum de Hamel in pontificem exaltari. ſed violenta pars Nobilium partem ſupreſſit civium, & Theodoricus Hollandiæ Comes rebellanti manu Heremannum duxit in poſſeſſionem Epiſcopij, ſubjiciens ipſi poteſtatem omnis adverſantis populi. Demum transacto biennio, Cardinalis quidam à latere Papæ delegatus, citavit utroſque electos Leodium: ubi præfatus Heremannus per eundem Cardinalem & regem Conradum adeptus fuit pontificium.

Qui hic vocatur Fridericus de Hamel, eum Heda *Havel*, vel, ut MS. Cod. *Hovel*, nominat. ut & MS. meus (ait Buchelius) Beka. Chronicon Magn. B. *Huevel* habet. Snoyus autem *Himel* ſcribit. Bocopio eſt *Frerick mitten hoevel* (I. Fridericus gibbus) noſtrates enim gibbum vocant *een hoevelrugge*. unde & poſtea Bocopius eum aliquoties vocat, *Frerick mitten bult.*

Anno CIↃCLXXX. *Balduinus*, Ultrajectinus & Aldenſalenſis præpoſitus factus eſt Epiſcopus XXIX. (Pontanus ad annum CIↃCLXXVIII id refert, lib. VI. pag. 112. ut & Bocopius. qui Epiſcopum hunc *Baldericum* vocat) fratres ejus erant Didericus Hollandiæ comes, & Ottho comes in Benthem. Cum omnes ejus vaſalli feudum ſolenni ritu ab eo ſuſciperent, ſolus Dux Brabantiæ neglexit petere feudum Veluæ, quam Comes Gelriæ porro à Brabanto feudali jure tenebat. Epiſcopus iritatus armatam manum in Veluam duxit, ac Gerardum Gelriæ comitem inde expulit. Gelrus vlturus ſeſe, Daventriam per quatriduum obſidet. cum Imperator Fridericus diſſidium hoc reſciviſſet, ipſe eo profectus litem compoſuit ac obſidionem ſolvit factis in ducijs. quibus nondum finitis, moritur abſque legitimo hærede Gerardus. itaque Epiſcopus Veluam juſto (ut ajebat) titulo ſibi vindicabat. comitatum Zutphanienſem ferro flammaque vaſtans, præda onuſtus domum redit. idem facit Hollandiæ Comes Florentius, abacto è Velua pecore, ac Daventriam compulſo. Ottho defuncti Gerardi frater pro hærede

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

rede ſe gerens, ſuppetias vocavit Epiſcopos Colonienſem ac Monaſterienſem, Ducem Brabantiæ, comites Lotharingiæ, Bergæ & Meurſæ, ac collecta manu cerciter 3000 militum per tres ſeptimanas obſedit in urbe Daventrienſi 800 equites epiſcopi. Epiſcopus ſuos liberaturus una cum Comitibus Florentio ac Clivenſi militem conſcribit ad pellendum Othonem, itaque Fridericus Imperator denuo deſcendit, ac partes reconciliat, Othoni dominio Veluæ reſtituto, ac multa 100 libellarum auri impoſita ei qui prior pacta reſcinderet. *Chron. Holl. Div.* XIII. *cap.* IX. Beka in Baldevino. Pontanus hæc geſta ait Anno CIↃCLXXXVI. Bocopius uno anno ſerius.

Cum anno CIↃCXCVI. Drentini rebellarent adverſus eundem Epiſcopum, collecto is exercitu auxilio Otthonis Benthemiæ Comitis, de eis ultionem ſumſit. At Ottho Gelriæ comes, qui putabatur Drentinorum rebellionem fovere, conſilio Epiſcopo affuit, ac diſſidium inter partes compoſuit, ea conditione, ut Groningenſes Epiſcopo VI. obſides darent, Drentini XII. qui Daventriam venirent, nec inde recederent, antequam Epiſcopo de rebellione ſua ac damnis datis ſatisfeciſſent. Comes Daventriam intravit cum XVIII. iſtis obſidibus, quos Epiſcopus in deſpectum Comitis, carceri incluſit. quam injuriam indignatus Comes urbe exceſſit. recrudeſcente inter præſulem & Drentinos bello, Conradus archiepiſcopus Moguntinenſis Daventriam venit, veritus ne Gelrus ſeſe Drentinis adverſus præſulem conjungeret. ac pacem fecit, quæ mox rupta eſt. Etenim cum parum feliciter Epiſcopus adverſum Drentinos pugnaſſet, iram vertit in Gelrum, quem eis favere opinabatur, itaque Veluam & vicinas regiones ferro flammaque populabatur. Gelrus ergo Daventriam denuo per dies undecim oppugnat. Dux Brabantiæ, qui, quod neglexiſſet Veluæ nomine, homagium, quod vocant, Epiſcopo præſtare, cauſa totius diſſenſionis merito reputabatur, aliquot equitum cohortibus ac peditum ſignis Epiſcopo ſuppetias venit, ac inducias inter partes fecit, donec Imperator Henricus adveniret, qui controverſiam Veluanam lata ſententia diremit. exiguo tamen fructu. occubuit hic Epiſcopus eodem Anno CIↃCXCVI. cum XVIII. annos Eccleſiam rexiſſet. *Chronicon Holland. Beka.* ſententia Imperatoris eſt Hedæ pag. 177.

Succeſſit ei Epiſcopus XXX. *Arnoldus* I. *ab Iſenburch* (Bocopius *Isbroeck*, & *Iſſebroeck* vocat) præpoſitus Daventrienſis, concordibus votis ſuperioris I. Tranſiſalanæ dioceſeos, ac frigidam ſuffundente Otthone Gelriæ comite electus, cum contra à Cis-Iſalanis electus eſſet frater defuncti Didericus ab Hollant, cui & favebat conſtanter Didericus Hollandiæ comes, quem & per baculum & annulum inveſtivit Imperator Henricus VI. donec curia Romana de tota re ſtatuiſſet. quo cum ſe uterque contuliſſet, Iſenburgius

cauſam

cauſam adverſus Hollandum obtinuit, aſtu, ut ait *Chron. Holl.* aulicorum, qui plurimum ibi valet, ita ut pecunia ibi plerumque juri prævalere deprehendatur. ait ib. Chronicon, ſed exiguo tempore hac dignitate gaviſus eſt noſter, mortuus Romæ, & ibidem ſepultus. Anno CIƆCXCVIII. Id April. vacantem Epiſcopatum Papa (erat is Innocentius III.) contulit in defuncti æmulum, qui & ipſe Romæ conſecratus, dignitatem ſuam aditurus, eodem anno Patavij mortem ac tumulum invenit. C. V. VIII.

Beka Papiæ mortuum ait, atque ita plerique ſcriptores & Chron. Magn. Belg. cum Becano. Bockenbergius ſecutus fuit Chron. Holland. vulg. & neſcio quod aliud (ait Buchelius) Noviomagus ſolus Venetiis ſepultum ſcribit. Idem.

Ad annum CIƆCCI. pertinet diploma Imperatoris Wilhelmi, quo præpoſitum, Decanum, & capitulum templi S. Mariæ Daventr. aſſumit in protectionem imperialem. extat in archivis civit. Daventr.

Succedit Didericus II. ab Ara, Epiſcopus XXXII. is cum ære alieno preſſam dioeceſin inveniret, Friſiam orientalem petiit, precario inde aliquam ſummam collecturus, qua neceſſitatibus Epiſcopatus ſubveniret. quod cum reſciviſſet ejus regionis Comes Wilhelmus, Stauriæ in monaſterio, peracto ſacro, Epiſcopum comprehendit, quem, cum in eo eſſet ut abduceret, alij quidam, monachi maximè, è manibus ejus vi liberarunt. hinc bellum Diderici Hollandiæ Comitis Wilhelmi affinis & Othonis Geldriæ, adverſus Epiſcopum. Ottho Tranſiſalaniam univerſam occupavit, ac Daventriæ præſidium impoſuit. at is ab Henrico Brabantiæ duce proditorie captus cum eſſet, in cujus etiam manus magno infortunio pervenit Comes Hollandiæ, Brabantus Hollandiam latrocinijs infeſtat, epiſcopus Geldriam. qui & Daventriam recipit, ac inibi ingentes divitias. Poſtmodum inter partes facta pax. Epiſcopus obiit Daventriæ, ac Ultrajectum delatus ibidem ſepultus eſt. Anno CIƆCCX. cum XIII. annis epiſcopatui præfuiſſet. *Chron. Holl. Div.* XIV. *cap.* X. *Beka.*

Anno CIƆCCXV. Ottho II. Epiſcopatui Ultraject. præfuit. ejus tempore diploma Frederici Cæſaris pro immunitate Daventriæ apud Hedam pag. 196. reperitur tale:

„ Fridericus, Dei gratiâ Rom. Imp. ſemper Auguſtus, & Rex Siciliæ, „ univerſis præſentes litteras inſpecturis fidelibus ſuis gratiam ſuam, & omne bonum. Quia cum apud Franckenfort in Curiâ ſolenniter indictâ judicio præſideremus, per Principes qui ibidem aderant, talis data fuit ſententia, & ab eiſdem approbata, quod nullam auctoritatem ſive Warandiam telonei in damnum vel præjudicium alicujus noſtra præſtare ſerenitas potuiſſet, Quare cum de Comite Gelrenſi, ſuper teloneo, quod ſe à nobis aſſeruit tenere, clamor conquerentium non modicus aures excellentiæ

„ lentiæ noſtræ pulſaverit, ſub obtentu gratiæ noſtræ, eidem Comiti dedi-
„ mus in mandatis, ac penitus prohibuimus, quod nullum teloneum apud
„ Arnhem vel Oeſterbeke ſeu Lobbeke, vel in quocunque loco ſuper Rhe-
„ num deinceps acciperet vel haberet, non obſtante aliqua Warandiâ, quam
„ ſe dixit habere, nec aliquibus literis obviantibus, à nobis vel à prædeceſ-
„ ſoribus noſtris impetratis, ſuper his literas apertas univerſis eas inſpicien-
„ tibus deſtinantes. Verum quia idem Comes in his mandato & ſcripto no-
„ ſtro temere contrarie præſumens, poſtmodum teloneum ſibi prohibitum
„ non ſolum extorquere, imo etiam, quod gravius eſt, in diſpendium E-
„ piſcopi Trajectenſis & Eccleſiæ ſuæ, homines ſuos de Daventria &
„ Sallandia, novis teloneorum exactionibus apud Lobbeke præſumpſit
„ aggravare, nolentes igitur, ut per violentiam Comitis præfati, Epiſco-
„ po jam dicto, & Eccleſiæ ipſius, occaſione præmiſſi telonei aliquod præ-
„ judicium fiat, ulterius literas, quas ſuper inhibitione ejuſdem telonei in-
„ dulſimus, confirmantes innovamus, ac iterato imperiali auctoritate Wa-
„ randiam telonei apud loca memorata, & in aliis locis ſuper Rhenum ſæpe
„ dicto Comiti contradicimus. Et ne teloneum deinceps accipiat penitus
„ inhibemus. Si vero idem Comes, quod non credimus, huic noſtræ con-
„ tradictioni ac inhibitioni contrarius extiterit, ipſum etiam indignationem
„ noſtri culminis incurriſſe, & à gratia Majeſtatis noſtræ excluſum penitus
„ cognoſcatis. Actum apud Brachmam. (Buchelius Bremam eſſe conjicit.)
„ prid. Non. Jan. x i. Indictione.

Anno c I ɔ c c x v. orto in civitate Groninganâ tumultu inter Egbertum, ejus urbis Burch-gravium, & Rodolphum, Caſtellanum Covordiæ; interpoſuit ſe vi armatâ Otho à Lippia, Othonis Gelriæ Comitis frater, Epiſcopus xxxiii. cumque Rodolphus vrbem Groninganam obſediſſet, Epiſcopus cum fratre, comite, ut dixi, Gelriæ, Florentio item comite Hollandiæ, aliiſque, movit Groningam, ac obſidionem ſolvit. ſed in reditu Covordianam arcem vi aggreſſuri, itinerum inſcitia, & armorum pondere, plerique voraginibus ac paludibus hauſti vel implicati fuere, quos aggreſſus Rodolphus cæcidit ac caſtris exuit. Epiſcopus ibi miſerè trucidatus occubuit. inter captivos autem fuit Didericus præpoſitus Daventrienſis, Epiſcopi frater. *Chron. Holland. Div.* xvii. *cap.* iv. videatur & Beka.

Anno Chriſti c I ɔ c c x l v i i i. Epiſcopus Ultrajectinus Ottho ab Hollant cives Ommenſes in Tranſiſalania immunitatibus ac civili jure donavit, quo uterentur fruerentur, eodem plane modo quo civitates Daventria, Campi, Zwolla. *Bocopius.*

In annum c I ɔ c c l. incidit diploma Henrici Epiſcopi xxviii. quo jus datur civibus Traject. non ulterius Epiſcopum ſuum deducendi quam uſque ad mœnia urbis, hoc lucem aliquam fœnerari poteſt veteri proverbio.

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

quo is mos Daventrienſibus ſolet tribui. qui forte hoc privilegium cum Trajectenſibus commune habuerunt.

Anno cIɔcc LXVII. Epiſcopus Ultrajectinus XXXIX. factus eſt Joannes Naſſovius, qui cum pleraque Eccleſiæ bona oppigneraſſet, &, inter alios, Domino ab Amſtel arcem Vredelandiæ, multa poſtmodum mala ab eo paſſus eſt. is enim ope Cunemariorum (*de Kenemers*) quos ſunt qui arbitrentur fuiſſe veterum Caninefates, totam penè ejus ditionem vaſtavit. Itaque Epiſcopus, cum Ultrajecti tutus eſſe non poſſet, ad tempus Daventriæ conſedit. *Chron. Holl. Diviſ.* XIX. *cap.* VIII. poſtquam XX annos præfuiſſet, ab Eccleſiâ, ope pontificis Urbani IV. ſede motus eſt, anno cIɔcc LXXXVII. Buchelius iniquiores huic fuiſſe Eccleſiaſticos ſcriptores arbitratur, quod minus Pontifici Romano videretur tribuere, nec ejuſdem confirmationem multum curare.

Anno cIɔcc LXXII. Joannes Naſſovius Epiſcopus Traject. Eccleſiam Gennemudenſem dedicavit, ac ipſi municipio jus civitatis dedit, quo fruerentur eodem modo quo Daventria, Campi, Zwolla, aliaque oppida Sallandiæ, diploma in hunc finem ſigillis munitum eis tradens, cui manus ſuæ ſignum (quod miratur Bocopius, qui hoc recenſet) ſubjecerunt, ſupradictus Epiſcopus, Civitas Daventrienſis, civitas Swollana, Fredericus à Barmentlo, Arnoldus ab Almelo, Gualterus Coen, Henricus Ridinck, Andreas & Aſſuerus à Voorſt & Guilhelmus à Bochorſt. Actum Zwollæ, in vigilia S. Pontiani Anno quo ſup.

Anno cIɔcc XC. Rom. Imperator Rodolphus neptem ſuam Margaretam Everhardi Comitis Habſpurgenſis filiam, Theodorico Clivorum comiti in matrimonium collocavit, committendo ſimul ejuſdem comitis curæ Duyſburgi, ac Daventriæ oppida, ſuo & imperii nomine. *Pont. Hiſt. Gelr. lib.* VI. *pag.* 167.

Circa annum cIɔccc. præpoſitus Daventr. fuit Henricus, frater Wilhelmi, Domini in Diepenem, vir bonus, prudens, ac manſuetus: idemque fuit Theſaurarius Eccleſiæ Bremenſis. Sepultus jacet Daventriæ in parte templi interiori. Wilhelmus & Henricus fratres, cum aſſenſu uxoris Wilhelmi, filiæ comitis ab Arenſberch, Eccleſiæ Diepenemenſi donarunt prædium ac Dominium nomine Sibertinck, in Holten. *Ex Archivis Diepenemenſibus.*

Eodem anno datum eſt Daventriæ ſequens diploma in gratiam ſocietatis mercatorum panni: Univerſis tam præſentis quam futuri temporis hominibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, Scabini & Coſſ. Daventrienſes ſalutem, & rei geſtæ cognoſcere veritatem. Quia memoria hominum infirma eſt & labilis, de re geſta expedit fieri ſcripturam, quæ contineat ſeriem veritatis. Notum igitur ſit univerſis, quod nos Scabini & Coſſ. prædicti, affectantes quod unuſquiſque oppidanorum

„ noſtro-

„ noſtrorum ſecundum exigentiam ſtatus ſui procedat, ſtatuimus de conſenſu
„ & voluntate fratrum fraternitatis quæ *Comanregilde* dicitur, (Ad annum
„ cIↄccc LXVI vocatur *Want-ſnijder-gilde.* ad annum cIↄ cccc XCVI *Dercoop-*
„ *manre-gilde*) ut ſtatuta inferius annotata amplius in ipſa fraternitate pro con-
„ ſuetudine obſerventur. Statuimns itaque imprimis, quod quilibet acquiſi-
„ tor hujus fraternitatis, cujus pater fuit in eadem, dabit tantummodo pro
„ acquiſitione, duodecim denarios, pro tempore in Daventria legales. Si
„ vero pater acquiſitionis (forte *acquiſitoris*) non fuerit in hac fraternitate,
„ tunc ipſe pro acquiſitione XXIV ſolidos ſterlingorum de Anglia confratri-
„ bus miniſtrabit. Item ſtatuimus, quod cuilibet oppidano noſtro carenti
„ iſta fraternitate, pannum alium quam *Wamal*, *trandoc*, (in teutonico erat,
„ *ſtrandoc*) & *Egerding*, ad inciſionem vendere non licebit. Item ſtatuimus,
„ quod quilibet oppidanus noſter habens iſtam fraternitatem, vel acquirere
„ eam volens, ſi eſt exercens aliquod (*aliud* in teuton.) officium, non debe-
„ bit ad inciſionem vendere alium pannum quam dictum eſt, quamdiu ſuum
„ officium voluerit exercere. Et quicunque oppidanorum noſtrorum hujuſ-
„ modi ſtatuta noſtra, vel aliquod ex eis infregerit, punietur in centum ſoli-
„ dis, de quibus Scabini III. libras, confratres vero duas tollent. Item
„ ſtatuimus quod quicunque confrater fraternitatem ſuam contumaciter (*Verſ-*
„ *malicken.* in Teuton.) perdiderit, acquiret illam de majori, & inſuper dabit
„ civitati noſtræ pro acquiſitione libram unam. Item ſtatuimus, quod ſi ali-
„ quod infortunium alicui acciderit de confratribus exeuntibus ad nundinas,
„ vel redeuntibus de eiſdem, & aliquis de confratribus per duos oppidanos
„ convinci poterit quod rogatus pro auxilio, auxilium non tulerit, punietur in
„ libram unam, cujus medietatem Scabini, & medietatem confratres tollent.
„ Item, quod quilibet textor texens pannum laneum in civitate noſtra, non ven-
„ det eum ad inciſionem, ſed integrum. quod ſi convinci poterit quod vendi-
„ derit eum ad inciſionem, punietur in libra una; quæ inter Scabinos & con-
„ fratres æqualiter dividetur. Item ſtatuimus, quod quilibet oppidanus noſter
„ habens fraternitatem iſtam, ſi convinci poterit quod exiverit cum falce,
„ aut quod onuſtaverit currum fimo, punietur in libra una, quæ etiam inter
„ Scabinos & confratres æqualiter dividetur. Ut autem omnia & ſingula præ-
„ dicta inviolabilem ſortiantur firmitarem, nos Scabini & Coſſ. prædicti, ſi-
„ gillum civitatis noſtræ præſentibus appendimus in teſtimonium omnium
„ præmiſſorum. Datum anno Domini Mccc. in octava Epiphaniæ ejuſdem
„ anni. (*Gilde-boeck vande Laken-kopers.*)

Anno cIↄcccXI. Guido, Joannis II. comitis Hollandiæ frater E-
piſcopus XLII. cum ſtatuiſſet in Stellingwerviorum ditione arcem extruere,
qua rebelles Friſios in ordinem cogeret, dum aptum ei fundandæ ſolum quæ-
rit, à Clemente V. pont. in Galliam ad Concilium Viennenſe vocatus eſt. ubi

dum hæret, movent Friſij in Tranſiſalanos, ac arcem Vollenhovianam oppugnant: itaque *Hermannus* præpoſitus Daventrienſis (Gerardus frater Hermanni Caſtellani apud Bekam legitur) in Galliam profectus Epiſcopum de hoc tumultu certiorem facit, qui ad ſua reverſus militem conſcribit, ac navibus ex Hollandia Vollenhoviam petit. conſpectis navibus qui arcem ſervabant, alacriores facti impreſſionem iu Friſios faciunt, machinâ quam erexerant exuſtâ, eoſque pellunt. Epiſcopus conſilio capto expeditionem in Friſiam faciendam decernit, ſed fœda ſuborta tempeſtate prohibitus, ſententiam mutat, ac militem dimittit. Friſij pacem petunt & impetrant. *Chron. Holland. Diuiſ.* XXII. *cap.* V.

Anno CIƆCCCXXIII. Epiſcopus XLV. factus eſt Joannes III. Dieſtenſis à pontifice Joanne XXII. refragantibus collegiis, & Joannem Bronchorſtium præponentibus. hic totam ditionem Tranſiſalanam oppigneravit Geldriæ Comiti. obijt anno CIƆCCC. XL. Kal. Jun.

Tranſiſalanorum præter Vollenhovam, etiam Sallandiæ ac Drentiæ præcipuas munitiones, & in his Tranſiſalaniæ metropolim Daventriam ſibi oppignoratam Reinaldus II. comes Gelriæ tenebat. extructum tunc ab eodem Gelriæ comite Daventriæ quod habetur inſigne olim Franciſcanorum aſceterium. Pont. ad annum CIƆCCC XXII.

Anno CIƆCCC XXXI. XVIII. Martii triginta & ſex ancillæ quæ urbe Daventria ſub veſperam exiverant ad mulgendas vaccas, dum Iſalam trajiciunt, flumine hauſtæ ac ſubmerſæ ſunt. *Bocop.*

Mortuo anno CIƆCCC XL. Joanne Dieſtenſi, cum è capitularibus alii inſtigante Wilhelmo Hollandiæ comite eligerent Joannem ab Arkel, alii, volente Reinaldo nigro Gelriæ comite, Joannem à Bronchorſt, Papa Benedictus XII. utroque repudiato epiſcopatum contulit Nicolao de Caputiis nobili Romano, præpoſito Daventriæ, auditori cauſarum in Rom. Curia, qui ibidem ordinatus & conſecratus eſt XLVI Epiſcopus Ultrajectinus. cum autem reſciſceret, non licere officiali ſuo in cauſis majoribus ſuam vicem jus dicere, ſed ipſi Epiſcopo id incumbere, nec reſidere ibi vellet, publicè in conſiſtorio Rom. eodem anno Epiſcopatum reſignavit, ac paulo poſt Cardinalitium galerum adeptus eſt. *Chron. Holl. Div.* XXIII. *cap.* VII.

Hic primum auditor, ut nunc vocant, Rotæ, id eſt, cauſarum judex, & poſt abdicatum pontificium Trajectenſe, Epiſcopus Vercellenſis factus eſt. Anno demum Jubilæo CIƆCCCL. à Clemente VI. PP. R. creatus presbyter Card. tt. Veſtinæ & Vitalis; ut apud Panninium de Pont. & Card. creatione lib. III. videre eſt. *Buchelius in Bekam. pag.* 117.

In eundem annum incidunt natales Gerardi Magni, Patriâ linguâ dicti *Geirt Grote*, natus is Daventriæ Anno CIƆCCCXL. Patre Wernero Magno, Scabino & Conſule Daventrienſi Matre Heylwige, utroque ſecundum ſeculi digni-

dignitatem honoribus ac divitiis ſublimi & potente (*Chron. Mont. S. Agn. pag.* 140.) Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum cauſa profectus, ibi in Sorbonâ literis ac artibus imbutus, Magiſterii lauream decimo octavo ætatis anno meruit, cumque in omnibus diſciplinis, prout tum tempora ferebant, excelleret, dicitur & curioſis ac illicitis artibus juvenilem animum infeliciter applicuiſſe, licet eum rumorem ex ejus diſcipulis nonnemo elevare conatus ſit, diſcrimine inter naturalem ac ſuperſtitioſam, ſive diabolicam magiam facto. ſed ipſe, ſe hujus quidem artis ſcientiam didiciſſe, libros habuiſſe ac legiſſe faſſus eſt, verum nefario ejus exercitio abſtinuiſſe. cumque in ægritudinem incidiſſet, vocato ad ſe ſacerdote omnibus illicitis artibus renunciavit, ac vanitatis magiſtros codices igni tradidit abſumendos. hæc ferè Thomas de Kempis, quæ non obſcurè videntur confirmari ipſius Gerardi verbis in libello cui titulis *Concluſa & propoſita.* Ubi inter alia, ſe cum animo ſuo ſtatuiſſe dicit, Nullius Domini ſe fore aſtrologum, item in nullius gratiam exercere velle aliquam ſcientiarum prohibitarum. omnes contra ſuperſtitiones & curioſitates pro virili à mentibus hominum removere, ac iſta ad verbum adjicit: *ut cum illo quo Deo diſplicui Deo complaceam ſecundum ejus voluntatem.* in eodem libello multa ſunt quæ animum in melius mutatum arguunt. rejicit enim in eo judicia de rebus futuris, fatum aſtrologorum &c. Negat ſe ulli Cardinali prælatove, ad beneficia vel bona temporalia conſequenda unquam miniſtraturum. Nec gradum in legibus vel canonibus ambiturum, quia finis graduum, inquit, eſt vel lucrum, vel beneficia, vel inanis jactantia, vel gloria mundi, imo nec gradum in Theologiâ quæſiturum, propterea quod lucrum ſpernat, famam nolit, & ſcientiam etiam abſque titulo habere poſſit. Item omnem diſputationem publicam decrevit vitare & abhorrere, quæ eſt, inquit, litigioſa vel ad triumphandum, vel ad apparendum. ſicut ſunt, inquit, omnes diſputationes Theologorum & Artiſtarum Pariſiis, imo nec ad diſcendum intereſſe, propterea quod contra quietem ſunt, & lites, & diſſenſiones fiunt, & inutiles, & ſemper curioſæ, & ut plurimum ſuperſtitioſæ, animales, diabolicæ & terrenæ. noxiæ ſæpenumero quoad doctrinam, & inutiles ob temporis diſpendium. Nolle etiam nec curiæ Daventrienſis limina, nec forum officialis frequentare, niſi neceſſitas amicorum ac pia cauſa flagitarit, contra in pietatis ſtudio, oratione, ac modeſtâ proximi inſtitutione vitam velle agere. Cum hoc propoſito relictis omnibus beneficijs, quæ vocant, ſive præbendis, quas & Trajecti & Aquiſgrani habebat, patrimonij etiam quod ſatis lautum habebat, exiguâ ad frugalem victum parte retentâ, ad tempus ſe ſubduxit in cœnobium Carthuſianorum quod eſt apud Monachuſam Geldrorum, ubi poſtquam triennium animum ſacrorum librorum lectione pavit, quam Dominus ſibi impartiverat ſcintillam lucis ad quamplurimos

rimos diffundere ſtatuit, per opida & vicos concionando & ad emendationem vitæ omnis generis mortales vocando. quod ut tuto poſſet, ejus rei auctoritatem ab Epiſcopo Ultrajectino ſupplex petiit & obtinuit, accepto diplomate, quo plenam ei facultatem conceſſit, verbum Dei, ſanamque doctrinam per univerſam diœceſin ſuam publice prædicandi: ita ut in civitatibus, oppidis, ac villis ſuis, nullus curatus, ſeu alia cujuſcunque dignitatis perſona ipſum à Divini verbi prædicatione unquam amovere, non admittere, aut impedire auderet, ſi Dei Omnipotentis indignationem, ſuamque acrimoniam & judiciariam vindictam vellet evadere. (*Chron. Windeſ.*) Ita munitus celeberrima quæque opida concionabundus obiit, Daventriam, Campos, Swollam, Trajectum, Lugd-Bat. Delphos, Goudam, Amſtelodamum, ubi primam Belgico ſermone concionem habuit. Aſſumſit autem in principio Notarium & teſtes ſecum, ſi forte contradicentem ſeu impedire volentem quempiam pateretur, quo talem eveſtigio juridice accuſare, & convictum digna animadverſione cohibere poſſit, quod & ei non paucis locis uſu venit. (*eod. Chron.*) ſed quum magno animi ardore in cleri ac prælatorum vitia inveheretur, facile eorum odium ſibi conſcivit, qui eam ob cauſam à Trajectenſi Epiſcopo, ut cujus dioeceſios ipſe diaconus eſſet, decretum impetrarunt, quo ei cathedrâ ac publicè docendi munere interdiceretur. erat is Epiſcopus Florentius à Wevelinchoven, vir multis alioqui. virtutibus ſpectabilis. quin & apud Pontificem Romanum Urbanum VI. ei quaſi de fide ſequius ſentienti negocium faceſſere conati ſunt; tanto adverſantium furori cedere coactus Gerardus, publico verbi divini præconio perinvitus abſtinuit, at privatim inſtituendis diſcipulis inſudare non deſtitit, è quibus qui concinnius ſcriberent; iis in unum collectis libros SS. Patrum in forma meliori, conſtituto pretio, deſcribendos dedit. qua occaſione, Florentius Radwini Vicarius Daventrienſ. ad Gerardum converſus, *Dilecte*, inquit, *magiſter, quid noceret, quo ego & clerici iſti ſcriptores bonæ etiam voluntatis, ea quæ ſeptimanatim habemus expendere in unum reponentes in communi pariter viveremus?* reſpondit Magiſter Gerard. *communia, communia! iſti de ordine mendicantium id nullatenus ſuſtinebunt, ſed totis viribus obſiſtent.* Cui D. Florentius: *quid autem noceret ſi tamen inciperemus? forſitan Deus nobis donaret quod bene proficeremus.* Tunc Magiſter Gerard. parumper intra ſe deliberans, ait: *In nomine Domini, incipiatis; Ego ero defenſor veſter & protector fidelis adverſus omnes qui contra vos inſurgent.* qui itaque ſimul habitare vellent iis auctor fuit, ut labore manuum ſuarum victum quærerent, & communem vitam ſub eccleſiaſtica diſciplina viverent. nulli permiſit oſtiatim mendicare, niſi evidens neceſſitas coegiſſet, ſed potius domi manere & operi manuum, juxta Pauli doctrinam, incumbere ſuaſit, neque ulla negocia uberioris lucri cauſa ſectari, quæ animum à divinis exercitiis poſſent avocare. Hinc primo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

primo ad proximas regiones, Hollandiæ dico, Gelriæ, Brabantiæ, mox ad remotiores, Flandriæ vid. Friſiæ, Weſtphaliæ, Saxoniæ, inſtitutum noſtri Gerardi emanavit. Super his multa ei concertatio fuit cum fratribus mendicantibus, & inter eos cum quodam Bartholomæo ordinis Eremitarum S. Auguſtini, quem ad curiam Trajectenſem citatum, ut virum indoctum, infamem, criminoſum, pſeudoprædicatorem, fidei devaſtatorem, & noviſſime ut hæreticum, convictum, obtinuit eum ut talem judicialiter condemnari. Quod Scabini Campenſes, contrariæ parti faventes indigne tulerunt, & amicos ac fautores M. Gerardi Magni de oppido Campenſi deturbare ſunt aggreſſi: inter quos Wernerus Keynkamp Rector Scholæ publice ex urbe tanquam maleficus eductus eſt, cum interdicto, ne eo intra decennium reverteretur. Eum M. Gerardus ſubjecta Epiſtola in inſtituto confirmare anniſus eſt:

„ Wernere in Chriſto dilecte, & jam in fornace probationis pro Chri-„ ſto contra vulgus & contra inſipientem & hæreticum monachum exami-„ nate, mihi videtur quod Deo glorioſius eſt omnino, quod illæ bonæ fœ-„ minæ omnia mala pati debeant, quam à veritate recedere, una ſtent „ contra Scabinos, præſides, & alios, & in tempore tentationis non re-„ cedant à veritate. periculum damni bonorum exteriorum æquanimiter „ patiantur. Sic fecerunt ſancti. Vileſcunt terrena pericula, ſi præmia cæ-„ leſtia conſideremus. Gaudeamus quod aliqualiter mundo crucifixi ſumus, „ ſeu quia mundum crucifigimus. Cauſa noſtra legitima eſt & ſancta; uti-„ nam aliqui noſtrum in ea coronarentur! Stipula eſt Bartholomæus hæ-„ reticus, clamoroſa & contumelioſa habens latera Aquilonis ipſum ful-„ cientia, Conſules Campenſes, ab area ſuo tempore ventilanda. Dica-„ tis Curato, quod nullo modo maneat in Scabinis, quacunque coarcta-„ tione, non obſtante damno quocunque, ſufficiat ei via juſtitiæ, & quan-„ tum de jure tenetur judicio vel dictamini Scabinorum; alias non ſtaret „ Wernerus quocunque imperio, non ſtet ſimplici dictamini Scabinorum. „ Mallem mortem ejus temporalem. Vale valenter dilecte Wernere, quia „ tempus eſt quo probetur valor valentis. Memorabilis eſt etiam Epiſtola, qua Joannem Cele Rectorem Scholæ Zwollanæ retraxit à voto intrandi religionem fratrum minorum, ita ad verbum habens:

„ Frater & amice chariſſime, ſitis læti in Domino, ſervite Domino in „ lætitia, gaudete, & iterum dico, gaudete. Revolvite ſæpe verbum iſtud: „ Deus corripit quos diligit, & flagellat quos recipit. Et habeatis certiſſi-„ mum, quod illa cogitatio promiſſionum veſtrarum, de intrando ordi-„ nem minorum, qui jam in partibus iſtis nullis ſunt reformati, ſuſur-„ rium eſt diaboli. quia diabolus habet poteſtatem, ſecundum permiſſio-„ nem divinam, movendi phantaſiam ſecundum diverſas cogitationes, &

„ timo-

,, timorem ſimilem vovendi vel voviſſe incutere. Hoc multis auctoritatibus ,, poſſem vobis probare. In noſtra poteſtate eſt tales cogitationes approbare vel reprobare. Unde ſemper dicatis & habeatis, quod diabolus ſit qui ad intus vobis loquitur, & vos non ſitis loquentes. Et quantumcunque ſeparat vos ab alia re quacunque, ſicut à lectura votorum, faciatis ſemper contrarium. Utinam ſciretis credere & facere ſemper contrarium, in deſpectum ſuggerentis! ſuperbus eſt enim, non poteſt pati deſpectum. Quapropter mi dilecte, ſemper ſitis lætus & hilaris, qui remotiſſime es ab omni voto, & longius quam ab habitu. In me & in animam meam capio omnia vota veſtra, per præſentes literas, quæ infra annos tres voviſti. In quarum rerum teſtimonio literas has in dorſo ſigillavi. Ora pro me, frater, & recommenda me recommendandis. (*Chron. Windeſ. lib.* II. *cap.* LXIX.

Quod de defectu reformationis in ordine Minorum conqueritur, idem de hoc & aliis quoque ordinibus quam verum fuerit circa hæc tempora, teſtatur auctor Chronici unde hæc habemus lib. II. cap. III. Ubi de ſanctitate primorum inſtitutorum nonnihil præfatus, adjicit:

,, His itaque viris ſanctis, cum ſuis beatis imitatoribus è medio ſublatis, cum fervor primæ devotionis, & amor veræ dilectionis in cordibus religioſorum ubique refriguiſſet, & rigor diſciplinæ regularis obſervantiæ per prælatorum negligentiam, & ſubditorum diſſolutionem paulatim tepeſceret, ac realiter tandem deperiret; prælatis primum, ac deinde monachis & regularibus canonicis, ad vitia proprietatis, incontinentiæ, & inobedientiæ prolapſis, ſic omnis devotio, cœnobitarum religio, clauſtralis diſciplina, amor Dei, timor gehennæ, & cuncta virtutum exercitia in hujuſmodi diſſolutis monaſteriis ſexus utriuſque ſimul interierunt, & à conſpectu viventium prorſus evanuerunt, Loca enim illa, in quibus Patres eorum, viri religioſi, in veris virtutibus & virtutum operibus, à ſe ipſis & ſuis majoribus perfecte exercitati, contra carnem, mundum, & diabolum viriliter decertantes, per ſtrictiſſimam regulæ ſuæ & conſtitutionum obſervantiam, triumphum victoriæ cum gloria reportantes, centuplum in præſenti, & vitam æternam jam in cœlo recipere meruerunt, viri iſti ſolo nomine religioſi, regulæ ſuæ tranſgreſſores, maximis ſceleribus violare non formidant.

,, Pudet dicere mala peſſima in dictis diſſolutis monaſteriis actualiter ſubſecuta. Loca enim illa in quibus corpora & exuviæ ſanctorum Patrum ſuorum præcedentium cum omni reverentia ſunt recondita, facta ſunt jam proſtibula ſcortantium cum meretricibus, & diverſarum conditionum mulieribus, terreſtriumque dæmonum latibula, in quibus non ſolum laſcivia regnat inaudita, ſed etiam ingluvies, ebrietas, proprietas, & cæte-

„ cætera infinita mala. Corde namque cœco, & corpore polluto, cruen-
„ tâ conſcientiâ, manibuſque ſanguinem animarum multarum a ſe inter-
„ fectarum diſtillantibus, divina Chriſti myſteria, omni creaturæ vene-
„ randa, ipſis etiam dæmonibus terrifica & metuenda, ſacrilego auſu con-
„ tingere & tractare quotidie minime contremiſcunt. & qui peccatorum
„ remiſſionem, gratiæ augmentationem, & æternæ gloriæ acquiſitionem
„ cuncto populo Chriſtiano, viventi & defuncto, ab Omnipotente Deo,
„ ut boni interceſſores ab Eccleſia conſtituti impetrare deberent, è contra
„ vita ſua peſſima, & horrendis ſceleribus vindicem omnium Deum ad
„ iracundiam provocare minime formidant.

„ Hujuſmodi ergo criminibus & peccatis permaximis, Deo & homini-
„ bus execrandis, Patres noſtri primitivi (Gerardum Magnum & ejus conſor-
„ tes intelligit) finem debitum imponentes, ipſi primum regulariter vive-
„ re ſollicite curaverunt, ac deinde etiam aliis bonam & optimam regula-
„ riter vivendi formam in ſcriptis tradiderunt. Unde non ſolum in antiquis
„ monaſteriis regularem vitam & ordinis diſciplinam refloruiſſe repullulaſ-
„ ſeque cognovimus, verum etiam plurima noviter inchoata monaſteria,
„ primordialia regulariter vivendi inſtituta videmus accepiſſe. ab obitu
ejus, cœnobia (quod id ipſum dum viveret in animo habuiſſe dicerent) eo
maxime fine, ut in ordinibus approbatis protectores habere poſſent, diſci-
puli ejus extruxere, in quibus ij qui ad hoc maximè idonei putarentur, ad
religionis (quam vocant) habitum promoverentur.

Ex his fuerunt qui monaſterium in Windeſem, & domum S. Agnetis in Monte juxta Zwollam primitus ædificarunt. Scripſit Gerardus noſter haud pauca, quorum hi ſunt tituli:

Proteſtatio de veridica Prædicatione.
Concluſa & propoſita.
De ſtudio in ſacris libris.
De contractibus & uſuris.
De Inſitione novitiorum.
De locatione curæ Paſtoris.
De incommoditatibus matrimonii.
Contra quendam volentem matrimonium contrahere.
De Focariis.
Contra turrim Trajectinam.
De paupertate.
Sermo in die palmarum.

De quatuor generibus meditabilium.
De vitio detractionis.
Sermo de Nativitate Chriſti.
Exempla de ſchiſmate.
Ad beguttas de ſimonia.
Tractatus de beneficiis curatis.
De cohabitatione & exercitiis devotorum.
Concordia Euangeliſtarum de paſſione.
Epiſtolæ ad diverſos.
Epiſtola ad quendam vehementer tentatum.
In lectiones mortuorum.
Cordiale quatuor noviſſimorum.
De revocatione lapſi.
In librum Jo. Ruysbroekij qui dicitur Ornatus, &c.
In librum ejuſdem de duodecim virtutibus.
De compuncione, & eruditione Scholarum.

Hæc obſervavit Joan. Bunderius in indice. tranſtulit etiam horas B. Virginis, cum aliis quibuſdam horis in linguam vernaculam. *Chron. Mont. Agnet. cap.* 3.

Ad vitam alteram tranſiit Gerardus peſte correptus Anno ſalutis cIↃ CCC LXXXIV. XX. Aug. ætatis ſuæ XLIV. ſepultus in Eccleſia B. Mariæ. De ordine & inſtituto ejus ſcripſerunt, Joh. Buſchius lib. de origine cœnobii capituli & congregationis Windeſhemenſis, Aubertus Miræus in Chronico ad Annum cIↃ CCC LXXXIV. & in originibus ordinum S. Auguſtini. Jodocus Badius Aſcenſius vitæ Thomæ a Kempis cap. VIII. & IX. Valerius Andreas Deſſelius J. C. bibliothecâ Belgicâ.

Tempore M. Gerardi Rector Scholæ Daventr. erat Joh. Bohemus. (*Kemp.*)

Primus poſt Gerardum Magnum deſcribi meretur *Florentius Radewini* filius. Is Patriam habuit Leerdamum opidum ditionis Domini ab Erkelens, quod *Herculanum* vocant. apud Pragenſes ſtudiis operam dedit, ac magiſterii laurea donatus domum reverſus eſt. ubi audito Gerardo magno, ejus inſtituto ſe adjungere decrevit. quod una cum viris aliquot literatis fecit, ac aliis faciendum ſuaſit ac perſuaſit, multi enim relictis hujus ſeculi vanis, ſocialem, quam vocabat, & quam ad Apoſtolorum in Eccleſia Hieroſol. inſtitutum referebat, vitam amplexi, ſub ejus obedientia (quamvis ſolenniter non promiſſa) vitato pravorum conſortio, auditu verbi divini inhærere, ſubmiſſionem Servatoris noſtri ſectari, lectioni, orationi, ac honeſto manuum labori

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

labori incumbere, in victu tenui divinis meditationibus vacare cœperunt. Primum hunc Gerardus in preſbyterum ordinari fecit. Cumque ante eſſet canonicus ad D. Petri Trajecti, relicta ea dignitate, Daventriam, ut M. Gerardo aſſiduus hæreret, ſe contulit, & vicarii ibidem ad Lebuini titulum ſuſcepit. Domum porro eam Anno cIↄcccxcI. favente urbis Senatu fundavit, in qua cum ſociis ea quam dixi diſciplina habitaret. quæ hodieque domus Domini Florentii vocatur, vulgo *het rijcke Fraterhuys*. Cumque hoc Gerardi dogma arctè tenere accurateqne defendere vellet, ut videlicet nemo ad congregationem admitteretur, niſi, juxta Pauli placitum, manibus laborare vellet, tale ſibi ſuiſque laboris genus injunxit, quod eorum vitæ inſtituto maximè convenire, ac in publicum quam utiliſſimum eſſe videretur. id erat, ars ſcribendi libros. cumque ipſe inelegantius pingeret, ne ſudantibus reliquis ſolus ociaretur, membranas punicabat, lineas in eis ducebat, ſcriptos codices recenſebat, aut de ſacris Scripturis ipſe aliquid meditatum eis ſuppeditabat. notatu dignum eſt, eos ſibi ipſis horas aliquot ſtatis temporibus præſtituiſſe, quibus quicquid ſcribendo lucrarentur, in uſum egenorum cederet. pauperes literarum ſtudioſi inde frequenter libros, papyrum, atramentum, calamos petebant. bonis hæreditariis, ſiquæ obvenirent, quomodo uſi ſint, ejus exemplum eſt in Lubberto Berneri, qui à patre hæres ſcriptus facultates ſuas omnes in manus D. Florentii conſignavit ad uſum ſociorum, is vero non ſibi eas reſervavit, ſed ad ædificationem domus ſuæ & ſolutionem expenſarum expoſuit. *Kemp. de diſcip. cap.* IV. Tantus porro concurſus erat ad Florentium, eorum qui in dubiis reſponſa petebant, ut vix neceſſitatibus debilis naturæ vacare poſſet. in ſumma, domus Domini Florentii (ſi fides verbis commilitonis ac miniſtri ejus Thomæ de Kempis) erat ſchola cæleſtis exercitii, ſpeculum ſanctitatis, ornatus morum, exemplar virtutum, aditus pauperum, conventus clericorum, inſtructio laicorum, refugium devotorum, & totius boni initium ac profectus. Ibi, inquit idem, antiquorum patrum memoria, & Ægyptiorum monachorum fervida converſatio, quæ quaſi ſemimortua jacuit in terra, in vitam rediit, & clericorum ſtatus ad ſummæ perfectionis normam, ſecundum Eccleſiæ primordia ſurrexit. Multi ex hac congregatione ad vota maxime canonicorum regularium tranſierunt, unde ortæ congregationes in Windeſheym, in Monte D. Agnetis, in Northorn, in Gelria, in Hollandia. & diſcipulis ejus repletum fuit Trajectum, Amſtelodamum, Amerſfordia, Zwolla, Harlemum, Doeſburgum, &c. quos omnes nominare non eſt operæ, qui ad varias Eccleſiaſticas functiones (ex illius ſeculi ritu) promoti, ejus diſciplinam in maxima felicitatis parte poſuerunt. Obiit magna corporis imbecillitate ex auſteriore diætâ conflictatus Anno Domini cIↄ cccc in profeſto Annunciationis Mariæ virginis, tempore Bonifacij IX.

Papæ. anno ætatis ſuæ, ut Kempenſis exiſtimat, quinquageſimo aut præter propter. vixit poſt obitum M. Gerardi annos ferè ſedecim, cumque vivus adhuc petiiſſet una cum fratribus aut defunctis in cœmeterio ſepeliri, nihilominis honoris cauſa locus ejus corpuſculo aſſignatus eſt ad Lebuini ante altare D. Pauli, ubi ipſe ſacra peragere fuerat ſolitus. Ante obitum Amilium presbyterum natione Geldrum ſibi ſucceſſorem deſignavit, qui quadriennio & trimeſtri ſpatio domum rexit.

Poſt deceſſum D. Amilij D. Joannes Haerlem in regimine domus ſucceſſit.

Quo poſtmodum ad gubernationem ſuorum in Zwollis aſſumto, ejus locum D. Godefridus Weſaliæ, Patrum ordinatione ſupplevit. (*Chron. Mont. S. Agnetis. cap.* XIII.)

Sequatur *Gerardus Zerbolt.* & in anteceſſum hæc notentur; In catalogo ſociorum domus D. Florentij, video omnes, tribus quatuorve exceptis, non cognomine familiæ ſed ſoli natalis deſignatos. id huic Gerardo quoque contigit, qui ab urbe nativitatis ſuæ Gerardus Zutphania nominatus eſt: unde orta apud poſteros ambiguitas. fuit enim & alter ejuſdem nominis Theologus Colonienſis, quem quæſtiones ſententiarum notabiles, itemque Quodlibetarias reliquiſſe memorat Trithemius de ſcriptoribus Germanicis. unde & de Gerhardi noſtri ſcriptis dubitavit Poſſevinus. nos ergo inſignis hujus viri & cognomentum proprium & ſcripta aſſeremus. Dictus eſt hic noſter, *Gerardus Zerbolt*, ut titulus lucubrationum ejus in membranis bibliothecæ Daventrienſis aſſervatarum præfert. is Zutphaniâ ortus, in adoleſcentiâ varias ſcholas quam diligenter viſitavit, cumque ſe ſtudiis totum dediſſet, etiam Daventriam acceſſit, ibique inventis fratribus domus D. Florentij, ipſi Florentio firmiter adhærere cœpit, ac in ejus familiam aſſcribi, aſſumto presbyteri titulo. cumque lectioni bonorum auctorum, præſertim ſacrorum voluminum, præ reliquis ardenter incumberet, præfectus eſt colligendæ ac adornandæ bibliothecæ, quam in eadem domo ſatis pro eo tempore luculentam nobis reliquit, libros haud paucos ipſe ſua manu ſcripſit, multos etiam exteris liberaliter conceſſit, nihil impenſius urgens quam ut ſacræ Scripturæ indagandæ inſudarent, quam plus prædicare ac docere ajebat, quam ipſe vel ſui exprimere dicendo poſſent. nam libri ſacri, inquiebat, ſunt animarum noſtrarum lumina & ſolatia, ac vera vitæ medicamina, quibus non magis in hac peregrinatione carere poſſumus quam Eccleſiæ Sacramentis. Ad ingenij ejus monumenta ut accedam, ſcripſit imprimis libellum ſuper modo vivendi devotorum hominum ſimul commorantium.

„ In quo, principio reſpondet eis qui congregationes eas ut malo more
„ introductas ſugillabant, nemini enim fas vel religionem novam (ſic mo-
„ naſtice

,, naſtice tum vocabatur) vel collegium corpuſve formare abſque ſuperio-
,, rum licentia, conventicula quævis eſſe jure vetita. Et hæc quidem noſter
,, vera eſſe non diffitetur, ſed ea nihil ad hanc rem facere contendit, cum
,, nec novæ religionis, nec collegij corporiſve, minime autem conventi-
,, culi nomine hæ cohabitationes dicendæ ſint. in religione hæc tria eſſe,
,, profeſſionem, regulam, obedientiam, qua vice Dei hominem ſuper ca-
,, put ſuum aliqui conſtituant, hic vero nihil tale eſſe, non aſſumi regulam,
,, profeſſionem non fieri, obedientiam nemini promitti, tantummodo in
,, ſuis domibus vel conductis hoſpitiis pariter vivi: feciſſe idem Apoſtolos
,, Act. 1. feciſſe Apoſtolorum Diſcipulos, unde in ſacris celebrem eſſe do-
,, mum Ariſtobuli, domum Eraſti, Priſcum & Aquilam domeſtica Eccle-
,, ſia eſſe nobiles. ne veſtitum quidem à vulgari abhorrentem capi, niſi quis
,, pro tali habeat veſtium ſimplicitatem ac humilitatem, quam certè Eccle-
,, ſia non reprobet, ſed laudet. ſingulis apud ſe licere diverſo veſtis genere,
,, qua ad formam, qua ad colorem uti, imo unum eundemque nunc hujus,
,, nunc illius figuræ coloriſve indumento tectum conſpici, ita ut habitus eo-
,, rum ſolum à ſecularium habitu differat in pretij vilitate & formæ ſimplici-
,, tate. Hæc omnia evincere nullam ab eis novam religionem excogitatam.
,, ſed nec corporis collegiive appellatione ſuas congregationem propriè deſig-
,, nari poſſe. quodvis enim collegium eligere ſuperiores qui cauſas cogno-
,, ſcant, ſyndicum conſtituere, ac demum in unum quempiam recidere, hæc
,, autem in ſuis congregationibus non fieri, quæ inſtar aliarum ſocietatum,
,, morte conjuſlibet ſolvantur. Gravius etiam errare qui conventiculorum
,, convicium eis auſint facere, cum conventicula ſint conſpiratorum, hæ-
,, reticorum, ſeditioſorum, qualia crimina in ſeſe non agnoſcant.

,, Quod ad communionem facultatum ſpectat, de ea ita diſputat: Modum
,, rei poſſidendæ eſſe ſextuplicem. 1. Cum omnia ſunt communia tam quoad
,, uſum quam quoad adminiſtrationem, ita ut & uxores comprehendantur,
,, qualis communio omnium rerum Nicolaitis tribuitur. 2. Cum quis errore
,, contrario, omnia propria facit uſu pariter & adminiſtratione, qui modus
,, poſſidendi avarorum eſt, qui proximo nihil in neceſſitate erogant. hos er-
,, go duos modos ut illicitos repudiat. 3. Cum quis adminiſtrationem ſuæ
,, rei ſibi vendicat, at uſu communem eam facit, id eſt, neceſſitate urgente
,, aliis inde quod ſatis eſt ſuppeditat, hunc ad ſalutem cuivis neceſſarium
,, eſſe. 4. Cum quis rei ſuæ adminiſtrandæ, procurandæ, alienandæ pote-
,, ſtatem ſervat, at uſum communem facit etiam extra caſum neceſſitatis.
,, id eſt, utilitatis, caritatis, &c. gratia. 5. Cum quis neutro modo quicquam
,, poſſidet proprium, ſed tam adminiſtrandi quam utendi jus penes commu-
,, nitatem eſſe vult. Hoſce duos modos monachis voti reis ex neceſſitate in-
,, cumbere, laïcis vero, ac maximè clericis minime prohibitos, ſed lici-

„ tos, & (ut tum loquebantur) meritorios. proinde nihil peccare ſuam ſo-
„ cietatem quæ eis pro re nata utatur. cum gradum ſtruant ad ſextum mo-
„ dum in quo perfectio paupertatis conſiſtat, ultra quam humana fragilitas aſ-
„ cendere non valeat; quo videlicet quis nihil proprium habet nec commu-
„ ne, ſed ſimpliciter uſumfructum ſumit, quam paupertatem dicantur pro-
„ fiteri fratres minores.

„ Pergit ad rationem admonendi & corripiendi quam inter ſeſe exerce-
„ bant, quamque eis minus convenire erant qui contenderent. fatetur ergo
„ publicas ſive concionales admonitiones ab homine plebeio fieri non opor-
„ tere, ſed ab eo qui legitime ad hoc opus vocatus ſit, nec in loco privato,
„ ſed publico ad id deſtinato: At ſupereſſe collocationem privatam, quæ qui-
„ dem ſi fiat per modum altercationis circa articulos fidei, & ipſa laïcis con-
„ venire non poſſit, at ſi hortandi cauſa & familiariter inſtituendi ſuſcipiatur
„ & licitam & præceptam eſſe, & ab omnibus, & ad omnes fieri oportere,
„ ſive ij ſint mares ſive feminæ, ſive ſenes, ſive juvenes, pauperes, divi-
„ tes, in proſperis, in adverſis, die noctuque, in Eccleſia, in platæa, in
„ via, in agro, terra, mari, omnibus, ubique, ſemper, &c. prout ex
„ Hieronymo, Bernardo aliiſque latè demonſtrat.

De libris ſacris in vulgares linguam verſis deinceps agit, ſed quia idem argumentum peculiari libello poſtea copioſius tractavit, ex eo nonnulla hujus narratiunculæ calci mox adjiciam, nunc de obedientia agendum.

„ Eam obedientiam quam clerus prælatis, populus ſeculari poteſtati de-
„ beat talem eſſe ait, ut ab ea neminem quantacunque ſanctitas poſſit ab-
„ ſolvere: & eam in ſua ſocietate non obtinere, ratione videlicet ſocieta-
„ tis, cum ea ſit inferiorum erga ſuperiores, ſocij vero ſint æquales. qui-
„ bus nec ſuperiores eligere fas ſit cui talis generis obedientiam addicant,
„ cum hoc ſit religionis vel collegij; poſſe tamen aliunde contingere, ut
„ alter alteri obedientiam debeat. puta, ſi prælatus vel curæ animarum
„ præfectus ſit de ſocietate. etiam patrifamilias quoad domus regimen eam
„ deberi, cum ejus ſit familiæ invigilare, ni faciat, infideli deteriorem
„ eſſe, quin, ſi domeſticos ſuos verbis & exemplis nequeat corrigere, jus
„ habere eos domo ejiciendi, modo per hoc eos corrigi poſſe perſuaſum
„ habeat. obedientiam etiam eſſe parium erga pares, ſi cohabitatio placida,
„ & ſimilia conventa ſpectentur, ſi quis moneatur ad id quod ſua natura
„ eum obliget, quod ſit præcepti divini, &c. Imo & in hoc caſu ſuperio-
„ rem eſſe inferioribus obnoxium, juxta Auguſtini dictum lib. de vera Inno-
„ centia: *Pax domeſtica eſt ordinata cohabitantium imperandi obediendique con-*
„ *cordia. imperant enim qui conſulunt, ſicuti vir uxori, parentes filiis, Domini ſer-*
„ *vis: obediunt autem quibus conſulitur, ſicut mulieres maritis, ſed in Domino, vi-*
„ *ventes juſti ex fide, & ab illa adhuc civitate peregrinantes, etiam qui imperant ſer-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ *viunt eis quibus videntur imperare, quia non dominandi cupiditate imperant, ſed*
„ *officio conſulendi. non principandi ſuperbia, ſed providendi beneficio.* hæc Augu-
„ ſtinus.

Quia autem & Confeſſionis actum ſibi arrogaſſe accuſabantur, de illa ſic reſpondet:

„ Confeſſionem propriè dictam, quam ſacramentalem vocant, cui an-
„ nexa ſit abſolutio & pœnitentiæ injunctio, nulli exercere fas eſſe niſi pe-
„ nes quem ſit poteſtas ligandi ſolvendique, quam clavium àppellant, ne
„ preſbytero quidem, citra ſuperioris licentiam, niſi ejus qui confitetur
„ animæ curam ex officio gerenti. At confeſſionem quæ laïco fiat, poſſe
„ locum habere, ſi deſit ſacerdos, ſi peccata ſint leviora, ſi quæritur tan-
„ tummodo auxilium vel conſilium. ea pœnam remitti non per modum
„ Sacramenti, ſed ut per quodlibet bonum opus. hanc magnum uſum ha-
„ bere, nimirum ut diſcat confitens vel revelans diſcernere inter peccata
„ & non peccata, inter graviora & leviora, inter vitia & virtutes, quæ vi-
„ tiorum remedia, quæ media tentationibus reſiſtendi. valere eam ad retra-
„ hendum hominem à conſuetudine peccandi, ad animi demiſſionem, &c.
„ ad hanc confeſſionem non eſſe quod quis requirat habentem auctorita-
„ tem clavium, ſed magis habentem diſcretionem ſpirituum. nec tam lite-
„ ratum quam expertum. Hanc Confeſſionem mutuam quondam apud vi-
„ ros ſpirituales valdè fuiſſe conſuetam & laudatam, licet nunc ſit rara,
„ multis incognita, & quod magis dolendum, à pleriſque ut illicita oppug-
„ netur. Et de hac Jacobum locutum ait, cap. v. *Confitemini invicem pecca-*
„ *ta veſtra.*

„ Circa obſervationem peculiarium ſtatutorum ac conſuetudinum, hæc
„ ſubjicit: non licere privatis condere leges proprie dictas, eo quod vim
„ cogendi habeant, quæ ſuperiori in inferiorem duntaxat competit. nec
„ introducere conſuetudines illas quæ dicuntur jus populi, & legis aucto-
„ ritatem habent, aut etiam legi præjudicant, ob eandem rationem. at le-
„ ges dudum inſtitutas, & conſuetudines in Eccleſia receptas quominus
„ privati obſervent, ac pariter ſibi obſevandas præfigant, cauſam non eſſe.
„ quod ſi conſuetudo ſumatur pro aſſuefactione ſeu moribus actibuſve con-
„ ſuetis non inducentibus jus, nullam domum, nullum gymnaſium eſſe
„ quod non ſuas ſibi habeat, idque prohiberi non poſſe, multo minus ſi ta-
„ les inducantur quæ ad virtutem gradum ſtruant, ejus enim habitum
„ ejuſcemodi actibus comparari.

At enimvero, quandoquidem conſuetudines hujuſcemodi videbantur nonnullis, religioſorum obſervationibus nimis conformes, qualeſnam obſervationes privati in privatis ædibus habere poſſint, ita digerit:

„ Sunt nonnullæ conſtitutiones inviolabiles, & immutabiles, nimirum

„ quæ-

,, quæcunque in S. libris, vel etiam religioſorum regulis inveniuntur de
,, interioribus vel exterioribus virtutum actibus. Has quibuſvis licitas eſſe
,, extra controverſiam eſt. Sunt & præcepta vel obſervationes religioſo-
,, rum religionibus vel Collegiis ita annexæ ut illa vel conſtituant, vel co-
,, mitentur. quale eſt ſuperiorem eligere, &c. de quibus ante, item ora-
,, torium conſtruere, publicè horas cantare, vel Divina officia celebrare,
,, capitulum tenere in quo fiat accuſatio, proclamatio, correctio, puni-
,, tio, diſciplinam dare vel invitis. Hæc privatis ſimul viventibus non li-
,, cent. at aliæ ſunt conſtitutiones quæ religioſis in regulis traduntur, & pri-
,, vatis jure non prohibentur. qualia ſunt omnia quæ non tam ordinum
,, auctores quam Deus ipſe inſtituit. De hoc genere eſt labor manuarius.
,, cujus multiplicem utilitatem, ut contra, inertiæ mala, poſtquam è ſacro
,, codice recenſuit, exemplis etiam confirmat, Pauli qui tentoria compe-
,, gerit, Ambroſij qui libros ſuis manibus ſcripſerit, Auguſtini qui labora-
,, re manibus optarit ſi id curæ vocationis permiſiſſent, monachorum ex
,, Ægypto, item Cluniacenſium, Ciſtertienſium, ac plerorumque aliorum,
,, quibus ſunt ſtata tempora laborandi. hujus etiam generis eſt certis tem-
,, poribus ſtudere, S. Scripturam ſub prandio recitare, vigilare, jejunare,
,, & ſimilia. quod autem regerant nonnulli, hæc unicuique ſeorſim licita,
,, at multis ſimul extra profeſſionem monaſticam certo ordine ea facere
,, minus conveniens eſſe; ad id reſpondet: Ordinem in omnibus eſſe lau-
,, dabilem, nec mirandum ſi qui in iiſdem ædibus habitant, ſimul labo-
,, rent, ſimul ſurgant, ſimul cubitum eant, hoc enim & in bene conſtitu-
,, tis familiis uſu venire, quin & in quibuſdam civitatibus omnes opifices
,, ejuſdem artis ad pulſum nolæ labores incipere, & cum pulſu deponere,
,, nec propter hoc dicendos religioſos. Ita nec illos. cum ſtatus religionis
,, quem vocant, non ſit quilibet modus vivendi ordinatus, ſed in aliis con-
,, ſiſtat; de quibus dudum diximus.

EX

EX LIBELLO GERARDI ZERBOLT

Preſbyteri, fratris domus D. Florentii in Daventriâ, de libris Teutonicalibus, excerpta duo. è membranis Bibliothecæ Daventriensis.

Primum, de utilitate lectionis ſacrarum literarum in lingua vulgari.

„ QUONIAM ſunt nonnulli minus S. Scripturam intelligentes, aut patrum ſanctorum dicta conſiderantes ſeu advertentes, qui credunt & dicunt hominibus laïcis & illiteratis fore illicitum divinam Scripturam relegere & in ſacrâ paginâ ſe exercere, „ atque proinde libros devotos in vulgari idiomate editos ſeu etiam ad ipſum „ tranſlatos, qui ſolum vel maximè ſunt pro laïcis, æſtimant merito debere „ reprehendi, fugari penitus & eliminari: Ideo ſcire expedit utrum & qua- „ les libros Scripturarum vel ſanctorum Doctorum laicis legere liceat, „ vel potius ſecundum ſanctorum conſilium legere expediat, ut videlicet „ proinde appareat qui libri & quales doctrinæ ſimplicibus & illiteratis ad „ legendum conveniant vel ſtudendum, ac etiam ut ipſi laici & illiterati „ ſciant ad qualem doctrinam & quales libros utilius & fructuoſius recur- „ rere debeant, & in quibus minus poſſunt offendere non ignorent.

„ Ut autem plenior circa præſentem materiam habeatur notitia, eſt prius „ conſiderandum, quod ſecundum beatum Gregorium ſuper Ezechielem „ Homil. x. & ſecundum Joh. Chryſoſt. ſuper Matt. xxv. in opere imper- „ fecto, alioſque plures Doctores. ſicut etiam apertiſſimè experientia do- „ cet, in divinis Scripturis duplex doctrina reperitur. Eſt enim quædam „ doctrina plana, ſimplex & aperta, ad cujus videlicet intelligentiam non „ requiritur nec eſt neceſſaria magna inquiſitio vel diſcuſſio ſeu ratiocina- „ tionis diſputatio, ſed ſine magno labore & diſcuſſione ipſa legenti per ſe „ fit manifeſta; ſicut ſunt vitæ & geſta ſanctorum, paſſiones & triumphi „ martyrum, aliæque doctrinæ de vitiis & virtutibus, de ſanctorum glo- „ riâ ac damnatorum miſeriâ hiſque ſimilibus planè & apertè pertractantes. „ alia autem in Scripturis reperitur doctrina alta, profunda vel obſcura, ad „ cujus ſcil. intelligentiam magna requiritur diſcuſſio ac diligens inquiſitio „ ſeu interior mentis ratiocinatio propter ipſius Scripturæ ſubtilitatem,

,, profunditatem vel obſcuritatem, ſicut communiter doctrinæ de eſſentia ,, divina, de trinitate perſonarum, de eſſentiæ unitate, & ſic de aliis. Do- ,, ctrina autem primo modo dicta dici poteſt lac, potus vel aqua. Doctrina ,, autem ſecundo modo dicta, eſca, cibus ſolidus vel panis. unde dicitur, ,, I. ad Cor. III. *tanquam parvulis in Chriſto* lac vobis *potum dedi non eſcam ſoli-* ,, *dam.* ſimiliter ad Hebr. v. *facti eſtis*, inquit, *quibus lacte opus eſt non ſolido* ,, *cibo.* Iſaiæ III. *Ecce*, inquit, *dominator Dominus exercituum aufert à Ieruſa-* ,, *lem omne robur panis*, id eſt, ſcripturæ difficilis, *& omne robur aquæ*, id eſt, do- ,, ctrinæ facilis & apertæ. Item doctrina prior dicitur *fons*, ſecunda *puteus* ,, *aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Dicitur autem idcirco do- ,, ctrina primo modo dicta lac, potus vel aqua ſecundum Joh. Chryſoſt. ſup. ,, Matth. XXI. ſimilitudinariè ac metaphoricè, quoniam ſicut lac, potus vel ,, aqua ſine labore dentium manducatur ſeu glutitur, & manducantem ſua ,, ſuavitate delectat, ſic etiam hæc doctrina nullum laborem imponit legenti, ,, ad ejus ſcilicet intelligentiam quærendam. eadem etiam ratione dicitur ,, fons. de fonte enim ſine labore hauritur aqua. *eſt* enim propriè *fons*, ſicut ,, dicit Beat. Aug. A. ſup. Joh. IV. *Vbi aqua de terra manat & uſui præbetur* ,, *haurientis ſi ipſa aqua in prompto fuit & in ſuperficie.* Ita hæc doctrina in ,, prompto eſt & in ſuperficie, & ab omnibus poteſt intelligi & hauriri. è con- ,, trario autem doctrina ſecundo modo dicta idcirco dicitur eſca, cibus ſo- ,, lidus vel panis ſecundum Chryſ. ubi ſupra, quoniam *qui legit vel audit talem* ,, *doctrinam neceſſe habet* B. *inter ſe tractatibus quibuſdam diſcutere & meditari, &* ,, *quaſi quibuſdam dentibus ſpiritualibus molere, ut ad ejus intelligentiam perveniatur.* ea- ,, dem etiam ratione dicitur puteus. nam ſecundum Auguſt. ubi prius, C. ,, *puteus proprie dicitur ubi aqua manat de terra, ſi tamen in profundo fuerit & ex* ,, *alto trahatur vel hauriatur.* Unde ſicut ex puteo aqua trahitur vel hauritur ,, cum labore, ita hæc doctrina trahitur & intelligitur cum inquirendi dif- ,, ficultate de obſcuro. unde dicitur Job. XXVIII. quod *Sapientia trahitur de* ,, *occulto.*

,, His igitur præmiſſis & prænotatis, duo videntur circa præſentem ma- ,, teriam dicenda, quæ & ſanctorum teſtimoniis & auctoritatibus inferius ,, declarantur ac roborantur. Primum ſcilicet, quod ſimplicibus & illite- ,, ratis, ſive hominibus laicis, tanquam parvulis ſecundum intellectum expe- ,, diat & nequaquam ſit prohibitum vel illicitum, ſed ſit ſanctorum conſilium ,, quod divinarum ſcripturarum ſeu ſanctorum libros, in vulgari idiomate ,, editos, ſeu ad idioma vulgare aliunde transfuſos, legant vel ſtudeant, ſeu legi ,, ſibi permittant vel legi audiant, qui doctrinam planam & apertam prius ,, dictam continent, dummodo tam ſtylo dictaminis quam veritate ſenſus ,, ab Eccleſiaſtica doctrina & uſu & modo locutionis Doctorum Catholico- ,, rum non diſcordent. Secundum eſt iſtud: quod laïcis ſimplicibus & illite-

,, ratis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, ratis *ut communiter* non expedit quod circa illos libros Scripturarum vel
,, ſanctorum Doctorum ſe *multum* occupent *ut plurimum* tales libros ſtuden-
,, tes, qui altam, difficilem vel obſcuram doctrinam prius dictam continent,
,, ſive illi libri ſint in vulgari vel quocunque idiomate editi vel tranſlati.

,, Horum autem primum quod dictum eſt poteſt diverſimodè & diverſis
,, ſanctorum dictis & auctoritatibus demonſtrari. Et primum ſit: In laïcis
,, recommendatur & eſt recommendandum deſiderium intelligendi divinas
,, Scripturas, & ſecundum eas ſtudium adhortandi. ut dicitur D *extrav. de*
,, *hæreticis c. cum ex injuncto* N *circa primum.* Planum eſt autem & manifeſtum
,, quod laïci ut communiter niſi in vulgari idiomate ſacram Scripturam le-
,, gere vel intelligere non poſſint, quare videtur quod ſecundum capitulum
,, præallegatum in ipſis ſit recommendandum, qnod eam in propria legant
,, lingua, quia non intelligunt alienam, id eſt, latinam. Item, quod in laïcis
,, recommendetur & ſit laudabile ſtudium divinarum ſcripturarum patet aper-
,, tè per Innocentium, qui eſt lucerna Juris, in apparatu ſuo E *extrav. de ſum-*
,, *ma Trinitate & fide Catholica ſuper capitulo, firmiter credimus.* Ubi dicit manife-
,, ſte quod *etiam laici quibus Deus dedit talentum ſubtilis ingenii melius faciunt ſi*
,, *ſuum ingenium expendant in majori cognitione explicita eorum quæ continentur in*
,, *articulis fidei, quam ſi illud expenderent in rebus terrenis.* Patet ergo quod laï-
,, cis libros devotos præcipuè de planâ & apertâ materiâ legere non ſit pro-
,, hibitum, ſed ſanctorum conſilium. quare ſecundum ſanctos eſt hoc in ipſis
,, recommendandum. Secundo ſic: Divina Scriptura non unum ſingula-
,, rem ſtatum informat vel erudit, ſed quemlibet in ſuo ſtatu docet & in-
,, ſtruit. interdum enim omnibus generaliter vivendi vel credendi regulas
,, præſcribit, in pleriſque locis ad unum ſtatum ſe dirigit informando, in
,, aliis autem locis ad alium ſtatum ſe convertit. nunc docet incipientes,
,, nunc informat proficientes, nunc vitam inſtruit perfectorum. atque ita
,, omnibus & ſingulis juxta morum congruit qualitatem, ſicut patet ex ver-
,, bis ſancti Auguſt. III. lib. de doctr. Chriſt. & in pluribus libb. moralium
,, beati Gregor. præcipuè lib. VI. ubi exponit illud beati Job: *Qui dat plu-*
,, *viam ſuper faciem terræ & irrigat aquis univerſa.* Uude patet quod S. Scriptura
,, non ſit data alicui ſingulariter ſed generaliter omni homini in quocunque
,, ſtatu fuerit. Sanè ad hoc à Deo data fuit hominibus ut qui fugitivi & exu-
,, les fuerant à corde, & peccata ſua interius videre non poterant, ſaltem exte-
,, rius appoſita S. Scriptura cognoſcere diſcerent. ſicut prolixè declarat S.
,, Auguſt. ſuper Pſalmum LVII. Quis igitur ſanæ mentis dicat quod laïci
,, peccant, ſi ad hoc utantur Divina Scriptura propter quod à Deo ipſis eſt
,, data, & à Spiritu Sancto conſcripta? ut videlicet peccata ſua cognoſcant, &
,, de eis compungantur, & melius ea poſſint devitare? quare non eſſent ipſi
,, participes legis divinæ ſicut aliorum generalium beneficiorum Dei, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, lex Dei & divina Scriptura ſit inter divina beneficia præcipuum & ſingu-
,, lare. Ut in collationibus patrum dicitur. & eſt hoc beneficium omnibus
,, generaliter collatum, ut prius eſt monſtratum. Unde propter hoc S. Aug.
,, in Epiſtola ſua vel tractatu ad Bonifacium comitem laicos reprehendit quod
,, pro intelligentia Scripturarum nolunt laborare, & tamen in cæteris Dei
,, beneficiis volunt cum clericis participare. Unde ait: *Grandis eſt*, inquit,
,, *confuſio animabus laïcorum, qui dicunt: quid pertinet ad me libros legere Scriptura-*
,, *rum, vel audire, vel diſcere, vel etiam frequenter ad Eccleſiam & ſacerdotes re-*
,, *currere? dum clericus fiam, faciam quæ oportet clericos facere. quare non intelligit*
,, *quod panem & vinum & omnia hujus terræ bona & regni fælicitatem æqualiter vult*
,, *participare, & æquali labore jugum Chriſti ferre non vult?* hæc Auguſt. ibi.
,, Revera enim, ſicut idem Auguſt. dicit ſuper Pſalm. LXII. [F] *Sicut acce-*
,, *pimus à Deo beneficia ſecundum carnem, panis, vini & olei, & hujuſmodi, ſine*
,, *quibus quamdiu in hac peregrinatione ſumus non poſſumus ſubſiſtere, ita etiam Deus*
,, *dedit animæ ſua ſolatia ſcilicet verbi, orationis, & diſputationis in quibus anima vivit*
,, *& conſolationem recepit.* [G] *Ipſa* enim *divina Scriptura & ſtudium & lectio Scrip-*
,, *turarum eſt quædam maxima conſolatio & refugium in omni caſu & adverſitate ſer-*
,, *vans hominem æquanimem.* Sicut dicit glorioſus Doctor Hieronymus in Pro-
,, logo ſuper Epiſt. Pauli ad Eph. in principio. Quare merito ab hoc be-
,, neficio, ab hoc divino ſolatio in quo anima vivit & ſuſtentatur, non de-
,, bent laici prohiberi, ſed tanquam recenter geniti infantes & parvuli lac
,, in eo ſugere & facilem doctrinam inveſtigare. Tertio. Scientia legis divi-
,, næ & ſtudium S. Scripturæ magis præcipitur in novo quam in Veteri Te-
,, ſtamento. ut dicit beatus Thomas ſecunda ſecundæ [H] quæſt. XVII. art. I.
,, ſed in veteri Teſt. toti populo de ſcientia & lectione legis divinæ dabantur
,, præcepta vel exhortationes, ut patet Deut. VI. & Deut. XII. & in pluribus
,, aliis locis. Unde dicitur Deut. XI. *Ponite hæc verba mea in cordibus veſtris &*
,, *in animis veſtris, & ſuſpendite ea pro ſignis in manibus veſtris & inter oculos veſtros*
,, *collocate, docete filios veſtros ut illa meditentur. quando ſederis in domo tua & am-*
,, *bulaveris in via & accubueris atque ſurrexeris. ſcribeſque ea ſuper poſtes & januas*
,, *domus tuæ, ut multiplicentur anni tui & filiorum tuorum.* Penè eadem verba
,, ponuntur Deut. VI. Ubi ſic dicitur: *Audi Iſrael: Dominus Deus tuus unus eſt.*
,, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ for-*
,, *titudine tuâ, eruntque verba hæc quæ ego* [L] *præcipiam tibi hodie in corde tuo, &*
,, *narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ea ſedens in domo tuâ, & ambulans in itinere,*
,, *dormiens atque conſurgens, & ligabis ea quaſi ſignum in manu tuâ, eruntque & mo-*
,, *vebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine & oſtiis domus tuæ.* hæc ſunt ver-
,, ba legis divinæ & ſummi legiſlatoris Domini Dei, quibus apertiſſimè &
,, inſtantiſſimè vulgus & totum ſimul populum alloquitur. *Audi*, inquiens,
,, *Iſraël.* & ad lectionem & ſtudium divinorum mandatorum & ſanctarum

,, ſcrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ ſcripturarum exhortatur. quomodo enim ad hoc apertius & inſtantius
„ populum induceret quam quod ipſam legem ſemper in manibus & in cor-
„ dibus, & ante oculos ubicunque exiſtentes in via vel in domo omnique
„ tempore ipſi eam in memoria habere debeant, præcipiat & exhortetur? Nec
„ fit hic mentio de clericis, quaſi hoc illis ſingulariter præcipiatur, imo, ut
„ dicit Thomas ubi prius, *non datur presbyteris ſpeciale mandatum de ſcientiâ legis*
„ *divinæ, quia hæc ſcientia adeo eſt annexa officio ſacerdotali, ut cum injunctione*
„ *officij ſacerdotalis pariter injungatur officium & uſus doctrinæ.* Item Pſalmo CXVIII.
„ *Beati qui ſcrutantur teſtimonia* M *tua, in toto corde exquirunt eum.* Item Pſal-
„ mo I. *Beatus qui in lege Domini meditatur die ac nocte.* Et ſine numero talia
„ ponuntur in veteri Teſtamento. ſequitur ergo quod non ſit prohibitum &
„ vulgo & populo illiterato divinam legem relegere & ſcrutari, ſed eſt legis
„ divinæ conſilium ad hoc inſtanter adhortantis. Quarto: Secundum præ-
„ ceptum Eccleſiæ laici certo & debito tempore debent convenire ad Eccle-
„ ſiam & ibi audire verbum divinum: ſed ſi eis Scripturam ſcire non licet ut
„ quid eis prædicatur? quare non eadem vel ſimilia poſſunt legere in libris?
„ cum forſitan melius & citius diſcerent ex libris quam ſermonibus, cum,
„ ut dicit philoſophus, *viſus valeat ad Doctrinam ſicut auditus.* Imo vero,
„ ſecundum Beatum Auguſtinum X. confeſſ. lib. *oculi ſunt ad cognoſcendum in*
„ *ſenſibus principes.* Et revera parum diſcunt vel retinent laici ex hoc quod in
„ quindenâ vel minus audiunt quandoque prædicationem, & interdum pa-
„ rum intelligunt. & iſtud innuit ſanctus Joh. Chryſoſt. loquens ad popu-
„ lum ſuper Joh. homil. X. *Vnam,* inquit, *vos omnes volo petere gratiam, antequam*
„ *Euangelica tangam verba. ſed ne renuatis petitionem, neque enim grave quid & one-*
„ *roſum peto, neque mihi ſolum qui accipio utile, ſed & vobis qui tribuitis, & mul-*
„ *to magis vobis. Quid igitur eſt quod peto? ſecundum unam Sabbatorum vel ſecun-*
„ *dum unum Sabbatum, eam quæ debet in vobis legi Euangeliorum viſionem, hanc ante*
„ *hos dies in manibus accipiens unuſquiſque domi ſedens legat continuè, & multotiens*
„ *circumſcrutetur cum diligentiâ ea quæ* * *injacentur, & inveſtiget ea benè, & quid*
„ *quidem manifeſtum quid vero immanifeſtum notet, quid autem contrarium horum*
„ *videtur. non enim parva à tali ſtudio & nobis & vobis erit utilitas. nam nos quidem*
„ *non multo indigebimus labore ad manifeſtam faciendam eorum quæ dicuntur virtutem,*
„ *mente vobis jam familiari factâ verborum horum cognitioni, vos autem acutiores &*
„ *perſpicaciores hoc modo fietis, non ad auditionem ſolum neque ad diſciplinam, ſed ad*
„ *docendum alios.* Quinto. Doctores Sanctæ Eccleſiæ, Hieronymus, Grego-
„ rius, Auguſtinus, Chryſoſtomus & alij in diverſis Epiſtolis & libris ſuis
„ exhortantur & admonent laicos ad ſtudium divinarum ſcripturarum, ſed
„ hoc nequaquam facerent ſi malum vel illicitum reputarent. Unde glorio-
„ ſus Doctor Hieronymus ſcribens ad Celantiam non ſolum laicam ſed &
„ mulierem inſuper in matrimonio conſtitutam, cui minus videtur compe-

,, tere ita eam inter cætera exhortatur: *Præcipua tibi ſit cura legem noſſe divi-*
,, *nam, per quam poſſis præſentia cernere exempla ſanctorum, & quid faciendum ſit*
,, *quidve vitandum illius diſcere conſilio,* N *maximè implere divinis eloquiis animum, &*
,, *quid opere exequi cupias ſemper corde meditari. Rudi adhuc populo & hominibus ad*
,, *obedientiam inſuetis per Moyſen imperatur à Domino ut in ſignum memoriæ qua præ-*
,, *cepta Domini recordentur per ſingulas veſtimentorum fimbrias habeant* O *tota hya-*
,, *cintini coloris inſignia, ut etiam caſu huc illucque reſpicientibus oculis mandatorum*
,, *cœleſtium memoria naſcatur.* & infra: *Sint ergo divinæ Scripturæ ſemper in ma-*
,, *nibus, & jugiter mente voluantur.* item idem ad Demetriadem virginem: *maxi-*
,, *mè tibi ſancturum ſcriptararum ſtudium diligendum eſt, & illuminanda divinis elo-*
,, *quiis anima & coruſcante Dei verbo Diaboli tenebræ repellendæ ſunt, cito enim fugit*
,, *ille ab ea anima quam ſermo divinus illuminat, quæ cœleſtibus ſemper cogitationibus*
,, *occupatur, in qua aſſiduum eſt Dei verbum, cujus vim nequam ſpiritus perferre non*
,, *poteſt.* & infra: *Qua de re debes, ſæpe enim repeto quod ſemel fieri volo, ſanctas*
,, *Scripturas ſine intermiſſione meditari, hiſque tuam replere mentem, & malis cogi-*
,, *tationibus locum auferens divinis animum ſenſibus occupare, quantumque Deum di-*
,, *ligas ex dilectione legis ejus oſtendere. unde Scriptura dicit: Qui timent Dominum*
,, *requirunt quod beneplacitum eſt illi, & qui diligunt illum replebuntur lege ejus.*
,, *tunc ſenties quantum te ad ipſius amorem adjuvet ſapientia, quantum in te ſit le-*
,, *gis auxilium, & Domino cum David læta cantabis: In corde meo abſcondi eloquia*
,, *tua ut non peccem tibi.* hæc verba Hieronymi. & per plura alia verba idem
,, Hieronymus in diverſis Epiſtolis viros & mulieres, virgines & viduas ſeu
,, etiam maritatas exhortatur ad ſtudium divinarum ſcripturarum. Item bea-
,, tus Papa Gregorius ſcribens ad Barbaram & P quandam aliam virginem
,, in fine Epiſtolæ ſic dicit: *Xenia veſtra duas racanas libenter accepi, ſed tamen*
,, *cognoſcite quod non mandatum credidi. nam vos de labore alieno laudem quæritis quæ*
,, *fortaſſe adhuc ad fuſum manum nunquam miſiſtis, nec tantum me res iſta contriſtat*
,, *quam opto ut ſacram legere Scripturam ametis, ut quando vos omnipotens Deus viris*
,, *conjunxerit ſciatis & qualiter vivere & domum veſtram diſponere quomodo debeatis*
,, Hæc Gregorius. item S. Auguſt. ſcribens ad fratres de eremo qui, ut
,, idem Auguſt. dicit, pauciſſimis exceptis omnes erant illiterati, ad legen-
,, dam tamen eos Scripturam divinam, præſertim de plana materia exhor-
,, tatur, dicens: *Quęrite in Scripturis, fratres, quomodo præcepta Dei ſervare*
,, *poſſitis, quomodo Diabolum in eremo ſuperare debeatis,* Q *quomodo pœniten-*
,, *tiam amplecti poſſitis quam Chriſtus docuit. hæc enim ſervus Dei ſemper legere &*
,, *implere debet.* hæc Auguſtinus. ipſe etiam idem Auguſt. ſicut recitat in libro
,, retractationum ſuarum, librum ſuum de fide & operibus ad quoſdam
,, ſcripſit laïcos, quos dicit fuiſſe divinorum eloquiorum ſtudioſos inquiſi-
,, tores, nec tamen propter hoc eos vituperat vel ab hoc ſtudio eos retrahit,
,, imo magis confirmat & collaudat, librum ſuum ſcribens & mittens eiſ-
dem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, dem. Item Beatus Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus in ſuis admonitioni-
,, bus integrum ponit ſermonem ſive admonitionem, qua communem po-
,, pulum perſuadeat & inducat ad lectionem & ſtudium librorum devoto-
,, rum. Unde inter cætera dicit admonitione ſua XIII. *Attendite*, inquit,
,, *rogo fratres, ſi hoc dico quod non ignoratis. novimus etiam aliquos negociatores*
,, *qui cum literas non noverint requirunt ſibi mercenarios literatos, & cum ipſi li-*
,, *teras neſciunt aliis ſcribentibus ratione ſua ingentia lucra conquirunt. Et ſi illi*
,, *qui literas neſciunt conducunt ſibi mercenarios literatos ut acquirant terrenam pecu-*
,, *niam, tu quicunque es literas non noſti, quare etiam non cum pretio & mercede*
,, *rogas qui debeat tibi Scripturas divinas perlegere, ut ex illis poſſis præmia æterna con-*
,, *quirere? pro certo, fratres, qui hoc ſtudioſe requirit, credit quod illi in æternum*
,, *prodeſſe poſſit, qui vero lectionem nec ipſe vult legere, nec legentem libenter audire,*
,, *omnino non credit quod inde aliquid boni poſſit acquirere. Vos ergo fratres rogo &*
,, *admoneo ut quicunque literas noſcitis, Scripturam divinam frequentius relegatis*
,, *qui vero non noſcitis quando alij legunt intentis auribus audiatis. Lumen enim ani-*
,, *mæ & cibus æternus non eſt aliud niſi verbum Dei, ſine quo anima nec videre po-*
,, *teſt nec vivere. quia quomodo caro noſtra moritur ſi non capiat cibum, ita & anima*
,, *noſtra extinguitur ſi non capiat Dei verbum.* Hæc verba Cæſarii Epiſcopi ad
,, laïcos ſeu illiteratos. Item S. Joh. Chryſoſt. ſuper Joh. morali XXXI.
,, *Verecundemur*, inquit, *& erubeſcamus de reliquo. mulier quæ quinque viros habuit*
,, *& Samaritana erat, tamen de dogmatibus facit ſtudium & tempus diei, non quod*
,, *ob aliud quid abſceſſit, non aliud aliquid abduxit ab ea quæ circa talia eſt quæſtio-*
,, *ne. Nos autem non ſolum de dogmatibus non quęrimus, ſed & de omnibus ſimplici-*
,, *ter & ut contingit diſponimus. propter hæc omnia neglecta ſunt. Quis enim ve-*
,, *ſtrum, dicite mihi, in domo exiſtens libellum accepit Chriſtianicum in manibus &*
,, *quæ iniacent pertranſivit & ſcrutatus eſt Scripturas? nullus utique habet hoc dicere,*
,, *ſed aleas quidem & cubos apud plures inveniemus eſſe, libros autem nuſ-*
,, *quam ſed apud paucos, ſed & hi his qui non habent ſimiliter diſponuntur, ligan-*
,, *tes eos & deponentes ſemper in arcis vel ciſtis*, & cætera quæ ibi proſequitur.
,, Ex quibus paucis poſitis ſatis apparet quanto ſtudio quantaque diligentia
,, ſancti Doctores niſi ſint populum ad ſtudium & lectionem inducere ſcri-
,, pturarum & ſanctorum librorum. Sexto. Sacra Scriptura data eſt homini
,, à Deo in adjutorium & adminiculum legis naturalis, ut videlicet quod
,, homo per legem naturalem jam obfuſcatam ſeu minus illuminatam inte-
,, rius videre non potuit, divina Scriptura foris adjutus diſceret & videret,
,, ut diſcerneret bonum & ipſum apprehenderet, & malum ut vitaret. ſicut
,, pulcre declarat Beat. Joh. Chryſoſt. in proœmio operis perfecti ſuper
,, Matthæum, & S. Auguſt. oſtendit ſuper Pſalm. LVII. unde propter hoc
,, dicit Apoſtolus ad Rom. v. cap. *Peccatum non imputabatur cum lex non eſſet.*
,, id eſt, *non reputabatur.* Cum enim lex divina nondum erat data nec ſacra
,, Scriptu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, Scriptura divinitus promulgata peccatum non imputabatur ſeu reputa-
,, batur, quia propter obfuſcationem legis naturalis homines peccatum
,, non curabant, & peccatum eſſe peccatum non reputabant. cum igitur laici
,, continuo occupentur negociis ſecularibus & ſolicitudinibus, ac occupa-
,, tionibus terrenis, quibus oculus eorum interior, ſyndiæreſis & ratio, ſive
,, lex naturalis tanquam pulveribus obfuſcatur, non utique videtur eis illi-
,, citum, imo vero valde neceſſarium quod hujuſmodi adminiculo devo-
,, torum librorum pro illuſtratione & adjutorio legis naturalis utantur &
,, certis temporibus ad ſe redeuntes de occupationibus, legant, & in qui-
,, bus exceſſerint in ſpeculo ſcripturarum videant. Et ergo frivole & fru-
,, ſtra quidam dicunt quod laicos ſecularibus occupatos non decet intentos
,, eſſe Sctipturis divinis. Unde ſanctus Joh. Chryſoſt. in opere perfecto mo-
,, rali 11. ſuper Matth. ita ait: *Quæ eſt reſponſio accuſationum illorum*, ſcilicet
,, laicorum, *qui ſacros libros non ſolent legere? Non ſum, ait, monachus. ſed*
,, *quid? uxorem habeo, puerorum & domus ſollicitudinem. hoc eſt enim quod omni-*
,, *bus obſuit, quoniam illos ſolos æſtimant debere legere divinas Scripturas. multo*
,, *amplius vos indigetis. illis enim qui in medio vertuntur & per ſingulos dies vul-*
,, *nera ſuſcipiunt maximè indigentia eſt medicinarum.* hæc Chryſoſt. Item de
,, hoc dicit beatus Fauſtus Epiſcopus in quadam homilia quæ in quibuſ-
,, dam Eccleſiis ſolet recitari, loquens ad populum: *Lectiones,* inquit, *divi-*
,, *nas, ſicut conſuevistis, in Eccleſia libenter audite, & in domibus veſtris relegite,*
,, *ſi enim aliquis ita fuerit occupatus ut ante refectionem Scripturæ divinę non poſſit*
,, *inſiſtere, non eum pigeat in convivio ſuo aliquid de divinis Scripturis relegere, ut*
,, *quomodo caro paſcitur cibo, ſic anima reficiatur Dei verbo, ut totus homo exte-*
,, *rior & interior de ſancto ac ſalutari convivio ſaturatus exurgat, implentes illud*
,, *quod beatus Apoſtolus hortatur & admonet, dicens: ſive manducatis ſive bibitis,*
,, *omnia in gloriam Dei faciatis.* Septimo. Ipſi laici frequenter legunt & diſ-
,, cunt carmina mundana, carnalia & Diabolica, ſecundum ſapientiam mun-
,, di compoſita, ad amorem mundi & carnis allectiva, & ad libidinem in-
,, citativa. Similiter legunt libros in vulgari editos de bello Trojano, de
,, Rolandino, de formoſitate Dianæ, & ſic de aliis fabulis mendacibus ſeu
,, hiſtoriis ineptis & inutilibus de quibus dicit Apoſt. 1. ad Tim. IV. *Ineptas*
,, *autem & inutiles fabulas devita.* & tamen viri literati & intelligentes propter
,, hoc eos non reprehendunt vel prohibent. ſed ſatis irrationabile eſſet ſi
,, amplius deberent laici à Scripturis divinis prohiberi, quibus ad amorem
,, Dei accenduntur & ad deſiderium patriæ cæleſtis inflammantur, & ad
,, mundi contemtum informantur quam à prædictis fabulis. Et ſuper hoc
,, ſic loquitur Chryſoſt. corripiens populum ſuum in opere ſuo perfecto
,, ſuper Matth. morali 2. *Quis enim veſtrum,* inquit, *hic ſtantium Pſalmum*
,, *unum expetitus dicere, aut aliam partem divinarum ſcripturarum, dicere poſſet? non*

,, *eſt aliquis. & hoc non ſolum eſt malum, ſed quod ex ſpiritualibus excidentes ad dia-*
,, *bolica eſtis igne vehementiores. etenim ſi vellet aliquis vos cantica perſcrutari diabo-*
,, *lica & meretricales melodias multos inveniet cum certitudine hæc ſcientes & cum*
,, *multa ea annunciantes voluptate.* & infra oſtendens divinæ quidem Scripturæ
,, & ejus ſtudii utilitatem & fructum, & prædictarum fabularum & car-
,, minum inutilem ſterilitatem ita dicit: *Si enim vis diſcere quanta Scripturarum*
,, *eſt utilitas ſcrutare te ipſum, qualis quidem efficeris Pſalmum audiens, qualis au-*
,, *tem Sathanicum canticum, & qualiter diſponeris in Eccleſia morans, & qualiter*
,, *in theatro ſedens. & videbis multum medium hujus & illius animæ. propterea Pau-*
,, *lus dixit: Corrumpunt bonos mores omeliæ malæ. propterea continuarum nobis indi-*
,, *gentia eſt earum quæ à ſpiritu ſunt incantationum:* hæc Chryſoſt. Octavo. Lai-
,, ci tenentur ſcire ea quæ expreſſe omnibus in divina lege præcipiuntur vel
,, expreſſe prohibentur, ſecundum Doctores Theologiæ, & etiam ſecundum
,, Juriſtas. Unde tenentur ad minus ſcire decem præcepta, & peccata mor-
,, talia in genere quæ expreſſe in divina lege ponuntur prohiberi, ita quod
,, in talibus nemo ex ignorantia poterit excuſari, ſed potius ſecundum
,, Apoſtolum 1. ad Corinth. XIV. *qui ignorat*, talia ſcilicet, *ignorabitur.* ſi
,, ergo talia tenentur ſcire non utique peccant ſi legunt & diſcunt libros in
,, vulgari editos de decem præceptis, & peccatis mortalibus aliiſque hu-
,, juſmodi pertractantes. & de hoc ſic loquitur Cæſarius Epiſcopus in ad-
,, monitionibus ſuis: *Quando*, inquit, *aliquid de utilitate animę proferimus*
,, *nemo ſe excuſare conetur: non mihi vacat legere & ideo non poſſum Dei pręcepta*
,, *vel agnoſcere vel implere. nec dicat aliquis veſtrum: non novi literas, ideo non mihi*
,, *imputabitur quicquid minus de Dei præcepto implevero. inanis eſt & inutilis iſta*
,, *excuſatio, fratres chariſſimi. primum eſt, quod lectionem divinam etiamſi aliquis*
,, *neſciens literas poteſt tamen libenter audire. qui vero literas novit nunquid poteſt fie-*
,, *ri quod non inveniat in libris quibus poſſit Scripturam divinam relegere?* hæc ille.
,, unde ſecundum beatum Hieronym. in Epiſtola ad Paulum: *Propter hoc Spi-*
,, *ritus Sanctus ſtylum divinę Scripturę ita temperavit, imo propter hoc ita pla-*
,, *nus & apertus eſt ut omnibus congruat, ut nullus quantumcunque ruſticanus,*
,, *vel illiteratus ab ea penitus excludatur ſaltem ſecundum ſenſum literalem.* unde
,, dicit ibi: *Nolo*, inquit, *ut offendaris in Scripturis ſacris ſimplicitate & quaſi*
,, *vilitate verborum quæ vel vitio interpretum vel de induſtria ſic prolata ſunt ut*
,, *ruſticanam concionem facilius ſic inſtruerent, ut una eademque ſententia aliter*
,, *doctus aliter ſentiret indoctus.* Et propter hæc beatus Gregor. in proœmio
,, moralium dicit quod *ſacra ſcriptura eſt quaſi quidam fluvius planus & al-*
,, *tus, in quo & agnus ambulet & elephas natet.* Nono. Multa ſunt juris po-
,, ſitivi quæ laici quilibet ſecundum ſtatum & officium ſuum ſcire tenen-
,, tur, ita quod ignorantia juris poſitivi quod ipſi ſcire tenentur ex offi-
,, cio, laicos non excuſet. ſecundum beatum Thom. in prima ſecundæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, quæſt. LXXVI. Unde judices & Scabini non excuſantur ſi falſe & inju-
,, ſte judicant vel ſententiant, vel injuſte à ſubditis temporalia extorquent,
,, tenentur enim ſcire ea quæ ad officia ſua pertinent. Unde illi qui repre-
,, hendunt in laicis lectionem, & ſtudium librorum Teutonicalium, multo
,, melius facerent & Deo gratius agerent ſi unicuique laico perſuaderent
,, ut quilibet ſecundum ſtatum ſuum & officium libros in vulgari editos
,, haberet, quos illis temporibus legeret quibus ocioſis fabulis & nego-
,, ciis inutilibus ſolet occupari, & illis temporibus quibus in tabernis
,, potantes & inebriantes ſe, tempus inutiliter & malè expendunt, circa le-
,, ctionem ejuſmodi librorum impenderent. Sic enim ſancti populum
,, docuerunt in ſuis ſermonibus, & quod ita ſit docendum in ſcriptis reli-
,, querunt. Unde prædictus Epiſcopus Cæſarius: *Tollamus*, inquit, *à no-
,, bis fabulas vanas, mordaces jocos, ſermones ocioſos ac luxurioſos quantum poſ-
,, ſumus reſpuamus, & videamus ſi nobis non remanet tempus in quo lectioni
,, divinę vacare poſſumus. fugiamus prandia luxurioſa quę nos occupant uſque ad
,, veſperam, contemnamus cœnas quæ nos aliquoties, etiam in vitiis, uſque ad no-
,, ctem mediam trahunt, in quibus & caro noſtra per ebrietatem debilitatur, &
,, anima per turpiloquia & ſcurrilitates vulneratur forte, aut etiam moritur.
,, Iſtas malas occupationes quę animam & corpus debilitant fugiamus, & videbi-
,, tis quod nobis remanet tempus in quo aliquid de ſalute animę cogitemus. quan-
,, do noctes longiores ſunt, quis erit qui tantum poſſit dormire ut lectionem divi-
,, nam vel tribus horis non poſſit aut ipſe legere, aut alios legentes audire? Illi enim
,, lectionem divinam legere non poſſunt, qui, ſicuti jam dictum eſt, uſque ad me-
,, diam noctem inebriari ſe contendunt.* Hæc Cæſarius. nec poſſunt laici ſe ex-
,, cuſare quod libros non habeant, atque idcirco divinam Scripturam
,, non legant, quod pauperes ſint & libros ſibi non valeant procurare.
,, nam contra tales ita loquitur Chryſoſt. ſuper Joh. *Eſt & alia occaſio his
,, qui ita deſidioſi ſunt irrationabiliſſima, id eſt, non poſſidere neque habere libros.
,, & ad divites quidem deriſio eſt pro hac exempli occaſione. quia vero pauperes mul-
,, tos hac abuti contingit, illud libenter interrogarem eos: ſi non omnia artis in-
,, ſtrumenta cujus uniſquiſque eſt operator pleniter & integre habeant? qualiter igi-
,, tur non inconveniens* R *cauſari inopiam ſed omnia agere ut nullum uſquam fiat
,, impedimentum, debentes autem tantam fructificare utilitatem, occupationem re-
,, rum & paupertatem prætendere.* hæc Chryſoſt. Unde Servolus ille paralyti-
,, cus de quo recitat Beatus Gregor. in S homilia XIII. licet fuit pauper,
,, imo mendicus, libros tamen habuit. nam B. Gregor. inter cætera eum
,, laudans de diligentia & ſtudio circa divinas Scripturas, ita ſcribit de
,, ipſo: *A pueritia ſua*, inquit, *paralyticus erat, nequaquam literas noverat,
,, ſed Scripturæ ſacræ ſibimet codices emerat, & religioſos quoſque in hoſpitalita-
,, tem ſuſcipiens hos coram ſe legere ſine intermiſſione faciebat. factumque eſt ut*

,, quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, *quantum ad menſuram propriam attinet, plenè ſacram Scripturam diſceret, cum*
,, *ſicut dixi, funditus literas ignoraret.* hæc Gregor. Planum eſt quod iſte Ser-
,, volus laicus & illiteratus erat, & libros in ſuo idiomate habuit, cum,
,, ſecundum B. Gregor. literas funditus ignoraret, nec ipſe legere ſciret,
,, ſed ab aliis ſibi legi faciebat. ſequitur ergo quod non ſit laicis prohi-
,, bitum, ſed ubique à ſanctis conſultum, quod ſacram Scripturam legant
,, & libros devotos ſtudeant. Decimo. Tota Scriptura primo & origina-
,, liter in tali idiomate eſt conſcripta in quo ab illis propter quos fuit ſcri-
,, pta principalius, ab omnibus melius & generalius potuit intelligi; hoc
,, intellige de Scriptura canonica. Totum enim vetus Teſtamentum, ſe-
,, cundum B. Hieronymum in diverſis Epiſtolis & prologis Bibliæ, pro
,, maxima parte Hebræis hebraico ſermone fuit conſcriptum, & totum
,, novum Teſt. in Græco, excepto Euangelio Matthæi quod Hebræis he-
,, braico ſermone conſcripſit, ſimiliter excepta Epiſtola Pauli ad Hebræos,
,, quam, quia ſcripſit Hebræis, hebraico ſimiliter ſermone dictavit. Et
,, quidam etiam excipiunt Epiſtolam Pauli ad Romanos, quam, ut dicunt,
,, ſcripſit in Latino. Et hoc dicit frater Nicol. de Lyra ſuper ad Romanos.
,, & in principio ſuper 1. ad Cor. Si igitur Apoſtoli & Prophetæ Spiritu
,, ſancto inſpirati in illis linguis libros ſuos ſcripſerunt, quibus vulgariter
,, utebantur illi, quibus ſcripſerunt, nam Hebræi vel Judæi vulgariter loque-
,, bantur Hebraicè, ut notum eſt & ex Scripturis patet, & Græci græcè, ir-
,, rationabile videtur quod jam ſolum ipſa Scriptura legi debet in Latino, &
,, non quocumque idiomate poſſit à legente melius intelligi. Si non licet
,, Scripturam ſacram legi in idiomate vulgari, cur tunc ſancti Prophetæ,
,, cur Paulus & Matthæus Apoſtoli non ſcripſerunt Judæis in Græco, vel La-
,, tino, vel quocunque altero quam eorum idiomate vulgari? Item, cur Pau-
,, lus Græcis non ſcripſit Hebraicè vel Latinè, ſed ſcripſit in eorum idio-
,, mate vulgari? pueriliter ergo loquuntur qui dicere conſueverunt: ſi ſan-
,, cti voluiſſent quod laici ſacram Scripturam legerent, ipſi utique in vulga-
,, ri idiomate Scripturas edidiſſent. nam hoc voluerunt, & ideo in eorum
,, idiomate ſcripſerunt, ut eſt declaratum. Undecimo. Plures ſanctorum il-
,, lis quibus prædicaverunt Scripturas divinas in alia lingua jam editas ad
,, idioma illorum quibus prædicaverunt tranſtulerunt, ut videlicet non ſo-
,, lum audirent in ſermonibus, ſed etiam legerent ex libris. Nam ſic ſcri-
,, bit B. Dorotheus de B. Bartholomæo Apoſtolo, dicens: *Bartholomeus*
,, *Apoſtolus Indis prædicavit, qui & Euangelium ſecundum Matth. in propria*
,, *eis lingua tradidit.* Et de pluribus aliis invenire poterit qui Eccleſiaſticas
,, Hiſtorias voluerit perſcrutari. ſed ſi illicitum eſſet hujuſmodi libros habe-
,, re vel legere in idiomate vulgari, non utique ſancti eos tranſtuliſſent. Duo-
,, decimo. Sacra Scriptura ea de cauſa à magiſtris Eccleſiæ in Latinum

,, verſa eſt eloquium, non ut quibuſdam propter Latini idiomatis ignoran-
,, tiam lateret & eſſet occultata, imo magis ut divina ſcriptura quæ prius in
,, uno idiomate edita paucis, id eſt, illud idioma ſcientibus erat cognita, omni-
,, bus generaliter fieret manifeſta. nam Latinum idioma cæteris eſt generalius.
,, unde cum *notus* eſſet *in Iudęa* tantum *Deus*, in Judæa quodammodo ſolum
,, manſit ſcriptura, cum autem *exivit ſonus* ejus *in omnem terram*, creſcente undi-
,, que fide Chriſti, extum cæpit etiam *lex exire de Sion & verbum Domini de Ieru-*
,, *ſalem*, ac divina Scriptura in diverſa idiomata tranſlata tanquã fluvius Para-
,, diſi omnem terram irrigatura tranſiit omnes terminos terrarum & nationes
,, gentium. Et hoc eſt, quod dicit venerab. Beda in homilia de ſancto Matt. lo-
,, quens de præmiſſa tranſlatione Scripturarum. *Quod*, inquit, *Euangelium*, (ſan-
,, ctus Matthæus,) *ad ædificandam fidem Eccleſiæ primitivę quę ex Hebręorum Eccle-*
,, *ſiâ maximè collecta eſt, Hebręo ſermone compoſuit, dilatata autem per orbem*
,, *Eccleſia & Gręcis ac barbaris in ejuſdem fidei unitatem confluentibus, curave-*
,, *runt prǽſules fidelium ut idem etiam in Græcum Latinumque transferretur elo-*
,, *quium. quomodo etiam Marci, Lucę & Iohannis Euangelia quę deinceps Græca*
,, *lingua ediderunt mox in Latinam transfudere ſermonem, quatenus hęc omnes*
,, *per orbem nationes, legere & intelligere poſſent.* hæc Beda. Si igitur propter
,, hoc S. Scriptura in Latinum aliaque transfuſa eſt eloquia ut hanc omnes
,, per orbem nationes legere & intelligere poſſent, utique non propter hoc
,, in Latinum tranfuſa eſt eloquium ut Latinum neſcientes eam legere
,, vel intelligere non deberent. imo Marcus Euangeliſta hac de cauſa Euan-
,, gelium ſuum ſcripſit, ut fideles Romani non ſolum in Eccleſiis verbum
,, Dei audirent ſed etiam domi foriſque in hujuſmodi meditationibus ſeu
,, lectionibus permanerent, ut dicitur in I I. lib. Eccleſ. hiſt. Tredecimo.
,, Sancti Patres in Ægypto diligentiſſimè & cum ſummo deſiderio ſacram
,, Scripturam ſtuduerunt, nocte ac die inde meditantes. ut dicit Caſſianus
,, in I I I. lib. de inſtitutis Patrum. & habetur ſimiliter in I I. lib. Eccleſ.
,, Hiſt. & in multis aliis locis. & multa etiam ex eis pleniſſimè intellexe-
,, runt. attamen non habuerunt nec intellexerunt Scripturas in Latino vel
,, Græco niſi fortè pauciſſimi. nam non habuerunt in Latino, quia, ſicut
,, dicit Joh. Caſſianus, vix unus inter eos inveniebatur qui ſciret vel intelli-
,, geret Latinum. Unde cum frater quidam Simon nomine Epiſtolas Pau-
,, li in Latino ſcripſiſſet & liber jam eſſet finitus, nulli alteri uſui aptus fuit
,, niſi combuſtioni, eo quod vix aliquis inter eos potuit reperiri qui intel-
,, ligeret Latinum. ut recitat idem Caſſianus v. lib. de inſtitut. Patr. Si-
,, militer non intellexerunt Græcum exceptis valde paucis, ut patet per
,, eundem Caſſianum in Patrum collationibus, ubi dicit quod patres ſibi lo-
,, quebantur per interpretem, eo quod Græcum non intellexerunt excepto
,, uno vel fortè duobus. Erant enim, ſicut ex vitis Patrum & multis aliis
,, hiſto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, hiſtoriis poteſt elici, illiterati pro majori parte. Unde videtur veriſimile quod
,, Scripturam divinam in proprio habuerint idiomate & in eo legebant ſicut in
,, Ægyptiaco vel conſimili. Unde B. Hier. dicit quod Paulus primus heremita
,, inſtructus fuit literis Ægyptiorum. habent enim Ægyptii proprias literas ſe-
,, cundum Hug. de S. Vict. in didaſcalic. unde dicitur in Exodo, quod Moyſes
,, inſtructus fuit omnibus literis Ægyptiorum. Quartodecimo. Hebræi habent
,, divinam Scripturam in ſuo idiomate, id eſt Hebraico, Græci in Græco,
,, Chaldæi in Chaldaico, Arabes in Arabico, Syri in idiomate ſuo, Go-
,, thi habent eam in eloquio Gothico, Ægyptij in Ægyptiaco, Indi in idio-
,, mate proprio, Ruſſi, Slavi, Gallici quilibet in ſuo. & forte, ſiquis dili-
,, genter perſcrutari voluerit, in omni lingua quæ ſub cælo eſt. nam ut dici-
,, tur Act. II. dato & miſſo ſpiritu ſancto in Apoſtolos *viri religioſi ex omni na-*
,, *tione quæ ſub cęlo eſt convenerunt & audierunt Apoſtolos loquentes magnalia Dei*
,, *unuſquiſque lingua in qua natus erat.* in ſignum quod omni lingua eſſet lex
,, ſpiritus ſancti promulganda. quod autem Scriptura divina habeatur in ſer-
,, mone Hebraico & Græco notum eſt omnibus, nam in his duabus linguis
,, vetus & novum Teſtam. primordialiter eſt conſcriptum, & in his linguis
,, divina Scriptura magis eſt authentica quam in Latino. Nam Scriptura in
,, Latinum tranſlata ſemper ex editione Hebraica vel Græca corrigitur &
,, emendatur ſi quando oritur ambiguitas Latini ſermonis, ſecundum Hie-
,, ronym. in Epiſtola ad Suniam & Fretelam. Item, quod divina Scriptu-
,, ra habeatur in Chaldæo teſtatur B. Hieronym. in diverſis Epiſtolis & pro-
,, logis, præcipuè in prologo ejus ſuper Job. Jonathas enim filius Oziel ſcri-
,, pſit totum vetus Teſtam. ſermone Chaldaico, quæ editio Chaldaica in
,, tantum etiam fuit authentica apud Judæos ut ipſi ea uterentur quodam-
,, mo quaſi gloſſa veritatis Hebraicæ, quia in verbis aliquibus erat faci-
,, lior quam editio Hebraica, ut dicit frater Nic. de Lyra in quadam quæſtio-
,, ne. Item divina Scriptura habetur in Syro & Arabico. nam ex talibus lin-
,, guis B. Hieronym. interdum aliquos libros tranſtulit, ut patet in prologo
,, Hieronym. ſuper Iob. item quod habeatur in lingua Gothica manifeſtè
,, patet in VIII. lib. hiſt. tripart. ubi legitur quod Vulphilas Epiſcopus Go-
,, thorum ſacram Scripturam convertit in linguam Gothorum. Similiter
,, habetur in lingua Ægyptiaca ut prius eſt dictum. Item in lingua Slavica,
,, qui, ut dicitur, adhuc hodiernis temporibus in propria lingua ſolent di-
,, vinum officium celebrare: ſimiliter Ruſſi illas Scripturas quas ſuſcipiunt
,, videlicet Epiſtolas Pauli in proprio habent idiomate, ut omnibus eſt no-
,, tum qui ibi fuerunt. Indi habent in ſua lingua Euangelium à B. Bartholo-
,, mæo tranſlatum, & ſi quæ alia, ſecundum B. Dorothæum. Item Servo-
,, lus de quo, narrante Gregorio, quod libros emerat & legi ſibi faciebat, in
,, qua lingua niſi Gallica habuit qui omnino fuit illiteratus? & hæc de Scri-

,, ptura canonica. Sed & ſancti Doctores & S. Scripturæ expoſitiores non
,, omnes in Latino vel aliqua una lingua libros ediderunt, ſed multi ſcripſe-
,, runt in Latino, ſicut eſt notiſſimum, multi in Græco, ſicut non minus eſt
,, clarum de Athanaſio, Greg. Nazianz. Ioh. Chryſoſt. Euſeb. Cæſarienſi,
,, Baſilio, Damaſceno, & pluribus aliis, quorum libri poſtmodum ad utilita-
,, tem univerſalis Eccleſiæ in Latinum ſunt tranſlati, ſicut & nonnulli Latini
,, in Græcum ſunt transfuſi. multi etiam in alia lingua, ſcilicet vulgari eo-
,, rum & propria libros ediderunt. unde dicitur in IV. lib. hiſt. Eccleſ. quod
,, *tunc temporis innumeris hęreſibus pullulantibus Bardeſanes vir diſertiſſimus &*
,, *vehemens dialecticus adverſum Marcionem aliosque nonnullos dialogos ſcribit, quos*
,, *propria lingua compoſitos edidit. ſed & plura alia ejus extant volumina quę diſci-*
,, *puli ejus in Gręcum vertere ſermonem.* Similiter Effrem multos libros ſcri-
,, pſit in lingua Syra. unde habetur in VIII. lib. hiſt. Tripert. *Hoc itaque tem-*
,, *pore fuit Effrem in Edeſſa, in Alexandria vero Didymus, & Effrem Syra lingua*
,, *uſus ſpiritalis gratię radios emittebat, qui licet neſciret V linguam Gręcam,*
,, *multos Gręcorum eruditos redarguit, & totius hæreticæ pravitatis infirmitatem*
,, *nudavit.* Si igitur S. Scriptura tam canonica quam non canonica in diver-
,, ſis habetur idiomatibus conſcripta, & legitur penè in omnibus linguis quæ
,, ſub cælo ſunt, quæ eſt ratio vel quæ cauſa quod non debeat legi in Teuto-
,, nico, ſicut legitur in Arabico vel Slavico? Quintodecimo & ultimo. Si eſt
,, illicitum laicis & illiteratis S. Scripturam legere, aut eſt illicitum quia ma-
,, lum, aut eſt illicitum quia prohibitum. ſed non eſt illicitum quia malum,
,, tunc enim eſſet contra legem naturalem, ſecundum ſe malum, ſicut eſt fura-
,, ri, violentiam alicui inferre, & ſic legere S. ſcripturam omnibus laicis in-
,, differenter eſſet malum & illicitum, cum lex naturalis omnes ſtringat, ſe-
,, cundum Aug. III. Confeſſ. & Bern. in lib. de præcepto & diſpenſatione.
,, ſed conſequens eſt manifeſte falſum. imo legere divinam Scripturam &
,, ſcire eam eſt præcipuum inſtrumentum ut homo poſſit fieri bonus, & vita-
,, re malum. nam ſecundum Hieronym. ad Demetriad. *ſicut melius eſt facere*
,, *quam ſcire, ita prius eſt ſcire quam facere.* nemo enim benè poteſt facere
,, quod neſcit, unde *ſicut nemo poteſt eſſe bonus citharœdus niſi habeat ſcientiam*
,, *citharizandi non minus quam voluntatem vel uſum, ſic nemo poteſt fieri bonus niſi*
,, *habeat ſcientiam boni, non minus quam ſi non haberet voluntatem vel uſum.* Ut
,, dicit Anſelmus in lib. de ſimilitudinibus. Item: malum non cavetur niſi
,, cognitum, ſicut nec bonum amatur incognitum, ſecundum Auguſt. Un-
,, de dicit Apoſt. *Per legem autem cognovi peccatum.* non eſt ergo malum ſci-
,, re etiam malum. Item, non eſt illicitum quia prohibitum. quia nullibi
,, nec in Theologia nec in jure inhibitum reperitur, imo ubique recom-
,, mendatum. licet tamen verum ſit quod quidam libri ſermonum in vul-
,, gari editi articulos continentes hæreticales ſint prohibiti in quodam
,, reſcrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ reſcripto. quod incipit: *Ad Apoſtolatus*. Sed boni & devoti libri non ſunt
„ ibi prohibiti, imo magis ſunt per idem reſcriptum à ſenſu contrario ap-
„ probati. Quare ſequitur quod non ſit laïcis illicitum S. Scripturam lege-
„ re vel habere in lingua propria, ſed eſt ipſis multum meritorium, à ſan-
„ ctis & Doctoribus conſultum & laudatum. & hæc de primo.

EXCERPTUM ALTERUM DE PRECIBUS VERNACULIS.

„ HABENT etiam laïci quoſdam libellos Orationum in vulgari editos,
„ ex quibus ſuis temporibus ſuas legere conſueverunt orationes atque
„ mentis excitare devotionem: de quibus aliquibus videtur ambiguum an
„ expediat laicis quod ſuas orationes in lingua propria legant, & non potius,
„ more generalis Eccleſiæ, eas dicere debeant in Latino. Præcipuè cum le-
„ gere quoſdam Pſalmos ad idioma vulgare tranſlatos ſoleant. Pſalmi autem
„ difficulter poſſunt intelligi, ea autem quæ difficulter poſſunt intelligi non
„ ſunt laicis proponenda. Verum de hoc: utrum laici s Latinum non intelli-
„ gentibus magis expediat ſuas orationes in Latino dicere quam propria lin-
„ gua, nullus intelligens poterit merito ambigere vel rationabiliter dubitare.
„ cum Apoſtolus Paulus 1. ad Cor. XIV. expreſſe dicat & probet quod ſicut
„ *melius eſt prophetare quam loqui linguis*, id eſt, melius eſt, Scripturam ſeu
„ doctrinam intelligere quam eam non intellectam diverſis linguis ſcire pro-
„ ferre, ita eam orationem eſſe potiorem quæ ſimul affectum & intellectum
„ reficiat quam eam quæ affectum tantum accendit. Unde dicit ibi: *Qui*
„ *loquitur linguis oret ut interpretetur.* id eſt: qui habet gratiam diverſis lin-
„ guis doctrinam ſeu Scripturam proferendi, oret ut ſibi detur gratia ea quæ
„ proferre poterit intelligendi. *Nam ſi orem*, inquit, *lingua, ſpiritus meus*
„ *orat, mens autem mea ſine fructu eſt. quid ergo? orabo ſpiritu, orabo & mente.*
„ *pſallam ſpiritu, pſallam & mente.* Ac ſi dicat: Si oro lingua orationem pro-
„ ferens quam non intelligo, ſpiritus meus, id eſt affectus, orat, & ad oran-
„ dum accenditur, ſed mens, id eſt, intellectus manet ſine fructu, nec hu-
„ juſmodi oratione reficitur. Quid igitur? orabo ſpiritu, orabo & mente.
„ ac ſi dicat: Nunquid igitur laborabo orare ſimul lingua & mente? ut ſci-
„ licet lingua proferam & ea quæ profero intelligam. cum hoc ſit melius
„ quam primum, ſcilicet orare lingua tantum. unde B. Ambroſ. exponens

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, hæc verba: *Si oravero lingua ſpiritus meus orat , mens autem mea ſine fructu*
,, *eſt: manifeſtum eſt*, inquit, *ignorare animum noſtrum ſi lingua loquatur quam*
,, *neſcit. Sicut aſſolent Latini homines Græcè cantare , oblectati ſono verborum,*
,, *neſcientes tamen quid dicant. Spiritus* X *ergo qui datur in baptiſmo ſcit quid oret*
,, *animus dum loquitur aut perorat lingua ſibi ignota , mens autem qui eſt animus*
,, *ſine fructu eſt. quem enim poteſt habere* Y *profectum qui ignorat quæ loquitur?*
,, *Quid ergo? orabo ſpiritu , orabo & mente. hoc dicit: quod cum quis hac lingua*
,, *loquitur quam novit, tam ſpiritu quam mente orat , quia non ſolum ſpiritus ejus*
,, *quem dixi datum in baptiſmo ſcit quid oratur , ſed & animus ſimili modo & de*
,, *Pſalmo non ignorat.* hæc ſunt verba B. Ambroſij. quicquid autem ipſe dicit
,, de hominibus Græcè cantantibus per omnia etiam intelligendum eſt de
,, hominibus teutonicis ſeu alterius idiomatis Latinum ignorantibus ſi in
,, Latino ſuas orationes legant, ſicut quidam laici qui horas canonicas aut
,, alias orationes legunt in Latino. Ex quibus evidenter patet quod cæteris
,, paribus melius & fructuoſius eſt ut homo orationes ſuas ea lingua legat
,, quam novit quam idiomate alieno ſive ignoto , etiamſi æqualem affe-
,, ctum haberet in utroque. Item cum quæritur utrum melius ſit laicis ora-
,, tiones ſuas lingua propria quam Latine dicere, planum eſt quod de ora-
,, tione vocali quæ lingua exprimi ſolet, quæritur , non de oratione men-
,, tali qua intus ſine verbis affectum ſive deſiderium noſtrum Deo pandimus.
,, in qua virtus orationis conſiſtit, & quæ ſingulariter & propriè oratio me-
,, retur appellari, ſecundum Hugonem lib. de oratione. Oratio autem vo-
,, calis ad hoc præcipuè aſſumi debet ut excitemus interiorem devotionem
,, qua mens orantis elevetur in Deum. ſicut dicit B. Aug. ad Probam, quod
,, verbis & aliis ſignis ad augendum ſanctum deſiderium nos ipſos acrius
,, excitamus Et ergo ſicut dicit B. Thomas ſecunda ſecundæ quæſt. LXXXIII.
,, art. XII. *pro tanto* X *utendum eſt hujuſmodi ſignis quantum proficiunt ad excitan-*
,, *dum interius mentem.* talia ergo verba ſunt in oratione aſſumenda quæ huic
,, fini propter quem aſſumuntur verba, ſunt magis propinqua, id eſt, quæ
,, nos amplius & melius excitant ad affectum & deſiderium & interiorem
,, devotionem , ſed utique nulli dubum eſt quin homo illis verbis magis ac-
,, cenditur vel facilius compungitur quæ Deum implorant ejus miſericor-
,, diam invocando & propriam miſeriam oſtendendo , ſi hujuſmodi verbo-
,, rum ſignificationem intelligit, quam ſi ea verba ſolum proferat, non in-
,, telligens quid ſignificent aut quid vel quo Deum implorent. Revera enim
,, *parvum profectum*, ſecundum Ambroſium *habere poteſt, in oratione qui ignorat*
,, *quæ loquitur.* Quomodo multum excitabitur in illis ſignis quorum ignorat
,, ſignificata , niſi pro tanto quod in confuſo & in generali ſcit eſſe verba
,, orationis quæ profert? Item B. Aug. dicit in regula ſua: *Pſalmis & hymnis*
,, *cum oratis Deum , hoc verſetur in corde quod profertis in ore.* Sed quomodo laicus

,, e

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ ea poteſt in corde ſuo revolvere vel attendere quæ profert orando in Latino „ qui quæ profert ignorat? imo vero cum pænè totus fructus orationis con- „ ſiſtat in attentione, ſecundum ſanctos, hoc autem dicitur non de fructu „ meriti, quo homo in oratione, ſicut & in quolibet bono opere, meretur, nec „ etiam de fructu quo per orationem meretur exaudiri & impetrare quod „ petit, quia hæc non tantum conſiſtunt in attentione, imo poſſunt haberi ſi- „ ne attentione, ex intentione primaria qua homo movetur ad orandum: ſed „ fructus orationis ille qui eſt animam interius reficere & ad devotionem „ excitare, hic maxime conſiſtit & oritur ex attentione, ſecundum Thomam. „ poteſt autem, ſecundum ſanctos, in oratione vocali triplex vel quadruplex „ eſſe attentio. Una ſuperficialis, attendere videlicet quæ verba vel qualem „ Pſalmum quis legat, & ex hac attentione mens interior parum reficitur. „ Alia eſt attentio qua homo ſenſum literalem Pſalmi vel orationis ſuæ atten- „ dit, & ex iſta attentione reficitur mens quando verba Pſalmi vel orationis „ quam legimus aliquam devotionem ad literam ſonant. ſic ut ibi: *miſerere* „ *mei Deus. Domine ne in furore.* Tertia attentio eſt intellectualis, quando „ etiam ex verbis Pſalmi vel vocalis orationis trahitur ſenſus ſpiritualis, & „ hac attentione ſemper poteſt mens humana refici. Quarta poteſt eſſe atten- „ tio quando homo attendit Deum & rem pro qua orat. licet autem laicus pri- „ mam attentionem poteſt habere ſi orat in Latino, in qua ut dictum eſt, „ non magnus eſt fructus, & etiam quartam, licet non ita benè ſicut ſi ora- „ ret in lingua propria, tertiam autem & ſecundam attentionem quæ com- „ munibus hominibus magis proficiunt & magis ſunt in promto in tali ora- „ tione non poteſt habere laicus in Latino orans. Quomodo enim attende- „ ret ſenſum orationis cujus ſenſum neſcit nec intelligit? aut quomodo ſpi- „ ritualem ſenſum ex illa oratione trahet cujus nec ſenſum literalem intel- „ ligit, & cujus ſignificationem verborum ignorat? ſequitur ergo quod „ ſine dubio melius & fructuoſius eſt laicis ſe exercere in orationibus in „ lingua quam intelligunt quam ea quam ignorant. Sed quæri poteſt: utrum „ magis expediat quod laici habeant aliquos Pſalmos tranſlatos, quos orantes „ legant, quam quod in orationibus quibuſdam planis verbis compoſitis con- „ tententur? Ad quod dici poteſt: quoniam, ſicut dictum eſt, oratio voca- „ lis & alia ſigna ad hoc in oratione aſſumuntur ut per ea affectus hominis in- „ flammatus ad Deum fervidius elevetur, quidam vero laici magis afficiun- „ tur & magis accenduntur per orationes planis & uſitatis verbis compoſi- „ tas, & his forte tales orationes magis expediunt; alii autem & maximè de- „ votiores ſæpius magis accenduntur & magis afficiuntur circa Pſalmos & „ antiphonas, & his fortè in hujuſmodi expedit ſe exercere, & ſecundum „ hoc libellos orationum habere. Vel certe, ſicut in quadam collatione pa- „ trum dicitur, unus & idem homo diverſis temporibus ſecundum quod ali-

„ ter affectatus fuerit alio & alio delectatur & magis elevatur genere oratio-
„ nis. Unde forte magis expedit ut laici & quaſdam orationes verbis uſita-
„ tis & planis compoſitas habeant, & ſimiliter aliquos Pſalmos in proprio
„ idiomate habeant transfuſos. Nec obſtat quod Pſalmi difficulter & cum la-
„ bore intelliguntur. non enim propter hoc legunt Pſalmos ut plene eos in-
„ telligant, videlicet ut ſciant in cujus perſona canantur, & quis ſenſus ſe-
„ cundum hoc congruat, ſed ad hoc tantum ut aliquem ſenſum affectui ſuo
„ congruentem inde trahant & devotionem accendant. ſi enim laici propter
„ hoc Pſalmos legere non deberent quia non intelligunt, multo minus de-
„ berent in Latino legere, quod tamen eſt toto orbe conſuetiſſimum, in
„ latino enim penitus nihil intelligunt ſuper quo poſſit affectus inniti & unde
„ poſſit affici, in propria autem lingua ad minus intelligunt ſignificationem
„ verborum, & ſæpe ſenſum literalem, & interdum forte extrahunt ſenſum
„ ſpiritualem. ſunt enim multi Pſalmi qui cuilibet oranti convenire poſ-
„ ſunt, & quos ſibi applicare poteſt, & in talibus naſcitur laicis fructus ſi
„ verborum intelligit ſignificata. imo pauci ſunt Pſalmi quorum non aliqui
„ verſus ipſis convenire poſſunt pro affectu inflammando. Item, ſicut dicit
„ Hugo de S. Victore, & in quadam collatione patrum habetur, *ſæpe affectus*
„ *orantis intellectum ſibi format Pſalmi vel orationis. nam ſæpe orantis affectus ad*
„ *rem pro qua orat verba ſibi aſſumit Pſalmi, applicans ut ſibi conveniunt, quod*
„ *utique non eſt illicitum.* Et ſic non eſt illicitum quod laici Pſalmos in pro-
„ prio idiomate legunt. unde glorioſus Doctor Hieronym. in laudem urbis
„ Bethlehemiticæ in Epiſtola ad Marcellam recitat quod omnis ibi vul-
„ gus Pſalmos legere ſolebat. *In Chriſti*, inquit, *villula, ut ſupra diximus,*
„ *tota ruſticitas extra Pſalmos ſilentium eſt. Quocunque te verteris, arator ſti-*
„ *vam tenens allelujah decantat, ſudans meſſor Pſalmis ſe avocat, & curva atton-*
„ *dens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. hæc ſunt in hac provincia car-*
„ *mina, hæ, ut vulgo dicitur, amatoriæ cantiones.* Et ut ſanctæ Paula & Euſto-
„ chium ad eandem ſcribunt Marcellam, *hic ibidem paſtorum ſibilus, hæc*
„ *arma culturæ.* Et Chryſoſt. redarguendo populum ait ſuper Matth. in ope-
„ re perfecto morali 11. *Quis enim*, inquit, *veſtrum hic ſtantium Pſalmum*
„ *unum expetitus dicere aut aliam partem divinarum Scripturarum, &c.*

Explicit Tractatus D. Gerardi de Zutphania de libris Teutonicalibus.

Notæ in præcedentes Tractatus.

A.) Tract. 15. in Joh. Auguſtinus ita habet: *Ubi aqua de terra ma-*

manat, & uſui præbetur haurientibus, fons dicitur, ſed ſi in promptu & ſuperficie ſit, &c.

B.) *intra ſe.*

C.) Verba apud Aug. ita ſonant: *Si aqua in alto & profundo ſit, ita puteus vocatur.*

D.) Lege, *Decretal. Greg. lib. 5. Tit. 7. de hæreticis.*

E.) Lege, *Decretal. Greg. lib. 1. Tit. 1. de ſumma Trinit. &c.*

F.) Non verba, ſed ſenſum Auguſtini allegat. v. Tom. 8. pag. 639. edit. Frob.

G.) Ita Hieronymus: *Si quicquam eſt quod in hac vita ſapientem virum teneat, & inter preſſuras & turbines mundi æquo animo manere perſuadeat, id eſſe vel primum reor, meditationem & ſcientiam Scripturarum.*

H.) Quæſt. 16. art. 1. & 2.

I.) *ſigno.*

L.) *præcipio.*

M.) *ejus.*

N.) *maximum enim ad Iuſtitiam auxilium eſt, implere, &c.*

O.) *cum cocco hyacinthini, &c.*

P.) Antoniam. verba ſic habent: *Xenium veſtrum, duas racanas, quas de labore veſtro eſſe mandaſtis, libenter accepi. ſed tamen cognoſcite, quia non mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, quia fortaſſe adhuc ad fuſum nunquam manum miſiſtis. Nec tamen me res iſta contriſtat, quia opto ut ſanctam Scripturam legere ametis: ut quamdiu vos Omnipotens, &c.*

Q.) *quomodo patientiam, quam Chriſtus docuit, amplecti valeatis. Hæc enim ſervus Dei ſemper legere & adimplere debet.*

 R.) Ali-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

R.) Aliquid deeſt, tale: *in rebus minoris momenti non cauſari inopiam.* quæratur textus Chryſoſtomi. nam ab auctore non eſt annotatus. ſimilia autem eis quæ hic citat, reperies 3. Homilia in Lazarum.

S.) Homil. 15. in Ezechielem.

T.) *populo.*

V.) *doctrinam.*

X.) *autem.*

Y.) *fructum*

X.) *tantum eſt, &c.*

Scripſit hic noſter, præter jam dicta, etiam alia quædam, ſub his titulis:

Tractatus de veſtibus pretioſis.
In quendam inordinate gradus Eccleſiaſticos & prædicationis officium affectantem. cujus initium: Conſulit quidam Clericus.
De ſpiritualibus aſcenſionibus, qui incipit: Beatus vir.
De reformatione virium animæ, qui incipit: Homo quidam deſcendit.

Et hi quidem libelli in membranis noſtris integri habentur. Meminit ejus præter Kempenſem Trithemius, & ex eo H. Hamelmannus de illuſtr. V. Weſtphaliæ lib. I. item Chriſtianus Maſſæus in Chronico ad annum cIↃ CCC XCVII. & Valerius Andreas Deſſelius J. C. Biblioth. Belg. obiit anno Chriſti cIↃCCC.XCVIII. ætatis ſuæ XXXI. Cum miſſus ad Abbatem in Dickeninge decretorum Doctorem cum quo ſæpius de caſibus juris agere conſueverat, revertens de via Winſemi pernoctaret, ubi & vitæ finem & ſepulcrum invenit.

Excerpta quædam ex Thoma Kempenſi, in exercitio Ioh. à Keſſel: cap. XIII. *vel de Diſcipp.*

,, Debeo ante oculos tenere quod me ipſum eis (Rectoribus Domus) reſig-
,, navi in loco Dei, & mei ipſius non ſum: ad quod tamen meipſum ex voto non
,, obligavi, ſed ex libera mera voluntate & propoſito, quia ſpero quod mihi
,, ſalubre ſit taliter ſtare, & non facere ſecundum meum videre & velle.

,, Ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ex Cap. XIV.

,, Ingreſſus ergo Arnoldus Schoonhovia opidum Daventriam Johan-
,, ne de Arbore tunc Regente (ſcholam) præſentavit ſe obtutibus
,, D. Florentii ad habendum hoſpitium in domibus devotorum clericorum
,, quorum non parva multitudo in diverſis domibus ſub cura & diſciplina
,, devotiſſimi Patris vivebat. Conceſſit (Florentius) ei manſiones in antiqua
,, domo ſua, ubi plures clerici numero fere xx. in communi burſa ſtabant,
,, unam communem menſam & ſumtum habentes &c. inter quos tres erant
,, laici &c. unus procurator, qui neceſſaria emebat, alius coquinæ præfuit,
,, tertius veſtes ſarciebat. Ex illa domo poſtea quidam ad ordinem canoni-
,, nicorum regularium tranſierunt, quidam ad ſacerdotalem gradum perve-
,, nerunt, fructum alibi facientes de bonis exemplis quæ Daventriæ didice-
,, runt & viderunt. Eodem tempore (ait Kempenſis) adjuvante Domino Flo-
,, rentio & conſulente, domum illam inhabitare cœpi, & fere per annum
,, in congregatione illa permanſi, &c. ibi didici ſcribere, & S. Scripturam
,, legere, & quæ ad mores ſpectant, devotoſque tractatus audire &c. quic-
,, quid tunc ſcribendo lucrari potui in ſumtus communes tradidi, & quod
,, mihi deerat, larga pietas D. mei Florentii pro me perſolvit, & paterne in
,, omnibus ſubvenit.

Ioannem de Arbore, quem nominat, eundem eſſe non dubito cum eo quem antea *Ioannem Bohemum* vocavit. *Böhm enim* (ut notum eſt) arborem nobis denotat. Tempus eſt ut ad vitam ipſius Thomæ de Kempis nos conferamus.

Is (ut ſcribit Herib. Roſweydus ad calcem Chronici montis S. Agnetis) oriundus eſt Kempis quod permodicum eſt in agro & diœceſi Colonienſi oppidum, unde cognomen quoque ei adhæſit. Parentes habuit Joannem & Gertrudem, ſi ſeculum ſpectes, nullo quidem generis ſplendore, nulla divitiarum opulentia conſpicuos, ſed quibus omnis nobilitas in pietate, cenſus in vitæ probitate erat. Manuum itaque labore vitam ſuam tolerantes, recula ſua bene contenti vivebant. Quibus gemina proles maſcula obtigit (niſi & Gobelinus eorum frater fuerit) Joannes & Thomas: quorum ille natu grandior ſtudiorum curriculo Daventriæ confecto, Gerardi Magni familiaritate uſus, ad omnem vitæ honeſtatem efformatus eſt, & in ordine canonicorum regularium, è diſciplina capituli Windeſmenſis, variis perfunctus muneribus, diem ſuum obiit.

Thomas autem natalem habuit circa annum CIƆCCCLXXX. Urbano VI. pontificatum, & Carolo IV. Imperium gerente. Poſtquam primam ætatem ſub parentum oculis egerat, & jam capeſſendis literarum ſtudiis idoneus videbatur, Daventriam ſe contulit, tredecenni, ut colligere licet, non major. Daventriam ut peteret, Florentii eum fama exciverat, quo cum appulit, prima ei cura fuit de fratre ſuo Germano inquirere, ut ejus conſi-

lio & opera (nam tenue illi vel nullum peculium erat) ad ſtudia capeſſenda dirigeretur. Commendatus igitur D. Florentio, ab eo exceptus eſt perhumaniter, qui ei de domo, de libris, de victu proſpexit. Hac occaſione bonæ indolis adoleſcens, dum inter inſignes pietate & eruditione viros qui in Florentii vivebant conſortio, verſatur, mores eorum expreſſit, domi ſedulus, in ſcholis aſſiduus, in templo frequens. Dum in collegio fratrum clericorum verſatur, quicquid calligraphia lucrari potuit, (nam antiquarii manu valebat) omne id manupretium in commune ſubſidium conferebat.

Cum jam ſeptennio conſuetudine D. Florentii reliquorumque fratrum uſus eſſet, ad monachatum animum adjecit. Anno igitur cIↃ CCCC XCIX. ad montem S. Agnetis conceſſit, Florentii commendatitiis inſtructus, ibi à fratre ſuo germano, qui ei tunc monaſterio primum cum poteſtate Prioris præerat, exceptus, poſt quinque annos in tyrocinio poſitos, ſexto demum ſacrum habitum induit, & ſequenti, voto ſe ei vitæ generi obſtrinxit. ac ſacris deinceps libris legendis, vel in communem uſum deſcribendis, vel ingenio ſuo procudendis ſe exercuit. Superſunt etiamnum univerſa Biblia, in quatuor Tomos diſpertita, ingens præterea Miſſarum liber, & nonnulla Bernardi opuſcula, præcellente arte, & magna induſtria à Thoma conſcripta.

Cum jam annos LXXI. (comprehenſo ſimul tyrocinio) in monte S. Agnetis vitam duxiſſet, obiit anno ætatis ſuæ XCII. partæ per Chriſtum ſalutis cIↃ CCCC LXXI. VIII. Kal. Aug.

In tabula quæ Swollis ſervatur, & cœnobium montis S. Agnetis, una cum effigie Thomæ de Kempis repræſentat, ſequens carmen inſcriptum legitur:

Montanæque domus, vicinorumque locorum
Effigiem, Thomæ Kempiſiique vides.
Qui ſacri quondam primaria gloria dictus
Ordinis, & Phœnix deliciumque gregis,
Iſula quas urbes, quas præterlabitur arces,
Quos ſaltus V*echtis, picta tabella refert.*
*B*I*s denis* LV*ſtris annos ſi dempſeris o*C*to*
OCCV*b*V*it Tho*M*as f*V*n*C*tus, & aſtra petit.*
Hoc tibi, Dive, domus præſes Cuperinus, alumno,
Mnemoſynon poſuit. quem prece junge Deo.

Ex continuatore Chronici montis S. Agnetis.

Eodem anno (cIↃ CCCC LXXI.) in feſto S. Jacobi minoris, poſt completorium, obiit prædilectus frater noſter Thomas Hemerken de Kempis, natus,

tus, civitate dioecesis Colon. anno ætat. ſ. XCII. & inveſtitionis ſuæ LXIII. anno autem ſacerdotii ſui LVIII. Hic in juvenili ætate fuit auditor D. Florentii in Daventria, & ab eo directus eſt ad fratrem ſuum germanum, tunc temporis Priorem montis S. Agnetis, anno ætat. ſuæ XX. a quo poſt VI. annos probationis ſuæ inveſtitus eſt. & ſuſtinuit ab exordio monaſterii magnam penuriam, tentationes & labores. Scripſit autem Bibliam noſtram totaliter, & alios multos lib. pro domo & pro pretio. Inſuper compoſuit varios tractatulos ad ædificationem juvenum, in plano & ſimplici ſtylo, ſed prægrandes in ſententia & operis efficacia. fuit etiam multum amoroſus in paſſione Domini, & mire conſolativus tentatis & tribulatis. tandem circa ſenium ſuum vexatus hydropiſi in cruribus obdormivit in Domino. ſepultus eſt in ambitu orientali, ad latus fratris Petri Herbort.

Operum Th. de Kempis pag. 84. B.

Thomas de Kempis cognomento Hemmergin i. malleolus natus in civitate Kempis dioeceſ. Colon. qui ſtuduit Daventriæ in domo fratrum ſcil. clericorum, qui poſtea intravit ordinem canonicorum regularium qui tunc temporis in brevi fuerat reformatus, in domum quæ eſt in monte S. Agnetis prope Zwollam anno CIƆCCCC & fuit inveſtitus ibi anno CIƆCCCCVI probatus enim fuit, juxta conſuetudinem ejus temporis per annos VI. antequam inveſtitus. Obiit anno CIƆCCCCLXXI. poſtquam per LXX. annos in ordine canonicorum regularium vixerat.

Opera ejus hæc ſunt:

De Imitatione Chriſti libb. IV.
Liber vitæ Magiſtri Gerardi Magni.
Lib. de humilitate Chriſti quam D. Florentius ſtuduit imitari.
Lib. de diſcipulis D. Florentii.
Soliloquium animæ.
De diſciplina clauſtralium.
Alphabetum devoti monachi.
Sermonum ad novitios, partes tres.
Alii ſermones.
Dialogus novitiorum.
Canticum de laudibus ſanctarum virginum.
Epiſtolæ.
Libellus de paupertate, humilitate, & patientia.
Libellus de vera compunctione.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Libellus hortuli roſarum.
Libellus vallis liliorum.
Epitaphium monachorum.
Vita boni monachi.
Manuale monachorum.
Doctrinale juvenum.
Hoſpitale pauperum.

Æmylius de Buren, congregationis fratrum Daventriæ, reliquit.
Exhortationem de mutua charitate ſervanda.
Epiſtolam de felici obitu Luberti. mortalitatem depoſuit Daventriæ anno cIↃcccc I V. x. Junii.

Gerlacus Petri Daventrienſis, adoleſcens adhuc, pulcher facie & decorus aſpectu, à canonicis Eccleſiæ Daventrienſis ad hoc deputatus ut repræſentaret perſonam virginis Mariæ in feſto ejus purificationis, ibidem in Eccleſiam cum pompa introductus, votum caſtitatis emiſit. Inde à Patribus domus Dom. Florentii ad audiendum verbum Dei attractus, & ſpiritualibus rudimentis imbutus, per eundem D. Florentium, in Windeſem, pro religione aſſumenda fuit transmiſſus. Ubi cum magna ſanctitatis opinione vixit. contemplationibus ſuis non modo in cœlos animum, ſed & corpus à terra in aërem elevare ferebatur. In refectorio ſedens ad menſam, ſemper totus ad Deum & ad lectionem fuit attentus; nihilominus tamen ab extra egregie manducavit, tanquam ſuam devotionem (verba ſunt Chron. Windeſemenſis l. II. c. LV.) inhianter quæreret in ſcutella, in multis expertus, quod corpore per abſtinentiam ſingularem debilitato, ſpiritus omnino ab interiore contemplatione impeditur. Hoc quale ſit eodem lib. cap. v. latius exponitur.

,, Fratres noſtri (ait auctor) prædeceſſores in magna abſtinentia & alimen-
,, torum parcitate juxta morem priſtinum vivere, & pro Chriſti amore omni-
,, modis ſe continere tentabant. Verum ſucceſſu temporis certa edocti expe-
,, rientia, ordinis rigorem laborem patrum præfatorum plurimum excedere
,, conſiderantes, tantam abſtinentiam & ſobrietatem ſalvis ſubſtantiis & vi-
,, ribus ſuis corporalibus & ſpiritualibus, ſuſtinere ſe non poſſe cognove-
,, runt. Duo enim fratres in Windeſem, propter hujuſmodi rigidam abſti-
,, nentiam & occultam alimentorum ſibi neceſſariorum ſubſtractionem, ce-
,, rebrum & naturalia conturbantes, rationis facti ſunt impotentes. Quorum
,, primus, frater Bartoldus, cujus fundus erat in Windeſem, ad ſubdiaco-
,, natus ordinem promotus, de rebus divinis ingenii ſui capacitatem exce-
,, dentibus frequenter meditari, & acute ſolitus erat diſputare, El, & Heloy
,, (*Eloï*) aliaque perplura inuſitata Dei vocabula corde & voce ſimul ſæpe re-
,, vol-

„ volvens. unde tandem mente captus, & ſemifatuus inceſſit, &, ne alios „ eum non agnoſcentes verbis ſuis plurimis ſcandalizaret, commodo (*cubi*- „ *culo*) ſatis pulcro incluſus ſolus habitavit, in publicum, niſi infra fratrum „ refectionem, communiter non emiſſus, & tunc illos redarguens, qui ali- „ quod vivens animal occidere præſumſiſſent. Alter fuit frater Nicolaus de „ Sconovia M. Pariſienſis, ibidem olim legens in cathedra, qui & ipſe „ cum in refectorio parum comederet, in capitis debilitatem incidit, & men- „ te alienatus uſque ad mortem in tali permanens fatuitate, nemini oneroſus, „ & omnibus gratioſus, in cella ſui dormitorii, die ac nocte ut turtur re- „ quievit, nihil deinceps oravit vel legit, ſed cum lectore menſæ prandio „ facto, modicis cibariis coactus aſſumtis, in cellam ſuam iterum ſe rece- „ pit. Tanto periculo ut occurrerent patres ac ſeniores, plenam dederunt „ licentiam omnibus fratribus & familiaribus ſuis, bene comedendi, & de „ cibariis quæ dantur in communi, quantum poterant ſine ſcrupulo & cum „ bona conſcientia libere aſſumendi, imo, etiamſi noluerunt, natura ne „ deficiat, ad ſumendum compellendi, juxta illud regulæ, etiamſi nolue- „ rit, jubente præpoſito, faciat quod faciendum eſt pro ſalute. Unde & apud „ nos (inquit) inolevit, ut cum clericus quis ad religionem ſe ſuſcipi depre- „ catur (*precatur*) tria primum puncta ab ipſo interrogentur, videlicet, *an be*- „ *ne poſſit comedere, an poſſit bene dormire, & an velit libenter obedire*. quoniam in „ his tribus punctis fundamentum perſeverantiæ in religione conſiſtit. & cum „ ex promiſſis unum defuerit, ad religionem aptus & idoneus non eſt. Hæc totidem verbis autor ille, quæ ut curioſo lectori non ingrata erunt, ita rationem demonſtrant, quare contemplativus noſter & ecſtaticus Gerlacus, devotionem ſuam in ſcutella (ut idem ait) viſus ſit quærere. qui cum octenni anno cIↃcccc xI. ſepultus in monaſterio Windeſemenſi ante chori januam. ſcripſit Ignitum cum Deo Soliloquium. editum cum approbatione Coloniæ Anno cIↃ IↃc xvI. apud Joh. Kinckium. Idem opuſculum Belgice verſum excudit Ultrajecti Conradus Henrici Anno cIↃ IↃc x x. cum approbatione R. M. Petri Blyenburgi Goudani S S. Theol. Licentiati. alias ejus editiones Deſſelius recenſet. adjicit huic opuſculo auctor Chronici, ejuſdem *Brevilo*- *quium*, quod incipit, *In tumultibus*. & *Epiſtolam Teutonicalem* ad ſororem ſuam, quæ incipit, *Homini vere interno*. Extat &, *de libertate ſpiritus, cum exercitiis eo ſpectantibus*, M. S. apud Regulares Tungrenſes, ut ſcribit Deſſelius.

Chriſtianus Maſſæus Chron. lib. xvIII. *ad Annum* cIↃ ccc LXXIX.

„ His temporibus multi per orbem floruerunt viri virtutum. Petrus ab „ Aliaco Cameracenſis Epiſcopus Cardinalis, Gerardus cognomento Mag- „ nus, & alii. quorum Gerardus, cum eſſet Pariſii doctiſſimus, relicta Sor- „ bona Daventriam rediit unde fuerat oriundus. Verbum Dei ferventiſſime,

„ dia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, diaconus tantum, prædicabat. fratres illic inſtituit qui Scholas tenerent &
,, non tantum literas, ſed mores quoque diſcipulos ſuos & benè vivere edo-
,, cerent. Et ipſe quidem presbyteri gradum non audebat ſuſcipere, indig-
,, num ſe vociferans, qui ſæpe dicere ſolebat, pro toto auro Arabiæ nollem
,, habere curam animarum vel ſpatio noctis unius, unum vero ex omnibus ad
,, ſacerdotium promovit Florentium. A quo hodieque domus illa fratrum
,, domus D. Florentii nuncupatur. Defunctus eſt autem venerabilis Pater
,, Gerardus anno ſalutis cIↄ ccc LXXXIV. ipſo die B. Bernardi, quem & S. Au-
,, guſtinum præcipua veneratione coluerat. poſt cujus exceſſum Pater Flo-
,, rentius quoſdam è fratribus preſbyteros ordinari fecit. E quibus Gerar-
,, dus junior dictus Zutphanienſis duos de ſpirituali exercitio libros edidit,
,, certè vel utiliſſimos. Obiit hic anno Domini cIↄ ccc XCVIII. æt. ſ. XXXI.
,, Florentius autem defunctus eſt anno cIↄ cccc. vitas eorum ſcripſit D. Th.
,, à Kempis, quondam ipſorum diſcipulus, deinde apud montem S. Agnetis
,, regularem S. Aug. ordinem profeſſus. Ex his fuit & magiſter Gab. Biel
,, nuper Tubingenſis ſcholæ celeberrimus Doctor. cujus ſcripta ſuper cano-
,, nem & alia opera eis nunc in maximo pretio ſunt. VIVUNT autem in com-
,, muni ſecundum inſtituta primitivæ Eccleſiæ, ſine proprio, ſine mendici-
,, tate, dioeceſanis ſuis ſimpliciter ſubditi. quo autem tunc ſincerius ſeſe
,, geſſerunt, eo violentius antiquus hoſtis ſe illis oppoſuit. ſuſcitavit illis
,, detractores multos, quorum unus in generali Concilio Conſtantiæ celebra-
,, to auſus eſt dicere, eos eſſe ex illis quos dudum Rom. Pontifices, Boni-
,, facius, Clemens, & Joannes exterminaverant. Cujus calumniæ viriliter
,, reſtitit magiſter Joh. Gerſon Cancellarius Pariſ. tunc in ipſo Concilio præ-
,, ſens, eoque propulit hominem ut ipſe cum libello famoſo quem Senatui le-
,, gerat, igni adjudicaretur. Tum fratres qui aderant provoluti judicum pe-
,, dibus precabantur veniam reo, ut liber tantum incenderetur, non auctor.
,, Annutum precibns ſupplicantium, & incenſo volumine juſſus eſt auctor
,, exire provincia nec amplius innocentes infamare. pro quibus in eodem
,, concilio præfatus Gerſon pulcerrimum tractatum edidit, oſtendens eos
,, non minus eſſe religioſos aliis, qui religionis nomine nuncupantur. quos
,, dictum concilium præſide Martino V. plurimum corroboravit, modumque
,, vivendi comprobans, hortabatur viriliter agere, ſcholas erigere, ad pietatem
,, diſcipulos inſtituere quibus Eccleſia Dei fulciretur, quibuſque vel maxime
,, tunc indigebat. Vidi ego ante annos multos, præter dictum volumen Gerſonis
,, in Buſcoducis, etiam apud Bruxellam multas Eugenii V. & Pii II. literas per-
,, pulchra privilegia ipſis fratribus indulta continentes, ut pater domus per ſe
,, & ſuos deputatos poſſit audire confeſſiones ſcholaſticorum, & abſolvere ab
,, omnibus caſibus ſedi Apoſtolicæ minime reſervatis. Euchariſtiæ quoque
,, Sacramentum idoneis miniſtrare. nonnulla etiam vota in alia pietatis ope-

,, ra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ ra commutare, ubi & quando expedire videretur. hæc Maſſæus.

Qui cum mentionem faciat Joh. Gerſonis, ex II. Tomo operum ejus, latius hac de re erudiamur. Apud eum ergo, is qui fratres publicè accuſavit deprehenditur fuiſſe Matthæus quidam Grabou ordinis prædicatorum Conventus Wiſmarienſis, provinciæ Saxoniæ, dioeceſis Merceburgenſis, is oblato pontifici in concilio libello, ſe, cum lector eſſet in conventu Groning. dioeceſ. Traject. dictæ provinciæ & ordinis in hoc fra-
„ trum inſtituto obſervaſſe ait, quod obedientiæ, paupertatis, caſtitatis con-
„ ſilia exerceant, cum in nulla vera (1. monaſtica) religione ſint, id contra
„ Scripturam ac canones eſſe, peccatum mortale, quod nec à papa, imo
„ nec à Deo quidem concedi poſſit, cum contradictionem, ad quam Dei
„ potentia non extenditur, involvat. homicidas eſſe quicunque hoc modo
„ rerum proprietatem abdicent, cum neceſſaria ſuæ ſuorumque vitæ ſub-
„ trahant (mirum hunc hominem non vidiſſe idem conſequi in monaſtico in-
„ ſtituto) mulieres etiam quæ ei inſtituto nomen dent æternæ damnationis eſ-
„ ſe filias, licet alias de nullo errore fuerint ſuſpectæ. pſeudoprophetas
„ eſſe omnes communem vitam ducentes extra religiones approbatas, adeo-
„ que excommunicatos, una cum quibuſvis eis elemoſynas præbentibus,
„ quique eos conſilio auxiliove foveant, defendantve, eſſe in ſtatu æternæ
„ damnationis &c.

Huic libello una cum XIII. maximis Theologis perquam libere ſe op-
„ poſuit Joh. Gerſon. & oblato contrario libello religionem Chriſtianam
„ verè & antonomaticè religionem eſſe ait, quam ipſe Chriſtus perfectiſ-
„ ſimo & ſummo modo obſervarit, ac prælati licet voto ſoluti obſervent.
„ eam non requirere ad perfectionem ſui ut ſuperaddatur alia religio, quales
„ dicuntur obſervationes inſtitutæ per ſanctos, Baſilium, Auguſt. &c. quas
„ factitias religiones cum Anſelmo appellat, eas impropriè & abuſive, &
„ forſan arroganter dici ſtatus perfectionis, cum eas profiteantur homines
„ imperfectiſſimi, & melius viæ quædam vel inſtrumenta, ſeu diſpoſitio-
„ nes ad perfectionem acquirendam dici poſſint, cum dirigant ſolummo-
„ do quoſdam ad perfectiorem obſervationem veræ relig. Chriſtianæ, mul-
„ tos vero impediant & præcipitent, quos tutius fuerat in ſeculo remanſiſſe,
„ quia diſplicet Deo ſtulta promiſſio, quæ vel indiſcrete ſumitur vel non
„ obſervatur, prælatos vero perfectius veram Chriſtianam religionem poſſe
„ obſervare quam religionum factitiarum profeſſores, cum ſint in ſtatu
„ perfectionis exercendæ. fratris Matthæi ergo, qui monaſticen propriè &
„ antonomaticè religionem eſſe dicat, ſententiam eſſe phantaſiam ſtultam,
„ inſanam, hæreticam, blaſphemam, quæ non Prælatos modo ſed ipſum
„ Chriſtum à vera religione excludat. ejus abſurda, unde cætera omnia
„ emanent quæ adverſus eos qui paupertatem, caſtitatem, obedientiamque

„ extra

„ extra factitias religiones exerceant proferat; petitque hanc peſtiferam, „ blaſphemam, injurioſam doctrinam publicè ac judicialiter extirpari, ne „ ſerpat in majorem perniciem, ſique auctor cum ſuis eam pertinacius de- „ fendant, eos ita ſiſti debere ut non habeant facultatem deteriora perpe- „ trandi.

Secuta eſt condemnatio & palinodia M. Grabou, qua propoſitiones ſuas alias ut hæreticas, alias ut ſcandaloſas &c. abjuravit.

Cui ſubnectuntur diplomata pontificum Joh. II. Avenione, Eugenii Romæ Anno CIↃ CCCC XXXVII. Sixti. Itidem Romæ Anno CIↃ CCCCLXXIV. quorum unum, quod eſt Eugenii, ſubjiciam:

„ Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis præpoſito B. „ Mariæ ad gradus Colonienſis, & B. Mariæ Traj. ad S. Ludgeri Monaſterienſis „ decanis Eccleſiarum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad ea ex ſuſ- „ ceptæ ſervitutis libenter intendimus officio, per quæ Eccleſiarum omnium „ & perſonarum Eccleſiaſticarum ſtatui & indemnitatibus valeat ſalubriter „ provideri. Sanè dudum intelleximus, quod licet in provincia Colonienſi, & „ præſertim in Leodienſi, Trajectenſi, & Monaſterienſi civitatibus & dioece- „ ſibus nonnulli viri ad divinæ laudis obſequium perlaudabilis converſa- „ tionis & commendabilis vitæ ſtudia ſecularibus abjectis deſideriis, ac „ mundi contemtis concupiſcentiis ferventer aſpirent, & ut in ordine cle- „ ricali Altiſſimo congruentius ſua vota exolvere valeant, in certis domi- „ bus & collegiis ſub Euangelicis ac ſanctorum Patrum, quantum humana „ ſinit fragilitas, præceptis & inſtitutis, nec non ordinariorum & ſuo- „ rum ſuperiorum Eccleſiaſticorum ſubjectione, protectione & obedien- „ tia, ſimul ſub unius vel plurium approbatæ vitæ ſacerdotum regimine „ & gubernatione degentes, ac illis humiliter obedientes & in communi „ viventes abſque rerum proprietate, etiam de manuum ſuarum laboribus „ neceſſaria conquirentes, nullis erroribus aut ſuperſtitionibus, ſeu illici- „ tis aut prohibitis moribus, vel ritibus quomodolibet involuti, reſi- „ dere delegerint, ex quorum vita & actibus exemplaribus plurium par- „ tium iſtarum monaſteria & loca Eccleſiaſtica felicia incrementa multipli- „ citer ſuſceperunt, & alia varia pro Chriſti fidelium devotione excitanda „ bona ſucceſſerunt, prout nonnulli preſbyteri & Clerici in Florentii in „ Daventria, & clericorum in Swollis, & montis S. Hieronymi prope „ Hattem ejuſdem Traject. Dioec. & aliis domibus aliquandiu honeſte & „ laudabiliter, ut præfertur, permanſerunt: tamen nonnulli in quibus „ tepeſcit charitas, ad minus licita cogitationes & animum reflectentes, ac „ vitam & ritus prædictos variis confictis & captatis occaſionibus, modis, & „ mediis, redarguere & reprimere molientes, preſbyteros & clericos præ- „ dictos à tam commendabili vita, quam minus virtuoſam reputant, de- tracto-

,, tractoriis ſermonibus detrahere multipliciter præſumſerunt hactenus &
,, præſumunt, in non modicam divinæ majeſtatis offenſam ac pernicioſum
,, exemplum, ac ſcandalum plurimorum: nos igitur qui pro quorumli-
,, bet fidelium, pro quorum ſalute redemtor noſter proprium tradere Fi-
,, lium dignatus eſt, animarum ſalvatione Apoſtolicos jugiter cogitatus ve-
,, hementer diffundimus, ſuper præmiſſis, prout ex ſuſcepto ſervitutis te-
,, nemur officio, opportunè providere cupientes, diſcretioni veſtræ per
,, Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum,
,, per vos vel alium ſeu alios presbyteris & clericis prædictis in præmiſſis &
,, quibuſvis aliis domibus in dicta provincia in communi laudabiliter &
,, ſub mandatis Eccleſiæ, ut præfertur, viventibus, auctoritate noſtra effi-
,, cacis defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos aut ipſorum ali-
,, quem à quoquam cujuſcunque ſtatus, gradus, vel conditionis fuerit, &
,, quamvis etiamſi pontificali dignitate præfulgeat, ſuper præmiſſis aut eo-
,, rum aliquo ſeu rebus & bonis quæ ad ipſos quomodolibet ſpectant aut
,, ſpectare poterunt in futurum, ſeu aliis quæ ipſorum devotionem concer-
,, nunt aut reſpiciunt, quomodolibet impeti ſeu indebitè moleſtari, ac
,, moleſtatores prædictos, quotiens ſuper hoc à presbyteris & clericis præ-
,, fatis vel eorum aliquo requiſiti fueritis per cenſuram Eccleſiaſticam &
,, alia juris remedia ut à quibuſvis gravaminibus & moleſtationibus deſi-
,, ſtant, eadem auctoritate compellatis, & nihilominus legitimis ſuper his
,, per vos habendis ſervatis proceſſibus, eos quotiens expedierit aggravare
,, curetis, contradictiones per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſt-
,, poſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit auxilio brachii ſe-
,, cularis. Nos inſuper clericis prædictis qui in dictis domibus pro tem-
,, pore reſederint præſentibus & futuris, ut ad ſacerdotii & quoſcunque alios
,, ordines ſe promoveri alio non obſiſtente canonico rite ac libere valeant,
,, etiam licet titulos beneficiales ſeu alia Eccleſiaſtica ſeu patrimonialia bo-
,, na non habeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus,
,, non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi prædeceſſo-
,, ris noſtri, (illis præſertim quibus cavetur, nequis extra ſuam civitatem
,, vel dioeceſin niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam
,, à fine ſuæ dioeceſis ad judicium evocetur, ſeu, ne judices à ſede Apo-
,, ſtolica deputati extra civitatem vel dioeceſin in quibus deputati fuerint
,, contra quoſcunque procedere, ſive alii vel aliis vices ſuas committere
,, præſumant, ac de duabus dietis in concilio generali) & aliis Apoſtolicis
,, conſtitutionibus, cæteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus
,, communiter aut diviſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici,
,, ſuſpendi, vel excommunicari aut extra vel ultra certa loca ad judicium
,, evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & ex-

„ preſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem.
„ Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis cIↄcccc xxxvii.viii.
„ Id. dec. Pontificatus noſtri anno. i.

Editus eſt Anno cIↄ Iↄc xxvii. libellus cui nomen *Clericorum cœnobitica Caroli à Manſvelt*, in quo puto hoc argumentum tractari, videantur & quæ de eodem recenſet *Chron. Winſem. lib.* ii. *cap.* lviii.

Erardus Winheim ſacrario Agrippinæ *pag.* clxxxvii. &c. de Eccleſia fratrum Widembachenſium, quæ Coloniæ eſt, loquens, eam ait Anno cIↄ cccc xc. ſumtibus fratrum quos ſcribendis codicibus ſibi acquiſiet ant erectam. eos fratres ait Hieronymianos vocatos, quod ſibi Hieronymum Patronum elegerint, eo quod auctor inſtituti ſui (Ger. Magnus) non eſſet in divorum numerum relatus. licet Hieronymiani vere non ſint. Addit Henr. Ahuis ejus inſtituti ſocium, per erectas congregationes monaſterii, Weſaliæ, Coloniæ, & ex his tandem Canonicos regulares in Boedingen prodiiſſe.

Anno cIↄ cccxlii. Clemens VI. Epiſcopatum contulit Johanni ab Arkel. fuit is numero xlvii. præſul. qui ſequenti anno dioeceſin ſuam petiit. hic invenit Epiſcopatum ære alieno ita gravatum ut tota Tranſiſalana ditio, excepta civitate Campenſi à deceſſore ſuo Joh. à Dieſt, Comiti Gelriæ eſſet oppignerata. *Chron. Holl. Div.* xxiii. *cap.* viii. quam, collecta pecunia à ſubditis, ad ſummam 60000. aureorum equitum Gelricorum (ita hoc nomiſma vocatur) ab ipſo redemit. *Diviſ.* xxiv. *cap.* iv. Comes Gelriæ tum erat Reinaldus niger, cui & Eduardo ejus fratri pecunia ea numerata eſt. ib.

At Anno cIↄ ccc xlviii. cum Joannes armata manu rebellem Dominum Giſbertum à Bronchorſt invaderet, ac totam ejus ditionem ferro & flamma vaſtaret, arma in eum ſumſerunt Reinaldus Gelriæ Comes una cum fratre Everardo, contra quos Joannes opem imploravit Domini Aſſueri à Voorſt, & Friderici ab Eze, & huic quidem, dum hoſtibus ſe opponit, defendendam attribuit Sallandiam, Tubantiam, & Dominium Diepenemi. Anno vertente pax facta eſt, & Domini à Voorſt & Eze ingentem pecuniæ ſummam in hoc bellum impenſam Epiſcopo imputarunt, quam cum is exoluere nequiret, Frederico ab Eze arces ſuas & adminiſtrationem Tranſiſalaniæ reliquit. Mox moto bello adverſum Dominum Joannem à Gemen, D. Johan. à Nahuſen: D. à Stenvordem &c. ac rurſum compoſito, cum novam expenſam ad calculum revocat idem Fridericus, nec ſolvendo eſſet Epiſcopus, Fridericus pro utraque ſumma Tranſiſalaniam ſibi ſubjicit *cap.* vii. ut & alii poſtmodum ſimili nomine, feneris videl. & pecuniæ mutuo datæ totam dioeceſin quæ cis Iſalam, ſibi tradi petierunt, ac eo res rediit, ut ære alieno oppreſſus Romam cum paucis quaſi fuga ſe proripue-

puerit, ac Epiſcopatum fortunæ ludibrio reliquerit, *cap.* XII. at inde redux anno cIↃCCCXLV. cum Aſſuero à Voorſt & Friderico ab Eze de ſumma exolvenda, ſecundum æquum & bonum tranſegit, ac ditionem Tranſiſalanam ab eis denuo redemit. *Diviſ.* XXV. *cap.* VI.

Anno cIↃCCCLXI. Epiſcopus Joh. ab Arkel circa feſtum nativitatis Mariæ bellum indixit Domino Suedero (al. Aſſuero) de Voorſt, quod is ex caſtro Keppelenſi nimium infeſtaret Tranſiſalanos. Ideoque Zwollani, Campenſes, ac Daventrienſes Epiſcopo adverſus hoſtem communem libenter ſuppetias tulerunt. Sed cum hac vice minus felici Marte pugnaretur, anno ſequenti, feria quinta poſt feſtum S. Jacobi adjuncto ſibi una cum prædictis auxiliaribus nepote ſuo, D. Ottone de Arkel, quindecim hebdomadis obſedit munitiſſimum caſtrum de Voorſt, & nono die Novembris per deditionem cepit, ac ſolo æquavit. *Append. Bekæ. pag.* CXLII.

Anno cIↃCCCLXII. Epiſcopus Trajectinus Ioannes Arculeius, paludem quæ in Tranſiſalanis eſt prope Camporum civitatem, *Maſtebroeck* dictam, aggeribus incluſit, exſiccans pluſquam XXX. terrarum jugera, quæ Eccleſiæ ſuæ ac ſucceſſoribus poſſidenda reliquit, alteram vero partem decimarum ex iiſdem, Eccleſiæ Daventrienſi in honorem Sanct. Lebuini & Radbodi liberali donatione conceſſit. *Pont. lib.* VII. *pag.* CCLXXXVIII.

Hoc confert Append. ad Bekam in annum cIↃCCCLXIV. v. eam appendicem *pag.* CXLIII.

Arculeius Epiſcopus Leodienſis factus, in Epiſcopatu Trajectino ſucceſſorem habuit Iohannem à Vernenburch, qui Anno cIↃCCCLXXI. ſupremum diem clauſit. cui cum ſucceſſor quæreretur, Prælatis & Canonicis Eccleſiarum Trajectenſium ſuper ea re in capitulo congregatis, nonnulli in optatis proficere nequeuntes, metum corporis prætenderunt, & Trajecto Amersfordiam ac alia ad loca ſe contulerunt. Aliis tamen ejuſdem Eccleſiæ canonicis, metu ſuperhabito, in urbe remanentibus. Poſthæc quædam citatio valvis Eccleſiæ Trajectenſis affixa fuit, ſigillata ſigillo Eccleſiæ Trajectenſis, quod dicti canonici ſecum aſportarant, cum à civitate ſe ſubducerent. in qua citatione Prælati & canonici Eccleſiarum Trajectenſium vocati fuerunt Daventriam ad diem IX. menſ. Junii ſuper electione futuri Epiſcopi celebranda, qua die Suederus Uterloe archidiaconus Eccleſiæ Traject. cum canonicis metum prætendentibus, & nonnullis aliis comparuit, qui miſſam de Sp. Sanct. in Eccleſia S. Lebuini celebrantes, concorditer per viam Spiritus S. dictum Archidiaconum elegerunt. Prælati vero & canonici reliqui Eccleſiarum Trajectenſium, poſtulationem & electionem prius per eos factas de nobili viro Arnoldo de Heurn, canonico Colonienſi, eodem die v. Non. Iul. innovarunt, ſcribentes ad ſummum pontificem pro eodem Arnoldo, in Curia Rom. exiſtente, & litigante pro Archidiaco-

natu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

natu Trajectenſi, contra Suederum antedictum. Gregorius vero papa audita vacatione ſedis Trajectenſis, in publico conſiſtorio providit dicto D. Arnoldo de Epiſcopatu Traject. Qui ibidem ordinatus & conſecratus, ad partes accelerans, civitatem Traject. XXVIII. die menſis ſept. Anno cIↄ ccc LXXI. ingreſſus eſt. *Append. Bekæ. pag.* CXXIII. *Chron. Holland.*

Anno cIↄ CCCC LXII. XXII. Decemb. Indictione XV. Romana Eccleſia Paſtore vacante, Nicolaus Capotius ſive de Caputiis *præpoſitus Daventrienſis*, qui & Epiſcopus Urgelenſis fuit, & præpoſitus Sanct-Odomarenſis, Valentinenſis item, & archidiaconus major Edinenſis, & Herbipolenſis, quique (ut ad annum cIↄ CCC XL. retulimus) à Benedicto XII. conſtitutus Epiſcopus Ultrajectinus in ordine XLVII. ſponte ceſſerat, factus Cardinalis: is inquam Peruſii gymnaſium Theologicum & Juridicum inſtituit ac dotavit, cui titulum fecit, domus ſcholarium S. Gregorii. ſtatuta ejus ipſe conſcripſit, quorum exemplar eſt penes A. Magiſtratum Daventr. in iis hæc invenire eſt:

,,Item Epiſcopus, Decanus, & capitulum Trajectenſe alios duos (præ- ,,ſentet) quorum unus ſit de Eccleſia vel terra Daventriæ, Trajectenſis dioe- ,,ceſis, ubi obtineo præpoſituram, vel de loco eidem vicino, dictæ tamen ci- ,,vitatis vel dioeceſis Trajectenſis, ſi talis ſcholaris de prædicta Eccleſia ſeu ,,terra Daventriæ haberi non poſſet.

Copia privilegii, quo Epiſcopus Trajectenſis & Decanus & capitulum Cathedralis Eccleſiæ Trajectenſis habent præſentationem duorum ſcholarium ad ſtudium Peruſinum, quorum alter debet eſſe natus civis Trajectenſis & alter Daventr.

,,Reverendo in Chriſto Patri, Domino Dei gratia Epiſcopo, ac vene- ,,rabilibus viris Decano & capitulo Trajectenſi, Nicolaus miſeratione ,,divina Epiſcopus Tuſculanenſ. S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis ſalutem & ſyn- ,,ceram in Domino charitatem. Ordinata rationabiles homines natura con- ,,ſtringit, eiſdemque divina humani juris ſcriptura demonſtrat, quod in ,,officiis charitatis primo loco illis tenemur obnoxii à quibus nos cognoſci- ,,mus beneficium recepiſſe. quodque ratione ſanguinis proximioribus am- ,,plius obligamur. Attendentes autem Eccleſiarum noſtratum magis benefi- ,,cia & vitæ ſubſidia magna quæ dudum recepimus, & de præſenti recipi- ,,mus, ab eiſdem primo loco ipſarum Eccleſiarum promovendis honoribus, ,,& procurandis utilitatibus obligamur, & eiſdem Eccleſiis ratione ſpiritua- ,,lis conventionis, quæ omnes conjunctos ſanguine in charitatis conjunctio- ,,ne

,,ne præcedunt, plus ad benefaciendum aſtringimur, cum ſcribatur in ca-
,,none: *Nullus nobis hæres videtur eſſe proximior quam Eccleſia qua nos Domi-
,,nus ſociavit.* Sane præmiſſa diligenti præmeditatione in mente noſtra ſæ-
,,pius revolventes ac cernentes quod modernis temporibus, peccatis exi-
,,gentibus, adeo in nonnullis partibus increvit ignorantia ſcholarium cle-
,,ricorum, quod rariſſime reperitur ſcholaris clericus qui ſciat proponere
,,verbum Dei, intelligere canones, Eccleſias & populum regere, æquum
,,ab iniquo diſcernere, & inter litigantes juſtitiam miniſtrare, Cupientes
,,exhibere huic defectui pro noſtro poſſibilitatis modulo in locis aliqui-
,,bus ſupplementum, & aliis Chriſti fidelibus, præſertim Prælatis, quibus
,,ad hoc ſuppetunt facultates, præbere imitationis exemplum, ut reſplen-
,,deret domus Domini ex claris luminibus plurium lampadarum, divina
,,(quam invocamus) nobis aſſiſtente clementia, ad reverentiam Dei & bea-
,,tæ Mariæ virginis, ac beati Gregorii Papæ Doctoris egregii, pro animæ
,,noſtræ remedio, & nonnullarum Eccleſiarum & locorum, a quibus
,,grandia bona recepimus hactenus & in præſenti recipimus, utilitate ſpi-
,,rituali, & etiam temporali, in civitate Peruſina utique pacifica & quie-
,,ta, in qua viguit ab antiquo & adhuc viget utriuſque juris & aliarum
,,ſcientiarum ſtudium generale, quandam domum ſcholarium quorum alii
,,ſtudere debeant in ſacra Theologia, & alii in jure canonico, duximus
,,ordinandam, Et pro ipſorum victu duntaxat, certos reditus perpetuos &
,,poſſeſſiones emimus, & adhuc, præſtante Domino, alios emere intendi-
,,mus in futurum, conſiderantesque quod ab Eccleſia veſtra Trajectenſi, ex
,,præpoſitura quam ex conceſſione & diſpenſatione Apoſtolica obtinemus
,,in ea, dudum bona recepimus, & de præſenti recipimus, & quod pro-
,,pterea eidem Eccleſiæ tam ſpiritualis conjunctionis quam recepti benefi-
,,cii ſeu ſubſidii temporalis vinculis obligamur, dignum arbitramur nobiſ-
,,que reputamus ad debitum, ut hujuſmodi ordinationis ſeu eleemoſynæ no-
,,ſtræ dictam Eccleſiam participem faciamus. Igitur tenore præſentium
,,vobis & veſtris ſucceſſoribus titulo donationis perpetuæ ac irrevocabilis,
,,quæ dicitur inter vivos, damus & concedimus, quod duos ſcholarium,
,,quorum unus ſit de eccleſia, aut de civitate, vel dioeceſi Trajectenſi, &
,,alter de eccleſia Daventrienſi Trajectenſis dioeceſis, vel alio loco vici-
,,no, quorumque nullus habeat beneficium annui valoris ultra vigintiquin-
,,que florenos auri, portatos ad ſtudium, de legitimo matrimonio natos,
,,in primitivis, vel ſaltem in grammatica ſufficienter inſtructos, bonæ in-
,,dolis, diſcretione præditos, & de honeſta vita & moribus commendabi-
,,les, qui ſtudere debeant in dicto jure canonico per ſex annos, ad ſtan-
,,dum dicto tempore in domo præfata per nos ordinata, & habendum in
,,ea victum duntaxat, Rectoribus dictæ domus præſentare poſſitis. Ita quod

,,finito

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„finito hujuſmodi ſexennio, aut cedentibus, aut decedentibus eiſdem „ſcholaribus per vos præſentatis, alios præſentare pro ſimili ſexennio va- „leatis. Volumuſque quod vos, Domine Epiſcope, veſtrique ſucceſſores „duas voces in aſſumtione hujuſmodi ſcholarium habeatis. Hortamur au- „tem vos omnes in Domino Jeſu Chriſto, quod in aſſumtione prædicta „nulla (quod abſit) apud vos ſit acceptio perſonarum, ſed illos ad hoc „eligatis & aſſumatis, quos ſecundum Deum crederetis meliores, & ma- „gis præfatæ Eccleſiæ (ad cujus ſpecialiter utilitatem & honorem intendi- „mus) profuturos, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus. Volumus etiam „quod præſentes noſtræ literæ in communi dictæ eccleſiæ caſſa (in qua re- „ponuntur alia jura ipſius eccleſiæ) perpetuo conſerventur. Et nos ſimi- „les literas ad cautelam in ſacriſtia eccleſiæ Peruſanæ faciemus nihilomi- „nus conſervari. Et ad majorem claritatem & memoriam perpetuam „omnium præmiſſorum, præſentes literas per Notarium infra ſcriptum pu- „blicari fecimus, & noſtri ſigilli appenſione muniri. Datum & actum „Avenione, die viceſima ſexta menſis Aprilis, Anno nativitatis Domini „milleſimo trecenteſimo, ſexageſimo ſecundo, Indictone quintadecima. „pontificatus Sanctiſſimi Domini in Chriſto Patris & Domini noſtri, Do- „mini Innocentii divina providentia Papæ ſexti anno decimo. Præſenti- „bus venerabilibus viris ſ. Conte Domini Angeli præpoſito eccleſiæ Civi- „tat. Caſtellæ, & Reymondo Boſſcho Canonico Terraconenſi, ac Bar- „tholino de Sagiis de Placentia macerio Domini Papæ, teſtibus ad præ- „miſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Subſcriptum:

„Et ego Franciſcus quondam Matthæi Jeremiæ publicus Imperiali aucto- „ritate Notarius, prædictæ donationi, conceſſioni, & literarum publi- „cationi, ac omnibus & ſingulis ſupradictis, dum ſic, ut præmittitur age- „rentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens fui, ipſaque „de mandato ſupradicti Reverendiſſimi Patris, Domini Nicolai Epiſco- „pi Cardinalis, aliis occupatus per alium fideliter ſcribi feci, & in hanc „publicam formam redegi, meiſque ſigno & nomine ſolitis roboravi, ro- „gatus & requiſitus in teſtimonium præmiſſorum.

Exemplum præſentationis.

„Florentius Dei gratia Epiſcopus, nec non Decanus & Capitulum Ec- „cleſiæ Trajectenſis, venerabilibus & circumſpectis viris Dominis Recto- „ribus ſtudii ſive domus ſcholarium in Civitate Peruſina, ſalutem in Do- „mino

,,mino ſempiternam. Morum honeſtas & alia probitatis merita, quæ diſ-
,,creto viro Gerlaco Morre clerico Trajectenſis dioeceſis dilecto noſtro
,,Suffraganeo multipliciter dignoſcuntur, propenſius nos inducunt ut per-
,,ſonam ipſius in his quæ digne poſſumus ſpeciali benevolentia proſequa-
,,mur.

,,Cum igitur per ſucceſſum temporis habeamus ex privilegio bonæ me-
,,moriæ Reverendiſſimi in Chriſto Patris noſtri, Domini Nicolai miſera-
,,tione divina Epiſcopi Tuſcul. S. Rom. Eccl. olim Card. ut in dicta veſtra
,,domo ſcholarium ſeu ſtudio poſſimus ſcholares ad hoc prout in privile-
,,gio ſupra dicto, cujus quidem privilegii tenor inferius deſcribitur, ple-
,,nius continetur, idoneos veſtræ circumſpectioni præſentare, hinc eſt
,,quod nos volentes prædictæ domui veſtræ ſeu ſtudio Peruſino de ſcho-
,,lari idoneo, prout ad nos pertinet, providere, præfatum Gerlacum de
,,legitimo matrimonio procreatum, & in grammatica ſufficienter inſtru-
,,ctum, quem in hac parte idoneum reputamus, in domus veſtræ ſchola-
,,rium ſeu ſtudii Peruſini ſcholarem elegimus, ipſumque circumſpectioni
,,veſtræ cum hujuſmodi literarum teſtimonio præſentamus, caritatem ve-
,,ſtram omnium, cum affectu deprecantes quatenus eundem præſentatum
,,in ſcholarem veſtræ domus ſeu ſtudii prædicti favorabiliter admittatis,
,,ipſumque in eadem veſtra domo ſeu ſtudio charitative & liberaliter, prout
,,moris eſt pertractetis, ſic quod exinde divinæ retributionis præmium ac-
,,quiratis, & nos ad gratiarum actiones condignas vobis referendas prom-
,,tius obligemur. Tenor vero privilegii ſuperadictæ præſentationis vobis
,,faciendæ de quo ſupra fit mentio talis eſt.

(Inſertum erat.)

,,In cujus rei teſtimonium nos Florentius Epiſcopus, nec non Decanus
,,& Capitulum Trajectenſe prædicti, ſigilla noſtra præſentibus duximus
,,apponenda. Datum Trajecti Anno CIↃCCCXC. Indict. XIII. men-
,,ſis Maii, die penult. pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini
,,noſtri, Domini Bonifacii divina providentia papæ noni, anno primo &c.

Exemplum

Cæſarearum literarum commendatitiarum ad ſummum Pontificem. Ad Card. Tuſcul. & ad Epiſcopum Peruſinum.

,,Beatiſſime Pater, Domine Reverendiſſime. Cum venerabili & Hono-
,,rabilibus, Principi noſtro, & devotis nobis dilectis, Epiſcopo, Decano
,,& Capitulo Eccleſiæ Traject. ab antiquo prærogativa, jus & facultas præ-

 ,,ſen-

,,ſentandi duos idoneos ſcholares ſuæ dioeceſeos, unum ex Trajecto, & ,,alterum ex Daventria, aut, ſi ibi tales haberi non poſſent, ex locis ,,circumvicinis (ejuſdem tamen dioeceſeos) oriundos, in collegio Sanct. ,,Gregorii Sapientiæ Peruſinæ, vigore cujuſdam conceſſionis & fundatio-,,nis, à quondam Nicolao Cardinale Tuſculenſi factæ, competat, quibus ,,ſic per ſexennium ibi agere, & Juris ſtudio, pro ornamento & decore ,,Trajectenſis juventutis operam dare liceat, prout hoc in literis Conceſ-,,ſionis & fundationis deſuper à præfato quondam Cardinale Tuſculano ,,ſub datâ anni à Christo nato M. CCC LXII. confectis latius contine-,,tur: Et propterea pro conſervatione ejuſdem prærogativæ, juris, & fa-,,cultatis præſentandi, venerabilis ac Honorabilis Princeps noſter & de-,,voti nobis dilecti Georgius Epiſcopus, & N. Decanus, & Capitulum ,,Eccleſiæ Trajectenſ. devotum ac fidele, nobis dilectos Philippum Jo-,,annem à Matten Trajectenſem, & Joannem ab Irthe ex Daventria or-,,tum, ambos ex legitimo procreatos matrimonio, attenta ipſorum pro-,,bitate, eruditione, atque animi & morum integritate, quibus præditi ,,eſſe, & nobis fide digno teſtimonio commendantur, Rectori & Guber-,,natoribus prædicti collegii Peruſini jamjam præſentaverunt: Nos autem ,,pro noſtra in omnes noſtros ac Imperii ſacri, nec non Provinciarum ,,noſtrarum hæreditariarum ſubditos, ſingulari cura & ſtudio, vel maxime ,,pro ea voluntate quam quidem erga optima ſtudia & ad ea provehenda ,,imprimis benevolam & propenſam habemus, maximopere cupiamus, ,,muneriſque noſtri ratio omnino poſtulet ejuſmodi juris prærogativas ,,& facultates quæ ſubditis noſtris bono jure & legitimo titulo competunt, ,,ſalvas & inviolatas conſervare: Non potuimus neque debuimus etiam ,,pro conſervatione Jurium harum noſtrarum provinciarum prætermittere, ,,quin partes quoque noſtras apud ſanctitatem veſtram interponeremus, ,,eandemque in re tam pia & juſta interpellaremus. Proinde à S. V. ob-,,nixe petimus, ut auctoritatem ſuam prædictæ præſentationi interponere, ,,dictumque jus præſentandi, quod per conceſſionem præmemorati quon-,,dam Cardinalis Tuſculani Eccleſiæ Trajectenſi acquiſitum eſſe conſtat, ut ,,æquum eſt, tueri ac defendere, nec non Rectori & Gubernatoribus præ-,,dicti collegii S. Gregorii Sapientiæ Peruſinæ ſerio injungere & mandare ,,velit, ut, non obſtante quod fortaſſis prædicta Eccleſia Trajectenſ. eo ju-,,re ſuo, impedita nimirum frequentibus bellorum motibus & aliis legiti-,,mis cauſis, longo tempore non ſit uſa, prædictæ præſentationi realiter & ,,cum effectu, abſque ulteriore exceptione, dilatione, aut tergiverſatione ,,pareant, prætactoſque duos adoleſcentes ſtudioſos, prout vigore prædictæ ,,conceſſionis & fundationis obligati ſunt & tenentur, recipiant & admit-,,tant: factura in eo S. V. rem nobis adprimè gratam, & ſuo in obſer-

,,va-

,,vatione piorum inſtitutorum & fundationum officio & zelo dignam,
,,omnibus ſtudiis & officiis grati & obſequentis filii de S. V. promeren-
,,dam. Quam D. Opt. Max. Eccleſiæ ſuæ diu ſervet incolumem & felicem.
,,Datum in oppido noſtro Bruxellenſi ducatus noſtri Brabantiæ, die VI.
,,menſis Martii Anno Dom. M. D. LV. Imperii noſtri XXXV.

Carolus Quintus divina favente Clementia Romanorum Imperator Auguſtus, &c.

Idem mutandis mutatis ad Card. Tuſc. uſque ad §. *Non potuimus.* ubi ſic poſitum:

,,Noluimus prætermittere quin pro conſervatione eorundem Iurium di-
,,tionis noſtræ Trajectenſis Paternitatem veſtram tanquam pro tempore,
,,ſpecialiter ad hoc poteſtatem habentem officii ſui admoneremus. Pro-
,,inde &c. prædictoſque duos adoleſcentes ſtudioſos recipiant & admittant:

Ibi additum eſt ut ſequitur:

,,Et ad conſtitutum tempus, prout vigore fundationis tenentur, Iuri
,,operam dare ſinant & permittant. Et niſi paruerint, illos ad id præſtan-
,,dum, prout acrius & efficacius de jure poterit, pro executione dictæ vo-
,,luntatis & fundatione præmemorati quondam Cardinalis Tuſculani præ-
,,deceſſoris ſui conſtringere & coercere velit. In quo Reverendiſſ. Pater-
,,nitas V. rem nobis adprime gratam & officio ſuo dignam faciet, erga
,,illam pari ſtudio mutuoque officio penſandam. Quod ſupereſt, R. P. V.
,,diu feliciterque vivere optamus. Datum ut ſupra.

Idem mutandis mutatis pro Epiſcopo Peruſino, ut in literis ad Card. Tuſc. uſque ad §. *Noluimus.*

,,Noluimus prætermittere, quin pro conſervatione eorundem Jurium di-
,,tionis noſtræ Trajectenſ. Devotionem tuam tanquam pro tempore &c.

In fine:

,,In quo D. T. rem nobis adprimè gratam & officio ſuo dignam faciet,
,,omni benevolentia & gratia penſandam. datum ut ſup.

Inſcriptio; Ad Papam.

,,Beatiſſimo in Chriſto Patri & Domino Julio III. divina providentia
,,Sacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ Pontifici Maximo, Domino
,,noſtro Reverendiſſimo.

Ad Cardinalem Tuſculanum.

,,Reverendiſſimo in Chriſto Patri Domino Joanni Petro Caraffæ ſacræ
,,Rom. Eccleſ. Epiſcopo Tuſculanenſi Cardinali, Amico noſtro chariſſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ad Epiſcopum Peruſinum.

,,Venerabili, devoto, ſincere nobis dilecto N. Epiſcopo Peruſino.

Anno cIↃ IↃLIII. XV. Febr. Fulvius Corneus tit. S. Mariæ in via. S.R.E. preſbyter Card. ac Epiſcopus Peruſinus Conſtitutionum veterum hujus domus alias confirmavit, alias mutavit, alias penitus abrogavit, ac novam formam, temporum conditioni accommodatiorem confecit. In qua cum non ſatis expreſſe popularibus noſtris cautum videretur, Anno cIↃ IↃ LXI. V. Maii una cum nonnullis aliis, articulus ſequens in eorundem gratiam editus eſt, cæteriſque conſtitutionibus, opera & diligentia Philippi Joannis à Matthæo (de quo ſupra) additus:

,,Quanquam ſuperioribus conſtitutionibus in Ultramontanorum gratiam ,,editis per Illuſt. & Rev. D. Fulvium S.R.E. Card. nec non per Rev. ,,Dom. Conſtantinum de Canibus Abbatem montis Moricini anteceſſores ,,noſtros illis ſatis abunde proſpectum fuiſſe nobis videbatur, nunc tamen ,,cum nobis innotuiſſet ex irrevocabili & perpetua inter vivos donatione ,,per Rev. Nicolaum Capotium S.R.E. Card. Reverend. Epiſcopo ac De-,,cano & capitulo Trajectino olim facta, ipſis Rev. Epiſcopo ac Decano & ,,capitulo jus præſentandi duos idoneos ſcholaſticos unum ex Trajecto, alte-,,rum ex Daventria competere, nos Hippolytus Corneus Epiſcopus Peruſinus, ,,& Athanaſius Abbas Montis Moricini, ſuperiores dictæ domus ſapientiæ ve-,,teris, prædictæ donationi inhærentes, ſtatuimus & ordinamus, ut illi duo ,,præſentati per prædictos Rev. Epiſcop. Decanum & Capitulum in hoc ,,noſtrum collegium deinceps omnino admittantur, cæteris omnibus illiuſ-,,met provinciæ Germaniæ cum quibus in petendo locum concurrerent ex-,,cluſis. Quod tamen ſic intelligimus, ſi ſupradicti præſentati idonei reperian-,,tur & de legitimo matrimonio nati, juxta ipſius donationis diſpoſitionem, ,,ac ea ſolverint & obſervaverint quæ ſecundum tenorem novarum dictæ ,,domus conſtitutionum præſentium & de futuro faciendarum ab aliis ingre-,,dientibus ſolvuntur & obſervantur Volentes nihilominus hanc noſtram ,,conſtitutionem non poſſe ſortiri effectum niſi biennio à die præſentis datæ ,,elapſo. Datum Peruſiæ in palatio majori Epiſcopi Peruſini anno cIↃ IↃ LXI. ,,die V. Maii. præſentibus honeſtis viris D. Simone Roſati Rectore Eccleſiæ ,,S. Gregorii de Peruſio portæ S. Suſannæ, & D. Diamante Petri de Gual-,,do Rectore S. Æmyliani de Caſtro Ripæ, rogatis & pro teſtimonio vo-,,catis.

Anno II. Pontificatus Pij IV.

Exemplum teſtimonii.

,,De Philippi Matii eximia virtute male omnino mihi mereri viderer ſi ad

,,vos eum ſine meis literis reverti paſſus fuiſſem. Is enim toto quinquennio
,,tam in moribus modeſtus, tam in ſtudiis fuit aſſiduus, ut facile apparere
,,potuerit & quam fuerit ingenue apud ſuos educatus, & ſe Peruſiam non te-
,,mere ac peregrinandi tantum ſtudio, quod plerique interdum faciunt, ſed
,,quaſi ad mercaturam bonarum artium ſe contuliſſe. In quibus uſque adeo
,,profecit, ut nunc ſeſe ad vos recipiens magnam apud Gregorianum colle-
,,gium atque adeo univerſam hanc noſtram Academiam ſui & admirationem
,,& deſiderium reliquiſſe non dubitem. Me quoque non ſolum ut illum ve-
,,hementer amarem impulit, verum etiam ut de Ultrajectina veſtra juventute
,,optime ſentirem. Feceris igitur rem omnino gratiſſimam, ſi ad nos pari
,,pudore atque ſolertia præditos juvenes ex iſta veſtra civitate & Daven-
,,trienſi ad nos tranſmiſeris. Illos enim nos juxta formam Conſtitutionis
,,nuper in Ultrajectinorum gratiam editæ, & ilico, & libentiſſime in Gre-
,,gorianum noſtrum collegium cooptari & recipi curabimus. Philippum
,,autem ipſum enixè tibi ac pluribus commendarem, niſi planè ſcirem probi-
,,tate ſua & peritia quibus exteros & incognitos tam facile ſibi devinxit
,,apud ſuos & commendatiſſimum & chariſſimum futurum. Vale Peruſiæ.
,,Tertio nonas Maii Anno cIↃ IↃ LXI.

Vti frater Hippolytus Epiſcopus Peruſ.

Inſcriptio.

,,Rev. Domino uti fratri Dom. Georgio Schenckio Epiſcopo Ultra-
jectino.

Hæc licet temporibus diſſita, perſpicuitatis cauſa hic placuit conjungere
nunc ad interruptam nonnihil annorum ſeriem revertamur.

Anno cIↃ CCC LXIV. circa feſtum D. Johannis Straleſundæ induciæ
inter regem Daniæ Valdemarum III. & urbes Vandalicas initæ: ſed bre-
vis eæ temporis fuere. Nam urbium earum quæ Balthico mari ſunt appo-
ſitæ, numero ſeptem, cæteras quæ tum ejuſdem federis intra Germaniæ
diſtrictum habebantur, cum ad ipſas quoque pertinerent detrimenta Wiſ-
boenſibus illata, Coloniam Agrippinam convocarunt, ibique, aut ipſæ, aut
delegati earum fedus inter ſe feriunt, ad immunitates vetera ue ſua ju-
ra ſartè tecteque ſervanda. Hæc urbium ſeptuaginta ſeptem, quæ poſt-
modum federatæ ſive Hanſaticæ ſunt dictæ prima fuere initia. Quarum
omnium indiculus eſt iſte: *Vandalicæ* erant Lubeca, Hamburgum, Ro-
ſtochium, Wiſmaria, Straleſunda, Luneburgum; *Pomeranicæ*, Stetinum,
Anclamum, Solnovia, Gripſwalda, Colberga, Stargarda, Stolpa, Ri-
gerwo da. *Boruſſicæ*, Colmaria, Torna, Elbinga, Dantiſcum, Coningſ-
berga, Brunſberga. *Liflandicæ* Riga, Torpatum, Revalia, Pernovia.
Saxonicæ Magdeburgum, Brunſvigia, Goſlaria, Embeca, Gottinga, Hil-
deſ-

deſhemum, Hannovera, Veſa, Buxtehuda, Stada, Brema, Hamelia, Minda. *Weſtphalicæ* Monaſterium, Oſnabruga, Dortmunda, Suſatum, Herverda, Paterborna, Lemgovia, Bilevelda, Lippia, Coeſvelda. *Cliveņſes* & *Marchicæ* Colonia, Ulſalia, Duiſburgum, Emberica, Verberga, Onna, Hammona. *Gelricæ* Neomagum, Zutphania, Ruremunda, Arnhemum, Venloa, Hardervicum, Elburga. *Tranſiſalanicæ* Daventria, Campi, Zwolla. *Friſicæ* Groninga, Stavera, Bolſverda. Quibus accedebant Stendalia, Stolvedela, Berlinum, Brandeburgum, Francofurtum ad Oderam, Uratiſlavia, Cracovia, Halla, Aſkerlova, Quedelenburgum, Halberſtada, Helmſtadium, Kyllonium, Nordheim. quæ & omnes anno cIↄIↄ LV. una cum Brunſvicenſibus federi iſti conjunctim renunciarunt. Cum primum urbes iſtæ LXXVII. regi Valdemaro per fecialem quaſi bellum denunciarent, contemtim reſpondiſſe ferunt idiomate quo uti ſolent eæ civitates: ſe non pluris Hanſas quam ganſas i. anſeres æſtimare.

Harum civitatum primo quæ erant in Germania quam longiſſime Auſtrum verſus ſitæ, poſt habitum Coloniæ Agrippinæ conventum ex oppido Campenſi claſſem in oras Daniæ miſerunt, ſecutique mox Vandalici. Qui ubi admonerentur, ſe contra pacta fedusque jam antea percuſſum agere, reſponſum dedere, ſe ab Hanſa jam pridem inſtituta ſeparari non poſſe. Itaque rex Valdemarus, ne malum invaleſceret, confeſtim cum Vandalicis inducias fecit, & ſeptennio poſt rem totam etiam cum reliquis compoſuit v. *Pont. Hiſt. Dan. lib.* VIII. *p.* CCCC LXXXXII. *ſeqq.*

Eodem anno convenit Epiſcopus Ultrajectinus Joh. ab Arkel cum Capitulo Daventrienſi, ut ſibi dimidiam decimam è territorio Maſtebroeckenſi pro octo cereis annuis hæreditario oppignoraret, quarum ſingulæ ſeſquilibram penderent, eæque quotannis in vigilia nativitatis Dominicæ in altari magno Eccleſiæ S. Lebuini ab ipſo offerentur. idque in compenſationem operæ ab ipſo inſumendæ i nmuniendo aggeribus illo territorio, eaque inſuper lege, ut jura Eccleſiæ Daventrienſis in accipiendis decimis pro ea qua pollebat auctoritate defenderet. Diplomata in eam rem exarata & ſigillis munita Kal. Martii anno quo ſup. v. *lib. privil. pag.* CXXII. *& Bocop. ad hunc annum.*

Anno cIↄCCCLXIX. pax inſtaurata inter civitates Hanſæ Teutonicæ, & Valdemarum III. regem Daniæ de qua hoc inſtrumentum extat:

„Nos conſules ac Senatores Civitatum Vandaliæ ac Boruſſicarum, Lubecæ, Roſtochii, Straleſundæ, Wiſmariæ, Gripſwaldiæ, Stetini, Colbergæ, Nyſtargardæ, Coloniæ Agrippinæ, Hamburgi ac Bremæ. tum & Livonicarum Rigæ, Torpati, Revaliæ, Parnoviæ; nec non & earum quæ ad mare Auſtrini ſinus, inque Hollandiâ Zelandiâque ſunt ſitæ, Campi, Daventria, Ultrajectum, Zwolla, Haſſeltum, Groninga, Zutphania, Briela, Middelburgum, Armuda, Hardervicum, Ziriczea, Elburgum, „Sta-

„Stavera, Dordracum, Amſterdamum; profitemur, ac publico hoc in„ſtrumento teſtamur, inter nos & regni Daniæ Senatores, virumque ho„noratum Dominum Henningum Podebuskium regni præfectum, itemque „Nicolaum Archiepiſcopum Lundenſem, Ericum Epiſcopum Othonien„ſem, Nicolaum Roſchildenſem, alioſque Equites ac regni nobiles armi„geroſque amice eſſe conventum, diſſidiaque illa ac bella omnia quæ ha„ctenus inter sereniſſimum regem Valdemarum ejuſque ſubditos, ac nos „noſtrarumque civitatum indigenas atque incolas agitata fuere, utrimque „compoſita, placideque placata eſſe, ita ſcilicet ut Rex jam dictus hanc in„ter nos reconciliationem ſuo ſigillo ac manu obſignatam ſub proximum „feſtum Michaëlis anno circiter ab hinc integro nobis ſit exhibiturus. Ipſis „autem reconciliationis literis hoc præcipue cautum erat, ut urbium Van„dalicarum indigenæ ac cives Helſingburgum, Malmogiam, Schanoram, „& Falſterboam, id eſt, totam propemodum Scaniam velut pignus, & „loco illati à rege Valdemaro detrimenti, annos quindecim retinerent, „uſumfructum ſibi ſervarent, præfectos judiceſque ſuo modo & more „ipſi haberent: atque annis iſtis elapſis, territorium idem immune ac „nullis gravatum oneribus, quomodo ipſum acceperant, regi regnoque „reſtituerent: Danis interea, omnibuſque regni incolis urbes atque em„poria Hanſatica libere accedere, ſuaque ibi exercere negotia, quemadmo„dum ante bellum ſueverant, fas liberumque eſſet. Hæc acta dataque Stra„leſundæ poſtrid. aſcenſ. Dom. anno a Chriſto nato poſt milleſimum tre„centeſimum ſeptuageſimum. *Pont. Hiſt. Dan. lib.* VIII. *pag.* CCCC XCIX.

Servatur in archivis Hardervicenæ civitatis literarum inſuper Hacquini Norvegiæ regis, anno CIↃ CCC LXX. datarum apographum, quibus Hanſicæ ſimiliter ſocietatis urbes in ſuum ſe recipere favorem poſtliminio profitetur, ſopitis atque amotis quæ eouſque tenuerant diſſidiis ac remoris. Conceditque, ut libere ac more conſueto oras ac portus regni ſui adeant ac frequentent, commerciaque invicem exerceant, ſoluto ubivis quod debeatur teloneo. In his memorantur civitates etiam nonnullæ Auſtrini ſinus. quarum ad Gelriam ac Tranſiſalanos ſpectantes recenſentur Zutphania, Hardervicum, Elburgum, Daventria & Campi: Hollandiæ Dordracum, Amſtelodamum, Enchuſa, Wieringa, Briela: Zelandiæ Ziriczea, Middelburgum, Armuda: Friſiæ, præter cæteras, Hindelopa. Delegati harum qui omnium nomine præſentes fuere, nominantur viri ſpectatiſſimi Everardus Boſen proconſul Campenſis, & Johannes Menardus Conſul Amelodamenſis. *ib.*

Anno CIↃ CCC LXXI. Valdemarus quæ pacta conventaque inter delegatos ejus ac urbes maritimas Straleſundæ fuerant, ſigillo ſuo majori obſignata ipſis tradidit. ac antapochales à civitatibus accepit. ſubſcripſerant iis

 urbium

urbium dictarum deputati, una cum iis qui Straleſundanæ tranſactioni interfuerant, aliiſque regni Daniæ ſenatoribus. Similes literæ confectæ à Revalienſibus, Elbingenſibus, Tornenſibus, Dantiſcanis, Regiomontanis, Brunſbergenſibus, aliiſque diſtrictus Prutenici. Et præter eas omnium in univerſum nomine datæ regi ejuſdem exempli aliæ, quibus comprehenſæ etiam fuere quæ ad ſinum Auſtrini maris inque Hollandia Zeelandiaque ſitæ urbes, Campi, Daventria, Ultrajectum, Zwolla, Haſſeltum, Groninga, Ziriczea, Briela, Middelburgum, Armuda, Hardervicum, Zutphania, Elburgum, Stavera, Dordracum, Amſtelodamum. Signatæ omnes eodem hoc anno Straleſundæ, in vigilia Simonis & Judæ. *Pont. Hiſt. Dan. lib.* VIII. *pag.* IↃI.

Anno CIↃCCCLXXIX. Epiſcopus Ultrajectinus Florentius à Wevelichove, poſtquam in Tranſiſalania inauguratus eſſet, veteri more, tam in urbibus quam municipiis, Dominica poſt Martini promiſit ſe omnibus ac ſingulis ut jus diceretur curaturum: ſeque quotannis bis comitia judicialia quæ *Clarongen* ibi vocari ſolent celebraturum, ſemel æſtivo, iterum hyberno tempore (*eens by hoy ende eens by gras.*) Præter hæc in hoc conſenſit, ut Satrapæ ac officiarii, tribus Tranſiſalaniæ urbibus capitalibus, Daventriæ, Campis, ac Zwollæ juramentum præſtarent, reciperentque ſe ut unicuique ex æquo & bono jus adminiſtraretur operam daturos. *Bocop.*

Anno CIↃCCCLXXX. Everardus ab Eſſen in Sallandia ditionis Tranſiſalanicæ, in municipio *Eerden*, paroeciæ Ommenſis, caſtrum munitiſſimum extrui curavit, è lignis ponderoſis, lapide cæſo pertextis, ratus, ſe id caſtrum, quod *Eerde* vocavit, adverſus vim quamcunque poſſe defendere. Hinc omnes agros communes & compaſcuos, qui in proximo erant ad ſe trahere, ac ſibi tanquam proprios vindicare. Cumque Campenſes nihil in illo tractu poſſiderent, facile cum eis tranſegit, conditionibus quæ ſequuntur:

„Nos Coſſ. Scabini & Conſiliarii civitatis Campenſis, omnibus notum „eſſe volumus, nos, cives noſtros, militeſve Everardo ab Eſſen cum ſuis, „ejuſve facultatibus nullum damnum illaturos aut inferri paſſuros, ante„quam toto ei id antea menſe ſignificaverimus. Dolus malus aberit, abfue„rit. In teſtimonium veritatis, civitatis noſtræ ſigillum ſecretum hiſce ap„pendimus. Anno Domini noſtri CIↃCCCLXXX. die Iovis poſt medium „quadrageſimæ.

Fretus hoc fœdere Everardus, tam communia omnibus quam propria vicinis rapere, trahere, querelas eorum flocci facere, neque à violentia quicquam remittere. Vicini ejus rem ad Epiſcopum, & tres Civitates, Daventrienſem, Campenſem, Zwollanam detulerunt: quo animadverſo, Campenſes fedus cum eo initum abruperunt, ac bellum ei indixerunt. Epiſcopus

pus Ultrajectinus cum tribus ſuis Civitatibus decrevit caſtrum Eſſenii diruere. Itaque die feſto S. cruci hoc eodem anno id obſederunt, quibus ſubſidio venerunt D. Egmondanus, Iſelſteinius, Arculeius. erexerunt autem ingentem machinam lapides bis mille librarum projicientem, qua parum effectum eſt; cum tignis ac ſaxis arcte, ut diximus muri contexti, ac lapidibus intrinſecus repleti eſſent, quo factum ut lapides in ipſos conjecti pilæ inſtar reſilirent. Quinque totas hebdomodas hic reſederunt, & nocte dieque caſtrum infeſtarunt. Cumque obſeſſis nihil ab Eſſenio auxilii veniret, & victus quoque inopia laborare cœpiſſent, caſtrum ſalva vita & facultatibus tradiderunt.

Epiſcopus domum evertit, & propugnaculi tigna, quod nulla vel vi vel arte diſſolvi poſſent, immiſſo igne cremavit. toto menſe incendium duraſſe legitur, antequam prorſus extingueretur. Exinde Everardus ab Eſſen cum Epiſcopo & tribus Civitatibus reconciliatus eſt. & Epiſcopus caſtri Horſteni præfectura eum donavit.

Hoc anno, die Sabbati, poſt feſtum Corporis Dominici, Egbertus à Sullene cum Epiſcopo Ultrajectino, tota ejus dioeceſi, & nominatim cum civitate Daventrienſi reconciliatus eſt, ita ut polliceretur, nec ſeſe nec hæredes ſuos, adverſus Epiſcopum Ultrajectinum, aut ejus ſucceſſores Epiſcopos, quicquam hoſtile cœpturos, niſi hanc pacem Civitati Daventrienſi aut Zwollanæ ſub manus ſuæ ſigillo renunciaret. ſeque è domo ſua *Laër* aut aliis caſtris ſuæ poſſeſſionis, domibuſve quas adhuc in ſuo fundo poſſet extruere, nec Epiſcopo, nec Daventrienſibus quicquam illaturum detrimenti. neque ipſam domum *Laër* in cujuſquam alterius poteſtatem traditurum. quas conditiones jurejurando ſe obſervaturum recepit. *Bocop.*

Anno CIↃCCCLXXXI. Florentius à Wevelichove Ultrajectinus Epiſcopus duos famulos Aſſueri à Schuylenborch, Joannem & Rotgerum de Vrieſe ſuſpendio affecit. Quapropter dictus Aſſuerus a Schuylenborch Epiſcopo vehementer infenſus, de eo apud Ducem Gelriæ conqueſtus eſt, qui Epiſcopo Ultrajectino cum ſuis bellum indixit. quamobrem civitas Campenſis ſcripto eidem Schuylenburgo viciſſim bellum denunciavit:

„Scito, Aſſuere a Schuylenborch, nos Scabinos & conſiliarios civitatis „Campenſis totamque noſtram communitatem, præferre Dom. Florentium à Wevelichove Epiſcopum Ultrajectinum tibi tuiſque, velleque inimicos tuos eſſe, omniumque eorum qui in arce tua *Ter-meulen* commorantur, ac in omnes tuos pro virili noſtro hoſtilia exercere. quo ipſo honori „noſtro ſatis ſuperque cautum arbitramur. Datum ſub ſigillo civitatis noſtræ „anno CIↃCCCLXXXI. die Jovis poſt feſtum Annunciationis Virginis Mariæ.

Quo facto Epiſcopus Ultrajectinus una cum Civitatibus Daventriá, Campis,

pis, Zwolla arcem *Ter-meulen* obſedit, ac hoc ipſo anno in deditionem accepit. Hinc ad arcem *Lage* motis caſtris, & illam cepit, ac utramque demolitus eſt.

Hoc anno in vigilia Nativitatis Henricus à Schuylenborch ſequentes literas Epiſcopo Ultrajectino, in arce *Arckenſteyn* commoranti tranſmiſit:

,, Scito Domine Florenti à Wevelichove, Epiſcope Ultrajectine, me ,, Henricum à Schuylenborch, ratione iniquitatis & perfidiæ qua una cum ,, Scabinis ac Civitatibus Sallandiæ adverſum me es uſus, tibi hoſtem eſſe ,, ſtatuiſſe, ac omnibus tuis ſubditis quibuſcum mihi hanc ob rem negocium ,, eſt. & hiſce honori meo cautum velle, exceptis tamen Domino ab Abcoude cum ſuis, & Domino Friderico ab Eſe cum ſuis:, iis ſolis hoſtes ,, eſſe nolumus. Datæ ſub ſigillo meo infra impreſſo.

Alii quoque ejuſdem factionis, ſequentibus literis Epiſcopum affati ſunt:

,, Scito D. Friderice à Wevelichove, Epiſcope Ultrajectine, nos, Wil-,, helmum à Schuylenborch à Boſſenraet, Diethericum & Mauritium à Solt ,, fratres, Joannem Bolt, cognomento Buſken, Joannem de Gruter, ac ,, homines noſtros, præferre Fridericum à Schuylenborch & adjutores ejus, ,, tibi tuiſque adjutoribus, velleque ipſius cauſa hoſtiliter te invadere. noſ-,, que quantum adhoc adverſus te ac omnes quibuſcum nobis negocium eſt, ,, honori noſtro caviſſe per haſce non dubitamus. Scriptæ ſub ſigillo Henrici ,, à Schuylenborch, quo pariter utimur.

Ex hiſce intelligere eſt, quam facile tum temporis perſonæ privatæ adverſus Principes, regiones & Civitates integras bellum ſumere fuerint auſi.

Hoc anno prænominatus Epiſcopus una cum tribus Civitatibus Tranſiſalaniæ decretum conceperunt, ne ab illo die in regione Sallandiæ ullas deinceps arces extrui paterentur, neve eas quæ ibi jam erant muniri permitterent, quod ſiquis contra ageret, id communibus viribus, ac communi periculo impedirent. de quo decreto diplomata confecta ſunt, Epiſcopi & Civitatum ſigillis confirmata. *Bocop.*

Anno CIƆCCCLXXXVI. Florentius Radwini Rector & primus inſtitutor congregationis clericorum in Daventriâ, de quo ſupra multus nobis ſermo fuit, una cum preſbyteris domus ſuæ, aliiſque viris prudentibus à M. Gerardo Magno ad vitæ ſpiritualis ſtudium olim perductis, Domino videlicet Joanne Brinckerinck, Dom. Henrico Klingebile de Huxania, Henrico Wilſem Campenſi, Bartholdo ten Have Zwollano, Alberto & Nicolao Dreyer fratribus, & matre eorum Aleide, Dom. Lubberto ten Buſſche & Dom. Gerardo de Zutphania aliiſque, cœpit pertractare, ubi, quando, & quali modo extremam M. Gerardi voluntatem ſuper monaſterio ordinis canonicorum regularium conſtruendo executioni debite poſſent mandare.

Re

Re mature diſcuſſa, decretum eſt, quamprimum ejuſmodi monaſterio extruendo omnem diligentiam adhibendam eſſe, ad quod omnia monaſteria reformata, omneſque congregationes devotorum utriuſque ſexus, in temporalibus & ſpiritualibus ſuis neceſſitatibus ſecurum haberent recurſum, conſilii, auxilii, defenſioniſque præſidium exinde reportaturæ. Cumque id negotium univerſitatem concerneret devotorum modernorum, idcirco omnes pariter ſollicite inſtiterunt, ut res ea effectum ſortiretur, auxilium ſpondentes debitum & opportunum.

Itaque hoc anno, qui ſecundus fuit ab obitu M. Gerardi, D. Io. Brinckerinck tunc adhuc Clericus, & alii patres circuibant terram, aptum hujuſmodi monaſterio conſtruendo locum inveſtigantes. qui multis peragratis regionibus tandem in Velua prope Hattem in partibus Gelriæ, locum quendam ſatis idoneum repererunt, & D. Wilhelmi Ducis Gelriæ conſenſum ad hoc ipſum impetrarunt. Porro cum juxta juris diſpoſitionẽ nullus eccleſiam vel monaſterium de novo poſſet erigere ſine diœceſani licentia, idcirco D. Florentius, item Io. de Gronde primus Rector ſororum in Daventria, D. Henr. Clingebile, Henr. de Wilſem, Bartholdns ten Have, Albertus & Nic. Dreyer, D. Florentium Trajectenſem Epiſcopum adierunt, precantes, ut ſuum etiam ſuper monaſterio novo in diœceſi ſua fundando aſſenſum dignaretur præbere. qui cum regionis ſuæ prælatis re examinata, ea lege aſſenſus eſt, ut in terminis dominii ſui temporalis, Zallandiæ videlicet, ac non aliorum ſecularium dominorum diſtrictibus, illud ædificarent, favorem ſuum, ac etiam privilegia eis concedenda pollicitus. libenter conditionem acceperunt viri prædicti. Et inter illos Bartoldus ten Have, qui ex ſucceſſione paterna poſſeſſionem in Windeſem habebat, valoris ultra ter mille florenos, eam cum omnibus agris & proventibus cunctiſque bonis ſuis, propter animæ ſuæ & progenitorum ſuorum (quæ tunc hominum erat opinio) ſalutem, ad hujus cœnobii in ipſa illa ſua poſſeſſione extructionem, donavit, ac coram Domino feudi integre reſignavit. Habuit etiam Henr. de Wilſem, antea Scabinus Campenſis, quindecim agrorum jugera in municipio Zuythem, ſibi cum fratre Iacobo, Canonico Trajectino communia, quæ ſimili per omnia modo ac forma, futuro in Windeſem monaſterio dono dedit. Operi porro promovendo præfecti fuerunt Henr. Klingbile, Wernerus Keynkamp Lochemenſis, Henr. Wilſem Campenſis. Io. de Kempis, Henricus Wilde Sylvæducenſis, & Bartholdus ten Have Zwollenſis, cujus fuerat monaſterii fundus. hic montem ubi nunc monaſterium extructum eſt, à fruticibus repurgavit, & loca ædificio accommodata delineavit. prout hæc & ſecutum ejus monaſterii progreſſum luculenter deſcribit auctor Chronici Windeſemenſis, è cujus lib. 1. c. 6. & 9. hæc fere deſumſimus, reliqua lectoris diligentiæ, exinde petenda relinquentes.

Anno CIↃCCCLXXXIX. Egbertus Haecke a Ruytenborch, arcem Ruytenborch in Sallandia extruxit, permittentibus ei id ipſum Epiſcopo Ultrajectino, & tribus Civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, & Zwollana, quibus ille viciſſim promiſit, nec ſe nec hæredes ſuos quicquam adverſus Epiſcopum aut civitates molituros eſſe, fide etiam facta, ſe arcem prædictam nec foſſis nec propugnaculis muniturum eſſe, præter ea quæ impræſentiarum habebat, niſi illud conſenſu Epiſcopi & trium Civitatum fieret, qua lege liceret ei veteres lapides è foſſis tollere, eaſque repurgare. hæredes quoque ſuos, ſive adeo poſſeſſores illius arcis, quocunque tempore id ab ipſis peteretur, idem confirmaturos, qua de re literas ſua manu ſignatas ſigillataſque tradidit poſtridie S. Remigii hujus anni. *Bocop.*

Anno CIↃCCCXCI. Ioannes a Bochorſt, arcem Bochorſt in Sallick, pago Sallandiæ ad ripam Iſalæ in confinibus Tranſiſalaniæ ac Gelriæ ſitam extruxit. id quod ei Epiſcopus Ultrajectinus, & Civitates Daventria, Campi, Zwolla permittebant, ea lege, ut Epiſcopo ac dictis Civitatibus polliceretur, ſe eis inde nihil damni daturum eſſe, neque muros ultra duorum laterum craſſitiem erecturum, neque arcem ipſam citra Epiſcopi & civitatum conſenſum muniturum. qua de re Io. a Bochorſt ſuo ac hæredum ſuorum nomine literas ſigillatas tradidit, datas in feſto Ioannis ante portam latinam. *Bocop.*

Eodem anno Epiſcopus Ultrajectinus, cum Domino Everardo ab Ulft equite, primo in contentionem, mox in apertum bellum incidit. unde factum, ut a multis ei hoſtilitas fuerit denunciata, & quidem literis contumelioſis admodum, quarum exemplum unum apponam.

,, Scito, Domine Florentille (*Heer Floorken*) nos Theodorum a Marck,
,,præferre tibi dilectum noſtrum Dominum Everatdum ab Ulft equitem, ac
,,ejus cauſa tuos inimicos eſſe velle, ac omnium eorum quos in tuum detri-
,,mentum hoſtiliter poterimus perſequi. Ac hiſce literis patentibus exiſtima-
,,tioni noſtræ adverſum te cautum velle. Datæ anno Domini CIↃCCCXCI,
,,noſtro ſub ſigillo. *Bocop.* qui & alias quaſdam ſimilis argumenti adjicit.

Anno CIↃCCCXII. die Lunæ poſt quaſi modo geniti tres civitates ſimul in eo conſenſerunt, quod tantummodo Daventriæ Comitia judicialia, quæ *Clarongen* dicuntur, celebrari debeant. Id quod antea Epiſcopus Florentius ſanciverat. Extant de eadem re, ac de non appellando, privilegia Imperatorum Wenceſlai, Sigiſmundi, Maximiliani & Caroli, in Camera Daventrienſi. *lib. privileg. p. 1. 26. &c.*

Eodem anno Epiſcopus Ultrajectinus Florentius, Gulielmo Duci Juliaci, ac Gelriæ, & Comiti Zutphaniæ, regiones Sallandiæ ac Tubantiæ, pro certa pecuniæ ſumma oppignoravit. de quo diplomata ſigillis appenſis munita confecta fuerunt; data anno quo ſup. IX. Aug. Dux ergo Juliaci & Gelriæ poſſeſſionem earundem terrarum adiit, & arcibus ac muneribus homi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

homines è ſuis regionibus præfecit. Hiſce omnibus non obſtantibus, tres Civitates, Daventrienſis, Campenſis, Zwollana, in ſuis privilegiis & antiquis conſuetudinibus perſtiterunt, ut videlicet Officialis Sallandiæ, aliique (qui tum temporis prætores dicebantur) arces ſibi commiſſas fideliter poſſiderent ac conſervarent, unicuique jus municipale ex æquo adminiſtrarent ac adminiſtrari curarent, juxta conſuetudines ac jura patria, prout bonum ac probum prætorem Sallandiæ decet, &c. idque civitatibus prædictis ſigillatim ſub religione juramenti promittere tenebantur, ac literas ſigillis munitas ſuper ea re eis tradere. Dux autem Juliaci ac Gelriæ Hermannum a Rinden ſatrapam ſive prætorem Sallandiæ conſtituit, eique arcem Arckenſteniam tuendam commiſit, qui dictis civitatibus juramentum de quo egimus præſtitit, ac diplomate ſigillato eiſdem tradito ſtabilivit. Dato in profecto S. Laurentii. Anno quo ſup. *Bocop.*

Anno cIↃcccxcIII, compoſitum eſt bellum quod fuerat inter Epiſcopum Ultrajectinum ac tres civitates Tranſiſalaniæ ab una parte, & Dom. Arnoldum ab Ulft cum ſuis ab altera, idque hiſce conditionibus: Primo omnis lis, contentio, ac controverſia quæ inter partes interceſſerat reconciliata & oblivioni tradita eſto. Omne detrimentum probabile, quod Epiſcopo Ultrajectino aut civitati Daventrienſi ab arce Ulft aut Domino Ulftenſi illatum fuerit, ſemel iterumque ipſi aut hæredibus ipſius indicator, ac eodem pacto ab altera viciſſim parte agitor: quod ſi eo modo læſis non ſatisfiat, utrinque bini arbitri eliguntor, eiſque per compromiſſum cauſa committitor, & quicquid quatuor illis viſum fuerit, utrinque abſque infractione executioni mandator. D. Satrapa ab Ulft, adverſus Epiſcopum Ultrajectinum hoſtilia ne exerceto, excepto, ſi Epiſcopus Ultrajectinus, bello cum Duce Gelriæ committeretur, quo caſu Domino Erneſto ab Ulft equiti, Duci Gelriæ ſuppetias ferre liberum eſto; compoſito autem tali bello, pactis ac conventis immaneto.

Hoc anno IV. Aprilis, qui erat dies Veneris quem ſanctum vel benedictum vocant, circa horam ſecundam in arce Hardenbergenſi D. Florentius a Wevelichove Epiſcopus Ultrajectinus diem ſuum obiit. inde Ultrajectum tranſlatus, ac in Eccleſia Cathedrali in adyto ante ſummum altare ſepultus.

Die XVIII. ab ejus obitu, ſequentes Domini Ultrajectum appulerunt: Albertus Dux Bavariæ, Comes Hollandiæ, &c. Wilhelmus Comes Juliaci, Gelriæ, & Comes Zutphaniæ, qui Ducis Alberti filiam in matrimonio habebat. Bavariæ Dux petebat à Canonicis ut D. Rotgerum à Bronchorſt, præfectum ærario eccleſiæ cathedralis Colonienſis in Epiſcopum Ultrajectinum eligere vellent. Dux Gelriæ & Daventrienſes intercedebant pro Frederico à Blanckenhem, Epiſcopo tum temporis Argentinenſi. Canonici rogabant

bant hoſce Principes, ut inter ſeſe de uno quopiam conſentire, eumque nominare vellent, id quod factum non eſt, unoquoque ſuum pari vehementia commendante: ita ut inter Canonicos contentio oriretur circa electionem, ac eorum quinquaginta quinque in gratiam Ducis Gelriæ Frederico à Blanckenhem ſuffragia ſua accommodarint, reliqui autem ſeptem & viginti ad petitionem Boiariæ Ducis, D. Rotgerum a Bronchorſt elegerint. Utrique autem cum legatos ſuos pro confirmatione acquirenda Romam miſiſſent, Bonifacius Papa Friderico, cujus vota numero prævaluerint, confirmationem in Epiſcopatu contulit. *Bocop. Append. Bekæ, pag.* 131. *lib. Privil. Daventr. fol.* 12.

Anno cIↃcccxciv. Everardus ab Hekeren, dictus ab Eſe, cum Epiſcopo Ultrajectino, de dominio Almeloæ tranſegerat, die Febr. xix. iis legibus, ut D. Everardus ac uxor ejus Domina Beatrix ab Almelo, pollicerentur ſuo & hæredum ſuorum nomine, ſe nihil adverſus Epiſcopum aut diœceſin Ultrajectinam molituros, verum ſiquis ipſis nocere vellet, ad Epiſcopi tribunal negocium delaturos, cui ſi adverſarii ſe ſiſtere recuſarent, armis ſe adverſus tales defendere iis jus faſque fore; ac tamdiu ſe ipſos ulciſci, donec ope Epiſcopi juris ſui compotes fierent. Arcem Almeloanam ſemper Epiſcopo apertam fore, eique ipſos auxilio futuros, adverſus omnes, excepto feudi ſui Domino. Quod ſi in arce Almeloenſi hoſtes aliquos diœceſeos Ultrajectinæ eſſe contingeret, teneri ipſos dedere officiariis. Sed & in illud conſenſerunt, ſe in diœceſi Ultrajectina nullum altum, quod vocant, dominium uſurpaturos citra conſenſum Epiſcopi Ultrajectini, neque arcem Almeloanam abſque ejus voluntate alienaturos, neque cum quoquam extra fines ſuos bellum ſumturos, niſi prius tertio adverſariis ſuis ad tribunal Epiſcopi diem dixiſſent, &c. Haſce pactiones Everardus ab Hekeren, juramento corporali quod vocant per Deum & ſanctos ſuos, ſe impleturum recepit. & Domina Beatrix ab Almelo in eas & ipſa conſenſit. Conventum etiam eſt, ſi eis contravenirent, ab Epiſcopo commonitos, in perſona propria eos in unam trium Civitatum, Daventriam, Campos aut Zwollam ſeſe ſtitnros, neque inde egreſſuros, antequam pro delicto ſatisfeciſſent: niſi feciſſent, ſe ipſos agnoſcerent fedifragos & perjuros. Hanc conventionem ſuo ſigillo confirmarunt anno cIↃcccxciv. xxiv Febr.

Hoc anno D. Ioannes a Raeſvelt eques in diœceſi Monaſterienſi reſidens cum pluribus aliis, per literas, Epiſcopo Ultrajectino bellum indixerunt, hoc fere pacto:

Scito, Domine Frederice a Blanckenhem, Epiſcope Ultrajectine, nos Hermannum de Böſe, Timannum vanden Berge, Theodorum a Selle, Wicherum Sonder-lant, Bartholdum ab Heyde, Gerardum vander Lippe, Ioannem a Goſler, Henricum Wilſler vande Burch-garde, Warnerum a Cloſſer

a Cloſſenhove, Hugonem a Katwijck, Ioannem a .... ac omnes noſtros famulos, præferre Ioannem a Raeſvelt tibi tuoque populo, adeoque hoſtes tibi eſſe velle ac adiutorum tuorum adiutoribus, excepto D. Ditherico equite cum ſuis. Datæ ſub ſigillo Ioannis a Raeſvelt, quo pariter utimur.

Simulac hæ literæ fuiſſent traditæ Io. a Raeſvelt cum equitum & peditum manu irruit in regionem Tranſiſalanam, ibique cædibus, incendiis ac latrociniis ingens damnum dedit, multaque rapta pecuniæ vi, ad ſua ſe recepit.

Epiſcopus itaque Ultrajectinus, una cum officiariis ſuis ac delecta manu in diœceſi Monaſterienſi, municipium Ooſtdorp, ubi Bitterus a Raeſvelt domicilium & facultates ſuas habebat invaſit, omniaque ejus bona militi prædæ expoſuit, molam, domos ac reliqua ædificia exuſſit, quæ Ioannis a Raeſvelt, & Bitteri ejus parentis erant, ac ſpoliis gravis in Tranſiſalaniam reverſus eſt. *Bocop.*

Die Martis poſt Valentini, Senatus & Tribuni plebis urbis Daventrienſis decreverunt, nullis deinceps clandeſtini illius judicii, quod à Carolo Magno in Weſtphalia inſtitutum fuiſſe ante memoravimus, ſociis (*Veem-ſchepenen* appellabant) in ſenatu locum fore, qui jam illam occupaſſent, aliis permutandos, neque unquam poſthac reſtituendos. *lib. veter. legum urbanatum.*

Anno cIↃcccxcv. inter Senatum & Tribb. plebis civitatis Daventr. conventum eſt, ut ſenatus membra ſingula equum alerent, & ad hoc quotannis ex publico ærario acciperent xv florenos, liceret eis inſuper è civium corpore eos deligere qui apti eſſent alendis equis, uſque ad centenarium numerum. *Privil. p.* 128.

Anno cIↃcccxcvii. v. Non. Maji, Fridericus a Blanckenheym Epiſcopus Ultrajectinus, adjuvante regione Tranſiſalana ac tribus civitatibus Daventrienſi, Campenſi, Zwollana, dominium Kuynre, pro cccc veteribus ſcutatis (*olde-ſchilde*) annuis, Hermanno a Kuynre ſeniori, ac filio ejus cognomini hæreditario jure vendidit, ea lege ut nummi illi annui a. d. Petri ad cathedram Zwollæ in altari S. Michaëlis ſtato die ſolverentur. pro qua ſolutione fidem ſuam interpoſuere dictæ civitates, ac ſeſe quotannis ad eam de ſuo centum ſcutata vetera erogaturos receperunt.

Eodem hoc anno Hermannus a Kuynre una cum filio ſuo, Epiſcopo ac tribus civitatibus, jus redemtionis hujus dominii conceſſit, pretio v cIↃ ccl veterum ſcutatorum francicorum, qui nummi ipſis ſui ſine parte periculi aut damni Campis vel Vollenhöæ, vel ubicunque poſſeſſoribus collibuiſſet, tradendi eſſent, poſtquam per ſignatas literas id ipſis eſſet ſignificatum. *Bocop.*

Anno c I ɔ c c c c. locus ſanctimonialium in Depenvenne per Io. Brinckerinck, M. Ger. Magni familiarem, multarum poſtmodum congregationum Rectorem, & per devotas domus M. Gerardi in Daventria ſorores primum ſuſceptus eſt & inhabitatus, & anno ſeq. literas ſigillatas ab Epiſcopo Trajectenſi Friderico & a Capitulo Daventrienſi & plebano, pro Monaſterio ejuſdem ordinis ſanctimonialium, quod Capitulo Windeſemenſi ſubjiceretur, ibidem conſtruendo obtinuerunt. Sexto demum anno D. Io. Brinckerinck impetravit a capitulo, ut Prior Windeſemenſ. ſorores in Depenvenne inveſtire, ad profeſſionem recipere, velare, viſitare, & Prioriſſam eligendam auctoritate capituli vellet confirmare. Anno octavo die S. Agnetis duodecim primæ ſorores in Depenvenne inveſtitæ ſunt. inter quas memorantur Hillegundis Sunderlant, quæ prima fuit Priotiſſa, Margareta Dagens, Gertrudis Monics, & Domina de Vrede.

Ioannes iſte Brinckerinck ſub D. Florentio Daventriæ factus Preſbyter, ſecundus fuit Rector ſororum in Daventria. quia autem congregationes ſororum in oppido Daventrienſi omnes puellas id inſtitutum amplecti volentes capere non poterant, idcirco monaſterium extra oppidum illis conſtruxit in Depenvenne, quod muro lapideo undique circumduxit, boniſque temporalibus plurimum ampliavit. ſanctimoniales coquendo, pinſendo, cereviſiam conficiendo, molendo, ſuendo, & ſimilibus occnpabantur, ne vacarent otio, ſed magnis ſuis laboribus & ſpiritualibus inſuper (ut rebantur) exercitiis regnum cœlorum promererentur. *Chron. Windeſ. l. 1. c. 43.*

Anno c I ɔ c c c c c I I. die VI. Aprilis, comparuerunt Covordiæ coram judicio D. Fridericus a Blanckenhem Epiſcopus Ultrajectinus, D. Hermannus a Lochorſt Decanus Ultrajectinus, ac plures alii Canonici, & delegati civitatis Ultrajectinæ, ac civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, & Amersfordianæ ab una parte, ac Regnerus a Covorden cum propinquis & amicis ab altera, conſidentibus pro tribunali ad jus dicendum Aſſuero ab Hekeren, alias a Rechteren, Covordiæ Satrapa, & Scabinis ac judicibus illius oppidi. Ubi dictus Regnerus a Covorden motu, ut profitebatur, proprio, ac libera voluntate, judicialiter ac publice pronunciavit ſe omne jus, juriſdictionem temporalium, imperium, proprietatem ſibi vel directe vel indirecte in arcem ac oppidum Drentiæ Covordiam competentem, eidem Frederico a Blanckenheym Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, in uſum cathedralis Eccleſiæ Ultrajectinæ pro c I ɔ I ɔ antiquis ſcutatis Francicis penitus reſignaſſe ac tradidiſſe, ita ut nec ſibi nec hæredibus ſuis ullum in ea; jus aut proprietatem reſervet, quos c I ɔ I ɔ ſcutatos ſibi in ſolidum exolutos eſſe publice agnovit.

Eodem die Epiſcopo dominium totius Drentiæ, cum juriſdictione, proprietatibus, actionibus, quaſcunque habeat habueritve ſolenniter quoque

ceſſit

ceſſit. Quibus factis, Epiſcopus Drentinos habita oratione ſui officii commonuit, & duodecim cerviſiæ doliis donavit, pro quibus ipſi gratias egerunt, ſeque exhilararunt. *Bocop.*

Anno cIↄ cccc vi. Monaſterium Sibbekeloe, ſitum in regione Tranſiſalana, in confinibus ejuſdem regionis & Comitatus Benthemienſis, hoc anno tale habuit initium. Quidam Clemens nomine, ſecum decreverat Deo in eremo, quo pes hominis non accederet inſervire, hujus propoſiti ſocium nactus eſt æditum templi Montis, quod S. Nicolao dicatum eſt, in urbe Daventria. Pariter ergo Zwollam tendunt, ac cum Patre cœnobii cui Bethlemo nomen eſt, ſuper ſuo inſtituto agunt, aliquot dies ibi morati, Gerbrandum ten Buſſche, extra Zwollam habitantem de eadem re conveniunt, qui magno eis auxilio fuit. Zwolla in pagum Richteren ſe conferunt, quo in die Cinerum appulerunt, apud ſacerdotem ibidem, nomine Ditericum Dominici, divertunt. hic ſacerdos & ipſe ſe eis adjunxit ac devinxit, Atque ita tres hi proximo ſabbati die Breſſam domum acceſſere, quam vir nobilis Ditericus a Voorſt inhabitabat, qui poſtquam eos ad quatuordecim dies amice detinuiſſet, exiguam eis domunculam, ſive horreum inhabitandum dedit. Breſſâ ulterius Nidervenam profecti, locum deſertum ab hominibus ac jumentis, utpote paludoſum, ideoque culturæ minus idoneum, ibi ſedem fixere. Horæ itinere diſtabat hic locus Breſſa. in quo parvam ædiculam extruxere, cui Marienburgo nomen fecere. atque è ceſpitibus quibus vice lignorum ad focum utimur, cum alia terra in vaſta illa palude deſtituerentur, aggerem quo eam cingerent confecerunt, tantiſper ſub dio cubantes, donec ille eſſet abſolutus. Gerardus ab Hardenberch, paſtor Hardenbergenſis; una cum civibus illius oppidi, aſſiduam illis operam navarunt, unoquoque mane ad eos inviſentes, & cum eis laborantes. idem paſtor primum ibi ſacrum celebravit.

Hinc porro in interiora hujus paludis penetrarunt, quæſituri locum extruendo monaſterio, poſt multas hac illac curſitationes, in tumulum quendam omnes conveniunt, in quo quatuor erant arbores, hunc deligunt, arbores amputant, ac ædificationem inchoant, materiam reliquam humeris eodem portant, cum nec equorum nec aliorum jumentorum ibi uſus eſſet. durante autem ſtructura ibi quoque ſub dio eis cubandum erat. Cibum porro ac potum ac reliqua ad vitam ſuſtentandam requiſita, Marienburgo apportabant, in hunc modum: quatuor ex illis, ſinguli bina ligna humeris baiulabant, quas in palude ita deponebant, ut poſtquam ab uno in alterum veſtigia promoviſſent, id quod à tergo erat attollerent, ac ante ſe denuo deponerent, ac tali cum moleſtia per paludem Marienburgum uſque progrediebantur, qui locus bihorii & amplius itinere ab incœpto monaſterio diſtabat. unde poſtmodum magno cum labore viam miliare longam aggeſ-

ſerunt

ſerunt ac complanarunt. Inde & templum moliti ſunt, ſed quicquid extrue-bant, erat operis argillacei, cum nec lateres nec cæmenta ſuppeterent.

Anno cIɔ cccc vII. domus monaſterii Sibbekeloe ad Orientem ſita cœpta eſt ædificari, idque cum ſumma moleſtia, prout Bocopius hæc ex ſchedis monachi cujuſdam, qui ipſe huic operi manus admoverat, excerpta deſcripſit. poſtmodum in ditiſſimum ac celeberrimum monaſterium evaſit.

Fridericus Imperator prohibuit Comiti Gelrorum, ne gravaret ſubditos Epiſcopi Trajectini, maxime *homines caſtri Daventrienſis* noviter inſtituto telonio in Lobeke. Eadem inhibitio poſtea iterata eſt quoad oppidum Arnem. addebat Imperator, in Comitiis Francofordienſibus concluſum eſſe, Imperatorem non poſſe in præjudicium alicujus telonium vel guarandiam alteri præſtare. *lib. Privil. p.* 32.

Anno cIɔ cccc vIII. clerici nonnulli è monaſterio M. Gerardi magni, urbe egreſſi monaſterium ſanctimonialium in Diepenvenne erigere cœperunt.

Eodem anno fuerunt primum inveſtitæ in feſto Agnetis ſorores ſanctimoniales in Diepenvenne, ordinis Canonicorum Regularium, prope oppidum Daventrienſe. Hæc inveſtitio celebrata eſt per fratrem Io. Heuſden priorem de Windeſem, præſente priore Fontis B. Mariæ de prope Aernem, cum Ioanne Kempen Priore montis S. Agnetis. erant autem qua Virgines qua matronæ nobiles 12. numero quæ habitum & ordinem ſecundum regulam B. Auguſtini, aſſumſerunt, è quibus tres eodem die profeſſæ ſunt, reliquæ novitiæ per annum remanſerunt. Plures dictarum ſororum de domo Mag. Gerardi Magni ex oppido Daventrienſi collectæ ſunt & aſſumtæ, poſtquam ampliari cœpiſſent: quas D. Io. Brinckerinck longo tempore rexit & inſtruxit. *Chron. mont. S. Agn. c.* 14.

Sequentia hæc ſunt monaſteria in Sallandiæ regione ſita: *Ter Honnepe*, in confinibus Sallandiæ & Comitatus Zutphaniæ, ex parte ad hunc, ex parte ad illam pertinet. eſtque monaſterium Virginum. *Diepenveen*, itidem Virginum cœnobium. *Winſem* monaſterium Regularium, ac ſupremum omnium illius ordinis, privilegium habet, quo reliqua inibi capitula, ut vocant, ſua celebrare tenentur. monaſterium *montis S. Agnetis* itidem Regularium. Intra urbem Daventrienſem hæc monaſteria ſunt: *Domus fratrum*, ſive Domini Florentii: domus *Lambertæ* (*het Lammen-huys*) domus *Brunonis*, domus *Mag. Gerardi*. domus *Kiveri*, *prioratus*, monaſterium *Gaudentium*. monaſterium *fratrum Cellariorum*. Bocop.

Domui M. Gerardi poſt illius obitum confeſſarii ac Rectoris nomine præfuit Io. de Gronde. cui ſucceſſit Io. Brinckerinck, qui poſtmodum monaſterium in Diepenveen, ut dictum, fundavit, gubernavitque, mortuus

anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

anno cIↄccccxix. & ſepultus in monaſterio Diepenvennenſi, in choro, ante ſummum altare. Poſt cujus obitum D. Ioannes Hoef ſororibus (eas eodem capite *beguttas* vocat) regendis in Daventria præponitur: cura vero ſanctimonialium, Priori in Windeſem commendatur. *Chron. Mont. S. Agnet. c.* xxi.

Eodem anno, Dominica poſt Nativitatis Mariæ, Hermannus Dwerg præpoſitus Eccleſiæ Daventrienſis, qui eo primum tempore Daventriam ingreſſus eſt, literis patentibus, omnibus qui feudum obtinebant, ut ab ipſo tanquam feudi Domino id reciperent ſignificavit. *Acta præpoſituræ Daventr. l.* I.

Anno Domini cIↄccccxi. xxviii menſis Aprilis, R. P. Dominus Hermannus Dwerg præpoſitus Eccleſiæ Daventr. protonotarius S. ſedis Apoſtolicæ, conſtituit honorabilem virum D. Ioannem Sebing, Canonicum Eccleſiæ Daventr. in Vicarium generalem & procuratorem præpoſituræ Daventr. præſentibus honorabilibus viris D. Wilhelmo de Wye, Secretario Domini Trajectenſis, D. Gerardo Millingen, Canonico Embricenſi, Magiſtris. Henrico Dinſlaken, Gerardo Kremer teſtibus, ad præmiſſa vocatis ſpecialiter ac rogatis. *Act. præpoſit. Daventr.*

Hi infra ſcripti, hoc anno fuerunt equeſtris ordinis in regione Sallandiæ, qui ad comitia quævis admittebantur, ac locis jam nominandis commorabantur. In parœcia Olſt, municipio Herwerde, Fredericus ab Ham. Theodorus ab Ham in municipio Olſtenſi, Wilhelmus ter Rijt, Theodorus Greve Hermanni. Fridericus ab Honlo, Quadus nomine, Theodorus ten Hamme. In parœcia Wije, municipio Wengeloe, Wilhelmus a Sinderen. ibidem in municipio Hengelvelde, Fridericus a Bakerweert, Fridericus a Baeck, Albertus ab Emme, Theodorus ten Bleke, Angelicus (*Engelken*) ten Voorde, cum ſua matre, Fridericus Quadus. ibidem municipio Wynvordenſi & Mergenſi, Wilhelmus a Dorſten. ibidem municipio Harxen, Henricus ab Eſſen. In parœcia Zwollana, municipio Birmermede, Henricus ab Haerſolte. ibidem municipio Langeholte, Wilhelmus Tyns. In parœcia Sallicana Ioannes a Bochorſt, Theodorus a Ruytenborch, uxor Wilhelmi a Boechorſt. In Maſtebroeck diſtrictus Iſelmudani, Erneſtus ab Iſelmuden. Theodorus de Sune, junior. Egbertus ab Holtzende. Egbertus Stellinck. In Ooſterholt, Theodorus a Sullenne. In parœcia Dalfſen municipio Aken N. a Ruytenborch. Wilhelmus ten Velde, Gerardus a Millingen & Rechteren. ibidem municipio Millingen & Rechteren, Fredericus a Rechteren, Rodolphus a Ruytenborch. Ioannes a Millingen. D. Theodorus Bryel. ibidem municipio Letten, Bartholdus a Kyvercamp. In parœcia Ommenſi, municipio Eigen, Wigerus de Hoemiſte, Remboldus a Steigeren, uxor Remboldi Vanen. Bartholdus ter Beke. Adrianus a Verſenne. Rodolphus Meynen. ibidem municipio Gennenſi, Henricus ab Hoorn. In parœcia Hardenbergenſi, municipio Nie & Overleden, Rodolphus Werelinck, Ioannes

ab Overweert. In parœcia & municipio Hellendoorn, Henricus Schaep, Joannes Sluyſken. In parœcia Home, Joannes a Voorſt, Domicella à Rechteren, Alferdus a Schelinck. Atque hi fuerunt tum temporis ordinis equeſtris in Sallandia, in Tubantia autem & Vollenhoa quinam fuerint, profitetur ſibi ignotum eſſe, qui hæc annotavit, Bocopius, eo quod in hiſce regionibus nulla regeſta judicialia ante tempora Davidis Burgundi reperiantur. ſiqua vel locorum vel perſonarum hic nomina perperam (ut vereor) ſcripta ſunt, moroſis Bocopii characteribus æquus lector aſcribat, & quæ poteſt corrigat rogo.

Ad annum cIↄccccxiv. annotatum invenio, cœnobium M. Gerardi Magni, ſub Ioanne XXIII. Pont. anno ipſius Pontificatus iv. ſitum fuiſſe *infra muros oppidi Daventrienſis.* ac nominari *Congregationem devotarum virginum & viduarum.* Privil. p. 42.

Anno cIↄccccxv. incuſati fuerunt (à Gelris) Daventrienſes, ut & Campenſes Zwollenſeſque, quod telonia Gelrici Ducatus ac Comitatus Zutphaniæ præternavigarent, non ſolutis quæ debebant, quodque Inſulas inter Zutphaniam ac Daventriam in Iſala flumine ſitas ſibi Daventrienſes injuſte vindicarent: quod & iidem Daventrienſes, intra Zutphaniam, ſpreto Magiſtratu, quendam nomine Conradum Hoefs, Duci Gelriæ ac urbi Zutphaniæ obnoxium, ex urbe eadem armati deportaſſent, & denique quod vim nonnullis in arce quoque Voerſtæ intuliſſent. De quibus ſingulis Tranſiſalanos, & præſertim Daventrienſes per legatos & literas Dux Reinaldus IV. commonefecit. Et poſtremo, cum inter utramque partem eo deducta res eſſet, ut coram Imperatore Sigiſmundo, qui tunc Conſtantiæ agebat, ſeſe juri ſtituros Daventrienſes annuerent, eos iterum per literas reddidit certiores Reinaldus Dux, ut ſecum adductis quæ ad ſuperiora capita quatuor dicenda reſponſaque haberent, ibi tempori adeſſent, quod & ſe facturos, atque ita ſub ipſas Maji Calend. adfuturos miſſis viciſſim ad Ducem litteris certo ſignificarunt. Inſularum alteram de qua memoratur, Brugger-weerden nominatam indicant literæ, eamque à Duce Gelriæ Reinaldo præfectum ejuſdem Gulielmum a Barcke ad boves aliquot paſcendos utendam accepiſſe. alterius nomen non exprimitur, verum ad Comitatum Zutphaniæ, utpote eidem adſitam, pertinere iiſdem codicillis monſtratur. *Pont. l. 8. p. 392.*

Anno cIↄccccxvii. Trajectus Catenſis prope Zwollam, qui olim pertinuit ad beneficium paſtorale (*der Papelijcker proeven,* verba ſunt in forma) Catenſe, permutatione xxii veterum ſcutatorum anuorum, et poſſeſſione quadam in Maſtebroeck ſita, quæ dicta eſt *poſſeſſio ſuffraganei* (*de Wyel-biſſchops goedt*) ad Epiſcopum Fridericum pervenit, conſenſu Capituli Daventrienſ. tanquam collatorum officii Catenſis.

Statu

Statutum circa liba dulciarii operis hoc anno viguiſſe apparet. Ut videlicet mellis coctores jurent ſe integre ea in re verſaturos, neque aqua ad eam uſuros eſſe. mixtores ſingulis mellis doliis, ſe addituros quatuor libras piperis, & tres quartarios aquæ. piſtores, ſe in liba longiora inſumturos libras tres, iu breviora ac latiora duas. neque ſe mucida ad ea ſiligine uſuros. omnia ſub pœna xxv veterum ſcutatorum. *Liber legum Vrban. Daventr.*

Anno cIↄcccccxvii. die B. Andreæ Apoſtoli, ſcilicet ultima menſis Novemb. nobilis Everwinus de Guyterſwijck pro tunc familiaris domeſticus Domini Frid. de Blanckenheym, ſubditorum Dominiorum de Benthem & de Stenvorden ſuffultus potentia & auxilio, terram Twenthiæ, nulla diffidatione prævia intravit perfide cum nonnullis aliis ſuis complicibus, homines dictæ terræ, & præſertim de Ootmerſum beſtiis innumeris & rebus aliis nimis hoſtiliter ſpoliando, ſpolia ad caſtrum dictum de Nyenhuys, pro tunc D. Everwino ſubjectum apportando, & apportatas illic & in aliis caſtris dictorum dominiorum juxta ſuæ voluntatis impetum dilapidando, & nihilominus quaſdam domos incendio ignis comburendo. Unde D. Epiſcopus Frid. prædictus præfato nobili Everwino guerras movens, cum Daventrienſis, Campenſis, & Swollenſis oppidorum oppidanis, nec non Sallandiæ & Twenthiæ hominibus dictum caſtrum Nyenhuys fere ſex hebdomadis obſidebat. In cujus obſidione Engelbertus Dotinchem, filius Wilhelmi, Joannes Graes, Theodoricus Znerper, & Michaël filius Rodolphi, Scabini & Coſſ. Daventr. una cum aliis quamplurimis oppidanis ejuſdem oppidi, ad præfatum caſtrum Nyenhuys expugnandum emiſſi ſunt. Inter quos unus frater, dictus Ioannes de Eep, Preſbyter ordinis fratrum minorum, & præfatus Michaël Rodolphi Scabinus, hujus (panni-mercatorum) fraternitatis conſors, quodam noctis tempore, candela ardente, ad ſtramenta in quibus dormierunt cadente, inopinate obierunt. quorum animæ perpetua quiete fruantur. Amen. Dictus autem Everwinus, ſentiens ſe præfatum caſtrum tueri non poſſe, maxime propter tria inexpugnabilia fortalitia ſeu valla lignea, per oppidanos dictorum trium oppidorum circumpoſita, vulgariter Blockhuyſen nuncupata, quibus introitus ad caſtrum prohibebatur & exitus de eodem, timenſque graviora damna inevitabiliter emerſura, ſe humiliavit, dictum D. Epiſcopum cum ſua diœceſi abjurando, & ſibi conſuetam Oervediam faciendo, ac caſtrum ſupradictum cum attinentiis ſuis omnibus, nec non parochiam de Ulzen, eidem D. Epiſcopo, titulo ſuppignorationis nihilominus tradidit & obligavit pro 8000 florenorum Rhenenſium ſumma, & trecentis florenis, non citius quam poſt quinquennium proximum redimendum.

Nota:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Nota; Dominica Miſericordias Domini proxime ſequente diem S. Andreæ ſupradictam, D. Epiſcopus exivit Daventria ad obſidionem caſtri Nyenhuys, & Dominica octava Pentecoſtes cum ſupradicta victoria redivit. *Lakenkopers Gildeboeck.*

Anno cIↄccccxviii die converſionis S. Pauli Apoſtoli, D. Frid. de Blanckenhem, Epiſcopo Trajectenſi adhuc Regente, & ſede Oldermanni Comanre-gilde fraternitatis, per liberam reſignationem Egberti Bodeker, vacante, ipſis fratribus dictæ fraternitatis eorum Gilde (ita & annis cIↄccccxlv. & cIↄccccxlviii. & paſſim.) in Dei nomine combibentibus copioſe & pacifice, Ioannes Graes, Scabinus Daventrienſis in Oldermannum concorditer eſt electus, qui Dominica Miſericord. Domini ex parte oppidi Daventrienſ. miſſus cum eodem D. Epiſcopo ad obſidionem caſtri Nyenhuys prædicti, & ad expugnationem ipſius caſtri cooperans, die Sabbati infra octavas Pentecoſtes, pacem & triumphum ſuper ipſo caſtro, modo & forma ſupra deſcriptis obtentum cum gaudio reportavit. *Gilde-boeck.*

Anno cIↄccccxxii. die Veneris poſt Luciæ, Senatus Daventrienſis cum Tribuniſplebis ſecum invicem conſenſerunt, ut quocunque tempore defectus tribunorum eſſet, Senatus defectum illum, per electionem aliorum tempeſtive ſuppleret, ita ut numerus octonarius in ſingulis octo tribubus perſonarum, nec eo amplior eſſet. quod ſi quis die S. Petri tribunis allegeretur, ut is continuo una cum cæteris in electione magiſtratus jus ſuffragii haberet, ac tribunorum cœtui intereſſet, donec electio magiſtratus penitus eſſet ad finem perducta. *leg. urb. Dav. l.* 1.

Hic mos poſtea mutavit, nam hodie ſeni tantum ſunt in ſingulis tribubus, neque eliguntur à magiſtratu ſed ab ipſis tribunis. Ut ſuo loco.

Senatus creatur quotannis feſto S. Petri ad cathedram. de quo hoc notâ non indignum, non celebrari eo cathedram Romanam (ne quid hinc Roma ſuperbiat) ſed Antiochenam. prout nos docet Bellarmin. Cardinal. lib. II. de Rom. Pont. c. vi. ubi ait:

,, Solennitas Antiochenæ cathedræ vetuſtiſſima eſt, ut patet ex ſermonibus S. Auguſtin. de Cathedrâ Petri, nec non ex martyrologiis Bedæ, ,,Uſuardi, & Adonis Trevirenſis, & toto orbe Chriſtiano celebratur, & quidem honorificentius celebratur quam feſtus dies cathedræ Romanæ, qui ,,nuper à Paulo IV. inſtitutus eſt, & nuſquam à populo more feſtorum dierum colitur, cum feſtus dies cathedræ Antiochenæ non tantum à clero ,,ſed etiam à plebe multis in locis religioſe ſervetur. & hinc, contra Onuphrium, concludit, primam S. Petri Cathedram fuiſſe Antiochenam, & ,,ideo per totam Eccleſiam in ejus honorem diem feſtum celebrari.

Anno cIↄccccxiii. in profeſto S. Victoris obiit in arce Vollenhoviana

viana Fridericus à Blanckenheym, Epiſcopus Ultrajectinus LI. curru devectum funus nobilitate comitante, Trajectum appulit, ubi clerus ante portam id excepit, ac in Eccleſia cathedrali ſepelivit.

Poſt ejus mortem, ſequentes, qua Domini, qua Dominorum delegati Ultrajectum ſunt ingreſſi: Archiepiſcopus Colonienſis D. Dietericus Meurſenſis, hic ambibat Epiſcopatum fratri ſuo, Rudolfo Meurſenſi. Epiſcopus Leodienſis D. Io. ab Hinſbergen eum petebat Ioanni Bureno. Præpoſitus Aquiſgranenſis agebat pro Epiſcopi Monaſterienſis fratre. Epiſcopus Monaſterienſis pro nepote ſuo D. Alberto ab Hoey. D. Albertus Bergenſis pro D. Gothofrido Clivenſi. Poſt eos magnatum quorundam delegati ſe ſtiterunt, qui D. Rodolphum a Diepholt præpoſitum Oſnabrugenſem, & Canonicum in Eccleſia cathedrali Colonienſi penes ſe habebant, pro quo & magnates complures, & diœceſis Ultrajectina tam ſuperior quam inferior interveniebant. Urbes diœceſis ſuperioris, Daventria, Campi, Zwolla præcipue ab ejus partibus ſtabant.

Poſtridie S. Martini, Canonici in domo capitulari ad electionem novi præſulis convenerunt, ubi variantibus votis, quidam D. Walravium a Meurs, alii Aſſuerum a Cuylenborch præpoſitum Eccleſiæ cathedralis Ultrajectinæ, alii rurſum Rodolphum a Diepholt in Epiſcopum elegerunt, cumque nonnulli mutatis ſuffragiis iis qui Rodolphum elegerant, acceſſiſſent, factum eſt ut reliquis numero votorum prævaluerit, ac Epiſcopus publice fuerit proclamatus. Aderat ei Dux Clivenſis. prælati ex clero conſuetis cæremoniis eum cathedræ impoſuere, ac hymnum *Te Deum laudamus* cecinere.

Poſtridie Dominorum ac Canonicorum novus conventus habetur, qui omnes, ut & Ordines ſeculares diœceſeos Ultrajectinæ de tota re ad Martinum V. Pont. Rom. perſcribunt, petentes ut is Rod. a Diepholt legitime electum in Epiſcopum confirmare vellet.

Pontifex, quod ſibi, ut ajebat, innotuiſſet, eum hominem indoctum, ac latini ſermonis proſſus ignarum eſſe, in electione conſentire renuit, ſed eam prorſus irritam pronunciavit, & ut alium Canonici eligerent mandavit. quod cum illi ſe facturos negarent, Papa Epiſcopatum Ultrajectinum donavit Epiſcopo Spirenſi, de quo D. Rodolphus a Diepholt proteſtatus eſt, eo quod tempus electionis effluxiſſet. Canonici quoque à ſententia Papæ (ut eſt in *lib. Privil. Daventr.*) appellarunt ad Concilium Oecumenicum.

Epiſcopus Spirenſis, quod ſciret regiones ac civitates diœceſeos Ultrajectinæ in Rodolphum unanimes ferri, ac decreviſſe, ſi eum Epiſcopi titulo habere nequirent, eum Poſtulati titulo retinere velle, munitiones quoque omnes in ipſius poteſtate eſſe, noluit ſeſe tantis moleſtiis immiſcere. Cumque Aſſuerus a Culemborch magno animi ardore Epiſcopatum appeteret, cum eo tranſegit Spirenſis, iis legibus, ut Culemburgius ſibi traderet præ-

 poſitu-

poſituram ac plura alia beneficia Eccleſiaſtica, ac Epiſcopatum permutationis jure ab ipſo viciſſim acceptaret, pollicitus ſe ei approbationem à ſede Apoſtolica impetraturum. quod & numerata Pontifici pecunia (erat illa ordinarie CCCC ducatorum, ut ait *Chron. Holl. Div.* 29, *c.* 22.) effectum dedit. Quapropter Papa incolis diœceſeos Ultraject. ſcripto præcepit, ut Culemburgium pro Epiſcopo ſuo agnoſcerent, &c.

Culemburgius Bullis Pontificiis ſuffarcinatus Ultrajectum venit, capitulum congregari fecit, & diplomata Pontificia prælegit, eorum virtute in poſſeſſionem Epiſcopatus immitti flagitans. Rodolphus a Diepholt appellationem oppoſuit ad ſedem Romanam.

Poſt hæc Culemburgius in diœceſin ſuperiorem; ſive regionem Tranſiſalanam profectus, Ordinibus illius literas Papales exhibuit, ac ut ſeſe pro Epiſcopo haberent flagitavit, quod illi ſe facere poſſe negarunt. *Bocop.*

Circa annum CIƆCCCCXXIV. compoſitæ (aut ſaltem ad componendum præparatio facta) controverſiæ, quæ inter Daventriam & Zutphanienſes multo jam tempore hæſerant. quarum & alibi mentionem fecimus. *Pont. l.* IX. *p.* 421.

Anno CIƆCCCCXXV. Daventriæ Comitia Ordinis equeſtris ac Civitatum Tranſiſalaniæ fuerunt celebrata, ubi mature diſcuſſum eſt, an deſerendus ſibi eſſet D. Rodolphus a Diepholt, ac Papæ obediendum, jubenti ut aſſumeretur in Epiſcopum, ac regionis Principem Aſſuerus a Culemborch. decretum autem eſt conſentientibus votis, retinendum ſibi D. Rodolphum a Diepholt tanquam Principem ſuum, ac, ut appellant, Poſtulatum, Culemburgium autem in nulla præeminentia agnoſcendum. Porro nemini, cujuſcunque ſtatus aut gradus, è regionibus Sallandiæ, Drentiæ, Tubantiæ, Vollenhoæ, aut è civitatibus Daventria, Campis, Zwolla, qui feuda aliqua ab Epiſcopo Ultrajectino obtineret, licitum fore, ea à Culemburgio, ſed à ſolo D. Rodolpho acceptare, ut neque Culemburgio, nomine Eccleſiæ Ultrajectinæ ullum præſtare obſequium; quandoquidem D. Rodolphum Poſtulatum Ultrajectinum, pro regionis ſuæ Principe haberent. Quod ſiquis contra faceret, is protinus ac ipſo facto feudo ſuo judicaretur excidiſſe. Præterea ſe mutuo devinxerunt, ut ſi contingeret ipſos ab Eccleſia Ultrajectina, aut aliis quibuſcunque, hujus negotii nomine vel bello peti, vel aliis difficultatibus urgeri, id communi Marte tenerentur avertere. Neque equeſtris Ordo abſque civitatibus, neque hæ illo inconſulto, alium à Poſtulato ſuo Dominum admitterent. Nemo deinceps in Epiſcopum reciperetur, niſi antea unicuique feudum ſuum confirmaſſet, ac omnibus oneribus ſublevaſſet. Hæc diplomatibus fuerunt conſignata, ac ſigillis munita die VII. Aug. anno quo ſup. nomina eorum qui ſubſcripſerant, ſunt hæc: Ex Ordine equeſtri Sallandiæ Fredericus ab Hekeren, dictus a Rechteren. Ioannes a Voorſt

a Voorſt. Rodolphus a Ruytenborch. Seyno a Schuylenborch. Fredericus ab Eſſen. Hermannus Stellinck. Vollenhoæ Hermannus a Kuynre, Gerardus a Bochorſt, Alpherdus Soudekercke, Tubantiæ Egbertus ab Almelo, Dithericus a Grimberge, Gothefridus a Lange, Gerardus a Tyr. Ioannes a Welvelde, Ioannes a Bevervoorde. Drentiæ Ioannes a Clooſter, Arnoldus a Steenwijck, Bernardus a Munſter, Ioannes Kottick. Coſſ. Scabini & Conſiliarii civitatum Daventrienſis, Campenſis ac Zwollanæ.

A. d. XIV. Aug. Aſſuerus a Culemborch magna cum pompâ Ultrajectum ingreſſus eſt, ac cum ſolennitate conſueta ibidem in LII Epiſcopum Ultrajectinum electus. Epiſcopatum poſſedit annos VII. ita tamen ut in diœceſi inferiore per x. duntaxat menſes, in ſuperiori autem nunquam ſeculare dominium obtinuerit. *Bocop.*

Anno CIƆCCCCXXVI. poſt Petri ad Cathedram, Senatus Daventr. Ioannem Pallantem nomine in ſecretarium recepit, pollicitus ei annuos XXIV. ſcutatos veteres, & IV. quibus ſibi veſtes compararet, &c. *Privil. p. 84.*

Culemburgius hoc anno vehementer inſtitit apud diœceſin ſuperiorem, regionem videlicet Tranſiſalanam, ut ſeſe pro Epiſcopo ac Principe reciperet, ſed fruſtra fuit, ordinibus ac clero Poſtulatum ſuum retinere cupientibus.

Tranſiſalani itaque in XXI Decembr. Comitia indixerunt, ac Poſtulatum quoque ut iis ſe ſiſteret commonuerunt, quo finaliter cum ipſo tranſigerent. Comparuit ad diem illum Poſtulatus, hiſce comitatus proceribus: Henrico Adolpho Clivenſi, Comite Marcano, Everwino Comite Benthemienſi ac Steenvordienſi, D. Conraet Domino in Diepholt. Poſt multas à Poſtulato ac magnatibus hiſce cum Ordinibus habitas communicationes, in haſce leges conventum: Ut Ordo equeſtris & Civitates D. Rodolphum a Diepholt pro Poſtulato (quoniam ipſum Epiſcopum habere prohibebantur) reciperent, ei omnes arces ac munitiones ſuæ regionis traderent; ipſe autem viciſſim polliceretur, (quod & reliqui Domini pro eo ſponderent) ſi forte contingeret in proximo concilio Poſtulatum deponi, neque ad Epiſcopatum admitti, ipſum in eo caſu omnes arces ac munitiones Ordinibus redditurum, ita ut eas ab illis acceperat. præter hæc, ſi contingeret dictam regionem hac de cauſa à magnatibus quibuſcunque vel ſecularibus vel eccleſiaſticis bello aliterve impeti, dictos Dominos omnes, diœceſi ſuperiori omnibus ſuis viribus ſubſidio atque adjumento futuros, id quod omnes ac ſinguli ſe facturos receperunt, & diplomata de hoc negocio confecta & obſignata fuerunt menſe ac die quo ſup. Quo facto, omnes arces ac munitiones regionis Tranſiſalanæ Rodolpho fuerunt traditæ, ipſeque in poſſeſſionem ejus immiſſus, ac pro Principe, & Poſtulato Ultrajectino agnitus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Peſſime ea res habuit Culemburgium, ideoque à Papa impetravit ut ſibi liceret Poſtulatum anathemate ferire. quo facto, cum Poſtulato indicaretur, eſſe ipſum ab Epiſcopo excommunicatum, quæſivit, quid hoc eſſet, excommunicari? (erat enim homo prorſus illiteratus) cumque ei res eſſet explicata, protenſo pugno, hoc, inquit, ego illum excommunicabo. Deinde, à Papali excommunicatione ad Concilium appellavit.

Culemburgius omni vi ac ope annitebatur, ut Civitates aliquas ſuperioris diœceſis ad ſe pertraheret. quod ut prævenirent Civitates, juramento quod quotannis in electione magiſtratus præſtatur hæc inſeruerunt:

,, Juro me ab hoc tempore & deinceps uſque ad proximum annum cum ,, Scabini ac Conſiliarii innovantur, Nobili D. D. Rodolpho a Diepholt, ,, ut Tutori ac defenſori Eccleſiæ, urbis, ac oppidorum regionis Ultrajecti- ,, næ, fidelem futurum, judicio ejus præſto futurum, ſi quando contigerit ,, me eo per conſuetum ejus apparitorem citari, ibidem jus dicturum inter ,, partes, pro eo ac negocium intellexero, id me non intermiſſurum, neque ,, amoris, neque odii, neque cognationis, cauſa, aut mortis metu. Ita me Deus ,, adjuvet, & ſanctum ejus Euangelium.

Quibus intellectis Culemburgius totam diœceſin Tranſiſalanam, nobiles ac plebeios, cum omnibus incolis, laicis ac clericis excommunicavit, ac porro ex poteſtate abſoluta, nomine Pontificis Romani interdixit, ne ulla officia divina vel eccleſiaſtica in Civitatibus aut regionibus Tranſiſalanis exercerentur, quamdiu Rodolphum a Diepholt pro Tutore haberent. à qua ſententia Ordines ad ſedem Rom. appellarunt, ac de ea proteſtati ſunt. ſimiliter & Paſtor Campenſis, ac plures aliæ perſonæ privatæ. Porro quo pacto Ordines Tranſiſalaniæ Romæ per delegatum ſuum Ioannem ab Helm cauſam ſuam egerint, & Pontifex ibidem Cardinalem quendam ad controverſiæ cognitionem deputarit, & ſimili brevitatis ergo prætereo.

Adhæc Ordines Tranſiſalaniæ neminem in regionibus aut urbibus ſuis tolerare ſtatuerunt, qui Poſtulatum pro Tutore nollet agnoſcere. unde complures è clero, qui mandato Papæ refragari formidarent, ab officiis eccleſiaſticis deſtiterunt, regiones ac urbes Tranſiſalaniæ, una cum ſuis beneficiis ac vicariatibus deſerentes. ex illis fuere ſuperiores Gaudentium in civitate Campenſi, qui quod ſacra facere recuſarent, urbe diſcedere fuerunt adacti, ac quæcunque poterant ſecum avexerunt. multi tamen è fratribus in monaſterio ſubſtiterunt, ipſis invitis, ac in cultu divino, ut ante erant ſoliti, continuarunt.

Magiſtratus urbium ac regionum perſonarum eccleſiaſticarum, quæ voluntario ſe exilio multarant, præbendas, beneficia ac vacariatus ad alios tranſtulerunt, eoſque abſolute eorum poſſeſſioni immiſerunt. Monachis qui apud

apud Campenſes remanſerant, urbis illius Senatus pollicitus eſt, neminem eorum Ordinis in urbem poſtliminio admiſſum iri. Appellationi ergo & ipſi vota ſua adjungerent, certi nec Miniſtrum, nec quenquam alium ipſis eo nomine moleſtiam creaturum. id quod ſcripto diplomate ipſis confirmarunt.

Culemburgius cum in regimine ſuo peſſime verſaretur, & unicuique conquerendi de ſe anſam præberet, generale ab Ordinibus diœceſis inferioris Ultrajecti fuit indictum capitulum, quo Culemburgius Epiſcopus fuit citatus, ad audienda ea quæ adverſus ipſum eſſent producenda, ſeſeque via juris ſi poſſet defendendum. Quater pro more vocatus, excuſavit ſe, quod ſolus eo accedere non auderet, petens ut ipſi ac eis quos ſecum adduceret firmo commeatu caverent, quod factum, eique conceſſum ut tuto centum equitibus ſtipatus urbem ingrederetur. idque majoris campanæ pulſu publicatum, verum non comparuit. unde iterato tertio quartoque peremtorie venire juſſus eſt.

Ordines in magna domo capitulari congregati, cum Epiſcopus non compareret, cum extra januam ejuſdem domus citari curarunt, ſemel, iterum, tertium, juxta conſuetudinem ac jus ſuum, cui ſe pariturum jurato promiſerat. emanentem, omni juriſdictione qua politica qua eccleſiaſtica privarunt, nequis coram eo in judicio compareret ſancientes. cum Rodolpho vero à Diepholt Poſtulato Ultrajectino, una cum equeſtri Ordine Sallandiæ, Tubantiæ, Vollenhoæ, ac Civitatibus Daventrienſi, Campenſi, Zwollana, his legibus tranſegerunt:

Primo, quod D. Rodolphum in tutorem ac defenſorem Eccleſiæ Ultrajectinæ reciperent, omneſque arces diœceſeos inferioris ei tradituri eſſent, eodem pacto quo id peregerant Tranſiſalani, ei in omnibus auxilio futuri tanquam Poſtulato, uſque ad Concilium univerſale. Quod ſi utrique regioni hoc nomine moleſtiam creari contingeret, ad eam depellendam mutuas operas traderent. Neque ſe aut ſuorum quenquam in eo negocio ullum contractum inituros, aut etiam pacem facturos abſque omnium conſenſu. cum aliis articulis pluribus. Hanc tranſactionem ſubſignarunt nomine equeſtris Ordinis diœceſeos inferioris, D. Ioannes Burchgravius Montfortiæ, D. Wilhelmus a Montfoort. D. Io. a Reneſſe, de Renwou. D. Fridericus Uyten-ham eques. Giſbertus a Vianen. Hermannus a Steene, ſcutiferi Civitas Ultrajectina. Ex Ordine equeſtri Tranſiſalaniæ Fridericus ab Hekeren, Seino a Schuylenborch, Frid. a Rutenborch, Herrannus a Kuynre, Gerbrandus a Bochorſt, Adolphus ab Iſſelmuide, Egbertus ab Almelo, Io. a Welevelde, Arnoldus a Steenwijck, Io. a Clooſter. una cum Civitatibus Daventrienſi, Campenſi, Swollana, ac Aldenſalienſi, diplomati ſuper hoc negocio confecto manus ſuæ ſignum ac ſigillum appoſuerunt VIII. Octobr. CIↃCCCCXXVI.

D. Rodolphus Poſtulatus circa hæc monetam auream cudi curavit, quæ florenus Poſtulati (*Poſtulaets-gulden*) vulgo vocabatur.

Geldri hoc anno, à Culemburgio Epiſcopo incitati, diœceſi inferiori bellum indixerunt. literis acceptis, ex illa ditione Ultrajectini, in Velaviam irrupere, eamque incendiis uſque ad pagum Armel vaſtarunt. Idem fecerunt Daventrienſes, Campenſes, Zwollani. *Bocop.*

Anno CIƆCCCCXXVII. Groningæ maximum fuit diſſidium, urbe in duas factiones diviſa, quæ hoſtilia quæque in ſe invicem perpetrabant, carceribus, cædibus, exiliis graſſantes, nec minor erat calamitas agri circumjacentis. Ea occaſione tres Tranſiſalaniæ metropoles, ad eam, ut quartam tum temporis, delegatos miſere, Daventrienſes Conradum a Diemen, Herbertum Splijtlof; Campenſes Arnoldum a Sonnenberch, Jacobum de Witte. Zwollani Egbertum Deyen, & Ioannem vanden Buſſche, qui inter partes amice tranſegerunt, iis conditionibus, ut exules ad ſua poſtliminio redirent, injuriarum amneſtia ſanciretur, homicidia voluntaria utrinque punirentur, &c. confecta hiſce de rebus diplomata, & ab utraque parte ſubſignata a. d. Sanctæ Crucis, anno quo ſup. *Bocop.*

Eodem anno ſcripta eſt hæc denunciatio quam vernaculo ſuo ſermone ex ipſo autographo expreſſam lectori exhibebimus. eſt autem talis:

Wetet, Heer Rolof van Deeſholte, Poſtolaet tot Vtrecht, dat ick Johan tho Myddendorpe liever hebbe den Edelen, hoochgeboren Vorſten Hertzoge Arent van Gelre, van Gulick, vnd Greven van Zutphen, vnd Johanne, Heeren tot Gemen, dan u: Vnd wil om oiren willen uwe viant weſen, vnd uwes geſtichtes van Vtrecht, vnd alles dat ick vp u, vnd vp uwes geſtichtes veden mach; vndvntſegge u mit deſſen breve; vnd wil des mijn eere tegen u vnde tegen uwe geſtichte wal verwaert hebben. Oircunde mijn ſegel bynnen vp ſpatium deſſes breves gedruckt. Gegeven in den Jaer vnſes Heeren, duyſent vier C. *ende* XXVII. *des naeſten Vrydachs na der twolf Apoſtel dach.*

(locus ſigilli)

Quæ Latine ita ſonant:

,, Scito, Domine Rodolphe a Deeſholte, Poſtulate Ultrajectine, me
,, Ioannem tho Middendorpe, tibi præferre nobilem & celſæ proſapiæ Prin-
,, cipem, Arnoldum Ducem Gelriæ & Juliaci, Comitem Zutphaniæ, &
,, Ioannem Dominum in Gemen, ac eorum cauſa tibi & diœceſi tuæ Ultra-
,, jectinæ inimicum eſſe velle, ac tibi hiſce litteris hoſtilia denunciare,
,, quibus honori meo adverſus te ac diœceſin tuam cautum volo. in cujus
,, rei fidem ſigillum meum ſpatio harum literarum impreſſi. Datæ Anno
,, Do-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,Domini noſtri cIↄccccxxvii. proximo die Veneris a feſto duode-
,,,,cim Apoſtolorum.

Eodem anno invenio Ioannem Lubberti fuiſſe Canonicum Eccleſiæ Da-
ventrienſis, ac Vicarium generalem in ſecularibus & eccleſiaſticis Rev. Pa-
tris D. Hermanni Dwerch, &c.

Ad annum ſequentem, cIↄcccccxxviii. pertinet hæc altera ſce-
dula Epiſcopo tranſmiſſa, quam & ipſam nativo ſuo ſermone loquentem
hiſce inſeremus, ex autographo, quod penes nos eſt, deſcriptam;

*Weetet, Heer Rolof van Deefholte, Poſtolaet tot Wtrecht, dat wy,
Egbert ter Kynderhues, Derck Doyſken Smoock, Arent Nyebrant, Arent
Kupers, Berent ter Boeckt, Gerd de Molner, Henrick te Vene, Henrick
de Geck, Derck Sluter Schutte, vnd Johan Craſpod, u vyant weſen willen,
vnd des gemeynen geſtichts van Vtrecht, der Ridderſchap, Steden, vnd vn-
derſaten des voorſz. geſtichtes van Vtrecht. Want wy lever hebben Joncheer
Johan, Heere tho Gemen, dan u. Vnd wy willen des vns vnd aller der
genre die wy op vwen ſchaden brengen mogen, oir eer verwaert hebben.
Geſchreven vnder ſegel onſes lieven Joncheeren Johans, Heeren to Gemen
voorſz. des wy ſementlÿcke hier tho gebruycken. die beneden op't ſpatium
deſes breefs gedruckt is. Inden Jaer vnſes Heren* cIↄcccccxxviii. *des Dingſdaechs na Meydage.*

Id est:

,, Scito Domine Rodolphe a Deefholt, Poſtulate Ultrajectine, nos,
,,Egbertum ten Kynderhues, Ditericum Doyſken Smoock, Arnoldum
,,Nyebrant, Arnoldum Kupers, Bernardum ter Boeckt, Gerardum de Mol-
,,ner, Henricum te Vene, Henricum de Geck, Ditericum Sluter Schutte,
,,& Ioannem Craſpod, tibi & univerſæ diœceſi Ultrajectinæ, ejuſque eque-
,,ſtri Ordini, Civitatibus ac ſubditis hoſtes eſſe velle. quia tibi præferimus
,,nobilem Ioannem, Dominum in Gemen. ſuper quo negocio exiſtimationi
,,noſtræ ac omnium eorum quibus ad tuum detrimentum uti nobis integrum
,,fuerit, abunde cautum volumus. ſcriptæ ſub ſigillo dilecti nobis Domicelli
,,Ioannis, Domini a Gemen ante dicti, quo pariter hac in cauſa utimur,
,,quodque ſpatio harum literarum impreſſum eſt. Anno Domini cIↄcccc
,,xxviii. die Martis poſt Kalendas Majas.

Anno cIↄccccxxix. fratres domus D. Florentii Zutphaniæ com-
morati ſunt, Daventriâ proſcripti cum multis aliis devotis. *Kemp. l. de diſc.
c.* vii. quo & ſequente anno invenio ſex hujus domus fratres *Zutphaniæ*
obiiſſe, (*in Catalogo fratrum & Patrum*) reliquis illud: *In Zutphania*, non
eſt

eſt adjectum. itaque videntur poſtliminio ad ſua reverſi poſt breve exilium, nam & domus clericorum, quæ eſt Gregorii extructa eſt Anno cIↄ Iↄ xvii, & Catalogus quem dixi, deducitur uſque ad annum cIↄ Iↄ lxxii.

Cauſa hujus exilii fuit, quia Ordines & Civitates diœceſis Trajectenſis poſt diu ſervatum interdictum exacerbati compellebant monaſteria aut ap-pellationi D. Rodolphi adhærere & divina celebrare, aut de ſuis mona-ſteriis & de terra exire. cum ergo obedientiam S. ſedis violare nollent, alii in Gelriam, alii in Comitatum Benthem diſceſſerunt. donec miſſo Ma-tiſconum Epiſcopo (in ſeqq. dicitur Monaſterienſis) ſedis Apoſtolicæ Le-gato, & ſublato interdicto, ſinguli ad ſua reverſi ſunt anno cIↄ cccc xxxii. *Chron. Windeſ. l.* i. *c.* xxxiv. (*in Chron. montis S. Agnetis eſt* cIↄ cccc xxii. *ſed puto mendum eſſe.*)

Anno cIↄ cccc xxx. Hermannus Dwerch Erfordienſis Juris Canonici Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Romæ teſtamentum condidit, quo duo extrui de bonis ſuis voluit gymnaſia, Herfordiæ unum pro 12 Studio-ſis (cum ſuo Rectore) quadriennio ibi educandis: de quo ſic loquitur in-ter alia:

,, Et volo quod iſtorum ſcholarium duo ſint de Hervordia, duo de Co-
,,lonia, duo de Leodio, duo de Uratiſlavia, duo de Civitate Lubecenſi, &
,,duo de Daventria. ubi autem tales non venirent nec inſtarent, aſſumantur
,,aliunde, & ſemel aſſumpti maneant ad completum & ſtatutum tempus eo-
,,rum. huic uſui inſumenda legavit iv millia florenorum Rhenenſium.

Alterum erigi mandavit Coloniæ, itidem pro 12 ſtudioſis (& eorum Re-ctore) qui Erfordiæ in Rudimentis Grammaticis inſtituti, eo promovean-
,,tur, ac per quinquennium ibi in ſtudiis alantur. dicit autem: Et volo quod
,,illi duodecim ſint de eiſdem locis, prout prius collegium in Hervordia
,,inſtituendum nominat & deſcribit. Illis non inſtantibus, aliunde.
huic Collegio deputavit vi millia florenorum Rhenenſium. vocatur au-tem hodie Collegium & burſa 3 coronarum.

Poſtea:

,, Item do & relinquo 600 florenos graves de Rheno, cum quibus
,,emantur poſſeſſiones, reditus aut uſusfructus in ſubſidium dotis unius vir-
,,ginis annis ſingulis perpetuo maritandæ in oppido Daventrienſi, quæ ſit
,,de illo oppido oriunda. & illam habebunt aſſumere Decanus & capitu-
,,lum ipſius eccleſiæ Daventrienſis, una cum duobus ex conſulatu, quos re-
,,gentes ad hoc duxerint deputandos.

Hoc anno circa feſtum Lamberti, magnæ contentiones fuerunt inter Aſſuerum Culemburgium Epiſcopum & clerum ac Ordines diœceſeos Ul-trajectinæ, qui eum privilegia, quibus conſervandis ſe jurejurando ob-ſtrinxe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſtrinxerat, inſuper habere querebantur, quo nomine eum apud Papam Eugenium accuſabant. Is ergo cum multæ querimoniæ de eodem Epiſcopo ad ſe deferentur, eum Epiſcopatu privavit, Epiſcopi Cæſarienſis inani titulo ei conceſſo. Rodolphum autem à Diepholt Poſtulatum ejus loco Epiſcopum Ultrajectinum creavit. Culemburgius à ſententia Pontificis provocavit ad Concilium Baſileenſe, quo profectus anno ſequenti in morbum incidit ac vitam cum morte commutavit. *Bocop.*

Anno cIↄ cccc xxxi. tertio menſis Martii electus & receptus eſt (per Dom. Io. à Witmen Decanum, Mag. Io. Lubberti, Dom. Gerardum a Wetten, D. Ludovicum a Batenborch, & D. Wilhelmum Viſſcher, Canonicos Eccleſiæ Daventrienſis) nobilis D. Conradus a Diepholt, in præpoſitum Daventrienſem, præſentibus Poſtulato, Mag. Everardo Lakepreen, Mag. Henrico Bierman, Ioanne & Friderico a Reneſſe fratribus, Wilhelmo a Nyvelde, ac aliis equitibus & ſcutiferis, una cum Ioanne Archipreſbytero. *Acta præpoſituræ.*

Adulta æſtate, qui fuit dies Aug. xix. querelas ad Arnaldum I. Gelriæ Ducem Zutphanienſes attulerunt, accuſantes Daventrienſes, quod civium ſuorum aliorumque mercatorum naves detinerent, nec eas aſcendere flumen permitterent, cruce erecta, quod tamen fieri antea haud conſueverat. Idcirco Dux Arnaldus, edito publico diplomate, ſuo poſterorumque nomine profeſſus eſt, ſuæque urbi Zutphanienſi permiſit, ut ii quamdiu id agere Daventrienſes perſiſterent, naves eas omnes ac mercatores qui flumen aut alias deſcendere cogitarent, terra aquâque viciſſim detinerent. Imperatque ſuis præfectis Comitatus ſui Zutphanienſis univerſis, ut adeſſe Zutphanienſibus atque illis auxiliares manus commodare hac in parte non deſinant. *Pont. l.* ix. *p.* 456.

Anno cIↄ cccc xxxii. Cecidit nix ingens, & ſecuta eſt dura hyems, ita ut Iſala fuerit clauſus glacie mire ſpiſſa uſque ad feſtum purificationis; tandem diſſolutis glacie & nivibus incredibilis aquarum ſubſecuta eſt inundatio, rumpens aggeres, ſemina vaſtans, ædificia ſubvertens, beſtias ſubmergens, & homines depauperans. adeo vero Iſala alveum ſuum egreſſus eſt, ut infra mœnia Daventr. oppidi, ad locum præpoſituræ Daventr. pertingerent. qua inundatione major non fuit in memoria populi tunc viventis. *Comanre-Gildeboeck.*

Hoc anno Epiſcopus Ultrajectinus Rodolphus a Diepholt, cum Ordinibus Trajectinæ diœceſis cis & ultra Iſalam, decrevit, ut omnes Monachi ad ſua monaſteria licite redirent, exceptis iis qui eo beneficio jam excluſi erant.

Eodem anno Papa Rom. Legatum ſuum in diœceſin Ultrajectinam miſit, videlicet Epiſcopum Monaſterienſem, cum plena poteſtate ac auctoritate, omnes qui ab Aſſuero a Culemborch Epiſcopo fuerant excommunicati, abſolven-

ſolvendi, ac in ſinum Eccleſiæ recipiendi. quod & factum. Omneſque qui à Poſtulato, Ordinibus item ac civitatibus Canonicatibus, præbendis, vicariatibus aut aliis beneficiis eccleſiaſticis fuerant donati, ea ad vitæ tempus retinuerunt, qui autem Zelo obediendi Pontifici ac præſuli ea deſeruerant, perpetuo iis privati manſerẽ. *Bocop.*

Anno cIↄccccxxxix. Gerontocomium Daventrienſe extructũ eſt, donatione Lummæ, uxoris Rijckwini Ploech, die Veneris poſt Gregorii. *Lib. privil. p.* 78.

Anno cIↄccccxlii. fundum, cui nomen *den Eesterhof*, quem Præpoſitus Daventrienſis pactione hæreditaria à Capitulo conductum poſſidebat, ut iis, qui præpoſituræ juriſdictioni ſuberant, juſtitiam in eo adminiſtraret, idem Præpoſitus Senatui Daventrienſi ceſſit, locum & aditum ſibi reſervans, ubi jus diceret, depenſo floreno Arnemienſi, qui valebat vii libras Sallandicas.

Anno cIↄccccxliii. Hollandi, ac præcipue Boreales, una cum Waterlandis, adverſus inita cum Civitatibus Daventrienſi, Campenſi, Zwollenſi pacta, à Duce Burgundiæ Philippo obſigna'a, Campenſibus multa damna intulerunt, raptis inter alia quatuor magnis navibus quarum onus pluſquam decies mille florenis aureis æſtimabatur̃. Conqueſti ſunt ſuper hac injuria Campenſes apud Epiſcopum, & paſſim alibi. Epiſcopus ſcripto rem ſignificavit Duci Burgundiæ, ſed fruſtra, nulla ſequuta reſtitutionẽ.

Campenſes una cum aliis duabus Civitatibus Daventrienſi ac Zwollana, decernunt, nullas ſe merces ex ſuis oppidis, aut aliunde eadem prætervehi ſolitas, in Hollandiam permiſſuros deportari. Adhæc ab Epiſcopo flagitarunt, concederet ſibi per Tranſiſalaniam ubique merces Hollandicas areſto detinere. reſpondet iis Epiſcopus, non putare ſe hoc ſuæ poteſtatis eſſe, niſi Ordinibus conſentientibus, non obſtare ſe tamen, quominus id fieret, inquantum res ea ad ſeſe ſpectaret̃.

Campenſes duas naves ad militiam inſtruxere, eas in ſinu quem Aquas nigras appellant, devexere, ut iis merces Hollandorum quæ illac tranſitum habebant detinerent. Oppoſuerunt ſe conatui illi Ordo equeſtris, una cum duabus Civitatibus, Daventrienſi & Zwollana, regioni Tranſiſalaniæ hoc pacto negotiationem impediri non de nihilo arbitrati.

Epiſcopus Ultrajectinus Ordinem equeſtrem, una cum Civitatibus magnis ac parvis, in diem Jovis poſt Matthiæ convocavit. quibus congregatis, deputati Epiſcopi Ordinibus propoſuere, quanta damna Hollandi, contra jus faſque Campenſibus intuliſſent̃. Campenſibus exire juſſis, reliqui ex Ordinibus ſeorſim ab illis in ſuffragia iverunt, ac facto decreto, eos denuo advocarunt, & communi reliquorum nomine (ſolis Haſſeltanis refragantibus)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tibus) D. Fridericum a Rechteren, & Adolphum a Twickelo ad Epiſco-
pum ablegarunt, per eos ipſum ut Principem ſuum in auxilium vocantes,
petenteſque ut flumina ac vias regionis Tranſiſalanæ aperire vellet, quo
cuilibet quo liberet iter facere, ac mercaturam ſuam ut hactenus exercere
integrum eſſet. utque duas naves magnas ad bellum armatas, quibus Cam-
penſes Aquas Nigras prope oppidum Haſſeltanum inſidebanr, inde curaret
devehi. niſi fieret, ſe ipſos id facturos eſſe. ac ſiquis Epiſcopo eo nomine
controverſiam movere vellet, ſeſe ipſum indemnem præſtituros. Epiſcopus
poſt deliberationem nonnullam, Campenſes ut decreto parerent, ac naves
deveherent permovit. *Bocop.*

Eodem anno in vigilia S. Thomæ Senatus ac Tribuni plebis Daventrien-
ſes ſtatuerunt, Hollandis qui Daventriæ habitabant, dimidium telonii exol-
vendum, neque deinceps ulli Hollando concedendum ut Daventriæ habita-
ret, niſi qui eo jam tempore ibi domicilium habebat̃. item nulli Hollando
ad urbis muros, aut in eis habitationem licitam fore. *Ius Daventrienſe vetus.*

Anno cIↃ cccc xlvii. religioſi in monaſterio Albergenſi ordi-
nem Regularium S. Auguſtini aſſumſerunt, ibique veſtibus ei ordini con-
ſuetis fuerunt induti, circa feſtum S. Crucis. *Bocop.*

Anno cIↃ cccc xlviii. Civitas Campenſis Iſalam ponte jungere
cœpit, huic incœpto multi ſe oppoſuerunt, inter quos præcipui Daventrien-
ſes. Hi ab Epiſcopo Ultrajectino poſtularunt, ut tanquam Princeps regio-
nis Tranſiſalanæ, Campenſibus inhiberet, ne liberum Iſalæ flumen inædifi-
carent. idem à vicinis regionibus ac civitatibus petierunt. videlicet ab Epi-
ſcopo, regione ac civitatibus Monaſterienſibus, Monaſterii tum temporis
congregatis, item à Lubecenſium civitate, tanquam capite civitatum Han-
ſeaticarum. utrique autem, tum Monaſterienſes, tum Lubecenſes, Daven-
trienſibus in hoc obſecundarunt, Campos miſſis literis, quas ſuis incluſas
Daventrienſes eo tranſmiſerunt. Quibus non obſtantibus Campenſes xiii
Aprilis die tignis in fluvii fundum adactis ponti ſuſtentaculum pararunt,
quem & aſſeribus impoſitis contabularunt, ita ut die Lunæ poſt feſtum decol-
lationis Ioannis ad tranſitum aptus eſſet. conſtiterat autem 13075 florenis
Rhenenſibus. fiſtuca qua trabes in fundum fuerant adactæ pendebat 790
libras. *Bocop.*

Anno cIↃ cccc xlix. die Martis poſt S. Viti, fraternitas mercatorum
panni Daventriæ Senatum convivio excepit loco cui nomen *op den Rijcken-
ſteyn.* ibique cum uxoribus ſuis epulati ſunt. *Comanre-Gildeboeck.*

Anno cIↃ cccc li. abſolvitur porta quam montis vocant, ipſo Lam-
berti die.

Hoc anno bellum exortum eſt inter Walravium a Meurs, & Didericum

ab

ab Hoia, de Epiſcopatu Monaſterienſi. Rudolphus Epiſcopus Trajectenſis partibus Walravii ſe adjunxit, ac ope Card. Cuſani fedus cum eo percuſſit, iis conditionibus, ut ſi Walravius Monaſterienſes in ordinem cogeret, electionem ac Epiſcopatum ſuum Monaſterienſem reſignaret in manus Conradi a Diepholt, Epiſcopi Rudolphi fratris, qui præpoſitus Eccleſiæ Cathedralis Oſnabrugenſis, itemque Daventrienſis erat, ipſe vero ex Eccleſia Monaſterienſi certam pecuniæ ſummam, ac decimam præterea ex precaria quam vocant Eccleſiæ Ultrajectinæ acciperet. hanc in rem Bullas Pontificias impetravit Cuſanus, ac Rudolphus bello Monaſterienſi, Walravii nomine, omnes ſuas facultates inſumſit. at Eccleſia Trajectenſ. precariam Walravio nullo pacto concedere voluit, unde ſchiſmata, anathematiſmi & ingentes in urbe motus. Obiit Rud. a Diepholt Vollenhoviæ, Anno cIↃcccccLV. III Martii. Trajecti ſepultus.

Cui cum ſucceſſor quæreretur, communibus Eccleſiæ votis eligitur Giſbertus a Brederode præpoſitus Trajectenſ. qui (more majorum) legatos cum pecunia mittit ad Papam Calliſtum III. obtinendæ confirmationi (aliter enim hæc ſacra non conſtabant) alios item ad Fridericum III. Imperatorem, ad impetrandum gladium regalem ac ſecularem. quem ab eo obtinet. ac Papa, argentum quidem accipit, confirmationem tamen non confert. Interim Philippus Burgundiæ Dux de Davide filio ſuo notho Epiſcopo Morinorum, ſive Teruanæ agit: in illum Papa confert Epiſcopatum, legatos Eccleſiæ promiſſis lactat, qui objecta ei in os ſua perfidia, re infecta domum redeunt. David Burgundus, diploma Pontificium nactus, ope patris ditionem Trajectenſem vi armata, quâ poteſt, occupat, donec ejus potentiam veritus Brederodius certâ pecuniæ ſumma cum eo tranſigit, ac cathedrâ ei cedit, ipſe præpoſitus manſurus (quod ei male ceſſit) Daventrienſes cum Davidem recipere pernegarent, Philippus eos collecto undique milite invadit, ac partem quidem caſtrorum ponit Wilpæ, partem ad auſtrum in Inſula quadam Iſalæ, tum temporis dictâ *Vennoo* partem quam ipſe Epiſcopus ducebat, ad latus urbis Occidentale. Cives munierant turrim ſive ſpeculam quandam lateritiam ad pomœria urbis ſitam (puto eam quam vocant *het Coerhuys*) ac omni armorum genere inſtructum præſidium ſuorum impoſuerant, unde urbem defendebant, ac hoſtium caſtra infeſtabant. qui eam obſident & telis ac machinis ita quatiunt, ut cives coacti fuerint ei ignem injicere ac ſeſe in urbem recipere. exinde urbs atrociſſime oppugnata, mœnia, turres, portæ labefactatæ, ſed ob aëris intemperiem & civium fortitudinem nihil admodum profectum. interventu tandem Ducis Cliviæ compoſitum eſt bellum, ea conditione, ut Daventrienſes cum reliquis Civitatibus trans Iſalam Davidem pro Domino ſuo ac præſule reciperent. quo facto obſidio ſoluta eſt. *Chron. Holl.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Holl. Div. XXIX. *c.* XXIII-XXVIII. *lib. Privil. p.* 138. *& Pont. p.* 507. Duravit hæc obſidio circiter VIII hebdomadas. & incidit in annum CIↃCCCCLVI. ad quem diploma tranſactionis recenſebimus. Hollandi dum ſecundo flumine Iſalâ revertuntur ad ſuos, à quibuſdam nobilibus aliiſque qui poſſeſſiones in Velua & juxta Daventriam habebant, nonnulli eorum capti ſunt, nec niſi numerata ingenti pecunia dimiſſi, unde poſtmodum grave diſſidium ortum habuit inter Daventrienſes & Hollandos. ib. obiit Epiſcopus David, Anno CIↃCCCCXCVI. cum XL annis præfuiſſet. *Chron. Holl. Div.* XXXII. *c.* IX.

Anno CIↃCCCCLIV. in vigilia S. Catharinæ, Rudolphus Voſſius, & Henricus Puiſſe, Coſſ. Daventrienſ. ædes cujuſdam nomine Weyſſen acceſſerunt, ejuſque uxori injunxerunt ut Weiſſio marito ſuo Hollando indicaret, & ſibi & ipſi injunctum eſſe ut ante XIV diem urbe excederent, ni facerent, inciderent in multam V. librarum, ac deinceps ſingularum librarum in ſingulos dies quibus in urbe eſſent remanſuri. *Lib. Privil. p.* 203.

Annum ſequentem CIↃCCCCLV. fatalem experta eſt Eleonora Gelriæ Duciſſa. Reinaldi & Eduardi Gelriæ Ducum mater. defuncta X. Kalend. Maji, in profeſto Georgii Martyris. fuit ea Eduardi II. Anglorum Regis filia, Tertii vero Eduardi ſoror. De ſepultura ejus diverſa traduntur. Nam Hardervicenæ tabulæ, quæ in Valle Comitis marito ſuo Reinaldo II. Ducum primo conſepultam volunt, eo arguuntur, quod habeat non Berchemius modo, ſed & alii autores ac codicilli, (quos manuſcriptos vidiſſe ait Pontanus) Daventriæ in æde fratrum minorum ante ſummum altare tumulatam: quod etiam veriſimile habeatur, cum ejus ædis ipſa fundatrix extiterit. tum & ſaxum ibi marmoreum, ſed inverſum, ſervari, quod nomen Eleonoræ fugientibus literis inciſum habuerit, cum de eo inquiri facerem, (inquit idem Pontanus) ex fide dignis percepi. Et accedit, quod diu multumque apud Daventrienſes Eleonora egerit, præſertim cum illi, pignoris titulo, cum cætera propemodum Tranſiſalania ſub juriſdictionem Gelrorum conceſſiſſent. & hoc præcipue tempore, diſſidentibus domi inter ſe filiis, ſeneſcente hic ætate ſubſtitiſſe, & oſſa ſua in æde à ſe poſita condi etiam voluiſſe conſentaneum videatur. *Pont. l.* VII. *p.* 266.

In annum CIↃCCCCLVI. ut ſupra monuimus incidit tranſactio Daventrienſium ac reliquarum Tranſiſalaniæ Civitatum cum Philippo Duce Burgundiæ, de qua hoc diploma reperitur in Commentariis ſive Annalibus Bocopii:

,, Philippus Dei gratia, Dux Burgundiæ, Palatinus Hannoniæ, Hollan-
,,diæ. Zelandiæ, Namurci, Marchio Sacri Imperii, Dominus Friſiæ, Sa-
,,linarum, & Machliniæ, notum facimus omnibus, quopacto, bello ex-
,,orto inter nos ac noſtros ab una, & civitatem Daventrienſem reliquaſque

,,Civitates diœceſeos ſuperioris Ultrajectinæ, idque ratione controverſia-
,,rum circa receptionem & obedientiam Reverendi in Deo Patris, dilecti
,,ac fidelis noſtri Conſiliarii Domini Davidis a Burgundia Epiſcopi Ultra-
,,jectini, quam receptionem ac obedientiam nunc præſtiterunt, nos rogatu
,,ejuſdem Epiſcopi, bellum hoc poſuimus ac abolevimus, & in totum per
,,præſentes literas ponimus & abolemus, cum noſtro, tum noſtrorum no-
,,mine, polliciti pariter, nunquam deinceps hac de cauſa ullam hoſtilita-
,,tem per nos aut noſtros ordiendam eſſe adverſus illas civitates earumve
,,adiutores. In fidem haſce literas ſignavimus ac appenſo ſigillo noſtro mu-
,,nivimus. Dabantur in caſtris noſtris circa Wilpam, Anno Domini noſtri
,,CIↃCCCCLVI. XVII die Septembris.

Hiſce tranſactis, Epiſcopus David a Burgundia in urbe Daventrienſi receptus & inauguratus eſt, ac die Jovis poſt S. Victoris duabus navibus Rhenenſibus Campos devectus, ante portam fori frumentarii in terram egreſſus eſt, ubi eum Senatus urbis in ora fluvii præſtolabatur. Clerus ac cives intra urbem ad portam ſubſtiterunt. Epiſcopo navi egrediente portæ urbis claudebantur, tantiſper dum Epiſcopus omnia & ſingula privilegia civitatis Campenſis confirmaſſet & obſignaſſet. quo facto patefactæ fuerunt portæ, & Epiſcopus ſolenni pompa in ædem S. Nicolai deductus, ubi hymnus cujus initium eſt, *Te Deum laudamus* canebatur. poſtea in curiam deductus, ac ibi veteri more inauguratus fuit. Curia excedens publicum œnopolium intravit, ubi cum Senatu ac civibus epulatus eſt. quicquid autem in id epulum inſumebatur, à civitate Campenſi exolutum fuit. Campis Zwollam perrexit, & ibi quoque inauguratus. ut & poſtea ab equeſtri Ordine ac civitatibus minoribus, in loco cui nomen *Spolderberch.* unde in Drentiam profectus, loco cui nomen *Biſſchops-burch* ſimili honore fuit affectus. *Bocop.* Hæc in hunc eundem annum recte confert Heda. ac perperam eã in ſequentem conjicit ſuffridus Petri. confer & quæ W. Heda hic habet in *Davide p.* 293,

Anno CIↃCCCCLX. Epiſcopus David a Burgundia prima Comitia judiciaria (ipſi *Claronge* vocant) celebravit in arce Vollenhoviana, cum Equeſtri Ordine, & Scabinis trium Civitatum. Intererant autem ex Ordine Equeſtri Wilhelmus a Bochorſt Mareſchalcus (ut appellant) domeſticus Epiſcopi, eques; D. Otto a Rechteren eques. Adolphus a Ruytenburch, Hermannus ab Ooſterwolde, Arnoldus Sloot, Henricus a Ruytenburch, Ioannes ter Hellen. Ioannes ab Iſſelmuden, Fridericus Borre, Rodolphus Allerts, Hermannus Hagen, Heſſelus Mulert, Egbertus a Rutenborch, Siſo a Clooſter, Rodolphus a Beverveurde, Gerardus ab Iſſelmuden, Erneſtus Cruſe. Everardus a Witmans. Scabini Daventrienſes, Henricus a Deutecum, Wilhelmus ab Overenck. Campenſes, Wilh. Lubberti junior

Ioan-

Ioannes Rynvis. Zwollani, Reynoldus ten Buſſche, Fredericus ten
Water.

Hic notatu dignum, quopacto Ordo Equeſtris Tranſiſalaniæ (quan-
tum ad diſtrictum Sallandiæ) ſit mutatus, morte immunitus, aut in urbes
majores, Daventriam, Campos, Zwollam ſe receperit. Ad annum
cIↄcccc xi. qui tunc Equeſtris Ordinis erant recenſiti ſunt, una cum
locis quibus domicilia habebanr. Ab illo tempore, uſque ad hæc Comitia,
nulla in regione Tranſiſalana reperiuntur Regeſta, quæ vocant, judicialia.
ſed in Hollandiam ea fuerunt avecta, ac dicuntur eſſe in urbe Goudana.
ejus nobilitatis, quæ tum temporis in Sallandia commorabatur, poſteri
nunc per ſupradictas urbes ſedes fixerunt. Cum autem eæ Civitates privi-
legio gaudeant, quod neminem ex illis quos eæ ad ſeſe receperunt ad Co-
mitia vocare liceat, hinc fit ut illi eo hodie non vocentur, quos tamen
non inferioris quam ſunt reliqui nobilitatis eſſe ſatis conſtat.

Eodem anno Epiſcopus Daventrienſ. cum Ordine Equeſtri ac urbium
delegatis Comitia judiciaria celebravit, quibus ex Equeſtri Ordine hi in-
tererant: Henricus ab Eſſen eques; D. Wilh. a Bochorſt eques; D. Otto
a Rechteren eques; D. Ditericus a Camhuyſen eques, & Officiarius
(*Amptman*) Sallandiæ, Aſſuerus a Voorſt, Arnoldus a Beverveurde, Er-
neſtus ab Iſſelmuden, Erneſtus a Wittenſteyn, Fridericus ab Hekeren &
Rechteren, Rodolphus ab Hardenberch, Ioannes Strick junior, Gothar-
dus a Water, Wibroch a Warmelo, Henricus Splinter, Hermannus Hol-
ſcher, Otto a Bellinckhof, Erneſtus Cruſe, Gerardus a Welevelde, Ni-
colaus ab Orelinge, Henricus a Bremervoorde, Pelegromius ten Toorne,
Weſſelus Peperlaken, Rodolphus a Clooſter, Herbertus a Rutenborch
Friderici F. Ioannes Sticker, Ditericus ab Horſt, Fredericus Cremuden,
Seino a Rede, Henricus Mulert, Henricus ab Aſewijn, Hermannus Cruſe,
Rudolphus a Wedel Prætor in Olſt. Scabini Daventrienſes Hermannus
a Brunſvelt, Reinoldus a Ryſſen, Dominus Henricus a Deutecum, Wilh.
ab Overenck, Ioan. a Laer, Magiſter Io. a Winſem. Campenſes Petrus
Lubberti, Erneſtus ab Holtzende, Henricus Pael, Pelegromius ab Ingen,
Rotgerus Schine. Zwollani Rolandus ten Buſſche, Henricus ten Water.

Eodem anno die xxii Decemb. Epiſcopus iterato Daventriæ cum E-
queſtri Ordine & Civitatum delegatis Comitia judiciaria celebravit. qui
ex Equeſtri Ordine iis interfuerint non recenſebo, è Scabinis Daventrien-
ſibus intererant Hermannus Boumen, Henricus a Deutecum, Wilhelmus
Overenck, Io. à Laer. è Campenſibus Petrus Lubberti, Io. Rynvis. è
Zwollanis Reinoldus ten Buſſche, Fredericus ten Water. *Bocop.*

Hoc anno Vicarius præpoſiti Daventrienſ. Conradi a Diepholt fuit Ioan-
nes ten Venne. *Acta prapoſituræ.*

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↄccccLXI. Vicarius præpoſiti Daventrienſ. erat Wilhelmus Viſſcher. *Acta præpoſituræ.*

Anno cIↄccccLXII. Rodolphus a Laer, Civitatibus Daventrienſi & Campenſi bellum indixit, eo nomine (ut ajebat) quod Civitas Daventrienſis ad Epiſcopum Oſnabrugenſem ſcripſiſſet, ipſum (Rodolphum videlicet) duos ex ſuis civibus captivos detinere, quod nullatenus (utpote falſum, & exiſtimationi ſuæ contumelioſum) fateretur, ſed armis eam injuriam vindicare decreviſſet.

Hoc anno Vicarius præpoſiti Daventrienſis erat Ioannes Nederman. *Acta præpoſituræ.*

Anno cIↄccccLXIII. Bernardus Haſe apud Ditericum Conick, *Liberum-Comitem (Vry-Grave)* Ducatus Gelriæ, liberæ ſedis Wolmarienſis in Sleden, accuſavit Rodolphum Witte, & Mag. Fridericum ab Wterwijck Coſſ. Campenſes, ac Rodericum Luninck, quod ſeſe vi aggreſſi eſſent, id quod pretio ccc veterum ſcutatorum tolerare noluiſſet. Liber-Comes Ditericus Conick viris ſupra nominatis, ad liberam ſedem Sledanam diem dixit. Boni hi viri hac de cauſa in magnis erant anguſtiis. Licet autem Civitati Campenſi non deeſſent privilegia, ne cui cives ſuos ad aliud quam Senatus ſui urbani tribunal liceret evocare, neve de ejus ſententia uſpiam provocationem interponere, nihilominus ſollicitudo non exigua ipſum Senatum habebat, propter magnam & nullis propemodum limitibus circumſcriptam ejuſmodi Comitum poteſtatem. Cujus rei vel hoc indicium eſſe poteſt, quod Epiſcopus Ultrajectinus, licet Princeps Imperii eſſet, & omnibus regalibus ac juriſdictione celſi dominii gauderet, reliquiſque præeminentiis Principum Imperii, nihilominus ab Imperatore Carolo IV. Anno Domini cIↄcccLXI. in liberorum Comitum ordinem adſcriptus fuit.

Senatus Campenſis, cum graviter ferret membra ſui collegii, & Rodericum Luninck ſiſtere ſeſe judicio ſedis Wolmarienſis coram Diterico Conick, neque tamen auderet eos domi detinere, conſultum arbitratus eſt, petere ab Epiſcopo Ultrajectino, quandoquidem & ipſe liber Comes erat, & liberam ſedem habebat, ut, ſi poſſet, per literas huic actioni intercederet, eamque ad ſe revocaret. quia autem ſciebat rem periculoſæ aleæ plenam eſſe, ſi Epiſcopus quicquam circa eam tentaret, quo detrimentum aliquod facile poſſet incurrere, per diploma ſuis ſigillis munitum ſe ipſum in omnibus quæ hanc cauſam ſpectarent indemnem præſtiturum cavit. prout ex literis ſubjectis videre eſt:

,,Clementiſſ. Domine: Rodolphus Witte, Mag^r. Rodolphus ab Wter-
,,wijck Senatus noſtri dilecta membra, & Rodericus Kennicken (*ita hic*
,,*ſcriptum erat*) civis noſter, indicarunt nobis, ad manus ſuas perveniſſe Epi-
,,ſtolam, verbotenus continentem ea quæ in inſerto hiſce apographo legere

,,lic

„licet. Porro Clementiſſime Domine, quum hi collegæ noſtri ac cives ſeſe „offerant conſuetis ac ordinariis judiciis, citra liberæ ſedis præjudicium, „obedienter rogamus T. C. ut patentes literas cum appenſo T. C. ſigillo „ſuper ea re ad nos per hunc tabellarium noſtrum mittas, ac ad liberum „Comitem in optima forma de toto hoc negocio perſcribas, & pro iis te „ſponſorem interponas. pollicemur autem nos C. T. indemnem præſtitu-„ros. literas indemnitatis hiſce annexas T. C. mittimus. petentes inſuper, „ut T. C. ſcribi curet ad Weſſelum Peperlagen T. C. nomine Prætorem „Ommenſem, ut qui obtulerit noſtro ſumtu cauſam præparare, ac cives „noſtros defendere ex jure & æquo. C. T. nos pro eo beneficio gratos ex-„perietur. teſtis eſt Deus, quem ut C. T. in felici regimine diu incolu-„mem ſervet unice precamur. Scriptæ anno cIↃcccclxiii. in pro-„feſto Martini. Annexum erat diploma indemnitatis, datum ſub Civitatis ſigillo, die Saturni poſt Miſericordias Domini, Anno cIↃcccclxiii.

Lectis hiſce literis Epiſcopus, anceps conſilii erat, quid ſibi in tam gtavi negocio faciendum eſſet, ac profectus in Tranſiſalaniam, ordines totius regionis in locum cui nomen Spolderberch convocavit, ubi re cum Epiſcopo ultro citroque agitata, decreverunt, citationes ejuſcemodi liberi Comitis, ac Scabinorum ejus in ſuo diſtrictu ac Civitatibus, ſibi non eſſe admittendas, ſed inhærendum privilegiis ſuis ac antiquis conſuetudinibus, quæ ullum ſubditorum ſuorum alio quam coram competente ſuo judice evocari non ferunt, ac magnis ſtatutis pœnis prohibuerunt, nequis liber Comes contra facere auderet, ſeque mutua ſtipulatione ad ferendum auxilium, ſi quid inde incommodi forte oriretur, obſtrinxerunt.

Epiſcopus ergo ad Ioannem Conick (lege *Ditericum,* ut ſupra) liberum Comitem liberæ ſedis Wolmarienſis & Stechemenſis literas dedit in hanc ſententiam.

Amice dilecte: Civitas noſtra Campenſis indicavit nobis, ac apud nos conqueſta eſt, Conſules ſuos Rodolphum Witte, M. Henricum Wterwick, Rodericum Kennicken, & quendam dictum Stille Bartelt, hominem ſibi ignotum, ab Ioanne (Diterico) Conick libero Comite dilecti noſtri agnati Ducis Gelriæ, liberæ ſedis Wolmarienſis & Stegenſis citatos eſſe ad liberam ſedem Stegenſem, idque ratione querimoniæ tangentis Bernardi de Haſe filium natu majorem, quem vi violenta graviter aggreſſi, rebus ſuis ſpoliarint, ac contumelioſis vocibus talia ei exprobrarint quæ vita ac facultatibus ei luenda forent: quam injuriam Henricus de Haſe tolerare nollet pretio ter mille veterum ſcutatorum, &c. Cujuſmodi citatio adverſetur pactis ac conventis nobiſcum cumque Ordine equeſtri ac Civitatibus Sallandiæ in loco cui nomen Spolderberch olim initis, poſtulantes ideo à nobis, ut vi pactorum illorum, citationem illam tollamus. Quandoquidem ergo eam, adver-

adverſus pacta jam nominata, abs te factam (ſi modo verum eſt hanc rem a te ortam eſſe) tolerare nolumus, præcipimus tibi ac ſerio mandamus, per pœnas pactis illis inſertas, ut è veſtigio ſubditos noſtros à moleſtatione judicij clandeſtini liberes, & ſumtus ac multas in quas per eam vigore pactorum incidiſti, exolvas. Niſi feceirs, ſtatuimus ac volumus nos noſtræque regiones, eo modo adverſum te hoc negocium perſequi, prout è pactis & conventis illis juſtum eſſe videbitur. Petimus porro ad haſce literas reſponſum tuum ſcripto conſignatum, per præſentem tabellarium nobis reddendum, ut ex eo, quid nobis agendum, ſtatuere poſſimus. Deo Te commendamus. ſcriptæ in vigilia Catharinæ virginis, Anno cIↄ cccc lxiii.

Ioannes (*Ditericus*) Conick liber Comes Wolmarienſis literas Epiſcopi Vltrajectini floccifecit, ac in citatione ſua, auctoritate Cæſareæ Majeſtatis, progreſſus eſt. Nec extrema adverſus eum experiri Campenſes conſultum putarunt. Vnde Epiſcopus egit cum Bernardo Haſe, libero Comite, vt ſupra nominatis Campenſibus coram ſeſe (cum & ipſe liber Comes eſſet) diem diceret, pollicitus ſe quod juris eſſet integre pronuntiaturum, ac quod judicatum eſſet, ei partes litigantes obſecuturas. Conſenſerunt in id Campenſes citati, pro quibus fidejuſſit Epiſcopus, quem viciſſim indemnem ſe præſtituros ipſa Civitas in ſe recepit, datis in id literis ſigillo ſuo munitis. Atque ita (ut puto) lis illa tunc quidem terminata eſt.

Verum metropoles Tranſiſalanæ, inter quas etiam Groninga nominatur, cum ſupra modum ab hujuſmodi actionibus, quibus privilegia ſua violari querebantur, gravarentur, deliberarunt inter ſe, qua ratione à liberis illis Comitibus & Scabinis Vemæ (vt appellabantur) ſeſe expedire poſſent. Pius ergo ſecundus papa hoc tempore Cardinalem legatum in hiſce oris habebat, eum per libellum ſupplicem adierunt, rogantes vt poteſtatem judicii clandeſtini, auctoritate pontificia irritam reddere vellet. id quod ſe effecturum, ac confirmationem ejus rei à Pontifice impetraturum Cardinalis promiſit, quod & effectum dedit, nam per Bullam pontificiam omnes liberorum Comitum citationes abrogavit, ac vt unuſquiſque coram competenti judice conveniretur ſancivit, Bullæ Papalis exempla ad Civitates Tranſiſalanas tranſmiſit. Ita tandem Tranſiſalani à Tyrannide liberorum Comitum & Vemæ fuerunt liberati. *Bocop.*

Hoc Anno laquear ad manum dexteram templi Montis, quod S. Nicolai vocant, Daventriæ extructum invenio.

Anno cIↄ cccc lxiv. in ducatu Gelriæ, Comitatu Zutphanienſi, & regione Tranſiſalana multa perpetrata ſunt flagitia, unoquoq; faciente quod libitum eſſet, tam inter nobiles quam in promiſcua plebe. Porro Gualterus quidam nomine cum inſigni boum armento Zutphania profectus, eorum

non-

nonnullis ſpoliatus fuit. Nobilis Hermannus a Wis ſub ſalvo conductu Daventriam, ad amicam quandam tranſactionem evocatus, monitus fuit a quodam ſibi obviam facto, ne eo pergeret, cum non ignoraret Daventrienſes ipſum nullo modo eſſe toleraturos. revertitur,& forte occurrentem ſibi mercatorem pecunia ſpoliat, cumque ea Zutphaniam intrat. Adhæc quidam Gerardus Sicken prope vrbem Zutphanienſem, ac alius ex vrbe Daventrienſi oriundus in Comitatu incendiis graſſatus eſt. omnia hæc ſcelera impune committebantur. Quod cum ægre ferrent civitates Tranſiſalanæ, de neglecta juſtitia apud Zutphanienſes conqueſtæ ſunt. qui reſponderunt, eos qui talia commiſiſſent ſuos cives non eſſe, ſed peregrinos, ideoque ſe ei rei remedium adferre non poſſe: ſimilia ſe perpeſſos eſſe a Tubantinis, quod & ipſum ut corrigeretur ſeſe optare.

Circa hoc tempus Mag^{r}. Ioannes ab Itterſum V. I. licentiatus Zwollæ mortuus eſt. cumque liberi ejus hæreditatem diviſuri eſſent, orta eſt contentio inter Wolphgangum ab Itterſum filium ejus natu majorem, & Gualterum a Keppel ter Wolde generum ejus. Propinqui & agnati componendo diſſidio multam operam inſumſerunt, ſed fruſtra. Condictus eſt partibus dies ad amicam tranſactionem, præſentibus vrbium Daventrienſis, Campenſis & Zwollanæ delegatis, in vrbe Daventrienſi tentandam. ubi totum negotium eiſdem delegatis per compromiſſum fuit creditum, utraque parte conſentiente ut in cauſa progrederentur per modum proceſſus judicialis, ac rationibus utrinque ſcripto diſputatis & excuſſis, litem prolata ſententia terminarent.

Dum hæc fiunt, Gualterus a Keppel Senatum Daventrienſem rogat, ut Wolphgangum ab Itterſum, ob certas quaſdam rationes Daventriam ſub ſalvo conductu evocent, quod factum. Wolphgangus ergo literis Senatus Daventrienſis ejuſdemque ſalvo conductu fretus, cum famulitio ſuo conſcenſis equis Daventriam contendit. Vbi pervenit in pagum Olſt, incidit in Rodolphum a Keppel, qui cum quindecim equitibus armatis eum expectabat, ii in eum irruentes, equo eum deturbant, una cum duobus ejus famulis quos lethaliter ſauciant, ipſum Wolphgangum & duos ex ejus comitatu captivos abducunt. Nonnulli ex Keppelii complicibus, in diœceſin Ultrajectinam, alii Grollam ſeſe recipiunt. Gualterus ipſe cum filio ſuo ac reliquo comitatu una cum captivo Wolphgango ab Itterſum in comitatum Zutphanienſem conceſſerunt.

Tres regionis Tranſiſalanæ metropoles Daventria, Campi, Zwollæ, poſt quam hæc reſciverunt, ægerrime rem tulere, neque ſatis comminiſci poterant, qua de cauſa hoc perpetraſſet Keppelius, adverſus datam fidem ſalvi conductus, in alieno territorio, via libera, ac in cauſa quam ipſi proprio motu tribus civitatibus permiſerant judicandam. Quapropter dictæ civitates totum negotium principi ſuo Davidi à Burgundia Epiſcopo Vltrajectino

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

per literas ſignificarunt. ablegatis pariter binis è ſingulis vrbibus, qui de circumſtantiis facti Epiſcopum edocerent, rogantes ut tanto malo remedium afferret. Præterea dictæ civitates delegatos ſuos ad Adolphum Gelriæ ducem miſere, qui ei indicarent quantam violentiam Keppelius adverſus affinem ſuum in ſua ditione perpetraſſet, rogantes ut Clem. ſua operam deret, quo Wolphgangus ab Itterſum, qui in Comitatu Zutphanienſi attinebatur, captivitate liberaretur. *Bocop.*

Anno cIↃ CCCC LXV. die feſto omnium ſanctorum, Colonienſes civibus Daventrienſibus contulere privilegium, nequis eornm quenquam ſiſtere audeat, niſi ob propria debita.

Eodem anno in feſto Matthiæ idem privilegium eis datum eſt a Ruremundenſibus.

Eodem poſt Scholaſticæ, Dom. Giſbertus Dominus in Bronchorſt a ſingulis civitatibus Daventrienſi, Campenſi, Zwollana, centenos aureos ſub Poſtulati nomine cuſos accepit, ſub hac promiſſione, ſuo & hæredum ac ſucceſſorum ſuorum nomine præſtita, quod regioni Tranſiſalanæ nullum illaturi eſſent detrimentum, niſi ſingulis antea vrbibus, in ipſorum curiis centenos ejuſmodi aureos refudiſſet. qua de re literis obſignatis ipſis civitatibus cavit. *Bocop.*

Anno cIↃ CCCC LXVI. Epiſcopus Vltrajectinus negocium Gaultheri a Keppel & Wolphgangi ab Itterſum, ad petitionem civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ Adolpho Gelriæ Duci ſignificavit, ac civitatibus ipſis ut idem per delegatos facerent auctor fuit, ii vero coram Duce & conſiliariis comparuerunt, ubi res late diſceptata fuit. tandem Duci & conſiliariis ipſius viſum fuit, ut dies deſignaretur, quo partes convenirent, de re tota amice collocuturæ. id vero delegati ſe in mandatis habere negarunt, relaturos tamen ſeſe de eo ad ſuos ſuperiores, ac eorum ſententiam tranſſcripturos. Ita in Tranſiſalaniam reverſi quæ ſibi propoſita erant ad civitates retulere, quibus nulla ratione conſultum viſum fuit, ut ſuper re tanti momenti conventus ejuſcemodi haberentur. quapropter delegatos in cœnobio Wiiſſenſi (f. Riiſſenſi) convocarunt unde ad Gelriæ ducem ipſo S. Iacobi die ſcripſerunt, ſeſe ex relatione delegatorum ſuorum de ſucceſſu negocii inter Wolphgangum ab Itterſum & Gualtherum a Keppel fuiſſe edoctos, neque poſſe ſe Cl. ſuam, reſponſi loco, celare, ſeſe cauſam hanc una cum Epiſcopo Ultrajectino exorſos, neque abſque illo quicquam circa eam ſtatuere poſſe. ſerio autem ſeſe rogare, ut Gualterus a Keppel dictus ter Wolde, affinem ſuum, citra ſumtum ullum aut detrimentum è cuſtodia dignaretur dimittere, &c. quod ſi Epiſcopum Ultrajectinum brevi in haſce regiones appellere contingeret, & Wolphgangus relaxatus eſſet, ſeſe perquam libenter quod ſuum eſſet facturos, ut controverſia tota ex æquo & bono componi poſſet.

Spe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Sperare ſe, ſuam Clem. & Gelriæ Ducatum, ſeſe hac in re ut honeſtas flagitaret eſſe geſturos.

Adolphus Gelriæ Dux ex hiſce literis facile animadvertit, Civitates Tranſiſalanas negotium hoc ad animum revocare, ac veritus, ne per id, cum diœceſi Ultrajectina ſuperiore, & ipſo Epiſcopo, novo bello implicaretur, prout parenti ſuo contigerat, omne ſtudium adhibuit, quo res ad optatum finem deduci poſſet, totum ergo quod Gualterus adverſus Wolphgangum, in lite de qua ſupra tactum, prætendebat, ad Epiſcopum miſit, ipſi & Civitatibus amici conventus diem, vi fœderis inter utramque nationem initi præfixit, habendum inter limites Daventriæ ac Zutphaniæ.

Epiſcopus placitum Ducis, Civitatibus Tranſiſalaniæ ſignificavit, ſcripta Gualteri a Keppel ad ſe miſſa illis tradi curavit, ac ut diem à Duce Gelriæ nominatum reſpicerent mandavit.

Civitatibus ſummopere diſplicuit negotium tantæ conſequentiæ ita de die in diem duci, veritis præſertim, ne, ſi Gualtherus Wolphgangum tamdiu ſub cuſtodia detineret, fore ut eum forte ita duriter haberet, ut adigeretur vi fundum aliquem vendere, aut aliis cedere, quo pacto liberi ipſius ad egeſtatem pervenire poſſent, quod ut prævenirent, una cum Ordine equeſtri, omnes regionis Tranſiſalaniæ Prætores coram ſe citarunt, iiſque in mandatis dederunt, ne ullam ceſſionem facultatum Wolphgangi ab Itterſum permitterent approbarentve. id quod etiam ſcripto ab Epiſcopo Ultrajectino petierunt.

Die à Gelriæ Duce conſtituto, convenerunt prope Daventriam, loco qui dicitur *achter de Rye*, delegati Epiſcopi Ultrajectini, Ducis Gelriæ, Civitatis Zutphanienſis, & trium Civitatum, Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, quo de toto negotio inter ſe conferrent.

Delegati Epiſcopi, ac trium Civitatum acriter inſtiterunt, ut Wolphgangus indemnis, ac citra ſumtum dimitteretur, Gualtherus autem, ob vim violentam in via libera, pago Olſt regionis Ttanſiſalaniæ, diœceſeos Trajectinæ, juriſdictionis Epiſcopalis commiſſam, debite puniretur. hic multa utrinque agitata ſunt, & tandem concluſum, Gualterum a Keppel adigendum eſſe, ut Wolphgangum ad Itterſum libere ad ſua permitteret redire.

Dux Gelriæ Gualtero ſcripto injungit, ut Wolphgangum dimittat, is hoc ægre licet ferens, tamen contraire non auſus, quod potuit fecit. Eo enim adegit Wolphgangum, antequam eum vellet relaxare, ut juramento interpoſito, ſub amiſſione honoris ſui, polliceretur, ſiquando eum denuo ſcripto juberet reverti, fore ut juſſis pareret & in vincula redauſpicaret. Hac promiſſione facta Wolphgangus dimiſſus fuit, ac Zwollam ſe contulit.

Conſules, Scabini ac Senatores urbis Zwollanæ, de coacta hac promiſſione

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſione certiores facti, conſultum arbitrati ſunt huic rei, per quam Wolphgangus una cum uxore ac liberis ad incitas poſſet redigi, ſubtili invento obicem ponere. Captivum ergo fecerunt Wolfgangum in porta urbis ſuæ quæ à Saxonibus nomen ſortita eſt, qua ratione impediretur, quominus ad literas Gualtheri ſe poſtliminio ſiſteret cuſtodiendum. Ibi per multos annos incluſus manſit, & ex uxore ſua aliquot liberos ſuſcepit. Ne autem gravis ei eſſet hæc habitatio, Senatus Zwollanus, ſupra interius portæ latus, oſtium & ambulacrum concinnari fecit, unde cum iis qui per portam tranſibant, aut circa eam habitabant, pro lubitu ſermones ſerere poſſet. Sæpenumero autem à Gualtero, tam per nuncios, quam per literas, in carcerem redire juſſus, ſemper reſpondit, ſe id perquam libenter facturum, ac quod ad ſe attineret paratiſſimum eſſe pollicitis ſtare, ac juramenti ſui rationem habere, ſed non poſſe, quamdiu à Civitate Zwollana captivus detineretur. *Bocop.*

FINIS LIBRI PRIMI.

DAVENTRIAE ILLVSTRATÆ,

SIVE

HISTORIÆ URBIS DAVENTRIENSIS

LIBER SECVNDVS.

ANNO cIↄ ccccLXIX. in vigilia Petri & Pauli Apoſtolorum, Nicolaus Cuſanus, Cuſa ad Moſellam oriundus, Cardinal. tit. S. Petri ad vincula, Epiſcopus Brixienſis, ſeminarium perpetuum erexit in urbe Daventrienſi, ubi ſtudiorum ſuorum fundamenta jecerat, quod Burſam Cuſanam vocant, in qua xx Studioſi, quos Rector pro tempore Xenodochii S. Nicolai prope Cuſam eo mitteret, in bonis litteris educarentur. deſtinavit huic rei 4800 florenos aureos Rhenanos, quos Magr. Theodorus a Xanthen Juris Canonici Licentiatus, Canonicus Eccleſiarum Leodienſis & Aquiſgranenſis, Rector tum temporis dicti Xenodochii apud Magiſtratum ac communitatem (ut vocabant) Daventrienſem depoſuit, pro annuo 240. ſimilium florenorum reditu, qui dictis xx Studioſis ſuppeditarentur. ac viciſſim ſuo ſuorumque ſucceſſorum nomine eidem Magiſtratui facultatem perpetuam dedit ternos è ſuorum civium liberis præſentandi, abſque ullo Rectoris aliorumve præfectorum Cuſani Xenodochii impedimento, qui ſi unquam id privilegium Civitatis Daventrienſ, infringere vellent,

vellent, jus eſſe Magiſtratui partem redituum quanta in tres illos Studioſos fuerat inſumenda ſequeſtrandi, donec impedimentum ceſſaret. hæc è variis inſtrumentis. nam ipſam Cuſani fundationem in formâ, quod ajunt, mihi videre nondum contigit. durat hodieque id Collegium, ac in literis & vera pietate inibi Studioſi adoleſcentes inſtituuntur.

De Cuſano nonnulla placet adjicere, ex Io. Andreæ Card. Alerienſis in „eundem Panegyrico: Fuit (inquit ille) Cuſanus tanta bonitate dum vi-„veret, ut vir eo melior nunquam ſit natus. Vitiorum omnium hoſtis acer-„rimus, atque publicus inimicus. Faſtus & ambitionis totius adverſarius. „integritate animi immutabilis. honeſtorum laborum in declivi etiam ſe-„necta patientiſſimus. benefaciendi & gratificandi, gratiæque referendæ „promtitudine admirabilis. ut natus omnibus maxime, ſibi minime vide-„retur. ſanè tanta omnium doctrinarum ubertate fuit, ut quicquid ex tem-„pore dicendum incidiſſet, tali id ſemper ille copia diſſereret, ut ei ſolum „facultati ſtuduiſſe videretur, vir ipſe, ſupra opinionem eloquens & lati-„nus. Hiſtorias omnes, non priſcas modo, ſed mediæ tempeſtatis, tum „veteres, tum recentiores memoria retinebat. In diſciplinis Mathemati-„cis eo tempore doctior fuit nemo. Jus Civile & Pontificium recte pure-„que didicerat, & ut immortali atque æterna memoria erat, tanquam tunc „primum ex illorum ſtudiorum officina prodiiſſet, memoriter ſanctiones & „principum decreta, & Doctorum inſuper ſummam recitabat. Philoſophiæ „Ariſtotelicæ acerrimus diſputator fuit. Theologiæ vero Chriſtianæ ſum-„mus interpres & Magiſter, & cœleſtis arcani antiſtes ſapientiſſimus. D- „ſtudiis ejus Mathematicis ait Stapulenſ. Præfatione in ejus opera: Ma-„thematicas diſciplinas nemo eo profundius penetravit, & illa attingere „tentavit, in quorum perquiſitione nullus majorum noſtrorum non ſucc-„buit, ut quadraturam circuli, chordarum & ſinuum rationes, rectæ in „curvam, & curvæ in rectam reſolutiones, diviſionem anguli in quaſv- „partes, & id genus ſimilia, quæ omne ævum latuerunt.

Quod attinet ad ejus Theologiam, certum eſt ex ejus libris eum abuſ- Rom. Eccleſiæ non paucos vidiſſe, ut ea ætas ferebat, & notaſſe. etenim lib. de Concord. Catholica refutavit vanitatem donationis Conſtantini qu- eſt in Decretis: Affirmat l. II. c, XXXIV. univerſale Concilium ſupr- mam poteſtatem in omnibus habere ſuper ipſum Rom. Pont. Rejicit & a- ctoritatem Epiſtolarum Clementis & Anacleti eandem ſuperioritatem ſe- primatum aſtruentium, qui & in donatione ponitur. lib. de pace fidei prob- nos ſolâ fide juſtificari, non ex merito, multoque minus per traditiones h- manas, quas etiam vehementer extenuat.

L. II. de Concord. Cath. c. XXV. *Auctoritas*, inquit, *Concilii non d- dependet à congregante, ut niſi à Papa congregetur non ſit Concilium, quia n-*

omni

omnia univerſalia Concilia non fuiſſent firma, quoniam per Imperatores convocata
leguntur, & Rom. Pont. ad inſtar aliorum Patriarcharum, Divales ſacras juſſio-
nes, de veniendo aut mittendo ad Concilium, recepit. l. III. c. XVI. *In univer-*
ſalibus VIII *Conciliis ubi Imperatores interfuerunt, & non Papa, ſemper invenio Im-*
peratores & judices ſuos cum ſenatu primatum habuiſſe, & officium præſidentiæ, per
interlocutores, & ex conſenſu Synodi concluſiones & judicium feciſſe, & non inveni-
tur inſtantia in VIII *Conciliis, præterquam in* III *Actione Concilii Chalcedonenſis.*
c. ult. l. II. ait *Concilium poſſe juriſdictionem auctoritativam in Papam exercere,*
utpote quam dat lex divina, ne aut Eccleſiæ noceat, aut ſibi, ut phreneticus. Et
alibi aſſerit, *eſſe de jure poſitivo, quod unus Epiſcopus ſit ſuper Preſbyteros. In*
concionibus ſolitus eſt mendicantes accuſare, quod non ſint probatæ vitæ; Item,
quod perturbent ordinem ſive hierarchiam Eccleſiæ. Item, *quod Eccleſia meliori*
ſtatu ante eos fuerit. ob quam cauſam acres contentiones cum monachis
habuit. *Catalog. teſt. verit.*

Anno CIↃCCCCLI. (ſequente poſt Jubilæum Romæ celebratum) per
Germaniam legatus conſtitutus, quaquaverſum veniret, omnibus vere con-
tritis & confeſſis, & qui ad ciſtas in diverſis Germaniæ Eccleſiis ordinatas
certum pecuniæ ſummam contribuerent, in pios patriæ illius uſus, ut aje-
bat, mox convertendam, conceſſit Jubilæum, id eſt, plenam omnium pec-
catorum remiſſionem. Superioribus igitur Auſtriæ, Thuringiæ, Saxoniæ,
& Weſtphaliæ oris peragratis, Capitulum Canonicorum regularium prope
Northorn primum viſitavit, deinde Daventriam cum magna multitudine
ingrediens, glorioſe fuit ſuſceptus. ubi ſanctimoniales in Diepenvenne in-
viſens, indulgentias eiſdem impertivit. ut & paulo poſt monaſterio Winde-
ſemenſi, ubi interrogatus, an liceret religioſo ſine licentia Romam per-
gere pro Jubilæo impetrando, juxta tenorem & mandatum Bullarum Apo-
ſtolicarum, reſpondit, dixiſſe Dominum Apoſtolicum Papam Nicolaum V.
vivæ vocis oraculo: *Melior eſt obedientia quam indulgentia.* Hinc Zwollam
profectus, ſimilia peregit. *Chron. Windeſ. l. 1. c. 36.*

Inſigne ſpecimen reformationis quarundam ſuperſtitionum, ab eo in hac
legatione inſtitutæ reperitur in MS. cujus mihi copiam fert Clar. Boxhor-
nius. titulus autem eſt: *Ex libro Domini Friderici, quem ſcripſit de fundatione do-*
mus Regularium prope Haerlem, cujus initium eſt: Huic autem Hiſtoriæ. Ubi
deſcribens viſitationem Cuſani per Hollandiam, &c. inter alia hoc ejus
decretum refert:

„ Etiam ſtatuimus, inquit, & ordinamus, quod viſitationes fiant, prout de
„ jure præcipitur. Et, ſi ordinarii in viſitationibus ſuarum diœceſium vel
„ alias reperiant concurſum populi ad aliquas imagines fieri, cognoverint-
„ que, informatione ſummaria recepta, populum amplius ad diſpenſatio-
„ nem, ſive reverentiam figuræ taliſmodi imaginis, quam ſalva fide expediat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,inclinari, quod tunc imaginem tollant, & aliàs omnino provideant, ne
,,idololatria committatur. Similiter, ſi hoſtia transformatur in cruentam
,,carnem, ſeu in ſanguinem apparentem, occultetur penitus & omnino,
,,juxta traditionem juris, nec populo quomodolibet publicetur, nec oſten-
,,datur, ne ſeducatur: & quæſtuarius occurſus populo prohibeatur. Unde
,,in alia conſtitutione dicit: Ipſi enim talem rubedinem Chriſti cruorem
,,nominant, & ſic ſe credere, & adorare aſſerunt. Et, quia ſacerdotes, qui
,,ob pecuniarium quæſtum iſta non ſolum fieri permittunt, ſed etiam ut
,,credatur & adoretur, per aſſertorum miraculorum publicationem popu-
,,lum alliciunt & ſollicitant: Nos, qui rem tam pernicioſam & noſtræ fidei
,,contrariam ſine Dei maxima offenſa ſub ſilentio pertranſire non poſſu-
,,mus, cum corpus Chriſti glorificatum ſanguinem glorificatum in venis
,,glorificatis habere Catholica fides nos inſtruat, ad tollendum omnem ter-
,,rorem, per quem ſimplex vulgus taliter ſeducitur, præſentium tenore,
,,auctoritate qua fungimur ſtatuimus & ordinamus, quod ubi tales hoſtiæ
,,reperiuntur, poſtquam ad notitiam ſacerdotum qui in illis locis præfue-
,,runt hæc noſtra ordinatio perducta fuerit, ab ulteriore publicatione trans-
,,formatarum hoſtiarum penitus ceſſent, & nequaquam amplius miracula
,,talia publicent, quæ populum ſeducere poſſunt: aut ſigna plumbea ad in-
,,ſtar transformatarum hoſtiarum fieri permittant: ſed ſacerdotes tales ho-
,,ſtias finita communione ſumant. Adjecit quoque graviſſimas pœnas, ſi
poſt ternam monitionem ab oſtentatione hoſtiæ transformatæ ceſſatum non
fuerit, ſupponens locum eccleſiaſtico interdicto, & oſtenſores pœnæ ſuſpen-
ſionis. Et pariformiter quoque diſtricte mandavit, imagines & picturas ad
quas vulgus recurrens verbo aut ſigno ſalutem quærit, ab oculis vulgi re-
moveri. Ipſe quoque diligentiſſimam inquiſitionem ex ſpeciali mandato
Domini Papæ, ad cujus aures jam pridem fama deceptionis venerat, de
prætenſo cruore in Wilſenack, faciens, percepit mirabiles fictiones & au-
ſus, quos excogitarunt ſacerdotes, aliique nonnulli ad quos etiam pars obla-
tionum pertinet, ob quæſtus ſui non modo conſervationem, ſed etiam aug-
mentationem. unde & à quodam erudito viro apud Sanctum Ioannem in
Haerlem requiſitus de his quæ in inquiſitione illius prætenſi cruoris invenit,
reſpondit, *totum negocium truſaticum eſſe*. Nam & ante fama fuit, quod hu-
mano aut alio ſanguine colorem illius materiæ quam cruorem vocant, de
tempore in tempus renovant. Hactenus M. S. illud.

A Cuſano hæ lucubrationes prodiere:

De docta ignorantia libb. III.
Apologia eorundem.
De conjecturis l. II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

De filiatione Dei.
De Geneſi.
Idiotæ libb. IV.
De viſione Dei.
De pace fidei.
Cribrationis Alchoran, libb. III.
De ludo globi libb. II.
Compendium.
Dialogus de loco Rom. I.
De beryllo.
De dato Patris luminum.
De quærendo Deum.
De venatione ſapientiæ.
De apice theoriæ.
De Deo abſcondito Dialogus.
De annunciatione Dialogus.
De æqualitate.
Excitationum libb. X.
Conjectura de noviſſ. diebus.
Epiſtolæ VII.
Reparatio Calendarii.
Correctio tabularum Alphonſi.
De tranſmutationibus Geometricis.
De Mathematicis complementis.
Complementum Theologicum.
De Mathematica perfectione.
De Catholica concordantia libb. III.

Anno CIↃCCCCLXXI. in feſto S. Ioannis æſtivo, publicatum fuit Daventriæ edictum, ne viri cum mulieribus promiſcue idem balneum intrarent, utque viri ſeorſim eo uterentur balneo quod in ſepto ſutorum (loco ita dicto) extructum erat. neve balneatores deinceps uterentur ancillis, ſed famulis, nec mulieres in ædibus ſuis ſinerent pernoctare. *Lib. publicationum.*

Anno CIↃCCCCLXXII. capitulationes factæ inter Daventrienſes & Hollandos ac Friſios, inter alias, ut iis citra mulctam Daventriæ matrimonia contrahere liceat, utque uxorem quiſque ſuam ac facultates libere inde abducere poſſit. *Privil. p.* 172.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↄ ccccLXXIII. Civitates Tranſiſalanæ, Daventria, Campi, Zwolla, ſeſe negotio Gelrorum adverſus Burgundiæ Ducem immiſcuerant, ita ut Dux iis infenſus eſſet. ad eum ergo delegatos miſere Zutphaniam, ac ei reconciliati fuere. *Bocop.*

Anno cIↄ ccccLXXIV. David Burgundus Epiſcopus decrevit, ſupremum Senatum, ſive Parlamentum Ultrajecti inſtituere, ad quem omnes cauſæ, tam ſpirituales quam ſeculares, ab omnibus tribunalibus, ſive ſuperioris, ſive inferioris diœceſeos atque omnium Civitatum, majorum minorumve per appellationem devolverentur. Quæ res ut ipſi è voto ſuccederet, ab Ecclesia Romana obtinuit, ut liceret ſibi eam poteſtate Eccleſiaſtica confirmare ac ſtabilire. Judicium autem illud *de ſchijve*, id eſt, *diſcum* (neſcio qua ratione) appellari fecit. In Præſidem autem ac Senatores elegit eos qui ſequuntur. In Præſidem Mag. Ludolfum a Venne, Decanum Eccleſiæ Cathedralis Ultrajectinæ, J.U. Licentiatum, in Senatores, M. Ioannem Mulicom, præpoſitum Arnemienſem Juris Civilis Doctorem, Ditericum uyten Mein præpoſitum Leidenſem, Juris Canonici Doctorem. Ioannem Carwijn J.U. Licentiatum. Ioannem a Berchout J.U. Licent. Ioannem a Rems, Ioannis F. Rodolphum a Bevervoorde Epiſcopi diſpenſatorem. Philippum Dentelinck Quæſtorem regionis Ultrajectinæ, Gerardum a Rijn Prætorem Ultrajectinum, & D. Ditericum a Gent. hiſce poteſtatem fecit juxta tenorem bullæ eccleſiaſticæ agendi, ac præcepit omnibus officiariis, judicibus, aliiſque, ut eos in honore habeant, iiſque obſequantur, omniaque ab illis judicata debitæ mandent executioni, &c.

Fervide hoc negotium egit Epiſcopus, licet id privilegiis ac conſuetudinibus regionum ac Civitatum adverſari ignorare non poſſet, tam Eccleſiaſticorum quam ſecularium reſpectu, ad utramque Iſalæ ripam, quæ id ægerrime tulerunt, ac inexpiabili odio in Epiſcopum, Ludolphum a Venne aliosque qui hanc rem urgebant, exarſerunt. Quod non moratus Epiſcopus, omni conatu incœptum ſuum promovit, ſiquis ad Senatum illum appellaret, magni beneficii loco reputabat, eo enim modo ſe poſſeſſionem aliquam acquirere rebatur. Quod ſiqui ſententia quapiam in ſuperiori diœceſi, ab aliqua Civitatum, Daventrienſi, Campenſi, Zwollana, pronunciata ſuo judicio gravarentur, neque directe provocare auderent, ii per libellum ſupplicem a Schiva (ut loquebantur) petebant, ne ſecundum civitatum ſuarum leges punirentur. ſupplicatione accepta, Senatores Schivæ ad Satrapam Sallandiæ aut alium quempiam officiarium perſcribebant, ut civitates partium documenta ad ſeſe tranſmitterent, quo ſecundum jus & æquum de iis ſtatuerent. Prout factum in cauſa liberorum cujuſdam Gerardi Golwini, civis Daventrienſ. item in cauſa à Prætore & Scabinis Zwollanis judicata adverſus Stephanum ten Oy, pro Helena a Delden. ad quam

termi

terminandam juſſit Epiſcopus Satrapam Sallandiæ Zwollam proficiſci, partibus ad tribunal Schivæ diem dicere. etiam Scabinos Zwollenſes ut omnia partium documenta traderent, mulcta mille veterum ſcutatorum propoſita adigeret, &c. ſcripta erat hæc Epiſtola Doreſtadii Anno cIↃ CCCCLXXIV, die XXVIII Aug. & ſigillo Epiſcopi obſignata.

Eodem fere modo Gerardus a Welevelde cum cauſa cecidiſſet adverſus Bernardum à Morrien Conſulem Campenſem, ratione reditunm quos prætendebat ex prædio ejus in agro Sallicano, & appellandum ſibi eſſet ad Comitia judiciaria, ad Schivam provocavit, & ſimiles literas à Schivæ Senatoribus impetravit. hinc multæ contentiones inter Ordines & Epiſcopum, quæ eo uſque proceſſerunt, ut flagitante Epiſcopo, urbs Ultrajectina à Pontif. Sixto IV. interdicto fuerit ſubjecta, ſed cum non pareret, contraria informatione Abbatis Egmondani, eo ſoluta fuerit. *Bocop,*

Controverſia inter Epiſcopum Davidem a Burgundia & civitatem Ultrajectinam flagravit uſque ad Annum cIↃ CCCCLXXVII. ita ut ſibi mutuo magnas moleſtias crearent, & multa damna inferrent. Exhibuerant Epiſcopo Ordines diœceſis inferioris gravamina ſua articulis aliquot comprehenſa, ad quæ Epiſcopus reſpondit, civitas autem replicavit. qua de cauſa quatuor metropoles Tranſiſalaniæ (quarum quarta tum temporis erat Groninga) negocio ſe immiſcuerunt, omniaque tentarunt, ut Epiſcopum cum Ordinibus ſuis reconciliarent, quo fine delegatos ſuos Ultrajectum miſerunt, Daventrienſes quidem Brunonem Aerſſen, & Ioannem Borren, Campenſes Lubbertum Petri, & Goſuinum Klyncken. Zwollani Everardum Vrieſe, & Lubbertum Taſſen a Lichtenholt. Groningani Iacobum Godefridi, & Mag. Henric. Schatters: qui Epiſcopo ſequentes conditiones propoſuerunt:

Imprimis Epiſcopus omnibus ac ſingulis, qua eccleſiaſticis qua ſecularibus coram competenti ſuo judice diem dicet, jura, privilegia ac conſuetudines regionum ac civitatum inviolatas præſtabit, ex vi juramenti quo ſe ad hoc faciendum obligavit, Eccleſiam ac univerſam diœceſin Ultrajectinam juribus ac conſuetudinibus uti frui ſinet. quod ſiquis deliquerit, ex jure & veteribus ſtatutis adverſus illum procedetur. (& poſt nonnulla) Judicium dictum de Schijve, quod in urbe Ultrajectina erexerat, ex hoc die & in perpetuum, tam ipſius quam ſucceſſorum ejus nomine abrogatum cenſebitur, &c. Scriptum ac ſigillatum Anno cIↃ CCCCLXXVII. XXVIII Julii.

Epiſcopus cum quatuor Civitatum legatis in Tranſiſalaniam profectus, ibidem promiſit ſe ejus incolas in jure ſuo tam civili quam municipali, privilegiis item & veteribus conſuetudinibus conſervaturum, ac officiarios, ut unicuique ex æquo jus dicerent adacturum.

Quumque in conditionibus pacis eſſet, ut unicuique à novis judicibus læſo integrum eſſet jus ſuum debite perſequi, cives ac ruſtici injuriam

paſſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

paſſi magno numero ad Epiſcopum confluxere, conquerentes de Satrapis, præſertim Tubantino, diſpenſatore Epiſcopali, item de Prætore Haſſeltatano ac pluribus aliis, quibus diem dixere. quia autem querelæ multæ erant, neque brevi tempore poterant expediri, Epiſcopus, quo ſumtus compendi fierent, equeſtri Ordini ac tribus Civitatibus ejuſmodi cauſarum cognitionem ac deciſionem permiſit, rogans, ut unum è conſiliariis ſuis iis adjungi ſibi liceret, quod ipſi conceſſum eſt.

Satrapæ & officiarii regionis Tranſiſalanæ cautionem præſtare tenebantur, ſe coram Ordinum delegatis in judicio comparituros, & judicatum ſoluturos. Delegati partibus diem dixere, quo peremtorie ante d. S. Galli Zwollæ ſe ſiſterent, ubi actiones ſuas actores proferrent, rei autem pro virili ſe defenderent. quod & factum. ac in rei veritate compertum, Officiarios contra jus regionis ac antiquas conſuetudines quam graviſſime ejus incolas oneraſſe, unde & eorum quidam ingenteis pecuniarum ſummas reſtituere ſunt coacti.

Poſtea Epiſcopus à delegatis petiit, ut articulos quoſdam ſcripto conſignarent, è quibus jus totius illius regionis comportari poſſet, ipſius aſſenſu ſanciendum. Et hoc igitur factum, & jus illud ab Epiſcopo & Ordinibus approbatum. vocatur autem: *Biſſchop Davids anderde Landt-brieff.*

Die III. Octob. Epiſcopus idem in arce Vollenhoviana cum equeſtri Ordine & Civitatibus regionis Tranſiſalanæ celebravit comitia judiciaria, quibus interfuerunt nomine Civitatis Daventrienſis Ioannes a Borre, Wilhelmus a Snellen. *Bocop.*

Die Veneris poſt Luciæ decretum Daventriæ, ne moniales, aut alia cœnobia domos coëmere poſſent. *lib. Tribb. pleb.*

Anno CIↃCCCCLXXVIII. VI. poſt Pentecoſtes Daventriæ decretum, nulli licere clericis domos ſuas per ſyngrapham oppignerare. item eoſdem ad excubias obeundas aſtringendos, exceptis qui antiquitus ab iis eſſent exemti. *lib. Tribb. pleb.*

Eodem, VI. poſt Luciæ, ne deinceps in profeſto Natalis Domini monialibus aut cœnobitis capaces amphoræ aut doliola vino impleantur. *ibid.*

Anuo CIↃCCCCLXXIX. Dominica poſt Agathæ publicatum, Civitates Daventriam, Campos, Groningam, approbante Civitate Zwollana, conſenſiſſe in cudenda duplici, ſimplici & dimidia *Schellinga*, cujus pretium æquaret duodecim denarios.

Eodem anno primum effoſſus eſt portus, & promulgatum, quæcunque in portus fundo reperirentur, ex ſemiſſe cederent Eccleſiæ, & ex ſemiſſe ei cui opus à Magiſtratu fuerat locatum. *lib. Publicationum.*

Anno CIↃCCCCLXXX. Hardervicenſes, Elburgenſes, & Hattemienſes potentiam Archiducis Auſtriaci veriti, Civitates Daventrienſem,

Cam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Campenſem ac Zwollanam rogarunt, ſuo nomine cum Davide Ultrajectino Præſule agerent, ut quamprimum tolerabilem ipſis pacem conciliare non gravaretur. petierunt id ab Epiſcopo Civitates, qui Dom. Naſſovium ejuſdem Archiducis Mareſchalcum domeſticum ſuper ea re convenit, flagitans ut inter dictas Gelriæ Civitates ac Principem ſuum tranſigeret. quod & factum, iis legibus, ut ipſum tanquam Principem ſuum, ac Gelriæ Ducem reciperent, ac juramento ſe ei obſtringerent. Mittit ergo Archidux Auſtriæ Maximilianus eundem D. Naſſovium ad dictas Civitates, ad inaugurationem ſuam procurandam, & juramentum fidelitatis à civibus recipiendum. quod & factum.

Hoc anno Zwollani foſſam ex urbe ſua ad Iſalam ducere conati ſunt, per quam eo naves ſuas ac mercimonia deveherent, ac viciſſim ex Iſala in urbem ſubveherent, oppoſuit ſe huic cœpto primum ſola Civitas Campenſis, Zwollanis ejuſmodi foſſam excavare de jure illicitum eſſe affirmans, Zwollani contrarium è privilegiis ſuis docere anniſi ſunt, unde tandem ingens diſſidium inter Daventrienſes, Campenſes ac Zwollanos eſt exortum.

Zwollanis in foſſa effodienda progredientibus, mittunt eo Daventrienſes ac Campenſes delegatos ſuos, qui ad locum ubi opus maxime fervebat profecti, foſſoribus id coram notario ac teſtibus prohibuerunt. Teſtium loco aderant Arnoldus a Broechuyſen, Brandolfus & Nicolaus a Dollen. Audita inhibitione foſſores opus intermiſerunt, quos ſub veſperam ejuſdem diei Zwollani per Prætorem ſuum ad foſſam reductos opus inſtaurare juſſerunt. Epiſcopus ergo Ultrajectinus ad Zwollenſes ſcripſit, ac eos à fodiendo ſex ſeptimanarum ſpatio deſiſtere juſſit, in quo ipſi obtemperarunt.

Daventrienſes & Campenſes poſtquam reſciverunt ſtatuiſſe Zwollanos cœptum opus perficere, idque ſibi ſummopere damnoſum fore viderent, tam vectigalium quam mercimonii reſpectu, fœdus ineunt, quo ſe nunquam id permiſſuros invicem ſunt polliciti, quicquid tandem ſibi ea de cauſa evenire poſſit. Quo Zwollani intellecto, obtulerunt ſe compromiſſuros totum negocium in arbitrium Epiſcopi & Civitatis Ultrajectinæ. Poſtulabant Campenſes ut Daventrienſes eſſent inter arbitros, at eos repudiarunt Zwollani, quod & ipſi eſſent in partibus, utpote qui una cum Campenſibus operis progreſſum inhibuiſſent. tandem obtinuerunt Campenſes ut tamdiu ab opere deſiſterent, quod in præjudicium duarum Civitatum occœperant, dum ex jure de re tota fuiſſet deciſum. Ita hoc anno à fodiendo abſtinuerunt.

Anno CIↃCCCCLXXXI. Zwollani de integro in foſſa egerenda laborare cœperunt, Daventrienſes ac Campenſes rem ad Epiſcopum deferunt, rogantes ut id eis prohibeat. Epiſcopus mandat Zwollanis, ſalvo unicuique

ſuo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſuo jure, ut per ſex hebdomadas ab opere deſiſtant, interibi ſe ad partes Tranſiſalaniæ acceſſurum pollicitus. Zwollani delegatos ſuos ad Epiſcopum mittunt, petentes ut Daventrienſes ac Campenſes ad ſe evocet, ut tentaretur via qua amice poſſent tranſigere. Epiſcopus duas civitates ad ſe in diem x. Maji invitat, quæ eo delegatos ſuos mittunt. ibi ultro citroque negotium diſceptatur. Zwollani licitum ſibi ajebant ejuſmodi foſſam excavare, idque vi privilegii & pactionis cujuſdam initæ olim inter Epiſcopum Ioannem Arculeium, & Gualtherum Dominum a Voorſt, quod privilegium quæve pactio Daventriæ in arca publica conſervetur. quæſita hæc & inventa, continebant autem quæ ſequuntur:

,, Porro retinebit Civitas Zwollana foſſam quam ab urbe per * Curam in ,, Iſalam fodiendo perduxerunt, eâ tamen lege ut eam ponte jungant, & Ro- ,, dericus ac hæredes ejus liberum ibi tranſitum habeant. quandoquidem ,, dicto Roderico partem agri fodiendo ademerant, eam ipſi luerent ad arbi- ,, trium Epiſcopi, prout æquum eſſet, &c.

Ad hæc ajebant Campenſes ſcriptum illud nihil ad ſe facere, neque ſibi obeſſe, aut Zwollanis prodeſſe hanc quidem ad rem, multis inductis ad id probandum rationibus. Poſt multas contentiones, tandem res iis conditionibus compoſita eſt, ut Daventrienſes & Campenſes Zwollanis permitterent amicitiæ cauſa, ut fodiendo procederent ad duo agri jugera, neque ulterius. quibus peractis delegati in regionem Tranſiſalanam redierunt. *Bocop.*

Anno cIↄccccLXXXII. Maji die XXII. obiit D. Conradus a Diepholt Epiſcopus Oſnabrugenſis, & Præpoſitus Daventrienſis. poſtquam præpoſituram illam obtinuerat per annos quinquaginta & unum.

Eodem anno, in profeſto viſitationis Mariæ, admiſſus eſt Reverend. & honoratus D. Nicolaus Ruyter, protonotarius ſedis Apoſtolicæ, præpoſitus Walbruggæ in Anem, ac in poſſeſſionem præpoſituræ Daventrienſis inveſtitus. qui Ioannem a Diepholt Canonicum & Scholaſticum Daventrienſem in ſuum elegit Vicarium generalem in eccleſiaſticis & ſecularibus dictæ præpoſituræ. *Acta præpoſit.*

Eodem anno Civitates Daventrienſis, Campenſis, Zwollana delegatos ſuos miſerunt ad Epiſcopum, ut inter ipſum & Ultrajectinos, Amersfordienſes, & regiones ei ſubditas pacem conciliarent. multa media Epiſcopo proponentes, ſed nihil ab eo potuerunt impetrare.

Eodem a. d. S. Petri ad vincula, primum tignum pontis Daventrienſis fiſtuca in fundum adactum fuit, XVI vero Martii eo pons fuit perductus, ut pedibus ac jumentis tranſiri poſſet. conſtititque 16080. florenis aureis Rhenenſibus, qui tunc vicenis octonis aut novenis aſſibus æſtimabantur. *Ex M.S.*

Anno Domini cIↄccccLXXXIII. die ſecunda menſis April, Reve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

in Chriſto Pater, Dominus Dominus Conradus de Rethberch electus & confirmatus Eccleſiæ Oſnabrugenſi accepit poſſeſſionem iſtius præpoſituræ Daventrienſ. vigore literarum ſuarum Apoſtolicarum, proviſionis commendæ, & cujuſdam monitorii pœnalis, non obſtante quod à capitulo, contra Deum & juſtitiam, & mandata Apoſtolica, in maximum ſcandalum totius capituli, ſpretus & rejectus fuit. Nam omnes capitulares adhærebant & adhæſerunt injuſtiſſimæ appellationi Magiſtri Nicolai Ruyter, me, Ioanne de Diepholt, Canonico & Scholaſtico ejuſdem Eccleſiæ demto atque excepto. *Acta præpoſ.*

Hic Io. a Diepholt Conradi Rethbergi Vicarius generalis deinceps vocatur.

Maximilianus Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Gelriæ, &c. hoc anno in favorem Nicolai Ruyteri, Gerardo a Mekeren Satrapæ Velaviæ in mandatis dedit, ut omnes fructus & reditus præpoſituræ Daventrienſis vindicaret & exigeret in uſum Nicolai ſupradicti, ſimulque prohibuit, nequis bona feudalia, cenſuique aut aulæ miniſteriis obnoxia, in Ducatu Gelriæ ſita in feudum acciperet à D. Conrado a Rethbergen Epiſcopo Oſnabrugenſi, & præpoſito Daventrienſi, quantumvis idem Conradus tribus peculiaribus Bullis Apoſtolicis Archidiaconus & præpoſitus fuiſſet renunciatus. *Acta præpoſit.*

Floruit hoc tempore Daventriæ Alexander Hegius Weſtphalus, Preſbyter & Gymnaſiarcha. primus hic Græcas in Belgio literas excitavit, & vel ideo merito Belgis accenſendus: exemplo Rod. Agricolæ præceptoris ſui, qui Germaniæ eaſdem reſtituerat. Multi illo Doctore gloriati ſunt. ſcribitque Eraſmus, ſe admodum adhuc puerum fuiſſe uſum præceptore Hegio in Daventrienſi ludo, quem ille moderabatur, vir, ut paucis dicam, præceptoris ſui ſimillimus: tam inculpatæ vitæ quam doctrinæ non trivialis, in quo unum illud vel Momus ipſe calumniari fortaſſe potuiſſet, quod famæ plus æquo negligens, nullam poſteritatis haberet rationem. Proinde, ſiqua ſcripſit, ita ſcripſit, ut rem ludicram haud ſeriam egiſſe videatur. Quanquam vel ſic ſcripta ſunt ejuſmodi, ut eruditorum calculis immortalitatem promereantur. *Ita Eraſmus, adagio*: Quid Cani & Balneo? & *Val. Andr. Deſſel. in Bibliotheca.*

De eodem plenius Melior Adamus Vitæ Philoſoph. & literat. Germ. vol. 1. p. 12.

Alexander Hegius Weſtphalus fuit in diœceſi Monaſterienſi ex pago Heck prope Horſtmariam natus. Præceptorem nactus eſt Rod. Agricolam linguarum & ſcientiarum omnium eruditum virum; cujus Magiſtri non degener

ipſe extitit diſcipulus. Ludo Daventrienſi, omnium ea ætate in illis gentibus celeberrimo præfectus, triginta ipſos annos magno cum ſtudio eum rexit. Nam ipſo docente ibi, illa ſchola, ante Monaſterienſem, velut ſeminarium fuit politiorum litterarum & linguarum; quas illius alumni, Eraſmus Roterodamus, Io. Murmellius, Herm. Torrentinus, Herm. Buſchius, Io. Cæſarius Juliacenſ. Conradus Goclenius Padebornenſ. Iacobus Montanus Spirenſ. Io. Peringius, Gerardus Liſtrius, Matthæus Friſſemius, & alii longe lateque in tota Germania & Belgico propagarunt —— Hoc David Chytræus confirmat; Alex. Hegium & Rodolphum Langium, Monaſterienſium ac Weſtphalorum primos fuiſſe, qui in Germania poëmatis elegantibus editis, clari ſua ætate fuerunt, & meliorem diſcendi ordinem, & puriorem Latinæ Orationis formam monſtrarunt. Tanta enim elegantia Hegius veterum expreſſit dicendi ſtylum, ut Eraſmi judicio, ſi deſit carmini titulus, in autore facile erraveris: nec alius in proſa fuit, nec Græcarum literarum ignarus.

Idem Hegius adeo fuit φιλομαθής, ut etiam tum, cum Rectorem Scholæ Daventrienſis ageret, non dedecori ſibi duxerit, ex Agricola, quæ ignoraret, aut de quibus dubitaret, ſciſcitari ac diſcere. ſæpius etiam rogare, ut literis ſuis limam adhiberet. fecit id Rodolphus candide, &, qua fuit modeſtia eandem cenſuram ab Hegio petiit. Explicat illi Agricola in Epiſtola quadam, quid inter *mimum* & *hiſtrionem* ſit diſcriminis, item, quid *perſona* & unde dicta, tum quid *ſcurra, paraſitus, nebulo, nepos.* unde ἄνθρωπος dicatur: quid *aurora*, quid *veſpera*, quid *tignum, aſſer, diœceſis.* docet rectius dici; *ut plura paucis complectar*, quam, *ut plura brevibus complectar.* monet Latinius dici; *intra*, aut *poſt quantum tempus rediturus*: quam, *quanto tempore*, &c. Unde, tum ardor proficiendi, tum candor in communicando, & animorum ſtudiorumque ſocietas elucet.

Confectus ſenio ſacerdos eſt factus Daventriæ. Inter alias virtutes quibus à Deo ornatus fuit, celebratur ejus liberalitas in pauperes ſcholaſticos: quos & ope & opera pro virili juvit. *Ex Epiſtola Agricolæ, & Chytræi Saxonia.* V. & Hamelm. de VV. Ill. Weſtphal. l. 3.

Scripſit Hegius *Carminum librum*, ac præterea *Dialogos*, quorum hi ſunt tituli:

De ſcientiâ & eo quod ſcitur, contra Academicos.

Περὶ τῆς ψυχῆς, *ſive de tribus animæ generibus*, *Dialogi* IV.

De Incarnationis myſterio.

De Paſchæ celebratione & inventione.

De Natali Chriſti.

De Phyſica.
De toto & parte.
De ſenſu & ſenſili.
Περὶ τέχνης ϗ ἀτεχνίας, *ſive de Arte & inertiâ.*
De Rhetorica.
Τὰ ἠθικὰ ἐρωτήματα, *ſive de Moribus.*
Farrago.
Contra eos qui modorum ſignificandi notitiam credunt Grammatico neceſſariam, qui novo nomine Modiſtæ vocantur.
Epiſtolæ una & altera, ad Rod. Agricolam, & Weſſelum Groningenſem.

Edita hæc Daventriæ per Richardum Paſraet, Anno cIↄIↄ III.

Subjungam nunc celebres quoſdam viros qui ex ſchola Daventrienſi prodierunt.

Primus ſit,

Adrianus VI. *Pontif. Rom.*

Adrianus Florentius Ultrajectinus, natus Anno cIↄCCCCLIX. puer apud ſuos & Daventriæ literarum ſtudiis operam dedit. Lovanii deinde in pædagogio Porci inter Dialecticos, Philoſophos ac Mathematicos Principem locum obtinuit. in Theologia etiam, pro ævi ingenio facile palmam cæteris præripuit. nec multo poſt D. Petri Lovanii pronunciatus eſt Decanus, & Academiæ Cancellarius, fuit quoque Ultrajecti ad S. Salvatorem præpoſitus, Antverpiæ ad D. Virginem Decanus, & primis annis Goereæ in Zelandia parœcus. Hic Carolo V. ſeptenni pædagogus primo fuit, deinde ab arcanis conſiliis, Cardinalis vero & Epiſcopus Dertuſenſis in Hiſpania, regni ejuſdem Prorex. poſtea Anno cIↄ Iↄ XXII. Pontifex Romanus creatus. Cum autem ejus Pontificatus incidiſſet in ea tempora, quibus eccleſiæ reformatio à Principibus Germaniæ urgebatur, Epiſcopo Apruntino ſuo ad Norimbergenſia Comitia internuncio, formulam actionis dedit, in qua ajebat, *ſe ſcire in Rom. ſede aliquot jam annis multa abominanda fuiſſe,* (verba ejus ſunt) *eſſe in perverſum mutata. nec mirum eſſe, ſi ægritudo à capite in membra, à ſummo Pontifice in alios inferiores prælatos deſcenderit, omnes prælatos Eccleſiaſticos declinaſſe unumquemque in vias ſuas, nec fuiſſe unum qui faceret bonum. Se porro omnem operam adhibiturum ut primum Rom. curia, unde nimirum omne malum proceſſiſſet, reformaretur, &c, nec mirari quenquam debere, ſi non ſtatim omnia errata & abuſus emendatos viderit, nimium enim inveteratum eſſe morbum, &c.* Internuncius ubi omnia hæc in frequentibus comitiis clara voce

pro-

pronunciaſſet, ipſam actionis formulam protulit~, deditque S. Imperii Principibus. Ad quam ilico reſponderunt, ſe permagnâ lætitia affici, quod tandem unum ex omnibus Papis audiant qui voluerit fateri plurimis annis graviter multiſque modis peccatum eſſe Romæ, & inde à Pontificio culmine malorum omnium lernam ad inferiores Eccleſiarum præfectos defluxiſſe &c. Poſtea addiderunt Principes, multa gravamina Germanicæ nationi à curia Rom. illata eſſe. & ab Internuncio provocati ac invitati, centum illa, quæ paſſim extant gravamina protulerunt, petieruntque, ut ea Romam deferret. hæc Anno CIƆIƆXXII. Cum autem Hadrianus anno ſequenti ſuſpectâ morte deceſſiſſet, ac qui ei ſuccedebant Pontifices iniquiſſimo animo tuliſſent hanc Adriani legationem, quæque in eâ fuerat confeſſus de ſede Rom. & illam, & centum Principum gravamina inter hæretica ſcripta retulerunt, grave ſupplicium minati omnibus qui illa legerint aut domi habuerint~. tumulo Adriani hæc verba addita: O in quæ tempora optimi cujuſque virtus incidit! v. *Paralipomenon ad Balæum.*

Scripſit~:

Quodlibeticas quæſtiones XII.
Quæſtiones & expoſitiones in IV. *Sentent.*
Computum hominis agonizantis.
De ſacculo pertuſo, ſive de Superbia Sermonem.
Epiſtolam ad Germaniæ Principes.
Brevia Apoſtolica ad Frid. Saxoniæ Ducem.
Ad Germaniæ Principes.
Ad Senatum Bambergenſem.
Inſtructionem ad Franc. Chæregatum Epiſc. Interamnenſem.

Docuit hic Adr. in quæſt. de Confirmatione, Pontificem etiam ut Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſin, ſi abſque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidiſſe. in qua ſententia fuit & Nilus l. adv. primatum Papæ. Gerſon & Almain ll. de poteſt. Eccleſiæ. Alphonſus de Caſtro l. I. c. 2. contra hæreſes, qui omnes non in Pontifice ſed in Eccleſia ſive Concilio generali tantum conſtituebant infallibilitatem judicii de rebus fidei. quam ſententiam licet non propriè hæreticam eſſe dicat Bell. quod adhuc tolerentur ab Eccleſia qui eam ſequuntur, tamen videri ait omnino erroneam & hæreſi proximam. Contr. 3. generali l. III. c. II. unde facetum hoc dilemna oritur: Papa Adrianus cum diceret Papam errare poſſe, vel erravit, vel verum dixit. ſi erravit, ergo Papa errare poteſt, ipſe enim erat Papa. ſi verum dixit, etiam ſic neceſſario ſequitur Papam errare poſſe, hoc enim eſt quod dixit~.

Sequ

Sequatur.

Ortwinus Gratius, Daventrienſis cognominatus, quod Daventriæ ſub Alexandro Hegio enutritus ſit, altus, & bonis auctus literis, natus tamen in diœceſi Monaſterienſi in Weſtphalia, ut ipſe teſtatur præfatione quam præfixit libello Werneri Roleuinck de ſitu Weſtphalorum. docuit bonas literas Coloniæ Agrippinæ, in Burſa, ut vocant, Cuyckiana. Edidit

Librum cui titulus:

Criticomaſtix Peregrinationis Petri Ravennatis I. V. D. in quo multa de viri illius & Academiæ laudibus. Lugd. cIↄ Iↄ XI. *cum Alphabeto Ravennatis.*

Apologiam adverſus Io. Reuchlin, qua occaſione nominatim traductus eſt Dialogo & Epiſtolis obſcurorum virorum. quibus repoſuit Gratius

Lamentationes obſcurorum virorum, Coloniæ cIↄ Iↄ XVIII.

Triumphum B. Job Prophetæ, verſu elegiaco libb. III. ib. cIↄ Iↄ XXXVII. apud Quentel. ſubjungitur Sermonibus Io. Fabri Epiſcopi Vienneuſis.

Denique:

Faſciculum rerum expetendarum & fugiendarum, cui operi inſunt Clarorum virorum Epiſtolæ, Tractatus, Orationes LXVI. quibus multæ religionis cauſæ diſcutiuntur. Coloniæ cIↄ IↄXXXV. Faſciculus hic notatus & prohibitus eſt in Indice à Patribus Tridentinis confecto. Obiit Coloniæ Anno cIↄ Iↄ XLII.

Epiſtolâ Apologeticâ ad obſcuram Reuchliniſtarum cohortem (quæ ſubnexa lamentationibus obſcurorum virorum) ſic ſcribit: *Patre natus ſum Frederico de Graes in diœceſi Monaſterienſi prope Cosfeldiam habitante & adhuc ſuperſtite —— Me autem Daventrienſem cognominatum nemo prorſus admiretur, fui enim in tenera primum ætate (& id quidem matre mea Gertrude in omni honeſtate defuncta) Daventriam à patre ad* (a) *fratrem miſſus, ubi majores noſtri vel patricii ſemper vel Senatores fuere, ut ſub Alexandro Hegio illic tunc gymnaſiarcha, Græce quidem ac Latine erudito, bonas literas puer non ignorarem.*

(*a*) Patris vid. fratrem, ſuum vero patruum, Ioannem de Graes. (*Hamelm.*)

Fuit inter præcipuos, cum Io. Cæſario, & Iac. Greſelio Profeſſores Academiæ Colonienſis, ubi confidens ſtylo, & autoritate qua mediocriter valuit, cœpit cauſam Hogoſtrati adverſus Reuchlinum defendere. Itaque in

ipſum

ipſum confictæ ſunt Epiſtolæ obſcurorum virorum, ab Hermanno Comite de Nova Aquila, Ulrico ab Hutten, Herm. Buſchio, Cæſario & aliis. quanquam, ut multi judicabant, Buſchius propter communem patriam concivi parcere debuiſſet. ſed ipſe Orthwinus antea Buſchium Anno cIɔIɔxi. iritaverat, ſcribens, inſulſe & inepte eſſe factum à Buſchio, quod ſcriberet, Theologis & Magiſtris fore utilem ſuum in Donatum commentarium. hinc illæ lachrymæ. Emiſit tamen Apologeticum ad Satyrica illa ſcripta quo ſe mirum in modum excuſat Ortwinus, &c. *Hamelm. l.* III.

Deſiderius Eraſmus Roterodamus,

Daventriam miſſus, primum pueritiæ ſuæ Doctorem habuit haud pœnitendum Alexandrum Hegium, & Ioan. Sinthemium. *Deſſ.* reliqua ejus vita ab ipſo conſcripta, à P. Merula edita eſt. lucubrationes in omnium manibus, fama eiſdem quibus ſolis curſus regionibus atque terminis continetur. ut de eo præſtet ſilere quam pauca dicere. & hujus ergo maximi viri primâ informatione Daventria gloriatur. natus eſt Anno cIɔcccclxvii. denatus Anno cIɔIɔxxxvi.

Eraſmus xiv. annorum adoleſcens ſub Hegio præceptore ſtudia literarum Daventriæ colebat. Cum autem Rod. Agricola in Hegii ſcholam veniſſet, & Hegius ei aliquot adoleſcentum ſcripta monſtraſſet: his conſideratis, cum Eraſmicum cæteris anteferret, videre adoleſcentem voluit. Accerſitus è ſua claſſe Eraſmus adoleſcens ad Hegium accedit. Ibi Rodolphus arreptum capillo in vertice tacitus intuetur, & quaſi conſiderata indole ex lineamentis, adjecit hanc vocem; tu eris magnus. Hanc veram hiſtoriam recito, ut junioribus quaſi notiores fiant hi viri ex his familiaribus ſermonibus, ex quibus, in magnis ingeniis vim fatidicam ineſſe animadverti poteſt. nam de Io. Murmellio qui Hegio poſtea in ſchola ſucceſſit, adhuc puero idem Rodolphus dixerat: Magna in te ingenii vis eſt. & de Herm. Buſſchio velut vaticinatus fuerat, celebrem Poëtam fore. *Chytr. Orat. de Weſtphalia.*

Beatus Rhenanus Epiſt. ad Carolum V præfixa tomo I. operum Eraſmi, Daventria (inquit) puellum adhuc ex æde ſacra Trajectenſi cantorculum deductum ubi præcentiunculas obire ſolitus phonaſcis etiam tenuiſſimæ vocis gratia pro more templorum cathedralium inſervierat, inſtituendum ſuſcepit. Erat tum inter eos quos illic fratres vocant, non quidem monachos, ſed contubernii ratione & veſtitus ſimplicioris & uniformis convenientia monachis ſimiles, Io. Sinthemius vir probe literatus, ut illa ferebant tempora, is delectatus Eraſmi profectu, nam cœnobitæ iſti palliati quibuſdam ſcholaſticorum claſſibus præſunt & publice docent, complexus aliquando puerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

rum, Macte ingenio, Eraſme, inquit, tu ad ſummum eruditionis faſtigium olim pervenies, ſimulque oſculum dedit & dimiſit.

Paulus III. Pontif. Max. Eraſmo præpoſituram Daventrienſem quæ 600 aureorum reditum tribuere dicitur, ultro obtulit, imo contulit, literas non ſolum Apoſtolicas ſuper ea, ne expeditionis tædio, atque impenſa beneficium comminueretur promittens, ſed & illuſtriſſ. Ungariæ Reginam Mariam, ſororem Carol. V. Flandriæ præſidentem, ut dictæ propoſituræ poſſeſſionem vacuam ab intruſis, pro Eraſmo conſervari curaret, per literas interpellans. quas tamen Eraſmus αὐταρκὴς, quod ſacerdotium recuſare inſtituiſſet, penes ſe reſervavit, ſatis viatici ſibi paulo poſt morituro ſupereſſe dicens. *B. Rhen. quo ſup.*

Hermannus Buſchius Paſiphilus dictus, natus fuit in Weſtphalia, Dulmæ, ditionis Monaſterienſis, genere nobili, ut qui cognitione attigerit Nobiliſſ. Virum Rodolphum Langium, literatorum Mœcenatem liberaliſſimum, à quo Buſchius poſtquam Daventriæ ſub Alexandro Hegio literis operam dediſſet, Anno cIↃCCCCLXXX. non ſolum in Italiam ductus, viriſque primariis ibi commendatus, ſed & ſumtibus honeſtis fuit ſuſtentatus. Ingenio & Orator & Poëta ſui ſeculi non poſtremus, ut ex editis ab eo monumentis conſtare poteſt. nam

Methodum Donati octo partium Orationis Commentario luculentiſſimo illuſtravit, ex Priſciano, Diomede, Servio, Capro, Agrætio, Phoca: liber impreſſus Baſileæ per Thomam Platerum, Anno cIↃIↃXL. & fuit antea ante annos XXX. Coloniæ & multis in locis ſæpius editus.

Ejuſdem *Decimationes Plautinæ*, impreſſæ Coloniæ.

Ad Murmellium Epiſtola, primam Perſii Satyram explicans, excuſa Pariſiis apud Wechelum, & Coloniæ apud Gymnicum.

Ars memorativa, neſcio an publicata.

Vallum humanitatis, liber impreſſus Coloniæ.

In Silium Italicum Annotationes, excuſæ Baſileæ apud Thomam Wolfium.

Commentarii in primum librum Martialis, obſcœnis carminibus reſectis, excuſi Coloniæ.

Hypanticon verſibus heroïcis, antiſtiti Spirenſi Georgio Comiti Palatino Rheni, ſuper ſolenni ſuo in Spiram urbem introitu dicatum. Cratander impreſſit Baſileæ cIↃIↃXX.

De ſingulari auctoritate veteris & novi Inſtrumenti, ſacrorum Eccleſiaſticorum

corumque teſtimoniorum farrago, in libros 2. diviſa, & impreſſa
Marpurgi, Anno cIↄIↄxxix.

De Pædobaptiſmo Diſputatio Weſtphalica, habita Monaſterii Weſtphalorum, Anno cIↄIↄxxxiii.

Contra Bern. Rotmannum & Complices.

Idem ſcripſit *Epigrammatum libros tres*, ex quibus tertius Lipſiæ
impreſſus eſt Anno cIↄIↄiv. (nam priores duos Alex. Hegio
præceptori ſuo inſcripſerat Anno cIↄIↄ.) cum diverſorum
Epiſtolis, Carmine & ſoluta Oratione ſcriptis. Extant etiam ejus
Annotationes in Perſium & Juvenalem.

Commentarius in Claudianum, excuſus Coloniæ.

Carmen Elegiacum ad Rodolphum Langium de acerbo Io. Murmellii obitu.

Carmen de urbe Colonienſi cui titulus *Flora*. Deſcripſit *Lipſiam* pu-
blico Carmine, in quod Carmen ſcripſit Phil. Noveſianus Ha-
furtinus Commentaria, & ſunt Lipſiæ excuſa Anno cIↄIↄxx
à Martino Herbipolenſi.

Gratulatorium Carmen de adventu Eraſmi Coloniam, ibidem excuſum.

*Hecatoſticha ad Fridericum Trajectenſem Epiſcopum ingredientem urbem
Daventriam*, Daventriæ excuſa.

Brevia ſcholia in Æneida Virgilii.

Cum adhuc eſſet Papiſta ſcripſit:

De triplici Pſalterio Mariæ Virginis ad Io. Rincum carmen.

Selegit quoque *Vtiliores Epiſtolas Ciceronis*, in uſum ſcholæ Veſalien-
ſis (ubi magna cum laude ſcholam aperuit, eique tunc Colle-
fuit M. Iodocus Hetlagius, poſtea Conſul factus Oſnaburg
item, *dictata quædam ex Proverbiis & Eccleſiaſte Solomonis* conge
in uſum ejuſdem ſcholæ.

Edidit *Orationem ad Clerum Colonienſem*, qua exhortatur illum
lectionem ſcripturarum. in lucem quoque miſit

Spicilegium, LIII *illuſtrium Philoſophorum autoritates ac ſententias.*

Item, *Epigrammata quædam in laudem D. Virginis.*

Oeſtrum in Tilemannum Heverlingium.

Carmina de morte Guilielmi Comitis à nova Aquila.

De Agone Catharinæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ad Hermannum Comitem de Nuenaer, & Martinum Oed Kempenſem gratulatoria Carmina.

Et alia quæ non vidi.

Ante annos LX. fuit & in Italicis & omnibus per Germaniam univerſitatibus notus, ac in maxima illarum parte prælegerat, ut in docendo felix erat, vir abſolute doctus, memoria mirabili pollens, ſupra modum Latine facundus. Ad cujus linguæ profeſſionem vocatus eſt Heidelbergam Anno cIↃ IↃ XXIV. uti Simon Grynæus ad Græcam linguam ibidem docendam. præterea Lovanii, Lipſiæ, & poſtremo Marpurgi fuit Profeſſor Oratoriæ artis. tandem rediens in patriam fortiter cum Anabaptiſtis dimicavit, moritur anno cIↃ IↃ XXXV. in arce Dulmen ſub obſidione Monaſterienſi, homo Monaſterienſis natione, honor & decus patriæ ſuæ perpetuum, & Euangelicæ veritatis propugnaculum egregium. Ejus Bibliotheca dicitur emta fuiſſe à capitulo Monaſterienſis Eccleſiæ majoris, opera & ſuffragio Decani D. Rotgeri Smiſingii, viri nobilis & docti, qui Buſchium ſuum cognatum, genere nobilem ſed nobiliorem doctrina vehementer amavit. *Hamelm. viror. Weſtphal. Illuſtr. l.* III. *Melch. Adam. vol.* I. *Biblioth. Geſneri, & Georg. Draudii.*

Ioannes Wintingius Oſnabrugenſis, juvenis eruditiſſimus, diſcipulus olim Hegii Anno cIↃ IↃ. Daventriæ, & deinde Murmellii Anno cIↃ IↃ II. poſtea Monaſterii ludomagiſter ad S. Ioannis, præceptor trium Comitum de Waldeck, quorum duo ad maturam ætatem pervenerunt, alter enim Philippus gubernator patriæ, alter Franciſcus factus eſt Epiſcopus Oſnabrugenſis & Monaſterienſis, &c. Hic Wintingius fuit quoque eodem tempore Præceptor Eberhardi Voltlagii Doctoris, qui cum multis aliis eum prædicare ſolebat. ſed moritur is immatura morte Anno cIↃ IↃ XII. *Hamelmannus l.* V.

Timannus Camenerus Guernenſis (oppido Guerna, Monaſterienſis ditionis editus) Diſcipulus A. Hegii, & in eadem octuria condiſcipulus Eraſmi Roterodami fuit. Florentiſſimam illam Monaſterienſem ſummi templi ſcholam, Rodolphi Langii conſilio & auctoritate potiſſimum conſtitutam ab Anno cIↃ IↃ. uſque ad annum Chriſti cIↃ IↃ XXX. & Anabaptiſticos tumultus, feliciſſime gubernavit. vir gravis, & ſeverus in gubernatione, multa ejus ſcripta extant, inter quæ,

Compendium naturalis Philoſophiæ, in II *diſtributium volumina.*
Compendium Dialecticæ, atque Etymologiæ & Syntaxeos artis Grammaticæ correctum.

Carmine quoque felix erat. Sic ad illum ſcribit Murmellius lib. II. Ele-giarum Moralium‿:

Qui claris animi poſſunt divina tueri
Luminibus, curant illa caduca nihil:
Quos inter merito numerat te Muſa, Timanne,
Gloria Teutonici docte Timanne ſoli,
Qui ſolida errantem moderaris lege juventam,
Præcipiens recte vivere, rite loqui.
Sedulus ingenuas pueros hortaris ad artes,
Et Sophiam ſummo cogis amore ſequi. &c.

Et quando reliquos urbis Monaſterienſis doctos viros celebrat, ſic de Timanno ſcribit~:

Cenſetur late doctuſque Timannus habetur,
In celebri celebrem qui regit urbe ſcholam.

Poſtea tamen ortum eſt tantum diſſidium inter Murmellium & Timan-num, propter editum à Timanno compendium Grammatices, ut tandem is à ſchola Timanniana diſcederet, & ad D. Ludgerum ſcholam aperiret, quando Rector III. Claſſis Peringius Murmellio ſuccedens, Timanni Con-rector fiebat~. Poſtea tamen opera Rod. Langii & Peringii ſunt reconci-liati, & tunc ſcripſit in correctum Timanni compendium Grammatices (licet antea Diſpendium ex Compendio fecerat~) carmen commendato-rium‿. In Epigrammate Timannum vehementer commendat Horlenius, Oratione de viris quibuſdam doctrina illuſtribus Weſtphaliæ, qui per Ger-maniam Latinam linguam reſtituerunt, &c. atque in Præfatione quam præ-fixit Epiſtolæ ad Corinthios, ſeparatim tunc in uſum ſcholarum excuſa, tum quoque Peringius alibi. Mortuus eſt ante Eraſmum jam urbe capta & recepta, cum redire cogitaſſet ad Paſtoratum Parochiæ Lambertinæ. *Ha-melmannus*, & *Chytræus*.

Joannes Murmellius Ruremundæ natus primum militiæ nomen dedit~, poſt à turbulentis Bellonæ caſtris ad blanda quietaque Muſarum otia con-verſus, Alexandrum Hegium Daventriæ audivit~. Coloniæ Agrippinæ Ar-tium liberalium inſignia accepit~. Bonas exinde literas multis in locis opti-ma fide reſtituit. vir ingenio perſpicaci, memoria fideli, & lectionis varia. Scripſit multa ſoluta vinctaque oratione, inter quæ ſunt iſta:

Iſagoge in prædicamenta Ariſtotelis, impreſſa Coloniæ cum Dialecticis Cæſarii, & Daventriæ apud Alb. Pafraet, Anno cIↄIↄXIII Kal. Nov.

Sententiæ, ſeu verſus ſententioſi ex elegiis Tibulli, Catulli, Propertii, Ovid

Ovidii decerpti, ſinguli cum brevi inſcriptione argumenti. Georg. Rhau excudit Wittenbergæ, cIↄIↄXXXIII.

Tabulæ Grammatices, Pariſ. apud Wechelum, & Coloniæ, & Monaſterii.

Tabulæ in artis componendorum verſuum rudimenta, ibid. in haſce tabulas Eobanus Heſſus commentarium edidit.

Tabularum opuſcula tria in epitomen redacta, excuſa Lugd. cIↄIↄXLII.

Protrepticon poëtantium.

Nucleus.

Pappa puerorum.

De arte verſificatoria.

Enchiridion ſcholaſticorum.

Scoparius, ad profligandam è ſcholis barbariem.

De generibus nominum.

De compoſitis verborum ad Ludolphum Heringium, lib. II. tum alibi ſæpe, tum poſtremo Monaſterii editi, cum Præfatione Bern. Lingii.

Didaſcalicon lib. II.

Ecphraſis in Satyras A. Perſii, Coloniæ apud Gymnicum.

Panegyricus in præconium Illuſtriſſ. Princip. Erici Monaſter. Eccleſiæ Epiſcopi.

Scholia in Cypriani carmen, de ligno ſalutiferæ crucis.

In Verſilogum Mancinelli ſcholia, Coloniæ apud Gymnicum, Anno cIↄIↄXXXVII.

Argumenta in Bucolica Mantuani.

Elegiarum moralium libb. IV. *ad Rod. Langium.*

Epigrammatum libb. I. Monaſterii Anno cIↄIↄX.

Eclogæ XVI. *Anno* cIↄIↄIV.

Florea ſerta Virginis Deiparæ, vario metri genere.

Caroleia, in laudem Caroli Geldriæ Ducis.

De Hymnis Eccleſiaſticis, lib. I.

Deſcriptio urbis Monaſterienſis verſu Sapphico, Anno cIↄIↄII.

Encomium Reuchlini.

Sententiæ ex Hieronymo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Commentarius in Prudentium.
In Politiani Ruſticum.
In ejuſdem ſylvam, Monaſterii Anno cIↃ IↃ x.
In B. Hieronymi Epiſtolam ad Nepotianum.
In Boëthium de Conſolatione Philoſophiæ Commentarii, partim Io. Murmellii, partim Rod. Agricolæ (hic erratur, nam Rod. Langii ſunt.) excudit Coloniæ Cervicornus. &c.

Fuit Monaſterii per annos xi. Conrector Timanni, & per triennium Rector ſcholæ Ludgerianæ. tandem decimo quarto poſt cIↃIↃ. Anno venit Alcmariam, ibique inſtructa ſchola clarebat, ſed incendio redactus ad paupertatem, venit Daventriam publico ſtipendio accerſitus, Anno cIↃIↃ xvi. ubi anno ſequenti 11. Octobr. obiit, non ſine ſuſpicione veneni, ut Buſchius in Epitaphio conqueritur, atque id Roſtochii & Monaſterii dixerat Hermannus Hinrekingus qui adfuerat morienti. ſed qui artis Medicæ periti adfuere, peripneumoniâ extinctum affirmabant. reliquit in paupertate uxorem cum filiolo, quem inſtituere cœperat Græce & Latine. Miræus tamen vult obiiſſe eum Monaſterii idque anno cIↃ IↃxiii. Sed ſi anno cIↃIↃxvi. ſcripſit Encomium Reuchlini, ut Geſnerus in Bibliotheca confirmat, utique ille fallitur. hæc ex *Geſnero*, *Melch. Adamo*, *Hamelmanno*, *Miræo*, *Noviomago*, aliiſque.

Jacobus Faber Daventrienſ. poſt Eraſmum meruit ſub Alexandro Hegio, cujus etiam ſcripta poſt auctoris mortem in lucem protulit, ac Poëmata quidem Deſ. Eraſmo dedicavit. fuit domus clericorum ludi moderator. in veſtibulo cujuſdam codicis ſcriptum eſt: *Fuit* (liber hic) *aliquando in poſſeſſione Magiſtri Iac. Fabri viri tam Græce quam Latine undequaque docti, & intranei Daventrienſis lectoris ſecundæ Claſſis in ſcholis laude digniſſimi.* Edita ab eo

Panegyricus in triumphum Chriſti tribus libb. Carmine Heroïco deſcriptus cIↃ cccc xcix.
Carmen Panegyricon de admiranda Dei genetricis Mariæ ſemper virginis & ſerenitate, & humilitate.
Opuſcula Alex. Hegii. II *partibus*, cIↃIↃ iii.
Catonis diſticha, cum aliis Gnomologicis è Græco verſis. cIↃ IↃ xi.

Ex Manuſcripto Iacobi Fabri:

„ Ego Jacobus Faber, ſi recte mihi perſuaſum eſt, natus ſum (jam anno
„ Domini cIↃ IↃ xv. currente, annos xlii. ipſo die magni martyris ſive
„ Ludovici Epiſcopi de ordine Minorum, qui cadebat in quintum diem &
„ feſtum

,,feſtum aſſumtionis in Dominicam. nam c. erat litera Dominicalis & XXVI
,,erat circuitus ſolaris, ſi bene narratur. Certum eſt me natum ante graſſatio-
,,nem peſtis quæ ſæviebat Anno Domini cIↄ CCCC LXXXIII. intervallum
,,intercurrens inter currentem iſtum annum XXXI. (itaque XI. annos ante
,,iſtum annum natus eſt, id eſt, Anno cIↄ CCCCLXXII.)

Autographum Jacobi Fabri Daventrienſ. qui præfationem hanc in fabulas Fulgentii Placiadis reperit, eſt in Bibliothecâ Daventrienſi, ſic autem habet:

,, Subeuntem præfationem in ſubjectum librum ipſius Fulgentii inveni
,,Lovanii in Bibliotheca ſqualenti, proh dolor, apud Auguſtinenſes in foro
,,piſcario, in libro ſqualido ob incuriam poſſidentium.

Fulgentius:

,, Multa viri veteres cum ſcribendo gloriam ſibi quærere viderentur planâ
,,poſteris oratione detexerunt, multa typo, ne vulgata vileſcerent, com-
,,petenti involuerunt. multa velut myſtica, etſi jucunditatis tantum gratiâ,
,,acutè tamen confinxerunt. horum primis, utpote planiciem ſectatis, item-
,,que ultimis, ut qui involucris nihil adumbraverunt, enodationis minus
,,egentibus, medii, figurarum quæ tradunt cuniculis tegentes, ſine inter-
,,pretationis adminiculo, ad intelligentiam non perveniunt. De his ergo
,,tractatum, non præſumtionis meæ oſtentaria (forte: oſtentatoriâ) com-
,,mentitiave adinventione, ſed authenticarum commodiore traditionum
,,aggregatione, publicæ utilitatis ſtudio ſuſcepi; fortaſſe non otioſum.
,,neque enim vel omnibus tot grandia in quibus omnem Philoſophiæ hau-
,,rirent dulcedinem contigere volumina, vel hæc adeptis ſæpe non parum,
,,ſæpe nequicquam tantâ in rerum multiplicitate, unam rem quamlibet
,,quærendo, placet laborare. nec quidem hæc omnia, vel penè omnia fig-
,,mentorum explicem genera, ſed quæ hic facili conjunctione præſto ha-
,,bentur paucula, alioqui difficiliori indagatione invenirentur, vel incaſ-
,,ſum nonnunquam quærerentur diſperſa. ex hoc ergo fonticulo cyathum
,,quem ad Aufidum, ut tantundem haurires deferebas, aliquanto, quod
,,mihi videtur, commodius adimplens, ſiquid quod guſtum offendat, nihil
,,enim in humanis actionibus perfectum eſt, ſenſeris, id vel ad interiora
,,tranſmiſſum ex ſe ſapiat, vel ſi adhuc quoque inſipidum perſtiterit, con-
,,grui amicâ medicaminis infuſione dulceſcat, vel ſi condimentis dulcorari
,,nequiverit, ne magis amareſcat penitus evomatur. neque enim parum
,,cognoſſe, ſed in parum cognito perſeveranter & obnixè perſtare, juxta

,,Tullium, crimen voces. quid autem ſequens opus velit, à diviſione fabu-
,,læ reor inchoandum.

,, Fabularum, quarum nomen (ut ait Macrobius) indicat falſi profeſ-
,,ſionem, aliæ delectationis tantum, aliæ etiam utilitatis cauſâ conſcriptæ
,,ſunt. eas vero quæ tantum delectant Philoſophi repudiantes, alteram fabu-
,,larum ſpeciem hoc modo ſubdividunt: Inventarum autem utilitatis cauſâ
,,fabularum, in quibuſdam & materia ficta eſt & per mendacia ipſe rela-
,,tionis ordo contexitur, ut in fabulis Æſopi elegantiâ fictionis illuſtribus:
,,at in aliis materiæ etiam veritas ſubeſt, ſed hæc ipſa veritas per quædam
,,compoſita & ficta profertur. & hæc jam vocatur fabuloſa narratio, non
,,fabula. ut myſticæ Heſiodi & Orphei de Deorum progenie ortuve tradi-
,,tiones. ex hac ergo ſecundâ diviſione, quam diximus, prior ſpecies quæ
,,concepta de falſo per falſum narratur, à Philoſophiæ libris prorſus aliena
,,eſt. ſequens in aliam rurſus diſcretionem ſcinditur. nam cum veritas ar-
,,gumento ſubeſt & ſola fit narratio fabuloſa, non unus reperitur modus per
,,figmenta verum referendi. aut enim contectio narrationis per turpia & in-
,,digna numinibus ac monſtro ſimilia componuntur, ut Dii adulteri, ut Sa-
,,turnus pudenda Cœli patris abſcindens, & ipſe rurſus à filio, regno potito
,,in vincula conjectus, quod genus totum Philoſophi neſcire malunt; aut
,,ſacrarum rerum notio ſub pio & competenti figmento honeſtaque rela-
,,tione enunciatur. & hoc eſt ſolum figmenti genus quod cautio de divinis
,,rebus Philoſophantis admittit. nos vero non minus Poëticis quam &
,,Philoſophicis ſubſervientes diſciplinis, utraſque fabularum ſpecies quas
,,poſuimus poſtremas, quantum ſe ad præſens facultas dederit, juxta pa-
,,trum veſtigia proſequemur. nec te moveat, quod ab admiranda beati Au-
,,guſtini traditione, quam in libro de Civit. Dei promit, in aliquibus videor
,,diſſentire: ego neque illum in ſcribendo præ manu habui, neque Catho-
,,licæ fidei traditores in hoc opuſculo imitari aggreſſus ſum. Ille quidem
,,altiora, & fortaſſis veriora proponit, ſed hæc non mediocres apud antiquos
,,viri tradiderunt. ut autem ad promiſſa veniamus, de ortu idololatriæ tra-
,,ctatum inchoëmus, de cujus ſcaturigine omnia penè figmenta manave-
,,runt. *Hæc Fulgentius.*

Idem Faber ad lunares rationes martyrologii tempora caſtigare in ani-
mum induxit, eum in finem Iſaaci Argyropoli, & D. Matthæi Græcorum
hominum Canones & Menologia ſua manu Græce deſcripſit, in Latinum
vertit, ac Notas adjecit, Præfatione appoſita in qua inſtituti ſui rationem
explicat. hæc manu ipſius exarata in Bibliotheca publica reperire eſt. ſed
quia in liturâ ſunt, non adjeci.

Amb

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ambigo an hic ſit Jacobus ille Daventrienſ. qui deſcripſit Friſiam à Seb. Munſtero Coſmographico ſuo operi inſertam, item Brabantiæ, Hollandiæ, Gelriæ, Friſiæ, Zelandiæ tabulas, Mechliniæ editas. ejus laboribus etiam uſus fuit A. Ortelius qui exactiſſimam ejus deſcriptionem Zelandicarum inſularum, itemque Hollandiæ, antiquorum (ut inſcriptio habet) Catthorum ſedis, in ampliſſimo ſuo Orbis Terrarum Theatro locum habere voluit. *Geſnerus Biblioth. Deſſel. Ortel.*

Jacobum hunc Fabrum, cum altero illo Stapulenſi amicitiam coluiſſe, patet ex eo quod Pentaplo Fabri, ſive quintuplici Pſalterio, ſua manu aſſcripſit: *Liber Iacobi Fabri, quo donavit eum Iacobus Faber Stapulenſis operis hujus auctor.*

Jacobo Fabro contemporaneus fuit Cornelius quidam, Canonicus Regularis, qui, cum Poëſeos ſtudium in ſcholis Daventrienſibus, ac præſertim in domo Domini Florentii, fervere inciperet, nequid ſub ejus dulcedine profanitatis animis ſimpliciorum illaberetur, eam ad ſacras meditationes transferre conatus eſt: ac Poëma, ut tunc tempora erant, non indoctum elucubravit, cui nomen fecit Mariados, Deiparæ virginis vitam & geſta XXX libris Carmine elego complectens. quorum primos decem Jacobo dedicavit. extant illi manu exarati in Biblioth. Daventrienſ. E Præfatione
,,ejus hæc ſublegi: Jam, inquit, ſex primæ Decadis libris abſolutis, mihi
,,præ animi puſillanimitate in tanto opere penè labenti, piæ exhortationis
,,manum porrexit quidam Canonicus regularis Eraſmus nomine, ætate flo-
,,ridus, religione compoſitus, & omnium ferè noſtri ævi tam proſa quam
,,metro præſtantiſſimus. hic profecto alterum ſe mihi exhibuit Mœcena-
,,tem, imo ſi fas eſt dicere, alteri in hac parte Hieronymo, alterum ſe
,,præbuit Hebræum, illud Virgilii ſæpius ingerentem: *labor omnia vincit*
Improbus ——. mox Eraſmi ad ſeſe Epiſtolæ partem ſubnectit, in hæc
,,verba: Jam facile te ſuſpicor, mi Corneli (quæ tua modeſtia eſt) mihi
,,tuas virtutes commemoranti ſubſtomachari. verum tu quidem ſuccenſeas
,,licebit, ego tamen tua præconia tua nunquam ſonare non potero. præ-
,,terea inſigne atque immortale tuæ Mariados opus quod tibi in manibus
,,verſatur à te majorem in modum peto contendoque (libet enim impuden-
,,tem eſſe) ut noſtro peculiariter nomini dicatum velis, qui amandi officio
,,vel nemini concedo. Ego certe id operis ita tuendum, colendum, ornan-
,,dum mihi decrevi, ut, non dicam mea ipſius (id enim parum accurate
,,mihi facere videor) ſed ut nunquam ſua quiſquam pugnacius defenderit.
,,tu modo fac ad nos ſcribendum (f. deſcribendum) mittas, ut coram re-
,,cepiſti nobis cum illud legeremus. Vale.

Quin Jacobus ille ſit noſter Jac. Faber, & Eraſmus Canonicus magnus Eraſmus Roterodamus nullum eſt dubium. nam eodem fere pacto Faber

Eraſmo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Eraſmo ſcribit Præfatione in editionem Poëmatum Hegii. (quæ Præfatio ſine dubio eſt ad Eraſm. Roterod.) puta; *Iacobus Eraſmo ſuo, utriuſque linguæ prædocto, Canonico regulari ſalutem.* ſed quod ſit cognomentum huic Cornelio nondum invenire potui.

Bonarum literarum ſtudia circa hæc tempora non parum promovit Richardus Pafroed, vel Pafraed Colonienſis, Typographus Daventrienſ. ab hoc excuſa:

Raymundi de Sabunde Theologia naturalis.

Dominici Mancini de Paſſione Chriſti liber, Carmine heroïco.

Reductorium morale figurarum Bibliæ, Petri Bertorii, cIↄ cccc LXXVII

Legenda aurea, cIↄ cccc LXXIX. Bibl. Traject. ſed nomen Typographi reticetur.

Sermones Socci III *vol.* cIↄ cccc LXXX.

Speculum exemplorum, cIↄ cccc LXXXI.

Sermones Iac. de Voragine, II. *vol.* cIↄ cccc LXXXIII.

Sermones diſcipuli de tempore, cIↄ cccc LXXXV. Biblioth. Traject. licet Typographus non nominetur, & cIↄ Iↄ LXXX mendoſe ſcriptum ſit, nam exemplar vidi.

Stella clericorum, cIↄ cccc LXXXVIII. & cIↄ cccc XCIV.

Elegantiarum viginti præcepta, cIↄ cccc XCIV.

Quatuor noviſſima, eodem.

Doctrinale altum, ſeu liber parabolarum Alani metrice deſcriptus cum ſententiis, & metrorum expoſitionibus, utilis valde, ad bonorum morum inſtitutionem, cIↄ cccc XLIX. XXVIII Julii.

Guilielmi de Gouda expoſitio myſteriorum Miſſæ, & verus modus rite celebrandi, cIↄ cccc XCVI.

Baptiſtæ Mantuani ſecundæ parthenices opus, cIↄ cccc LXXIX. Biblioth. Traject. ſed Typographus reticetur.

Ejuſdem de patientia, libri tres, cIↄ cccc XCVIII. XX Octob.

Ejuſdem de vita Ludovici Morbioli. &, *Ad Magnificum Jaſonem Caſtellum patricium Bononienſem, de contemnenda morte.* &, *in Divum Albertum Carmelitam.* &, *contra Poëtas impudice loquentes,* cIↄ I
1 Aprilis.

Ejuſdem, in præconium Roberti Severinatis Panegyricum Carmen,
Somn

Somnium Romanum ad Andream Comitem adhæret.
Aliud ejuſdem Epigrammatum opus elegantiſſimum ad Falconem, cIↃ IↃ. x Aprilis.
Cypriani Sermones aliquot, cIↃ IↃ. *in profeſto Andreæ Apoſtoli.*
Bapt. Mantuani de patientia aurei libri tres, cIↃ IↃ I.
Bucolica Virgilii, cum Notis Hermanni Torrentini, cIↃ IↃ III. *in profeſto Viſitationis Mariæ.*
Epiſtolæ quædam M. T. Ciceronis, & C. Plinii ſecundi, cIↃ IↃ III. XXIX Martii.
Opuſcula Alexandri Hegii. item, *ejus Poëmata*, cIↃ IↃ III.
Vita, ſive Legenda S. Annæ, è Latino tranſlata in Belgicum, à fratre Gualthero Borget, Carthuſiano apud Monichuſios, cIↃ IↃ IV. XIX Januarii. deeſt nomen Typographi.
Gemma gemmarum, cIↃ IↃ V.
Itinerarius Jo. Heſe, Preſbyteri à Jeruſalem, &c. Vbi multa de mirabilibus totius Indiæ, ac principe eorum Preſbytero Joanne. Anno eod. XXVI Aprilis.
Grammatica Nic. Perotti, cum Additionibus regularum & metricæ artis Guarini Veronenſis, cIↃ IↃ VI. XXX Martii.
Inſtitutio moralis Philoſophiæ metrica, ſive Horatii Flacci morales Epiſtolæ, cIↃ IↃ IX. *in profeſto Thomæ Apoſtoli.*
Pauli primi Eremitæ vita, per Maphæum Vegium, cIↃ IↃ XIII. Bibl. Ultraject. ſed nomen Typographi abeſt.
Epiſcopi Megarenſis modus confitendi, cIↃ IↃ XV.
Doctrinale Alexandri de villa Dei, pars I. *&* II.
In ſecundam partem Alexandri Comment. Kemponis Theſſalienſis, cIↃ IↃ XVIII.
In primam & ſecundam partem doctrinalis Comment. Hermanni Torrentini, cIↃ IↃ XIX.

Poſt Hegium Rector fuit Daventriæ per triennium Bartholomæus Colonienſis, Latinæ linguæ egregius inſtaurator, ſed regimini non ita habilis, qua cauſa factum eſt, ut poſtea Venradenſi fuerit datus Conrector. *Hamelmannus.*

Anno cIↃ CCCC LXXXIV. ipſo die decem millium martyrum, Ioannes Biſpinck, Hermannus Ruremunde, Bartholomæus Medenblick, Gerardus Suggerode, Theodoricus Realt, Io. Heeſboom, Io. Doenſlager, Io.

Io. Brunonis, Canonici Capitulares, qui anno præterito literis Apoſtolicis in favorem Reverendi in Chriſto Patris Domini D. Conradi ex Comiti-bus de Rethberch electi & confirmati Eccleſiæ Oſnabrugenſis, & præpoſi-turæ Daventrienſ. commendatarii ſuper præpoſitura Eccleſiæ Daventr. ex-hibitis parere recuſarunt . . . appellationi Magiſtri Nicolai Ruyter adhæ-rendo, hodie ex ſecunda juſſione Romani Pontificis eundem D. Conradum ad ſuam poſſeſſionem, licet dolenter & non ſine magno dedecore admiſe-runt, licet ſuperiori anno adeptus fuiſſet poſſeſſionem, & per Io. de Diep-holt Canonicum ſcholaſticum & Capitularem ad ſuam poſſeſſionem admiſ-ſus, qui tunc ſolus literis Apoſtolicis obtemperavit.

Erat tum temporis Antonius de Gruter Licentiatns Juris Canonici Generoſi Domini D. Conradi a Rethberch, electi & confirmati Eccleſiæ Oſnabrugenſis, & præpoſiti Eccleſiæ S. Lebuini in Daventria, in ſpiritua-libus & ſecularibus Vicarius generalis. *Acta præpoſit.* ad X I X *Maji.*

Hoc anno Epiſcopus David a Burgundia, in regione Tranſiſalana con-ventum feudalem celebravit die V I I I Junii.

Idem die I X Julii Daventriæ Comitia judiciaria Cameræ ſuæ, cum Ordine equeſtri, & trium Civitatum Deputatis habuit, quibus cum poteſta-intererant delegati urbis Daventrienſis Wilhelmus ab Overenck, Corne-lius Aller, Wilhelmus a Swetten, Ioannes a Graes.

Poſtridie Comitia judiciaria magna ibidem coëgit, quibus intererant Scabini Daventrienſes iidem qui ſupra.

X X I I I Julii die Comitia Cameræ una cum Scabinis trium Civitatum Campis celebravit. quibus intererant Scabini Daventrienſes Cornelius Aller, Wilhelmus ab Irten.

Idem X X V I I I Julii Comitia Cameræ ſuæ habuit de propriis, ac ad men-ſam ſuam pertinentibus bonis, Conſiliariis ſuis ad ea adhibitis.

Anno CIↃCCCCLXXXV. die X Septemb. Epiſcopus David a Bur-gundia in arce Vollenhoviana celebravit Comitia ſuæ Cameræ. intera-iis Scabini Daventrienſes Cornelius ab Aller, Wilhelmus ab Irten.

Eodem anno celebravit Comitia ſuper facultatibus menſæ ſuæ deſtina-intererant iis Daventriâ miſſi Cornelius ab Aller, Wilhelmus a Swetten. *Bocop.*

Anno CIↃCCCCLXXXVI. Junii ultimo, Epiſcopus David a Bur-gundia celebravit Daventriæ diem celſæ juſtitiæ, ultimo autem Julii Co-mitia judiciaria. intererant Scabini Daventrienſes Wilhelmus ab Overenck Cornelius Aller, Wilhelmus Swetten, Ioannes Graes.

Anno CIↃCCCCLXXXVII. X I Aprilis jacta Daventriæ fundame-turris Noribergicæ.

Anno CIↃCCCCLXXXVIII. Cum de rebus feudi controverſia fui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

inter Gerardum a Mekeren, Satrapam Velaviæ, & D. Conradum a Rethbergen præpoſitum Daventrienſem, lis illa fuit compoſita, quo facto Io. a Diepholt Vicarius præpoſiti, Apeldornæ ac Becbergæ (pagis Velavicæ ditionis) de ſuggeſtu publicari juſſit, ipſo S. Apolloniæ die, ut quicunque feudum non recepiſſent, ad ſeſe Apeldornam venirent a. d. Petri ad cathedram, ad feudi ſui impetrandam collationem, niſi facultatibus ſuis excidere vellent. Quo die, terminum præfixum prorogavit ad decimumquartum ſequentem, intra quem diem mature de negocio ſuo deliberabant. Erant enim è municipiis Wormingæ & Becbergæ, qui de prædiis ſuis coram tribunali quod vocatur apud Gelros Engelander-holt, ſe judicio ſiſtendos eſſe prætendebant. *Acta præpoſit.*

Hoc anno in tractu Gelriæ, Zutphaniæ, regione Tranſiſalana, & diœceſi Monaſterienſi, multa ſcelera fuerunt perpetrata, in perniciem incolarum qui in iis partibus habitabant. quapropter ope delegatorum Regis Romani ac Bohemiæ, Ordines Gelriæ, & Zutphaniæ cum tribus Civitatibus Tranſiſalaniæ primariis in eas conditiones convenerunt, ut ſiquem maleficum ex unius Dominio in Dominium alterius fuga ſe recipere contingeret, jus ac fas eſſet eum ibidem perſequi, comprehendere, ac pro ratione delicti ſupplicio afficere. Adhæc ſimul decreverunt, nullo modo permittendum ut literæ cum comminatione mortis aut incendii à quoquam ſcriberentur. quod ſiquis in tali facinore deprehenſus fuiſſet, is pro meritis puniretur. *Bocop.*

Anno CIƆCCCCLXXXIX. Ioannes a Worchum Quæſtor Velaviæ, & Arnoldus ab Honſeler, facultates civium Campenſium in Velavia ſitas, tanquam commiſſarii areſto detinuerunt, idque per Prætores Veluanos publicari fecerunt: quod cum Campenſes ſuis privilegiis adverſari contenderent, tres civitates, Daventria, Campi, Zwolla ſingulæ ſeorſim, literas eodem fere argumento ad Ordines Gelriæ Neomagi congregatos miſere. Literarum civitatis Campenſis exemplum tale eſt:

„Honoratis, conſultis, prudentibus delegatis civitatum Ruremundenſis, Zutphanienſis, & Arnemienſis, Neomagi congregatis, amicis noſtris ſingularibus.

„Honorati, &c. Ioannes a Worchum Velaviæ quæſtor, & Arnoldus ab Honſeler commiſſarii, facultates civium noſtrorum in Velavia ſitas areſto detinuerunt, ac de eo publicationem per Veluam paſſim fieri curarunt, juxta tenorem apographorum, literis Daventrienſium inſertorum, idque adverſus tranſactionem inter diœceſin Ultrajectinam & Gelriæ territorium factam, ac olim quidem à Ducibus Gelriæ, &c. felicis memoriæ, nuper autem temporibus Illuſtriſſ. Principis ac Domini Romanorum Regis, Ducis adhuc, ſtabilitam ac confirmatam. Quapropter Daventrienſes,

„Ioanni

,,Ioanni a Worchum, & Arnoldo ab Honſſeler amanter ſcripſerant, ut præ-
,,terita die Lunæ poſt S. Thomæ Apoſtoli, ſeſe Zutphaniam conferre vellent,
,,ibique jus ſuum debite demonſtrarent, præſente Senatu Zutphanienſi ac
,,delegatis è Senatu Arnemienſi. qui ſtatuto die ei negocio vacarunt, ac
,,noſtros quidem delegatos poſtridie ejus diei audierunt, Daventrienſes au-
,,tem & Zwollanos minime. Nec dubitamus, quin delegati Zutphanienſes
,,& Arnemienſes, ad conventum Neomagienſem miſſi, vobis prætenſionem
,,noſtram & amicam petitionem humaniter ſunt communicaturi. Quoniam
,,autem Ioannes & Arnoldus prænominati, die dicto non comparuerant,
,,Daventrienſes deintegro ad Ioannem a Worchum peramanter ſcripſerunt,
,,qui perquam acerbe ipſis reſpondit, prout eſt in apographis quæ & ipſi
,,literis Daventrienſium ſunt incluſa, qua acerbitate Illuſtriſſ. Princeps ac
,,Dominus Romanorum Rex ad Daventrienſes paulo ante ſcribens uſus non
,,fuerat. cujus literarum exemplum Daventrienſes vobis una cum reliquis
,,ſcriptis peramanter mittunt. Itaque, amici ſingulares, petimus peraman-
,,ter, ut delegatos civitatum Zutphanienſis & Arnemienſis ſimul audire
,,velitis, & communi opera allaborare, ut tranſactio citra infractionem
,,ſervetur, ideoque Ioannem a Worchum, & Arnoldum ab Honſſeler edo-
,,ceatis, ejuſmodi areſtum ac proceſſum abolendum ipſis eſſe, ac deinde
,,prout juſtum & æquum eſt, ac tranſactioni & confirmatis privilegiis con-
,,ſentaneum nobiſcum agatis, ac viciſſim à nobis omnia amica vobis poll-
,,ceamini. Quod ſi id impetrare non poſſemus (ut tamen futurum con-
,,dimus) facile pro prudentia veſtra animadvertitis, neutiquam nobis tol-
,,randum fore, nobis ac noſtris facultates noſtras ita inique ac violenter
,,eripi & interverti, citra viam juris, unde apparens malum oriri poſſet,
,,quod mallemus præveniri, Deus novit. Quicquid autem circa hanc re-
,,à vobis amicæ inſtructionis aut aliter in bonum obtinere poterimus,
,,ſcripto comprehenſum reſponſi vice, per præſentem tabellarium nobis
,,reddendum expectamus. Deus, &c. Scriptæ in profeſto trium Regum
,,Anno cIↃ CCCC LXXXIX. infra ſcriprum erat: *Civitas Campenſis.*

Iſte Ioannes a Worchum, & Arnoldus ab Honſſeler, merces Campenſium
nomine Peregrini Voſſii detinuerant, quo damnum ſibi illatum in dejectio-
arcis Puttenæ ex iis reſarcirent. Verum civitates negotio illi ita proſpe-
runt, ut merces eæ areſto ſolverentur, ac Campenſes rebus ſuis pro arbit-
uti frui permitterentur.

Eodem anno Henricus, filius Domini a Wis, à Davide Burgundo
Epiſcopo Ultrajectino, ac tribus Civitatibus, Daventrienſi, Campen-
Zwollana, pecuniarum quiddam exegit, quod ajebat defunctum Rod-
phum a Diepholt Epiſcopum Ultrajectinum parenti ſuo debere, ab
mutuo acceptum; adjectis minis, niſi nummi illi ſibi reſtituerentur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

aliis mediis uſurum, ac per haſce literas exiſtimationi ſuæ cautum velle.

Ordinibus Tranſiſalaniæ mira & inexpectata accidebant juvenis poſtulata, cui ne teruncium quidem deberent, nec unquam quicquam tale vel fando audiverant. quamobrem dictæ civitates Alberto Saxoniæ Duci, Regis Romanorum in Belgio præfecto Generali, literas haſce miſerunt, petentes ut filium Dom. a Wis ita commoneret, ut ab ejuſmodi conatu deſiſteret. ſiquid ſibi deberi putaret, jure ageret, ſe nullum tribunal nec Politicum nec Eccleſiaſticum defugere. ſin cædibus, incendiis, rapinis rem gerere occiperet, ſibi quoque inculpatam tutelam permiſſam eſſe. Similia & ad Barones, Ordinem equeſtrem, ac civitates Ducatus Gelriæ, & Comitatus Zutphaniæ ſcripſere.

Saxoniæ Dux ad literas Tranſiſalanorum reſpondit, ſe Comiti Naſſoviæ, Ducatus Gelriæ præfecto præcepiſſe, ut negocio filii Domini a Wis eum in modum proſpiceret nequid inde majoris incommodi oriretur. Similiter Comes Naſſoviæ tribus Civitatibus ſcripto ſignificavit, ſe cauſæ huic ita proſpexiſſe, ne Epiſcopo Ultrajectino ac ejuſdem ditioni ab ea quicquam moleſtiæ ſit timendum.

Anno cIↃcccxc. Dominica poſt Judica, Henricus filius Domini a Wis, ex Comitatu Zutphaniæ per Velaviam, in diœceſin Trajectinam inferiorem, cum armata manu profectus, uſque ad Wouwenburgum, aliquot agricolas abduxit, duas domos incendit, & reliquam regionem pœna incendii propoſita ſibi vectigalem reddidit, magna inde præda abacta. Id Epiſcopus Ultrajectinus una cum ſuis Ordinibus Duci Saxoniæ ſignificavit, ab eo petens, ut tanquam præfectus generalis nomine Regis Romanorum, filium Domini a Wis, Renam ante diem Maji IV. evocaret, juxta pacta conventa inter ditionem Gelricam & diœceſin Ultraiectinam inita: idque ut damnum ab eo datum diœceſi Ultrajectinæ æſtimaretur, ac deinde, juxta eorundem pactorum tenorem, de re tota ſtatueretur. Saxo diem huic rei agitandæ deſtinavit in urbe Goudana, quo & Comitem Naſſoviæ præfectum ditionis Gelriæ, Conſiliarios ſuos, Epiſcopum Ultrajectinum, tres primarias civitates Ultrajectinas, ac ipſum denique filium Dom. a Wis ſcripto citavit. Cum autem tunc temporis regio Tranſiſalana prædonibus infeſta eſſet, quibuſcum clandeſtina juveni a Wis commercia intercedebant, neque locus habendo conventui pactis conveniret, ac trium civitatum delegati ſibi à prædonibus metuerent, iter illud ſemel & iterum excuſarunt, certi ſibi à Wiſſio inſidias fieri, quo ipſos ſi poſſet interciperet.

Die conſtituto legati Ducis Saxoniæ, Epiſcopus, Comes Naſſoviæ, delegati diœceſeos inferioris, & filius a Wis comparuerunt. ubi partibus conciliandis multa tentata, ſed nihil actum fuit.

Poſtea filius a Wis, Peregrino Voſſio federe ſe devinxit. Atque ita duo hi hoſtes Epiſcopo Ultrajectino ac ditionibus ejus, ab utraque Iſalæ ripa, die S. Matthiæ ſacro bellum indixere.

Quo ipſo die (erat autem x x Septembris) peditum ac equitum turmas in Veluam immiſit, qui cædibus, incendiis, rapinis nullum modum fecere, quibus ferrum pepercerat, eos captivos ſecum adduxere.

Epiſcopus Ultrajectinus extemplo Ordd. Tranſiſalaniæ ad locum Nyerbrugge convocavit, ubi decretum, protinus centum equites armatos, trecentos vero pedites conſcribendos, ac iis locis imponendos, qui tutandæ regioni maximè forent accommodati. eam in rem ab Epiſcopo mille aureos florenos, ac totidem mille à tribus Civitatibus conferendos, quibus negocii initium fieret. Quum autem equeſtris Ordo ac civitatum delegati non ita expedite, urgente neceſſitate poſſent congregari, utque ſecretius in medium conſuleretur, viſum eſt, ut diſtrictus Sallandiæ, Tubantiæ, ac Vollenhoæ ſinguli ex ſuis duos aut tres ablegarent, quibuſcum civitates conſilia communicarent, quo tempore, loco, ac modo hoſtem aggredi expediret. plenam quoque eorundem poteſtatem fore ſubditis tributum imponendi, quo conſtituta ſumma, aut etiam major exolveretur. Quod ſiquem captivum abduci contingeret, ad eum liberandum pariter omnes obſtrictos fore. hæc acta in profeſto exaltationis S. Crucis. Anno quo ſupra.

Filius Domini a Wis ſpoliata ac relicta ditione Tranſiſalana, cum eadem militum manu Comitatum Zutphanienſem invadit, nemini parcens, ac omnia devaſtans.

Tranſiſalana regio una cum ſuo Epiſcopo. & Comitatus Zutphanienſis una cum Henrico Domino a Gemen, Satrapa ſuo, inter ſeſe convenerunt, ut Zutphanienſes quidem arcem ter Borch, Tranſiſalani vero arcem Wildembergenſem obſidione premerent. quod & factum. erant hæ arces Domini a Wis. Adolphus Naſſoviæ Comes præfectus regionum Gelriæ, Zutphanienſibus ac Tranſiſalanis ab una, & Domino a Wis ab altera parte, diem conventus aſſignat Doeſburgi habendum a. d. omnium Sanctorum Anno c I ɔ c c c c x c. quo utrique delegatos ſuos miſere: atque ibi reconciliatæ ſunt partes, & pax conſtituta, ſequentibus conditionibus:

Omnem controverſiam ac hoſtilitatem fore ſublatam. Omnium factorum ἀμνηςίαν, captivos utrinque liberandos. ſiqui in exteras regiones ſint abducti, reſtituendos, ſi fieri poſſit, ſin minus, non ideo pacem violatam cenſeri. Obſidionem arcium ter Borch & Wildenburch ſolvendam, præſidiarios dimittendos, vita ac facultatibus ſalvis, juramento interpoſito nemini eorum quæ feciſſent fraudi futura, debitum quod prætendit filius Dom. a Wis irritum fore. Comitatui licitum eſſe ut damnum ſuum æſtiment, mox ex æquo & bono de eo diſpiciendum. Liberum e

Groni

Groninganis, ſub hac pace comprehendi, ſi vellent, vel ab ea ſeparatas rationes habere.

Peregrinus Voſſius magis ac magis civitatem Campenſem perſequutus eſt. Accidit autem, ut explorator quidam eo ab ipſo mitteretur Wolbertus Goſuini nomine, Daventriæ natus, ad negocia civium inſpectanda. arrhæ autem locō ei florenum aureum dederat, ea lege, ut quotieſcunque in urbe Goudana civem quempiam detuliſſet, qui mercaturæ cauſa ſeſe in viam dediſſet, alios tres florenos lucraretur. Idem Wolbertus ad Comitem Tecklenburgæ miſerat, petitum, ut pateretur Peregrinum Campenſes eo loci detinere, ratione damni, quod ab eis ſe accepiſſe querebatur, id quod ei Comes concedere renuit. literas autem Peregrini, ſuper illo negotio, deſcriptas, ad Campenſes tranſmiſit. Goſuinus a Campenſibus agnitus capitur, quæſtioni admovetur, ac rem ut geſta erat fatetur, quapropter ab urbis Prætore, Scabinis, ac Senatoribus ſententia lata fuit, qua utroque oculo palam privandus judicabatur. Adducitur Wolbertus, è cuſtodia, cui nomen *den Wiltvanck* ad Cameram Scabinorum, ubi Prætor totuſque Senatus una cum commentarienſibus conſidebant. prælegitur (more illius loci) à carnifice ſententia, ac reus eo loci deducitur ubi ea executioni mandanda erat. Prætor Campenſis cum utroque commentarienſi, juſtitiæ, ut vocant, nomine ſequuntur. ibi carnifex Wolbertum palo alligat, in omnium conſpectu, utroque cum lumine orbat. quo facto extra urbem deducitur. qui poſtea viſum recipit. num fraus carnificis interceſſerit, dictu difficile eſt. Ipſe id in teſtimonium innocentiæ ſuæ paſſim prædicabat, culpæ enim cujus arguebatur, ſe affinem non fuiſſe, ideo Deum ac virginem matrem ſibi viſum reſtituiſſe, Campenſes autem ſecum præter jus faſque egiſſe, ac proinde ſe reparationem & doloris & ignominiæ ſibi illatæ poſtulare.

Wolbertus civitatibus Daventrienſi ac Zwollanæ libellum ſupplicem exhibuit, cuius αὐτόγραφον etiamnum in archivis illius urbis aſſervatur, ita autem habet:

„ Ampliſſimi, Conſultiſſimique Domini; Ego Wolbertus Goſuini, con-
„queror, me non ita pridem, magno meo infortunio acceſſiſſe ad Peregri-
„num Voſſium, civitatis Campenſis hoſtem, qui prædictus Peregrinus
„equum quendam vendere in animo habebat, meque tanquam mangonem
„ad eum ſuo nomine venundandum invitabat, promiſſo mihi pro opera præ-
„ſtanda floreno Rhenano. eum florenum cum ab ipſo accipere nequirem,
„ad tempus apud eum remanſi. Itaque rogavit me ut in ſuam gratiam me
„Campos conferre vellem, expiſcatum, quo tempore Campenſes foras
„eſſent profecturi. ad quam petitionem ei reſpondi, me nullo modo id
„facturum, quum nihil mihi cum Campenſibus negotii intercederet, præter
„amorem & amicitiam. Ita ergo de negocio Peregrini mihi nihil conſtabat.

„Sub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,Sub idem tempus Campos veni, omnium rerum inſcius, ubi captus fui,
,,quia apud Peregrinum conſpectus fueram, ut ante dictum, quaſi hoſtili-
,,tatis ejus eſſem particeps, qua tamen in re prorſus innoxius eram, &
,,etiamnum ſum: ac immiſericorditer à Dominis tortus fui, laceratis ac
,,fractis mèis membris, eum in modum, ut toto vitæ tempore medelam
,,ſperare non valeam. Ita anno vertente carcere eorum detentus cum fuiſ-
,,ſem, poſtea contumelioſe & cum ſumma infamia, inſtar malefici eductus,
,,utroque oculo, incredibili cum dolore ac malo, multatus fui. Unde col-
,,lectu facile eſt, Dominos Campenſes quantum ad cauſam Peregrini nihil
,,in me deprehendiſſe. Deus autem & dilecta ejus mater mihi fuerunt auxi-
,,lio, reſtituto mihi lumine. Quapropter obteſtor VV. AA. civitates Da-
,,ventrienſem & Campenſem demiſſe rogans, quandoquidem tres civitates
,,inter ſeſe devinctæ federatæque ſunt, ut Campenſem civitatem ita edo-
,,cere ac commonefacere velint, ut mihi pro dolore, ac pudore quo me
,,affecerunt abſque ulla mea culpa, quod æquum videbitur rependant. Id
,,porro totum veſtræ prudentiæ committo, ea fiducia fretus, quod mei,
,,in re tanta, rationem habituri ſitis: acquieturus iis quæ VV. AA. hac in
,,parte ſtatuere placebit.

Quid porro in cauſa hujus Wolberti actum ſit, non invenio. *Bocop.*

Excuſus hoc anno Daventriæ *Albertanus Cauſidicus Brixienſis de arte loquendi & faciendi*, Bibl. Traj.

Vicarius præpoſiti Daventrienſis Conradi de Rethberch erat Ioannes Zijl.

Anno cIↄ Iↄ xcI. excuſi Daventriæ in platea Epiſcopi *Sermones Michaëlis de Vngaria, prædicabiles per totum annum.*
Hymni de tempore & de ſanctis, in metra noviter redacti. Daventriæ in impreſſura plateæ Epiſcopi. hiſce temporis nota aberat.

In hunc annum incidunt literæ Papæ Innocentii VIII. ad Daventrienſes, ſuper Burſa Cuſana, de qua ad annum cIↄccccLxIx. nobis actum; quas, ex originali à nobis expreſſas, inſeremus. ſunt autem iſtæ:

,,Innocentius Epiſcopus Servus ſervorum Dei, dilectis filiis Burgima-
,,giſtris & Conſulatui oppidi Daventrienſ. Trajectenſ. diœceſ. Salutum &
,,Apoſtolicam benedictionem. Intelleximus quod ex ordinatione teſtamen-
,,taria bonæ memoriæ Nic. de Cuſa Card. dum viveret titt. S. Petri
,,ad vincula de pecuniis ipſius Card. in oppido veſtro ordinatum & fun-
,,datum ſit notabile Collegium pauperum ſcholarium inibi in ſcholis na-
,,triendorum perpetuis temporibus, & quod reditus ad hoc deputati
,,co

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,conſenſu omnium veſtrûm & communitatis veſtræ emti fuerunt ſuper op-
,,pido veſtro. quod profecto ad *univerſitatis* veſtræ honorem & decorem
,,cedit non parvum. Verum informati ſumus quod Officiarii veſtri, haben-
,,tes à vobis commiſſionem ſolvendi hujuſmodi reditus pro uſu pauperum
,,ſcholarium, ſolutionem ipſam hactenus ſemper fecerunt cum diminutione
,,notabili, & non juxta inſcriptiones veſtras deſuper factas, *& per nos auctori-*
,,*tate Apoſtolica confirmatas*, in grave præjudicium ſcholarium, & non ſine
,,aliquo onere conſcïentiarum veſtrarum. Ad vos enim ſpectat ut pia teſta-
,,toris voluntas juxta veſtras inſcriptiones integra obſervetur providere, præ-
,,ſertim cum per literas felicis recordationis Sixti Papæ IV. prædeceſſoris
,,noſtri, ac etiam noſtras, proventus tam dicti Collegii Daventrienſ. quam
,,hoſpitalis de Cuſa, à quo Collegium illud dependet, ſub pœna excommu-
,,nicationis latæ ſententiæ in alios uſus quam per fundatorem ordinati ſunt
,,converti non debeant. Credimus hoc hactenus vobis inſciis eſſe factum,
,,ſed nunc poſtquam literis noſtris vobis innotuerunt, pro veſtro honore &
,,conſcientiarum exoneratione ea ulterius tolerare non debetis. quare hor-
,,tamur vos in Domino quatenus deinceps ſolutionem ipſam fieri ordinetis
,,juxta tenorem inſcriptionum literarum veſtrarum. alioquin facere non
,,poſſemus, quin in tam pio negocio pro juſtitia & conſervatione fundatio-
,,nis oportunius provideremus. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incar-
,,nationis Domini cIↃ CCCC XCI. Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno VII.

B. Bagarothus.

Gratis de mandato Smi. Domini noſtri Papæ. A. de Mucciarellis.

Inſcriptio:

,,Dilectis filiis Burgimagiſtris & Conſulatui oppidi Daventrienſ. Tra-
,,ject. diœceſ.

Hic. Balbanus.

Dependet ſigillum plumbeum, in altera parte habens figuras capitum Petri & Pauli cum litteris P̅P̅. A ✝ E in altera inſcriptione: INNOCENTIUS P̅P̅. VIII.

Anno cIↃCCCCXCII. Excuſum Daventriæ *Alani doctrinale altum.* Biblioth. Ultraj.

XXIX. Julii celebravit Epiſcopus David Burgundus Comitia Cameræ ſuæ, cum equeſtris dignitatis viris, ac Scabinis civitatum. Intererant Scabini Daventrienſes Cornelius ab Aller, Wilhelmus a Swetten.

XX. Ang.

xx Aug. Comitia eadem inſtauravit, quibus nomine civitatis Daven
trienſis intererant Scabini Wilhelmus a Swetten, Hermannus Lulof. *Bocop.*

Anno cIↄcccc xcv. Maximilianus I. Imperator, Wormaciam con-
vocatis Principum ac Ordinum Imperii Comitiis, firmando Imperio, ur-
bes aliquot ejus uſibus commodiſſime ſitas, peculiaribus affecit privilegiis,
ac Imperiales civitates dici voluit, à quibus viciſſim tempore neceſſitatis
fidem & auxilium Imperium expectaret. inter eas numerantur Daventria
& Campi è diœceſi Trajectina. *Chron. Holl. Div.* v. *c.* 2.

Extructa eodem anno (ut numerus inſculptus præfert) porta templi
Montani, quæ vicum montis ſpectat.

Decretum ut quæcunque domus Eccleſiaſticorum initio ſui à munienda
urbe & ſimilibus oneribus exemtæ fuiſſent, ab iis deinceps exemtæ mane-
rent. quæ autem oneribus illis obnoxiæ ad perſonas eccleſiaſticas perveniſ-
ſent, obnoxiæ etiam in futurum haberentur. *Kamer-claringe.*

Anno cIↄcccc xcvi. die vi. April. Veſperi inter ix. & x. horas
Epiſcopus David a Burgundia, in arce Doreſtadienſi animam Deo reddi-
dit, poſtquam Epiſcopatui xl annos præfuiſſet, ac in Eccleſia quam Burg
vocant, in adyto ante ſummum altare ſepultus eſt.

Die Veneris obitum ejus ſequente, civitates Tranſiſalaniæ primariæ, Da
ventria, Campi, Zwolla, exequias Epiſcopi ſuis quæque locis honorifice
celebrarunt. Conſules pro tempore, lumina nocturna poſuerunt. Cumque
pro anima ejus ſacrum quo Requiem æternam precari ſolent, fieret, præce
ſerunt iidem Coſſ. quos ſequebantur Senatores, mox ſacerdotes, hinc urbi
Prætor, denique cives honoratiores primo, deinde promiſcua eorum mul
titudo.

xiii Maji die creatus eſt ejus loco D. Fredericus a Baden, in urbe Bre
dana, ubi ipſe præſens aderat. fuitque Epiſcopus lxv.

Poſt biduum Ultrajectini Ordinibus Tranſiſalaniæ electionem ejus ſign
ficarunt, Epiſcopus etiam recens electus à civitatibus Daventrienſi, Cam
penſi, Zwollana petiit, ut delegatos ſuos a. d. xiii Aug. Ultrajectum mi
terent, ad pompam ſuam condecorandam, ſiquidem eo ipſo tempore ſ
tuiſſet tanquam Epiſcopus urbem illam ingredi. Ordinibus Tranſiſalan
non videbatur conſultum quenquam ex ſuo numero eo ablegare, ſed ci
tates ſingulæ ſuum Secretarium Ultrajectum miſerunt, qui quid agerent
ſpecularentur ac renunciarent.

Die à creatione ſua xviii. Fridericus Badenſis, triumphali magn
centia, quingentis equitibus ſtipatus Ultrajectum introiit. Magnates q
ſecum adduxerat, erant iſti: Epiſcopus Trevirenſis patruus ipſius, Marc
Badenſis frater, inter quos medius ipſe cataphractus caballo inſigni ve
batur. Ultrajectini eum honorifice exceperunt, & ceremoniis conſu
ca

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

cathedræ impoſuerunt. ipſe autem prout antiquitus more fuerat receptum, Eccleſiæ ac diœceſi Ultrajectinæ juramentum præſtitit.

XXII Sept. Epiſcopus Frid. a Baden Româ nuncium accepit, ſe à Pontifice in Epiſcopatu fuiſſe confirmatum. Quo facto, Ultrajecti primum inauguratus, mox in Tranſiſalaniam profectus eſt, ut & ibi inauguraretur.

XXIV Sept. qui dies Jovis erat, Daventriæ inauguratus fuit, cum magna honoris ſignificatione.

Unde Campos ſe contulit, ubi inauguratus fuit XXVIII ejuſdem menſis. Actum illum paulo latius deſcribam, ut ſciri poſſit, quo pacto Præſules Ultrajectini in civitatibus ac regionibus Tranſiſalanis ſoliti fuerint inaugurari, cum iis tanquam Principes præeſſent.

Quum Epiſcopus Daventriâ Campos ſe conferre decreviſſet, ob viæ ac tempeſtatis incommoda, civitas Campenſis tres è Senatu, ac totidem è tribb. pleb. cum centum armatis civibus, tribus navigiis impoſitos Epiſcopo in occurſum miſit, qui Epiſcopum ſecundâ Iſalâ devectum, Campos adduxere, quo appulit ſub ſeptimam horam veſpertinam, tenebroſo jam cœlo. Appulſo Epiſcopo, portæ urbis undique clauſæ erant. cives intra urbem armati conſiſtebant ac Ordines ſervabant. ſacerdotes cum reliquo clero in habitu Eccleſiaſtico, ante portam Piſcatoriam ſeriatim ſe continebant. Coſſ. Scabini ac Senatores foris ad domum telonii cum XII facibus ardentibus conceſſerant, ubi Epiſcopo amicum in modum adventum fuerunt gratulati. Quo facto duo Coſſ. pro tempore, duo è Senatoribus primi, ac duo civitati à ſecretis una cum Epiſcopo ejuſque conſilio ad domum telonii ſe contulerunt, ubi Conſul nomine civitatis Campenſis Epiſcopo adventum gratulatus, ab eo petiit, ut vetuſta urbis privilegia confirmare ac obſignare vellet, exemplo deceſſorum ſuorum. Tunc collata fuere vetera inſtrumenta cum novis, ac deinde obſignata.

Quibus peractis honorifice in urbem introductus, per plateam veterem ita dictam, una cum clero ſolenni pompâ procedente, ac civibus armatis, ad templum S. Nicolai ſe contulit, & ædis adytum ingreſſus, ante ſummum altare genu flexit, ibi organa inſonuere, & hymnus: *Te Deum laudamus* cantatus fuit. Deinde Epiſcopus una cum fratre Marchione Badenſi, templo egreſſi, cameram Senatoriam petiere, ubi Epiſcopus ac frater ejus in ſede Conſulis pro tempore conſederunt, Conſiliariis ejus manum dexteram claudentibus, quos ſequuti Coſſ. Scabini & Senatores ſuum poſt eos locum occuparunt. Quicunque nec ad Epiſcopi nec civitatis Senatum pertinebant, exire juſſi.

Quo facto, ſurrexit Conſul pro tempore, ac dixit: Clementiſſime Domine, rogo Clem. t. perquam ſubmiſſe, ut Clem. t. à me inaugurationem accipere dignetur, exemplo deceſſorum ſuorum. ſimulque idem Conſul Epi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſcopo claves portarum urbis Campenſis obtulit. adjiciens: Clementiſſime Princeps ac Domine, rogamus Cl. T. ut clemens Dominus nobis eſſe velit, nos Cl. T. obedientes ſubditi eſſe volumus.

Epiſcopus poſtquam nonnihil cum Conſiliariis ſuis contuliſſet, claves urbis in manus ſumſit. dein Decanus Eccleſiæ cathedralis Ultrajectinæ ejus nomine reſpondit: Domini Coſſ. Scabini, & Conſiliarii inclytæ hujus civitatis Campenſis, clementiſſ. meus Dominus committit vobis claves deinceps ſervandas, prout hactenus feciſtis, neque dubitat, quin ſibi obſequentes ſubditi futuri ſitis, ipſe ſe vobis clementem Principem fore pollicetur. ejus rei ſtipulata manu clementiſſ. meo Domino fidem facietis. hiſce dictis ſinguli è Coſſ. Scabinis & Conſiliariis Epiſcopum adierunt, eique dexteram porrexerunt. Atque ita inauguratio conſummata fuit.

Hinc inſigne epulum extructum fuit, ferculis è ſaccharo, in lancibus argenteis, bis terve mutatis. ubi copioſe vino indultum fuit. duravit id unius circiter horæ ſpatio. poſtea Epiſcopus in aulam ſuam conceſſit, comitantibus eum quatuor è Senatu. Civitas Campenſis Epiſcopum invitavit, ut poſtridie, qui erat dies profeſti S. Andreæ, cum ſuis magnatibus, aulicis, & omnibus qui cum ipſo erant, cum civibus in publico œnopolio prandere vellet, id quod Epiſcopus ſe facturum recepit, & civitas Campenſis canem marinum vivum, cum magna piſcium copia, ei dono dedit.

Poſtero die Senatus Campenſis Epiſcopum ex aula ſua deduxit in templum S. Nicolai, ubi ſacro interfuit, ac circa meridiem cum magnatibus & nobilibus ſuis œnopolium publicum intravit, ubi cum Senatu Campenſi ac civibus epulatus eſt. Civitas Campenſis ſumtus exolvit.

Pomeridiano tempore Epiſcopus civitatem circuivit, & mœnia perluſtravit. Tres civitates, Daventria, Campi, Zwolla, ſingulæ Epiſcopo duodenas lances argenteas, unius formæ, armis ſuis inſignitas dono dederunt, quæ conſtabant autem ſingulis civitatibus quingentis ſexaginta duabus libris, quas *Heeren-ponden* appellare conſueverunt.

Epiſcopus die Mercurii, qui S. Andreæ ſacer erat, Senatum prandio excepit. Sub veſperam autem matronas ac virgines Campenſes ad cœnam vocavit, qua peracta cum eiſdem ad domum ſaltatoriam (ita vocabatur locus curiæ ſpatioſus ubi choreæ agitari conſueverant) perrexit, ubi tripudiis ac ſimilibus oblectamentis ſeſe uſque ad mediam noctem exhilararunt.

Die Jovis in Obſervantium cœnobio ſacrum audivit, quo peracto Senatus Campenſis Epiſcopum navigiis ad aggerem uſque lapideum deduxit, ubi equi ad eum vehendum parati erant. qui Zwollam uſque detulerunt.

Bocop. Imp

Imperator Fridericus hoc anno v. Decemb. civitati Daventrienſi poteſtatem cudendæ aureæ monetæ conceſſit, prout antea argenteæ cudendæ licentiam habuerat. *Lib. privil.*

Anno cIↃcccccxcvii. xxi Junii, Epiſcopus Fridericus Badenſis in arce Vollenhoviana prima Comitia judiciaria celebravit. quibus nomine civitatis Daventrienſis intererant Scabini Hermannus Lulofs, Giſbertus ab Allen.

Anno cIↃccccxcviii. Henricus filius Domini a Wis, & Herbertus Voſſius a Putten, conſpirarunt cum militum quadam cohorte, quam *de groote Garde* nominabant, quique ſub Duce Saxoniæ (is Philippi Archiducis Auſtriæ, Ducis Burgundiæ nomine Friſiam obtinebat, erat autem Dux Saxoniæ nomine tenus, id eſt, nativitate, non poſſeſſione, utpote frater minor Arnoldi Saxoniæ Electoris) ſtipendia fecerant, erant autem quater mille numero, & imperio ſoluti vagabantur. Hoſce dicti Wiſſius & Voſſius in Tranſiſalanam regionem introduxerunt hac occaſione:

Henricus a Wis actionem quandam prætendebat adverſus tres civitates, Daventriam, Campos, & Zwollam, de qua tamen jam ante (ut ſuo loco dictum) cum eo tranſegerant. Voſſii a Steenwijck & Putten veterem ſimultatem alebant adverſus Campenſes, qui domibus ipſorum diruendis operam & auxilium præſtiterant, qua de re & ipſa pridem judicatum, & reconciliatio facta erat.

Filius Dom. a Wis, tribus civitatibus ac univerſæ regioni Tranſiſalanæ hunc in modum hoſtilia denunciavit:

Henricus filius a Wis, &c. vobis Coſſ. Scabinis ac Conſiliariis, tribunis plebis, civibus, & incolis civitatum, Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, itemque oppidorum minorum ſuperioris diœceſeos Ultrajectinæ, denique ſubditis regionis Tubantinæ, Drentinæ, & Sallandicæ notum facio: Quandoquidem antehac multa proſecutio ad progenitores veſtros, à nobilibus meis progenitoribus, nobili meo parente, & poſtea à me fuit facta, ratione debiti procedentis ab Epiſcopo Rodolpho piæ memoriæ veſtro tum temporis Principe, per quod Dominus ac pater meus, præter omnem noſtram expectationem in magnum incidit ſuarum rerum detrimentum, prout & mihi tempore meæ proſecutionis evenit, quem, niſi amici aliquot ſeſe interpoſuiſſent, vita, domo, ac facultatibus evertiſſetis, quod tamen fieri non oportebat, quandoquidem nummi benigne pro Principe veſtro expenſi, ac magno fœnere mutuo ſumti erant, pro quibus hodie bona hæreditaria ſunt oppignorata: Hinc accidit, ut quotidie indigeam, & parens meus mihi dare recuſet, contendens, ſe ſemel mihi proſpexiſſe, neque id continuo iterum iterumque poſſe facere. Quum ergo vos adverſum me omni tempore, reconciliationem ad quam vi à vobis adactus fui multis modis

violaſtis, moneo vos, ut protinus mecum tranſigatis, niſi fiat, ſtatui ea quæ mihi debentur quibus potero mediis conſequi, id quod ſatis diu evitavi, ac omittere maluiſſem. Quicquid autem vobis una cum adiutoribus meis, & adiutorum adiutoribus damni dedero, ſuper eo per haſce patentes literas honori meo abunde me caviſſe, eumque adverſus vos tutatum eſſe, vobis conſtare volo. qua de re expediet ut ſerio cogitetis. Datæ ſub ſigillo noſtro, die Martis poſt Lebuini, Anno cIↃcccccxcvIII.

Filius a Wis cum hac latrocinantium cohorte Goram oppidum irruit, ubi illi ligneam ſtatuam fabricant, quam Epiſcopalibus indutam veſtibus, Epiſcopum Ultrajectinum ſalutant, in contemtum videlicet Præſulis, eam penes ſe collocant in ſympoſio, ac mirabiles ei ludos faciunt, dicentes, En clementiſſimus noſter Dominus, clementia ejus nos ditione ſua expellere ſatagit. ac eo dicto, cereviſia factitium Epiſcopum perfundunt. totam porro Tubantiam incendiis, rapinis, exactionibus & omni inſolentiæ genere deturpant.

Civitates majores minoreſque regionis Tranſiſalanæ delegatos ſuos ad Epiſcopum Ultrajectinum miſere, de tota eum re certiorem facientes, ac rogantes ut remedium aliquod tanto malo inveniret. ni faceret, rem in eum ſtatum deductam eſſe, ut univerſa regio Tranſiſalana funditus devaſtaretur. Epiſcopus legatos ſuos ad Ducem Gelriæ expedivit, auxilia ab eo imploraturos, quorum adminiculo ſe milites hoſce cæſurum recipiebat, nam ſi eo quo cœperant pede progredi permitterentur, fore ut omnium Principum dominia invaderent, & pro libidine deprædarentur.

Gelriæ Dux Carolus cum Epiſcopo Ultrajectino fedus inire noluit, antequam Domino a Wis rem totam per literas ſignificaſſet, reſponſum quod ab eo recepiſſet, ſe Epiſcopo communicaturum promittens. Ejus acceptis literis, reſpondit Dominus a Wis, die Veneris poſt Iacobi, conquerens de damno domui ſuæ ac ſubditis a Daventrienſibus illato. ſe à Duce petiiſſe ut adverſus eos defenderetur, ſed nullum accepiſſe reſponſum. unde contentum ſe eſſe non poſſe, ſed jacturam ſibi reſarciri velle. præterea Daventrienſes vectigal quod ſibi à Duce pignori datum eſſet in Honnepe, intervertiſſe, & nonnullos ex eis vi violenta in ſuum Dominium irruiſſe, non denunciata hoſtilitate. Innocentem tamen ſe eſſe in iis quæ filius ſuus deſignaſſet, neque pacem cum diœceſi Ultrajectina initam à ſe eſſe ruptam, ſed amanter ſe ab iis petiiſſe, ut damnum miſeris ſubditis ſuis illatum ſarcire vellent. æquum & juſtum eſſe, ut Dux ſibi tanquam humillimo ſubdito patrocinetur. ac multa his ſimilia.

Hæc omnia Dux Gelriæ Epiſcopo tranſmiſit, adjunctis literis ſuis, datis die Sabbati poſt Iacobi. Quibus acceptis Epiſcopus Arnemiam ad Ducem ſe contulit, atque ibi fedus cum eo percuſſit, cui civitates Neomagenſis, Zutph

Zutphanienſis, Arnemienſis, nec non tres civitates Tranſiſalanæ ſubſcripſerunt, mutua ad id auxilia polliciti. Federis hujus verba ita habebant:

Nos Fridericus Dei gratia Epiſcopus Ultrajectinus, natus Marchio à Baden: nos Conſules, Senatores, cives atque incolæ civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ notum facimus: Quandoquidem indies accidit, ut magna militum multitudo confluat, qui creato Duce, regiones ac oppida invadunt ac populantur, prout & Henricus filius a Wis, cum magna militum manu clementiſſ. Domini noſtri ditionem trans Iſalam in qua ſita eſt Daventria, invaſit, quo talia, nunc & in poſterum præcaveantur impedianturque, cum celſiſſimo Principe Carolo, Gelriæ & Cliviæ Duce, Comite Zutphaniæ, dilecto noſtro agnato, & clementiſſ. Domino, civitatibus item primariis, Neomago, Zutphania, Arnemia convenimus, juxta tenorem notulæ verbotenus hiſce inſertæ:

Primo clementiſſ. ac dilectus Dominus Dux Gelriæ, &c. omne auxilium ac ſubſidium præſtabit clementiſſ. Domino Epiſcopo Ultrajectino, pro virili ſua parte, quo milites hoc tempore ditioni Ultrajectinæ incubantes cædi fugarive poſſunt. Similiter uterque Princeps, eorumque ſubditi, ſi quo alio tempore neceſſitas exegerit, ac ditio eorum aliqua à militaribus copiis invaſa fuerit, ſibi invicem auxilium opemque totis viribus præſtabunt. Præterea, ſi forte ejuſmodi auxiliorum ac conflictuum nomine moleſtiam alicui creari contigerit, conjunctis viribus uterque Princeps ac utræque ditiones una cum amicis ſuis eam avertent.

Agnoſcimus ergo & profitemur omnes ac ſinguli, nos eandem notulam, cum omnibus punctis ea comprehenſis præſtandam recepiſſe, ac literis hiſce noſtris patentibus recipere. In teſtimonium fidei ac veritatis, nos Fridericus Epiſcopus Ultrajectinus, noſque Coſſ. Scabini, Senatores, cives & incolæ civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, ſigillum noſtrum ſecretum hiſce literis appendi curavimus. Datæ Daventriæ Anno Domini CIↃCCCCXCVIII. die VIII Julii.

Similes literas Dux Gelriæ cum tribus primariis ſuis civitatibus Epiſcopo Ultrajectino viciſſim tradidit.

Hæc dum aguntur, filius a Wis cum latrocinante manu circa Daventriam incendiis graſſatus eſt, & quos potuit captivos abduxit, magna quoque inde abacta præda.

Cui rei ut finis imponeretur, Epiſcopus & Dux diem conſtituunt, quo conjunctis copiis, ex formula federis, filium a Wis cum ſuis aggrederentur, quo etiam tempore ex inferiori diœceſi Ultrajectina, nobilis a Montfoort, & Dominus Ioannes a Nieſvelt, cum quingentorum militum cohorte principibus ſuppetias venere.

Dum copiæ Ducis & Epiſcopi colliguntur, contigit, Ioannem quendam à Bal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

à Ballingen, quem Wiſſiani injiciendo ædificiis igni præfecerant (*brand-meeſter* vocant) militum nonnullo numero comitatum, Tubantiâ ad urbis Daventrienſis pomœria ſe conferre, ut, ſi fortuna faveret, cives inde aliquot captivos ſecum abducere poſſet.

In eam urbem tum temporis tribunus quidam militum Belus nomine, è præſidiariis Ducis Gelriæ, cum ſua cohorte ſe contulerat, vir fortis, & hiſce latronibus, ſiquis alius, inimicus. Is cum militibus ſuis urbe egreſſus cum Io. à Ballingen confligit, quem cum centum quinquaginta è ſuis comprehendit, & captivos Daventriam abducit.

Die qui à diviſione Apoſtolorum nomen ſortitus eſt, Epiſcopus Ultrajectinus, & Gelriæ Dux copias ſuas, ſuarumque civitatum ac univerſæ ditionis contraxere. Epiſcopus ipſe cataphractus caballo vehebatur. atque ita ad Wiſſianos contenderunt. dum prælium committitur, equitatum ſuum in eoſdem (qui prorſus eo deſtituebantur) immittunt, perrumpunt ordines, multos cædunt. multi fuga in regiones Monaſterii, Gelriæ & Cliviæ evadunt. fugientes Epiſcopus, uſque ad portam Cliviæ perſequutus eſt. reliqui projectis armis, ut ad fugam eſſent expeditiores, ſe in pedes & ipſi conjiciunt. ubicunque in ruſticos incidiſſent, ab iis cæſi ſunt, vociferantibus ad ſingulos ictus, hem tibi, pro pecunia mea, pro jumentis, pro gallinis, pro pecore, &c. Captivi porro, quos quamplurimos ſecum trahebant, ſine pretio liberi dimiſſi fuere. Multi è diſſipatis Wiſſianis in varias variorum Dominorum ditiones captivi fuerunt abducti, ut Limburgum, Ordingam, Noveſium, Coloniam Ubiorum, Suſatum. Colonienſis Epiſcopus omnes dimiſit, ac ditione ſua ejecit. multi quoque Daventriam vincti pervenere.

Epiſcopus Fridericus a Baden cum ſuis, parta hac victoria, triumphanti ſimilis Daventriam intravit, ubi cum delegatis civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, ac reliquis qui aderant Dominis, conſilium cepit, quid de militibus captivis, ac iis qui adhuc comprehenderentur, videretur ſtatuendum? decretum fuit, omnes capite truncandos, corpora rotis & capita perticis imponenda.

Die Veneris ante S. Petri ad vincula, ſententia hæc executioni mandata fuit. omnibus amputata capita, & rotis in orbem diſpoſitis trunca cadavera injecta, in medio Dux eorum Ioannes a Ballingen. Inter alios erat adoleſcens quidam, liberali facie ac moribus, quem nuper admodum ad ſuum gregem Ioannes a Ballingen pellexerat. ægre is ad mortem tam ignominioſam ſeſe comparabat, cumque jam rotæ illigatus, carnificis expectaret ictum, vidit ibi conſiſtentem Ioannem a Ballingen, eumque his verbis compellavit: Eheu! Ioannes, quantæ mihi miſero calamitatis auctor es! cui Ioannes reſpondit, *Mihi ſcilicet illa res lucro fuit!* Belgice: *ſpin ick daer ſijde by?* quod ejus dictum in proverbium abiit: *Spin ick daer ſijde by? ſeyde Hans van Ballingen.*

Cam-

Campis quoque ex iiſdem viginti quinque capite plexi fuere, & rotis
trans Iſalam ad exemplum impoſiti, qui omncs deplorabant ſe à filio Do-
mini in Wis perſuaſos ſe in haſce miſerias conjeciſſe.
Civitates, Daventria, Campi, Zwolla, hoc tempore vehementer time-
bant, ne ſibi à Gelriæ Duce bellum inferretur, idque hac de cauſa: Tradi-
derat Dux Epiſcopo Ultrajectino arcem Oyen, ea lege, ut ſi contingeret
regem Romanorum ſibi denuo bellum inferre, eam teneretur reſtituere.
orto ergo bello inter ipſum & regem Rom. Maximilianum, ut promiſſa
Epiſcopus repræſentaret petiit, qui cum non ita promtus ad id faciendum
videretur, jamque omnia ad hoſtilitatem ſpectarent, rogarunt Epiſcopum
civitates, ut curaret facultates ſuas, domos & agros in regione Gelriæ ſitos
libero commeatu muniri, ac exiguis vexillis inſigniri, ad eorum indemni-
tatem. quibus reſcripſit Epiſcopus d. VIII. Novemb. ſe cum Conſiliariis
ſuis ſuper ea re deliberaſſe, iis autem nondum videri conſultum commea-
tum cuiquam concedi, ullaſve domos eo quem petebant modo inſigniri,
antequam certius quo res evaſura ſit manifeſtetur. quod ſi Velaviam equi-
tatus ingrederetur, petitionis earum ſe rationem habiturum. Nunc autem
cautionem eſſe, ne, ſi domus adverſæ partis inſignibus notarentur, iis ante
reliquas à Gelris ignis injiceretur. *Bocop.*
Anno CIƆCCCCXCIX. ortum eſt bellum inter Ioannem Cliviæ Du-
cem, & Epiſcopum Ultrajectinum, hac occaſione: Mutuo dederat Ioannes
civitati Ultrajectinæ certam pecuniæ ſummam, tempore belli quod ei civi-
tati intercedebat cum Epiſcopo ſuo Davide Burgundo, cum ea fratrem ipſius
Arnoldum Ruardum (genus eſt præfecturæ) ſuum creaſſet. Eam pecuniam
ſæpius ab Ultrajectinis repetiverat, nec amicis mediis eam potuerat obti-
nere. Clam igitur milites latrocinantes ſacramento ſibi devinxit, ac ut in
ditionem Ultrajectinam irruerent, ac hoſtilia quæque perpetrarent, præce-
pit, ea tamen cautione, ne ſe ſub ipſius imperio eſſe profiterentur, ſed quæ
facerent ſuo periculo facere ſimularent.
Octavo Junii die, hi milites ad oppidum Rhenen ſe contulerunt, duobus
inſultibus id tentant, ſed repelluntur, tertio inſultu oppidum capiunt, quos
in armis inveniebant obtruncant, cives ac incolas captivos ducunt, nec niſi
magno numerato pretio dimittunt, oppido deinde præſidium quod ei custo-
diendo ſufficeret imponunt. Hinc Ultrajectum petunt, ac urbem circum-
quaque ita obſident, ut nemini nec ingreſſus nec egreſſus pateret. hinc pa-
gos, villas, & ipſa urbis pomœria exurunt, & atrociſſimis factis extorſio-
nibus, cum præda in oppidum Rhenen ſe recipiunt.
Epiſcopus Ultrajectinus, cum probe noſſet hæc ſibi à Cliviæ Duce mala in-
ferri, delegatos ſuos Rhenam ad Ducem horum militum miſit, ſciſcitatum ab
eo, velletne cum ſuis Clivenſem deſerere, ac ſibi inſervire, pollicitus, ſe eos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

in Clivenſem ditionem immiſſurum. cum viderentur inclinare, ocyus Epiſcopus Mag. Everardum ab Ens J. U. D. qui ſibi à conſiliis erat, ad Ordines Tranſiſalaniæ expedivit, iiſque quæ Io. Clivenſis in inferiori diœceſi, nulla belli facta denunciatione perpetraſſet, indicavit, auxilia ab eis contra eundem flagitans, ut qui omnino ſtatuiſſet injuriam ſuis ſubditis illatam ulciſci. Conſenſerunt libenti animo Ordines, ac generale tributum ſuis regionibus imperarunt, ne monaſteriis quidem, capitulis, paſtoratibus, ſacerdotibus, vicariatibus ac reliquis è clero exemtis. cumque timerent ne hi ſeſe huic exactioni opponerent, conſenſum Epiſcopi petierunt, qui ut id fieret, utque refractarii ſcripto conſignati ad ſeſe deferrentur, pro meritis corrigendi, indulſit. ita ubique exactus cenſus, & Mag. Everardus ab Ens die Julii x x i i. de re tota Epiſcopum certiorem fecit.

Hinc ſubito cum militibus Epiſcopus contraxit, qui deſerto Clivenſi, ipſi ſacramentum dixere. Ordinibus porro Tranſiſalaniæ maximas pro promtis eorum animis, gratias egit, ſeſe, & inferiorem diœceſin, mutuum facturos erga diœceſin ſuperiorem, ſiqua neceſſitas ingruat largiter pollicitus. petiit autem, ut è veſtigio tria quatuorve millia florenorum aureorum ſibi ſuppeditarent, quos militi in anteceſſum numeraret, paria facturam diœceſin inferiorem ſignificans. Inſuper civitates Daventriam, Campos, Zwollam rogavit, ut ſibi quatuor tormenta majora, octo colubrinas, ſedecim quæ lapides ejaculantur, cum pulvere & globis, item curribus & hominibus jaculandi peritis ſubmitterent, ſumtus in eam rem faciendos utramque ditionem ex æquo toleraturam. Obſequuti ſunt Tranſiſalani, & præter hæc quam celerrime trecentos equites in diœceſin inferiorem miſerunt, polliciti ſe equites quingentos, & pedites ſexcentos ſuppeditaturos, modo utrinque ex ſemiſſe iis ſtipendia erogarentur.

Epiſcopus cum militari hac manu in Clivenſem ditionem profectus, in quoſvis captivitate, cædibus, incendiis, rapinis graſſatus eſt, nemini parcens, multaſque arces occupavit, & quoſcunque in iis reperiſſet obtruncari fecit.

Dum hoc pacto aguntur ac feruntur horum principum ſubditi, eo res inter eos deducta fuit, ut utrinque controverſias ſuas in manus Juliaci ac Bergæ Ducis, item Chriſtophori Marchionis Badenſis compromitterent. pactæ interim induciæ, & dies conventus dictus Sylvam-Ducis, quo ambo rationes ſuas mitterent, ubi ſi res amice tranſigi non poſſet, dies alter Coloniam Ubiorum indiceretur, ubi ipſi Principes comparerent, & cauſam ſuam ſcripto, per modum proceſſus juridici in promtu haberent, & quod compromiſſarii ex jure pronunciarent, ei utrique acquieſcerent. Subditis interim copia fieret ſecum invicem libere agendi ac vivendi, prout tempore pacis fieri conſuetum eſt. *Bocop.*

Anno

Anno cIↄIↄ. Epiſcopus Ultrajectinus & Dux Clivenſis, vi compromiſſi Coloniam Agrippinam, ubi Dux Juliacenſis & Marchio Badenſis eos expectabant, ſe contulerunt, ubi die Veneris poſt *Miſericordias Domini* comparuerunt. Multis ibi actum de eorum reconciliatione, ſed conatu inani. prolata ergo denuo res, relicto, in pleno vigore ſuo, in quod conſenſerant compromiſſo, ac partibus injunctum, cauſam ſuam ſcripto explicarent, ſcripta inter ſeſe permutarent, & arbitris ante certum diem traderent. *Bocop.*

Ejuſdem anni XXIII Septemb. D. Fridericus a Baden Epiſcopus Ultrajectinus in arce Vollenhoviana jus dixit. die XXIV. cum ordine ſuo equeſtri, ac tribus civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, Zwollana, judiciaria Comitia celebravit. quibus intererant è Scabinis Daventrienſibus, Mag. Hermannus Lulof, Petrus a Mouwick.

Die VI Octob. Comitia cameræ ſuæ habuit, præſentibus è Scabinis Daventrienſibus iiſdem qui ante fuerunt nominati.

Eodem anno, Ioannes Boſhuſius, Vicarius altaris S. Petri, ad S. Lebuini, dedit mille florenos aureos, id eſt, annuos quinquagenos, ad educationem duorum adoleſcentum proxime ſibi ſanguine junctorum, qui per ſexennium Daventriæ, & deinde per triennium Coloniæ Agrippinæ ſtudiis operam darent. Depoſita eſt illa pecunia penes Magiſtratum Daventrienſ. ea conditione, ut vel ipſe Magiſtratus ejus uſuram quotannis erogaret, vel ſortem apud fidum hominem eo fine deponeret, quo jus hoc Boſhuſianæ familiæ perpetuum eſſet ac ſtabile. quod ſi eo nemo ex eadem familia uteretur, liberum eſſet A. Magiſtratui è ſuorum civium liberis binos, eorum vice, eiſdem reditibus in ſtudiis alere. *Hæc ex antigrapho in membrana, ſed ſine ſigillo aut ſignatura.*

Ioannes Biſpinck Præpoſitus Zutphanienſis, Officialis & Vicarius generalis præpoſiti Daventrienſis, nominatur in Actis præpoſituræ, ad hunc annum, in Vigilia Simonis & Judæ Apoſtolorum.

Anno cIↄ Iↄ I. reperio præpoſitum Daventrienſem fuiſſe Mag. Andream a Venraed, S. ſedis Romanæ protonotarium. v. Act. præpoſit. ad diem profeſti S. Eliſabethæ. vocatur ibidem poſtea decretorum Doctor, & in Eccleſia Trajectenſi Archidiaconus. Ejus in ſpiritualibus & ſecularibus Vicarius generalis dicitur Gerardus Suggerade, S. Lebuini Daventriæ Canonicus.

Anno cIↄIↄII. Cum Comes Emdanus, una cum Saxone, cives Groninganos indies magis magiſque gravaret, amicè aliquoties ab Epiſcopo Ultrajectino ejuſque ditionibus ultra & cis Iſalam petierunt, ut ſibi veluti membro diœceſeos Trajectenſis auxilio ac ſubſidio eſſe vellet. id quod Epiſcopus ſe facturum quidem recepit, ſed nullo effectu, unde hoſtibus eorum animus ad eos vexandos addebatur. Quapropter per libellum ſupplicem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

idem quod ante rogarunt, ac monuerunt Epiſcopum, ut juramenti ipſis præſtiti memor, continuo ſibi ſuppetias veniret, quandoquidem induciarum quas inter ipſos ac Saxones pepigerat, finis inſtaret. Utque ipſis indicaret, ſi res ad novum bellum ſpectare contingeret, quid ſibi de ipſo ac ditionibus ipſius deberent polliceri, quo intellecto ſuum fore diſpicere quid deinceps ſibi eſſet agendum. ſuper eo reſponſum categoricum flagitantes. Datæ erant literæ anno quo ſup. die Veneris qui feſtum Purificationis antecedit.

Epiſcopus Ultrajectinus hiſce literis acceptis, generale, quod vocant, capitulum convocari fecit, in domum capitularem magnam Eccleſiæ cathedralis, ubi literæ Groningenſium prælectæ fuerunt. res mature deliberata perplexos omnes habuit, quum & bello adverſus Saxonem, cui & Romanorum Rex adhærebat, implicari durum, & civitatem Groninganam deſerere, Epiſcopatui Ultrajectino, & maxime regioni Tranſiſalanæ periculoſum videretur. Tabellarium ergo ſine reſponſo remittunt, quem juſſerunt Dominis ſuis renunciare, Epiſcopum quamprimum per proprium ſuum tabellarium literas ad eos daturum. Decreverunt autem ſuper hoc negocio cum civitatibus ſuperioris & inferioris diœceſeos Comitia generalia eſſe celebranda.

Epiſcopus Doroſtadio XIX die Martii Ultrajectum, in magnam domum capitularem, generalia Comitia Ordinum ab utraque parte Iſalæ habenda a. d. Jovis poſt Miſericordias Domini, convocavit. Quo & præfixo die omnes comparuerunt. ubi negotii difficultatibus utrinque expenſis, viſum eſt, omnia media tentanda, per quæ civitas Groningana cum Saxone reconciliari poſſet. quo fine multi conventus fuerunt habiti. *Bocop.*

XIV Julii Epiſcopus in arce Vollenhoviana Comitia cameræ ſuæ celebravit. quibus è Scabinis Daventrienſibus interfuerunt iidem qui ſupra.

Anno CIↃ IↃ III. bellum ingens fuit inter Ducem Gelriæ & Epiſcopum Tajectenſem: ac Gelri quidem civitatem Oldenſelenſem occuparunt, ſed cum ſe ſatis inſtructos præſidiis & ſubſidiis non eſſe animadverterent, relicto oppido receſſerunt: Epiſcopus autem oppido recuperato, cum inſtructiſſimo exercitu impreſſionem fecit in Veluam, & multis caſtris everſis, pagis evaſtatis, cum ingenti præda Daventriam reverſus eſt, & facta cum Gelris pace, Epiſcopus reſpectu hujus belli, precariam collectam clero indixit per Hollandiam, Zelandiam, & Friſiam: Sed clerus ad ſedem Romanam provocatione facta, per ſententiam Papæ à collecta fuit abſolutus. *Suffrid. Petr. Append. ad Bekam, p. 165.*

Eodem anno IX Julii Dieſtenſes civibus Daventrienſibus privilegium conceſſerunt, ne apud ſeſe areſto, niſi ob propria debita, detineri poſſent.

Anno CIↃIↃ IV. Rex Romanorum Maximilianus in Comitiis Imperii

cum

cum Electoribus, Principibus & Ordinibus Sacri Imperii Ratiſbonæ, Carolum Gelriæ Ducem proſcripſit, idque Epiſcopo Ultrajectino Frederico Badenſi XIV Septembris die ſcripto ſignificavit, eique ſerio injunxit, ne vel ipſe, vel ditiones ac civitates ejus, prædictum Gelriæ Ducem ulla ope adjuvarent, filio enim ſuo decretum eſſe, eum bello impetere, cui ut auxilio præſto ſit, ſe ab eo flagitare.

Mandatis hiſce per regiones Tranſiſalanas ubique promulgatis, quantumvis accuratiſſime prohibente Romanorum Rege, nequis Gelris quicquam adveheret, non potuit tamen impediri quominus cives merces ſuas, ſuo periculo eo importarent ac diſtraherent. quod cum regi ſignificatum eſſet, in Hollandiam, Zelandiam, ac per omnes ſuas terras diplomate miſſo, inhibuit nequis regionibus aut civitatibus Tranſiſalaniæ vel cibos vel bellica inſtrumenta adveheret venderetve. Præter hæc Daventrienſibus, Campenſibus, Zwollanis, occaſione hujus mandati, in ditionibus Archiducis multa damna illata fuere, bobus eorum abactis, pannis ac aliis mercibus direptis. Campenſibus avecta navis oneraria, multis millibus florenorum æſtimata. Ex altera parte, etiam à Gelris infeſtabantur, qui & ipſi eos facultatibus ſuis ſpoliabant, ac Dux Gelriæ merces eorum Iſalâ ſubvectas Hattemi areſto detinebat. Quum Tranſiſalanis in Brabantia, Hollandia, & provinciis Burgundiæ commercium liberum non amplius eſſet, tres civitates præcipuæ Epiſcopum Ultrajectinum rogarunt, ut ab Auſtriæ Archiduce obtineret mandati illius abolitionem, quo ad priſtinam libertatem in ejus regionibus commercia ſua redire poſſent. id quod libello ſupplice ab eo Epiſcopus petiit. cui reſponſi loco adſcriptum fuit, ipſis ad menſem unum aut ſex hebdomadas moleſtias quas patiebantur adhuc eſſe tolerandas, idque ob cauſas quibus ſe dicebat moveri. interim literas liberi commeatus eis conceſſit, quibus dum res tota tranſigeretur, ut poterant in ſuum commodum uterentur. *Bocop.*

Hoc anno Daventriæ Petrus a Mouwijck, tanquam executor teſtamenti Wilhelmi a Willigenhave fundavit ejus nomine in domo clericorum conventus aliquos octo ſtudioſis alendis. *Privill. p.* 222.

Natus eodem Anno Kalend. Mart. Daventriæ, ex uxore lapidicæ cujuſdam fœtus duplex feminei ſexus, concretus à pectore deorſum. duo ei capita, thorax ac venter unus, duo muliebria, quatuor brachia, quatuor crura. *Chron. Holl. Div.* XXXII. *c.* 26.

Ioannes Sinthemius, congregationis S. Hieronymi Daventriæ, Deſid. Eraſmi præceptor, edidit hoc anno typis Badii,

Commentarios Grammaticos in doctrinale Alexandri. Magnum inde (ut in vita Eraſmi ait Rhenanus) ea tempeſtate in ſcholis Germanorum nomen conſecutus.

Eodem anno edita Daventriæ *Expoſitio myſteriorum Miſſæ, &c.* *per Guilielmum de Gouda, ordinis Minorum de Obſervantia.*

Eodem & ſequenti anno extructum Daventriæ Templum S. Cæciliæ cœnobii monialium, dicti: *Het Lammen-Clooſter,* à vidua quæ id dotavit, dicta *Vrou Lammen.* (*Ex inſcriptionibus in templi veſtibulo, & pariete.*)

Anno cIɔIɔv. in negocio Groningenſi à Tranſiſalanis actum fuit. Quo in ſtatu id tum temporis fuerit, ex ipſorum ad Ordines Tranſiſalaniæ literis apparet, quæ ita habent:

„Ampliſſimi, faventiſſimi, dilectiſſimi amici. Quandoquidem deleg„noſtri, qui nuper condicto ad id die Hattemi fuerunt, nobis retulere, Cle„mentiſſ. noſtrum Dominum Præſulem Ultrajectinum, & delegatos Ordi„num ejus ditionis, poſt multa ſuper controverſiis inter Illuſtrem Princi„pem ac Ducem Saxoniæ, &c. ab una, & nos ab altera parte, habita col„loquia, iiſdem noſtris delegatis, pro finali reſponſo indicari curaſſe, „Clementiſſ. Dom. noſtrum ac Ordinum delegatos, multijuga inſumta di„ligentia, nullam reperire potuiſſe viam, qua diſſidium illud componi, „civitati noſtræ Groninganæ in neceſſitatibus ſuis auxiliares manus porri„poſſent, niſi eadem noſtra civitas Omlandiam deſerere, ac ejus poſſeſſio„ne ſe exuere vellet, ideoque petere Clem. ſuam, una cum Ordinum dele„gatis, ut eam abdicare, neque deinceps ſibi vindicare vellet, ac ante deci„mum, quid hac in parte ſtatuiſſet, ſibi ſcripto ſignificaret. rationib „etiam adhibitis de quibus iidem noſtri delegati nos certiores fecerunt. „Nos ſuper tanta re, univerſa noſtra civitate in conſilium adhibita, co„cordibus votis concluſimus, prout jam Amplitt. veſtris peramanter no„tum facimus. Non poſſe nos id territorium deſerere, citra notabilem „jacturam jurium noſtrorum, quæ in illud habere nos exiſtimamus, ne„non citra innumerabilia ac irreparabilia detrimenta & civitatis noſtr„certam ac inevitabilem ruinam. quod & noſtri delegati (prout ex ip„intelleximus) in dicto conventu fuſius ac clarius ediſſeruerunt. Proin„neceſſarium nobis eſt deſertionem illius territorii recuſare, neque e„permittere, donec ſecundum viam juris (cui nos offerimus) eo excid„fuerimus declarati. Invocamus autem ad hoc denuo veſtras ſtrenuita„& amplitt. quam inſtantiſſime, tanquam membra ejuſdem diœceſeos, „ditionis Eccleſiæ Ultrajectinæ, ut una cum dictis Ordinibus in mediu„conſulere, & operam dare velitis, quo Civitas noſtra, membrum non è„nimis ejuſdem diœceſeos in calamitate ſua è veſtigio adjuvetur, in jur„ſuo, non ſecus ac aliæ civitates ejuſdem diœceſeos, defendatur, neque „verſus omnem æquitatem deſtituta maneat: prout ſtrenuitates & ampl„veſtræ per obſignatas literas ac alias promiſſiones antehac ſe facturas „ce

„ceperunt, neque ſalva exiſtimatione aliter agere licitum aut honeſtum eſt.
„Quod ſi ſtrenuitates, &c. veſtræ noſtris rebus proſpicere noluerint, noſ-
„que relinqnere in animo habuerint, ac à nobis eam ob rem quippiam
„fieret, quod ſtrenuitatibus, &c. veſtris minus acceptum foret, noſque
„inviti faceremus, poſtulamus viciſſim, ne ſtrenuitates veſtræ nobis id
„imputare, aut in malam id partem accipere velint. quandoquidem poſt
„multas preces & monita, ad tutelam noſtrorum corporum, vitæ, ac fa-
„cultatum noſtrarum id nos feciſſe conſtabit. Rogamus ergo ſtrenuitates
„veſtras, &c. ut ſuper his ſine mora, finale reſponſum ad nos velint mittere.
„juxta quod rebus noſtris conſulere poſſimus. parati autem erimus vita &
„facultatibus noſtris id beneficii ſemper recognoſcere. Deus veſtras ſtre-
„nuitates diu ſalvas eſſe velit. Scriptum ſub ſigillo ſanctiori noſtræ civita-
„tis, die Jovis poſt XI mille Virginum, Anno CIↃIↃV.

Eodem argumento literas dederunt ad Epiſcopum Ultrajectinum Fridericum Badenſem, qui eo tempore in Tranſiſalania erat. is ergo Ordinem equeſtrem ejuſdem regionis ut & civitates, qua magnas qua parvas ad locum cui nomen Nyerbrugge convocavit, ubi deliberatum ſuper hoc negocio, cumque id undique plenum difficultatibus eſſe perſpicerent, quandoquidem ſi cauſam Groningenſium ſuam facerent, bello ancipiti adverſus Saxonem ſeſe eſſent implicaturi, utpote cui Rex Romanorum, unà cum univerſo Imperio, Philippus item Hiſpaniarum Rex, & Eliſabetha Auſtriaca faverent, ſin minus, verendum foret, ne Groningenſes, relicto Epiſcopo Ultrajectino, alieno imperio ſe ſubmitterent: poſt longam diſceptationem, de ſententia Ordinum, quam & diœceſi Inferiori ſignificarat, in hunc ſenſum Groningenſibus reſcripſit: Literas ſe eorum Ordinibus ab utraque ripa Iſalæ communicaſſe, ac ſimul ſtatuiſſe: quandoquidem Groningenſibus, ex placito Epiſcopi, ſuarumque regionum ac civitatum peramanti adhortatione, Omlandiam in quam Rex Romanorum ac Imperium jus ſibi deberi putent, prout eorum delegati in conventu Hattemenſi pluribus intellexerant, deſerere nolint, Epiſcopo & ipſius ditionibus citra & cis Iſalam, ſupra quam dici poſſet grave futurum Groningenſium quoad hanc litem partes amplecti, ac Omlandiam adverſus Regem Rom. ac Imperium univerſum tuendam ſuſcipere. Quapropter ſibi & ſuis conſultum videri, ut adhuc prudenter de re tota deliberent, ac territorium illud abdicare, prout Rom. Rex & Imperium faciendum decreverant, ne graventur. Quo facto Epiſcopus cum ditionibus ſuis de medio ac via cogitaturum qua commodis eorum, quoad ejus fieri poſſet, proſpiceretur. Hiſce adjecerant, ſe ſcire cupere, an ſi contingeret Epiſcopum & Ordines diœceſeos Ultrajectinæ equitatu ac peditatu Groningenſibus ſubvenire, liberum eis foret cum eiſdem urbem Groninganam ingredi & egredi, prout ipſis expedire videretur.

Literis

Literis hiſce ultro citroque miſſis Groningenſes & Saxones hoſtiliter alii alios invaſere.

Alexander Papa VI. per Belgium & diœceſin Ultrajectinam, plenarias omnium peccatorum indulgentias prædicari curaverat, eæ pecunia venales paſſim proſtabant, ac theſaurus non contemnendus in ærarium quæſtorum Pontificiorum confluxerat. Interim dum indulgentiæ illæ in hiſce regionibus proclamantur, neque dum nummi Romam delati ſunt, moritur Alexander, & poſt Pium III. paucorum dierum Papam, Julius II. ejus loco creatur Pontifex. unuſquiſque ergo pro viribus in diœceſi Ultrajectinâ eis nummis inhiat. Cardinalis, Maximilianus Romanorum Rex, Epiſcopus Ultrajectinus, & quinque Collegia ejuſdem Eccleſiæ ſibi certatim eos vindicabant.

Epiſcopus Ultrajectinus & Decanus Capituli, delegatos ſuos Amersfordiam, Doroſtadium, Culemburgum, Vianam miſerunt, ciſtas quæſtuariorum aperiri, & pecuniam ex iis auferri fecerunt.

Hinc idem Epiſcopus Vicarium ſuum, item Mag. Everardum ab Ens, qui ei erat à Conſiliis, Daventriam ablegavit, ut & ibi præda indulgentiariâ poriretur. Daventrienſes ei nummos concedere noluerunt, antequam cum duabus civitatibus fœderatis de re tota communicaſſent. Scripſit ergo Everardus ab Ens ad Campenſes in feſto S. Pauli hujus anni, ſignificans ſe eo venisse ut ciſtas indulgentiarias evacuarent, id Daventrienſes nolle permittere niſi ipſorum ac Zwollenſium accedente conſenſu, petere ergo, ut è veſtigio de ipſorum ſententia certus fieret, maxime cum urbes reliquæ nullam hac in re difficultatem feciſſent, & Preſbyteris Daventrienſibus multum deberetur, quibus ex hiſce nummis eſſet ſatisfaciendum. præſtare enim id ita fieri, quam eos ſupplices poſt Cardinalem eo nomine curſitare. Seſe, apud Daventrienſes tranſacta, etiam Campos eo fine eſſe venturos &c.

Tres civitates, Daventrienſis, Campenſis & Zwollana ſuper hoc negocio convenerunt, ac re deliberata, non putarunt conſultum eſſe, Epiſcopo Ultrajectino ut pecunias illas auferret permittere, idque ob magnas quas inde oriri poſſe prævidebant difficultates.

Poſthæc Rex Romanorum legatum ſuum Dom. Wilhelmum ab Ooy ad Epiſcopum Ultrajectinum miſit, petitum, ut ſibi, recepta apochâ & literis quibus eum indemnem præſtare pollicebatur, omnes qui in ſuo Epiſcopatu collecti erant nummos tranſmitteret. id quod Epiſcopus & Capitulum Ultrajectinum negarunt ſe facere poſſe, diverſum ſe à Papa & Cardinalibus in mandatis habere prætexentes.

Denuo ergo legatos ſuos ad Epiſcopum miſit Rex Romanus, cum diplomate, dato hujus anni XXII Septemb. jubens eum nummos ſibi cum fenore tranſmittere, ſub pœna privationis facultatum ac jurium ſuorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ejuſdem tenoris ad Campenſes ac reliquas civitates literas dedit, injungens illis ſub gravibus pœnis, ut dictas pecunias ſibi traderent.

Epiſcopus Ultrajectinus, & Decanus ac Capitulares illius urbis ægre poterant induci ut voluntati Rom. Reges obſecundarent, civitates etiam difficulter in id ipſum conſentire poterant, niſi prius de meliori jure eorum qui bolo illi inhiabant ipſis conſtaret, ac de indemnitate cautum fuiſſet. Idcirco Hattemum condictus dies, quo Rom. Regis, Epiſcopi, & trium civitatum delegati convenirent. ubi re diſceptata, in partes Rom. Regis civitates inclinarunt, ac licet reluctantibus multum Epiſcopo & clero, legatis Regiis pecunias tradiderunt, quibus apocham iidem legati reliquerunt, datam hujus anni XXIX Septemb. ac ingenti onuſti præda ad Regem ſe receperunt.

Ante hæc idem Rex Maximilianus, graviſſima per univerſi Imperii ditiones ac civitates publicari fecerat mandata, quibus maximis propoſitis pœnis vetuit, nequis Ducatui Gelriæ & Comitatui Zutphaniæ ullum commeatum adveheret. iis receptis, Carolus Dux Gelriæ Daventrienſium civitati ſcripſit, ut delegatos ſuos ad ſeſe Zutphaniam mittere vellent. id quod à Daventrienſibus factum eſt. ibi ab iis ſciſcitatus eſt Dux, an diplomati regio parere decreviſſent, an potius cum Gelris ac Zutphanienſibus ſolita commercia exercere. ad quæ cum ei non ad placitum delegati reſponderent, incanduit Dux, ac Daventrienſibus ſignificavit, niſi id facere decreviſſent, ſe viciſſim non paſſurum eos hoſtibus ſuis commeatum advehere, & quoſcunque id audere deprehendiſſet, in eos pro merito animadverſurum. Utque id civibus ſuis libere indicarent adjecit. ſimilia Campenſibus ac Zwollanis nota fecit. ac ſcripto Domino Giſberto a Wis Baroni in mandatis dedit ut nequid tale fieret curæ haberet. Datæ eæ literæ die Jovis poſt Miſericordias Domini.

Rex Caſtellæ Archidux, urbem Arnemienſem obſidione cinxit menſe Junio hujus anni.

Cumque die VIII Maji Rex Romanorum, ex poteſtate Imperiali, Epiſcopo Friderico à Baden præcepiſſet, ut cum LVIII equitibus, & bis mille peditibus, nomine Epiſcopatus ſui, ei ſubſidio veniret, idque ratione officii quo ſibi ac Imperio devinctus erat, paruit Epiſcopus, & cum juſto numero equitum peditumque ad Caſtellæ Regem in caſtra quibus Arnemia obſidebatur, ſe contulit.

Quum hoc tempore controverſia intercederet inter Ioannem a Bochorſt, & ejus fratres ac ſorores de hæreditate paterna, & res ad Senatum Campenſem, ubi Ioannes reſidebat, devoluta eſſet, nec Ioannes ad repetendam diviſionem adduci poſſet, frater ejus Arnoldus a Bochorſt, inter feſtum S. Martini & omnium Sanctorum, arcem Bochorſtiam vi occupavit, eam

pro

pro patrimonio ſuo ſe retinere poſſe confidens, uxorem porro fratris ſuæ Ioannis immanem in modum habuit, capillis enim arreptam per pavimentum traxit, pedibus proculcavit, ac de cætero inſolentiſſime in iiſdem ædibus ſe geſſit. Civitas Campenſis quamprimum hæc reſcivit, arcem Bochorſtiam obſidione cinxit, quandoquidem civium ſuorum albo inſcriptu eſſet Ioannes, ac arcem eorum protectioni commendarat. Daventrienſe quoque ac Zwollani ad obſidionem venerunt. Epiſcopus ab eiſdem certio factus, cum vereretur, ne Dux Gelriæ ſe negocio immiſceret, & ipſe offi ciarios ſuos eo properare juſſit.

Tres civitates, Daventria, Campi, Zwolla, eo Arnoldum perduxerunt ut arcem ſibi traderet, ac Zwollam ſe conferret, pollicitæ, ſe operam daturas ut juris ſui compos fieret. id factum, & arx tradita Campenſibus. Arnoldu Zwollam ex contractu ſe confert, ſed nihil in Campenſibus præſidii rep rit. unde ſcripto eos, ut promiſſis ſtent hortatur. Delegati trium civitatu ſæpenumero ſuper hac re Ioannem convenerunt, à quo nihil potuerunt o tinere, cum diceret, ſe cum fratribus & ſororibus legitime hæreditatem d viſiſſe, qua de re inſtrumenta irrefragabilia eſſent confecta, quibus inhære vellet. contra Arnoldus ſe ac ſuos notabiliter in ea diviſione parte hæred tatis fraudatos, id quod liquido pateret, quod autem inſtrumentis ſubſcr pſiſſet id egeſtate adactum feciſſe, cum præſenti pecunia indigeret &c. p cupere ſe ut æſtimationi trium civitatum res tota committeretur. quod cu denuo à delegatis Ioanni ſignificaretur, ne latum quidem unguem à fa diviſione & inſtrumentis ſuper ea confectis demoveri potuit. Unde factu ut Arnoldus facultatibus lapſus plebeio ordini Wageningæ ſe conjugio co larit. *Bocop.*

Hoc anno Rector ſcholæ Daventr. fuit Ioannes Venradenſis ad que eſt Ioann. Murmellii Elegiarum moralium libri primi decima, quæ cipit:

Qua te laude canam, Sophiæ præclare Profeſſor,
Pluribus officiis conciliate mihi?
Communi patria, communi nomine juncti,
Et ſimili vitæ conditione ſumus.
Nos eadem pariter ſocios Academia vidit
Exercere bonis artibus ingenia.
Dalmatico locuples alius confidat in auro,
Et baccis rubri litoris intumeat,
Te miror, quando Sophiam complecteris almam,
Et recte tanti nulla metalla putas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Poſt multa concludit:

Felix, qui pretium dignos expendis in uſus,
Virtutis nummos qui facis arma tuæ.
Nullus in argento nitor extat, amice, ſepulto,
Denarios uſus teque nitere facit.

Hic circa annum cIↃIↃV. ſcholæ adminiſtrationem Daventriæ ſuſcepit, & ei factus eſt Conrector is de quo ante diximus Bartholomæus Coloníenſis. quicum Ioannes quoque & Servatius Ædicollii Colonienſes, viri propter eruditionem magni nominis, qui linguam Græcam & Poëtas docebant, ejus collegæ fuerunt. Rexit idem Venradus (ſive ante ſive poſt) Monaſterii ſcholam Ludgerianam. *Hamelmannus.*

Lubertus Alexander Meppenſis, Ioannis frater, rexit poſt Venradum ſcholam Daventriæ magna cum laude. ibique mortuus eſt. *Idem.*

Anno cIↃIↃVI. die XXVI menſis Aug. obiit venerabilis vir Dominus & Magiſter Gerardus Zuggerade, Canonicus Daventrienſis, ac Officialis & Vicarius D. Præpoſiti Daventrienſ. & poſt ejus obitum fuit Willebrordus Boningerhof, Canonicus Daventrienſ. & Canonici Juris Doct. à Reverend. Patre Andrea de Venraed S. ſedis Apoſtolicæ Protonotario & Præpoſito Daventrienſ. conſtitutus Officialis & Vicarius ejuſdem Præpoſiti. *Acta Præpoſituræ,*

Eodem anno excuſus Daventriæ *Boëthius de Conſolatione Philoſophiæ.* Biblioth. Traject.

Sub hoc anno ſequentem ſyngrapham invenio, quam ut conſervari fortaſſe non inutile erit, ita in Latinum verti, nullum operæ pretium arbitratus ſum.

WI Johannes van Lenp, Prieſter ende Pater, ſuſter Alijt van Wlſt, Miniſterſche, ſuſter Eefze ten Hachuys procuratryſche, ende voert wi gemeyne ſuſteren des Convents van Marien grave binnen Doeſborch vander derder Oerden S. Franciſci, doen kondt ende bekennen overmids deſen openen brieff voer ons ende onſe nacomelingen, dat wi mit onſen vryen wille ende voerbedachten berade in eenen gerechten, ſteden, vaſten erf-koep, erflick ende ewelick hebben verkoft voer een ſumme gelts die ons toe gueder tijdt wal to willen ende to dancke vernueget ende betaelt is, ende wi in oerber ende profijt ons Convents voerſz. gekiert hebben, den erſamen Heren des Capittels van Sinte Lebuinus *Kerke binnen Deventer ende oeren nacomelingen, hercomende van Her Iohan Biſcopes Sellebrant, dat ſelige Her Aelbert*

bert Haeſken jaerlix plach te geven wt ſine huſe, dat hier nu mede van drien guldenen gevryet is: Welke drie guldenen van gewichte of ander guet golde payment, voer die weerde daer gelijck guet voer weſende, in tijdt der betalinghe wi jaerlix ende alle jaer op Paeſchen nae datum s' Brieffs wt onſen weide-lant geheiten die Horſt, ſoe die gelegen is inden Kerſpel van Angerloer in den gerichte van Doeſborch, mit allen ſinen oelden ende nyen to behoeren, ende voert wt alle onſes Convents guede voerſz. viertien dage voer of nae onbegrepen, to Deventer an den Capittel voerſz. gelaven te betalen, onder een pene der pendinge, als men doen mach voer verſchenen Heren pacht. Welke pendinge weert ſake dat die voerſz. jaerlike renthe niet betaelt en worden als voerſz. is, dat God verhueden moet, ſoe ghelaven wi niet te wederſtaen mit enigen rechten ofte privilegien geeſtelick of werlick. Ende voert ſoe geloven wi den Capittel voerſz. wer dat ſake dattet on tot eniger tijt van noeden were te hebben vorder veſteniſſe, die gelave wi voer ons ende onſe nacomelinge binnen viertyn daghe gern twillen laten gheſchien, ende doen oerre gheſynne daer ſy dan mede verwaert ſin, beholdelick hier en tendens dat wi oft onſe nacomelinge onſes Convents voerſz. van de voerge Capittel tot allen tijden ons dat believet loeſſen ende quyt moeghen kopen deſe drie golden rinſche gulden jaerliker erf-renten mit ſeſtich golden overlenſche rinſche gulden guet van golt, ſwaer van ghewichte, voer datum s' Brieffs ghemuntet, op allen hochtijt van Paeſchen viertyn dage voer oft nae onbegrepen, mit allen achterſtedigen jaer renten onbetaelt; ſonder al argeliſt. In oerkonde der waerheit, ſoe hebben wi ſamen voerſz. voer ons ende onſe nacomelingen mit conſent des Convents onſes ſelvens Convents ſegel an deſen openen breeff gehangen. Ghegeven in't Jaer ons Heren duſent vijf hondert ende ſes, op Sinte Marcus Evangeliſten dach.

Cauſa Ducis Saxoniæ & Groningenſium hoc tempore non optime ſe habebat. Groningenſes, ut ſupra vidimus, aliquoties ab Epiſcopo Ultrajectino, & regione ac civitatibus Tranſiſalaniæ auxilia flagitarant, quæ cum non repræſentarentur, profeſſi fuerant, ſe neceſſitate adactos, de medio quod alioqui inviti amplecterentur, tandem cogitaturos eſſe. Veriti ergo Tranſiſalaniæ Ordines, ne illi alieno imperio forte ſe ſubjicerent, quod fieret, non ſolum civitatem Groninganam contingeret à Tranſiſalana ditione alienari prorſus, ſed totam inſuper Drentiam, quæ olim Comitatus

tulo ſolebat gaudere, in qua cccxl parœciales Eccleſiæ xx ix cIↄ. ara-
tra &c. quæque una cum Tubantia ter mille homines armatos ſuppeditabat,
ac omnium contributionum quæ regioni Tranſiſalanæ imperabantur qua-
drantem pendebat. præter hæc Epiſcopus Ultrajectinus inde quotannis ſtre-
næ loco accipiebat c xxx. modios ſiliginis, cccc modios hordei. Præpo-
ſitus S. Mariæ omnes Drentiæ Decanos ſub ſe habebat, qui & ipſi Epiſcopo
ſingulis annis bis ſextilibus, percariarum ſuarum, ut vocant, partem decimam
quintam offerebant, quæ ad ſexcentos ſcutatos Gallicos conficiebat. ita ut
permagno intereſſet Epiſcopi & ditionis Tranſiſalanæ, ne à Groninganis
deſererentur. Quapropter ſumma ope anniſi ſunt, quo hoc impedirent, ac
rem eo deduxerunt, ut Romanorum Regi ad Kalend. Febr. hujus anni con-
ventus Hattemi amice celebrandus offerretur. Delegati Rom. Regis, Epi-
ſcopi Ultrajectini, Georgii Saxoniæ Ducis, ac civitatis Groninganæ eo,
dicta die appulerunt, ubi legati Regis Rom. denuo poſtulata ſua exhibue-
runt, ac pro jure ſuo diſceptarunt. Delegati Epiſcopi Trajectini, & ditio-
nis Tranſiſalanæ, inter Ducem Saxoniæ & Groningenſes ut res amice com-
poneretur operam dederunt. Legati Regis ac Ducis hoc impenſe urgebant
ut conſentientibus Epiſcopo & civitate Ultrajectina, Romanorum Rex,
tanquam à partibus alienus, Comitem Meurſenſem cum ſexcentis peditibus
in urbem Groninganam mitteret, tantiſper ab eo cuſtodiendam, donec Rom.
Rex, Electores, ac Principes Imperii de re tota pronunciaſſent. id quod nec
Epiſcopo, nec delegatis Tranſiſalaniæ, nec ipſis adeo Groningenſibus arriſit,
ut qui poſſeſſione cedere ſibi inconſultum exiſtimarent. geſta hæc in qua-
drageſima primo Mercurii die.

Poſtridie utrinque conſenſum fuit, ut quod Regi Rom. una cum Electoribus
ac Principibus de toto negocio viſum fuiſſet, id ratum haberetur. in eam
rem aliquot articuli concepti, quos diœceſeos Trajectinæ Ordines ad utram-
que Iſalæ ripam ſubſignarent. ſuper qua re convenerunt Ordines in urbem
Ultrajectum. ubi Mr. Everardus ab Ens primo in capitulari domo coram
eiſdem rem totam ediſſeruit, tum petitionem Saxonis, tum ſententiam Epi-
ſcopi, & articulos ſuper hiſce delineatos, qui in autentica inſtrumenta refe-
rendi, obſignandi, ac rati habendi eſſent, niſi civitatem Groninganam per-
ditam vellent. Ordines Eccleſiaſtici & quinque Collegia rem deliberandam
ſumſerunt uſque ad diem inſequentem, quo in domo capitulari denuo con-
gregati, poſt multam diſceptationem, in primum articulum, quo con-
troverſiæ deciſio ad Electores ac Principes Imperii referebatur, ſe con-
ſenſuros, ac ei ſubſcripturos receperunt, modo ad rei cognitionem tres
ut minimum Principes Eccleſiaſtici admitterentur, aut ſaltem totidem quot
ſeculares.

Ordo equeſtris diœceſeos inferioris, reſponſum dederunt, ſe perexiguo

numero adeſſe, ac Dominum a Montfoort, ſui ordinis præcipuum abeſſe, unde ut reſponſum finale darent ſuæ poteſtatis non eſſet. velle ſe perlibenter de re tota ad Montfortium referre, ac ſimul deliberato negocio, quid ſentirent in medio ponere.

Deputati civitatis Ultrajectinæ ac reliquarum civitatum inferioris diœceſeos, rem difficilem eſſe cauſati, ad ſuos delegantes ſibi de re propoſita referendum & ipſi dixerunt, interim ſibi conſultum videri, ut Epiſcopus Ultrajectinus urbem Groninganam intraret, eamque cuſtodiret, ita ut ſub diœceſi Ultrajectina retineretur.

Ad quæ cum interrogaret Mr. Everardus ab Ens, ecquid ipſis ſuppeteret conſilii ad ſumtus belli ſuſtinendos? reſponſum tulit, ſi ſibi heſterno die ea quæſtio fuiſſet propoſita, reſponſum paratum habiturum fuiſſe.

Rogavit porro Mr. Everardus Ordines diœceſeos inferioris, & Tranſiſalaniæ, ut delegatos ſuos Hattemum mittere vellent, ubi Epiſcopus Ultrajectinus, Comes Emdanus, Comes à Buren eos expectarent. in hoc conſenſerunt, ac Hattemum ſuos ablegarunt. ubi multis tentatis, quo Saxoni cum Groninganis conveniret, tandem ſtatutum, articulos Rom. Regis & poſtulata Georgii Ducis Saxoniæ paulo clarius eſſe concipienda, quo ſententia ejus penitius intelligi poſſet, Groningenſibus quoque ad ſuos revertendum, ſciſcitatum quibus ad extremum conditionibus cum Saxone tranſigere decreviſſent. Nonnulli quoque ex Ordinibus negabant ſe illi negotio immiſceri velle, nec circa illa quæ ibi agitabantur calculum ponere, itaque ad ſua diſceſſerunt.

Groningenſes iniquiſſime ferebant, delegatos ſuos tam diu Hattemi fuiſſe detentos, & negocium ſuum de die in diem prolatum. quod in eam partem accipiebant, quaſi non alio fine ita gereretur, quam ut Saxo rem uſque ad æſtatem protraheret, ac tunc facilius bello ipſos invaderet ac ſubigeret. Quum autem nullam rationem invenirent, qua tolerabilem pacem nanciſcerentur, ac quotidie monerentur, Saxonem omnibus machinis ac dolis eos ſibi ſubjicere conari, quo per urbem ſparſo, res ad periculoſum motum ſpectare videbatur, nemine ad deſerendam Omlandiam inclinante, hæc omnia Conſuli ſuo Indico Horiens, ac reliquis ſuis delegatis Hattemi commorantibus, Dominica Oculi hujus anni transſcripſerunt, injungentes eis, ut domum reverterentur, quod & factum.

Poſt hæc multa de hoc negotio ultro citroque ſcripta ſunt, quæ brevitatis ergo prætereo. atque ita quæ inter Saxonem & Groninganos pactæ fuerant induciæ finem acceperunt Dominica quaſimodo &c.

Dux Georgius in Groninganos vehementer incanduit, eo quod articulos à Rege Rom. propoſitos accipere recuſarent, neque habendis novis conventibus aſſentiri vellent, potius habentes fortiter expectare quem Deus ipſis con-

concederet moleſtiarum exitum. Quapropter equeſtres ac pedeſtres copias conſcripſit, quibus eos vi ad ſubmiſſionem adigeret.

Groningenſes mittunt ad Ordd. Tranſiſalaniæ, congregatos Zwollæ, in profeſto Paſchatis, ab iis petitum, ut Epiſcopus Ultrajectinus ac ipſi, ſibi, tanquam membro Epiſcopatus, adverſus Saxonem auxiliari velint, quemadmodum aliis civitatibus fieri ſoleret, & ipſe quoque hodiernus Epiſcopus ſe facturum ſub jurisjurandi religione promiſiſſet. nullo enim modo ſibi commodum eſſe in articulos ab Rom. Rege propoſitos conſentire. Quod ſi non è veſtigio de poſtulato hoc ſuo ſtatuerent, atque etiam re ipſa auxilia ſubmitterent, neceſſitate ſe impulſos, jam decreviſſe de communi omnium ſententia, ea quærere atque invenire media, atque eum ſibi adjungere defenſorem, qui ſeſe à vi & violentia Ducis Saxoniæ tueri ac vindicare poſſit. qua ratione ſuæ ſe exiſtimationi abunde caviſſe arbitrentur.

Tranſiſalani Groningenſibus reſcripſerunt, ſe quicquid in ſua poteſtate eſſet promte facturos, & quam diligentiſſime ad Epiſcopum & Ordd. diœceſeos inferioris ſcripturos. addentes, articulis contineri, Quicquid Rex Rom. ex jure pronunciaret, id ratum habendum eſſe. quod ſi præter jus faſque eos gravari contingeret, ſe vita & facultatibus ſuis eis ſubventuros eſſe. ſed cognitionem cauſæ Epiſcopo eſſe permittendam.

Epiſcopo Ultrajectino & Ordinibus ejus ab utraque ripa Iſalæ nihil ſolidi decernentibus, ſed cauſam Groninganam per multos conventus periculoſe protrahentibus, Nobili autem Wittio, copiarum Saxonicarum præfecto, armata manu Groninganis imminente, communibus votis ab iis ſtatutum, ut tranſigerent cum Edzardo Emdanorum Comite, eumque, tanquam neutri addictum parti, Imperii Romani nomine, in urbem ſuam reciperent. quo non abnuente, condictus eſt dies in monaſterio à Griſeis monachis denominato, Edzardus autem poſtquam ſacramento quo Saxoni devinctus erat ſcripto ad eum dato, ſe exolvit, à Groninganis ibidem, ſub certis condictionibus receptus fuit.

Comes Emdanus, dum Saxoni militaret, ante urbem, in territorio Drentano propugnaculum extruxerat, id vero, in urbem jam admiſſus non curavit dirui, ſed præſidio inſtructum ita ut erat reliquit. Miles autem ex eo Drentanis, per extorſiones & ſimilia incommoda, perquam moleſtus erat. Contigit ergo delegatos Ordinum, cum publicorum negociorum cauſa Drentam, ad Comitem profecturi, tranſirent, graves à Drentanis eo nomine querelas audire, quod cum ab itinere ſuo Zwollam reduces Ordinibus ſignificarent, ſcriptum ab iis ad Epiſcopum Ultrajectinum, curaret cauſam illarum querimoniarum è medio tolli, quod & factum eſt.

Impatienter ferebant Tranſiſalani, quod Groningani Comiti Emdano S. Imperii nomine ſacramentum dixiſſent, veriti ne id in grave detrimentum

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tum diœceſeos Ultrajectinæ vergeret, maxime autem Tranſiſalaniæ, jam enim inter Groninganos & Saxonem pax concluſa & publicata erat.

Epiſcopus Ultrajectinus, Comes Schulemburgi, D. Ditericus Steyn, & plures alii Senatores Ducis Saxoniæ, cum Groninganis congregationem celebrarunt, ſuper hac quæſtione, quod Epiſcopus Ultrajectinus Groningam non in Friſia, ſed in Drentia ſitam, ac ſibi & Eccleſiæ Ultrajectinæ ſubjectam diceret, cumque Groningani Omlandiam ſibi vindicarent, qua ratione ea de re tranſigi poſſet diſpiciendum. Sed cum nihil conveniret, abſque ullo fructu conventus ille ſolutus eſt.

Anno cIↃIↃVII. cum inter Georgium Saxoniæ Ducem, & Epiſcopum Ultrajectinum nihil conveniret, utroque juri ſuo inhærente, factum eſt, ut Dux Epiſcopum VI. Martii die Conſtantiam citari fecerit, ut ibi demonſtraret urbem Groninganam ad ſe & Eccleſiam Ultrajectinam pertinere.

Rex Galliæ hoc anno Cortraci cum Rege Rom. inducias pepigit, quibus Ducem Gelriæ, utpote fœderatum ſuum, comprehendit.

Prohibuerat Rom. Rex ne incolæ civitatum ac regionis Tranſiſalanæ in inferiori Burgundia ulla exercerent commercia. hoc edictum ſuum hoc anno abolevit.

Magnus Magiſter Livoniæ, ac Domini Ordinis Teutonici ejuſdem regionis metuebant ſibi à Moſcovitis, cum exitus induciarum cum eis initarum in propinquo eſſet. Itaque inito inter ſeſe fœdere ad defenſionem ſe parabant, cumque ad tantam rem pecunia, quæ nervus belli eſt, requireretur, delegatos ſuos Romam ad Pontificem miſerunt, rogatum ut ſuo ordini per Livoniam concederetur indulgentias promulgare, & nummos inde collectos bello adverſus Ruthenos impendere. conceſſit hoc eis Papa, bullis in eam rem expeditis, quibus inſtructi mox ad Epiſcopum Colonienſem & Ultrajectinum iter inſtituerunt, qui & ipſi eis permiſerunt ut in ſuis ditionibus peccatorum venias venundarent, quod & factum. inſuper & commendatitias eis ad quoſvis principes, reſpublicas, civitates eodem fine largiti ſunt.

Harum indulgentiarum quæſtores atque ipſi Livonum delegati, etiam Campenſem in urbem appulerunt, quibus Senatus omni ope adfuit, eam maxime ob cauſam, quod cives ſui magna commercia in Livonia exercerent. perrexerunt porro Daventriam, Zwollam, ac per totam Tranſiſulaniam, ubi inſignem pecuniæ ſummam hoc ancupio confecerunt. Itaque D. Gualtherus a Plettenburch, magnus Magiſter Livoniæ ad civitatem Campenſem litteras dedit, quibus rogabat, ut pecuniæ tuto transferendæ ducentos aut trecentos equites conſcriberent, eoſque armis probe inſtructos ſecum in Livoniam contendere juberent. quod & factum.

Quan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Quantum pecuniæ per hanc nundinationem corraſum ſit, vel inde æſtimari poteſt, quod ea quæ in una urbe Campenſi collecta erat, & equites de quibus dictum, & arma & quæcunque ad expeditionem neceſſaria erant, fuerint comparata, quibus detractis, adhuc inſignis ſumma ad Magni Magiſtri manus pervenit. *Bocop.*

Extructa hoc anno Daventriæ turris Gerani, (*den cranentoorn*) Ex inſcriptione.

Anno cIↄIↄVIII. cum milites Burgundi qui Hattemi in præſidio erant, non obſtante Dominæ Margaretæ edicto in contrarium, vectigalia ab omnibus mercimoniis & navibus quæ Iſalam vel ſecundo vel adverſo flumine ſulcabant extorquere non deſiſterent, ac ſiquis in ſatisfaciendo difficilior eſſet, ejus navem ac merces detinerent, ſcripſerunt ſuper ea re tres Tranſiſalaniæ metropoles ad Epiſcopum Ultrajectinum, ac ut tanti oneris levamen apud D. Margaritam obtineret vehementer urſerunt. Dedit ergo ad eam literas Epiſcopus, ac reſponſum ab ea tulit, contuliſſe ipſam ſuper eo negotio cum D. Florentio Egmondano, qui dixiſſet, non eſſe poteſtatis ſuæ id prohibere, quando præſidium ſibi obedientiam negaret, eo nomine, quod ſtipendia militi exoluta non eſſent. Ut vero ille prætextus iis adimeretur, ſe curaſſe, ut Egmondano pecunia numeraretur, cujus interventu exactiones illæ ceſſarent.

Cum pollicita hæc eventu carerent, civitates Daventrienſis, Campenſis, Zwollana, inito fœdere ſanciverunt, nullas naves Campis adverſa Iſala ſubvehendas, quantiſper naves Hattemi detinerentur, aut ad vectigal pendendum cogerentur. quicquid eo nomine ſuorum cuiquam obtingere poſſet, id communibus auxiliis propulſandum.

Hoc anno XV Januarii die Petrus Meppelenſis, & Georgius Rutgerus cives quoſdam Daventrienſes literis cædes & incendia ſpirantibus, pecunia minas eorum redimere coëgerunt. hac, uti ſcribebant, de cauſa, quod Reinerus Voſſius hæreditatem ipſorum detineret, neque Satrapa Sallandiæ ut ex jure de eo negotio cognoſceret ac pronunciaret induci poſſet: quapropter ſe & Satrapæ illi, & tribus civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, Zwollanæ, cum omnibus Epiſopi Trajectini ſubditis bellum indicere.

XVII Octobris die, arcem Cuynre Dux Gelriæ Carolus occupari fecit. ſita eſt in Tranſiſalania, in confinibus ſuperioris diœceſeos & Friſiæ. quam quidem arcem & Cuynrenſe Dominium Epiſcopus Ultrajectinus, & Tranſiſalana ditio à D. Hermanno a Cuynre, & filio ipſius emerant. eam arcem dictus Dux per ſexaginta aut ſeptuaginta milites, cum nihil in eam juris haberet, tempore pacis, nec hoſtilitate indicta, invaſit.

Id protinus Campenſes Epiſcopo ſignificarunt, ac quid hac in re agendum cenſeret ſciſcitati ſunt. quibus is III Novemb. reſpondit, conſultum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſibi videri, ut cum duabus civitatibus de re tota deliberarent, quicquid autem decreviſſent, ſe ratum habiturum, ac ut fidelem Principem decet, vita ſua ac facultatibus, ſubditis ſuis auxilio affuturum.

Poſt occupatam hanc arcem, Dux Gelriæ ad Tranſiſalaniæ Ordines literas dedit, quibus ſignificabat, quod arcem Cuynre in ſuam poteſtatem redegiſſet, id factum bona fide, ea de cauſa, quod arcem Oyen in manibus Epiſcopi Frederici a Baden, ſequeſtri loco conſignaſſet, ſequutus in hoc tranſactionem ſuper ea inter Regem Rom. & Archiducem Philippum Caſtellæ Regem, & ſeſe initam: hanc vero Epiſcopus Domino a Grounis, & hic hoſtibus ſuis tradidiſſet. velle ſe viciſſim tantiſper ſibi reſervare arcem Cuynre, donec ſibi arx Oyen reſtituta foret. Interim ſe ſollicite curaturum ne quid ex ea arce ditioni Tranſiſalanæ detrimenti inferretur, reditus autem ejuſdem annuos, Epiſcopo Ultrajectino, ut æquum eſſet, redditurum.

Epiſcopus, opem ferentibus Campenſibus arcem recuperavit. Daventrienſes quoque ac Zwollanos ad auxilia ferenda ſollicitaverat, ſed neminem eo miſerant.

Deinde Epiſcopus, de ſententia & voluntate trium civitatum, ex veteri earum jure, caſtellanum, ut vocant, arci Cuynre præfecit, qui tenebatur dictis civitatibus ſub jurisjurandi religione atque etiam cautione interpoſita, polliceri, ſe nunquam eam à diœceſi Ultrajectina abalienaturum. qua de re judiciale inſtrumentum, ſigillo ejus munitum, confectum fuit.

Gelriæ Dux vehementer de Epiſcopo conquerebatur, quod domum ſuam ac arcem Oyen ſibi ſubductam, Regi Romanorum tradidiſſet, idque adverſus promiſſiones, diplomata, & ſigilla, ac præſtitum juramentum. unde Tranſiſalani, veriti ne inter hos Principes pernicioſum oriretur bellum, eo rem perduxerunt, ut inducias à prima Febr. uſque ad primam Auguſti diem paciſcerentur, quo interea temporis media reconciliationis tentari poſſent. induciæ hæ utrimque obſignatæ fuerunt.

Dehinc dies Sanctorum Petri & Pauli indictus fuit amicæ ſuper hac re collationi Ultrajecti habendæ. Rogavitque Epiſcopus Ordines Tranſiſalaniæ ut delegatos quoque ſuos eo mitterent. qui in profeſto illius diei appulerunt Amersfordiam, ubi tunc temporis erant delegati Epiſcopi, qui à Tranſiſalanorum delegatis petiit, ut poſtridie primo Doroſtadium ad Epiſcopum contendere vellent, antequam peterent Ultrajectum. quod & factum. ibi magnas eis gratias egit Epiſcopus, quod in ſuam gratiam iſtuc veniſſent, deinde aliquot petitiones eis propoſuit, præſertim, ut controverſiam quæ ipſi intercedebat cum Gelriæ Duce ad bonum & commodum exitum adducere ſtuderunt, quod receperunt ſe facturos.

A meridie una cum Epiſcopi Conſiliariis Ultrajectum devecti ſunt, ubi & Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Conſiliarii Ducis Gelriæ comparuerunt. ſequentibus aliquot diebus lis diſceptata fuit.

Petierunt autem à Tranſiſalanis, utriuſque Principis Conſiliarii ac delegati, ut aliquantiſper Ultrajecti commorari vellent, propoſitum enim eſſe de mittendis legatis ad Dominam Margaritam, Belgii Burgundici præfectam, ſuper reſtitutione arcis Oyen, juxta pacta à rege Caſtellæ obſignata. qua de re quid videretur delegatis Tranſiſalanorum Epiſcopus ab eis ſciſcitatus eſt, qui Daventrienſem ſecretarium propere in Tranſiſalaniam miſerunt, ut Ordinum ſententiam per eum cognoſcerent. eo emanente nonnihil, petitum à Tranſiſalanis, ut adhuc octiduum remanerent, quod cum excuſarent, uſque ad quintum diem iter ſuum differre rogati ſunt, quod ſe facturos promiſerunt.

Eodem die circa veſperam reverſus eſt Secretarius Daventrienſis, ac reſponſum Dominis ſuis attulit, Tranſiſalanos nullo modo in decernendam legationem in controverſia arcis Oyen conſentire poſſe, cum res illa nihil ad ipſos pertineret, neque ſe illi unquam immiſcuiſſent. id quod delegati in conventu retulerunt, atque ita domum reverſi ſunt.

Anno cIↄIↄ IX. Compoſito inter Danum & Lubecenſes, quod acriter terra marique geſtum fuerat, bello, duo militum millia qui Regi Danorum ſtipendia fecerant, Carolo Gelrorum Duci clam dicto ſacramento, ductore Henrico quodam *de Groote*, in ditione Tranſiſalana latrocinia agitabant, poſtquam Henricus ille Epiſcopo Ultrajectino hoſtilia denunciaſſet. ac licet is ſe cum ſuis inde ad tempus ſubduxiſſet, denuo tamen eodem reverſus eſt. Epiſcopus & ſuperior diœceſis adverſus hunc ſe muniunt, ac militarem manum ad eum profligandum mittunt, quo ille animadverſo, denuo ſe recipit. perſequitur eum Epiſcopus, uſque ad limites Tranſiſalaniæ, unde ingens adverſus illum odium concepit.

Ultimo Decembris die idem Henricus cum copiis ſuis oppidum Gennemudam intravit, ac ibi ſedem fixit, civibus & villicis qui in circuitu habitabant damna dat. cumque imminere videretur Campenſium civitati, Ordines Tranſiſalaniæ ad eum mittunt qui ſciſcitentur quarumnam eſſet partium, quemve Dominum haberet? qui nihil aliud reſpondet, quam Puerum Jeſum ſuum Dominum eſſe.

Eodem anno agmen aliud militum ſimiliter, nullo imperio, vagantium, aliquot ex ſuis ablegarunt ad Gerardum a Langen, Satrapam Sallandiæ, petitum ab eo, ut tranſitum ipſis per Sallandiam uſque ad Comitatum Zutphaniæ permitteret. nec renuit Satrapa, modo ne agricolis damnum inferrent, & quibus eis ad victum opus eſſet, præſenti pecunia redimerent. acceperunt illi conditionem, honorario etiam humanitatem Satrapæ remunerantes. Sed quamprimum territorium Tranſiſalaniæ intrarunt, prædas

agere & villicos vexare cœperunt. quod ægre ferentes ditionis illius Ordines, convocatis Comitiis, decreverunt, quartum quemque ruſticorum totius regionis Tranſiſalanæ armandum, eiſque conjungendos aliquot cives ex urbibus, atque ita latrocinantes hoſce milites è ſuis finibus pellendos.

Conveniunt ad ſigna Tranſiſalani, & in hoſtem movent. eum ceſſim ſe recipientem perſequuntur Marienburgum uſque, prope monaſterium quod eſt in Sibbekeloo. cum ulterius progredi non daretur, hinc flumine Vechta, inde palude interceptis, inſtructa acie, Satrapæ pugnæ copiam fecerunt. qui & ipſe ſuos cum inſtruxiſſet, & agmina in mutuum conſpectum venirent (Tranſiſalanorum autem vel decuplo majus erat quam eorum quos inſequebantur) inde Sallandiæ Satrapa equo adacto ad milites contendit, cum ipſis collocuturus. ii vero miſerabilem in modum expoſtularunt, quod ab ipſo lanienæ ſuorum præter fas & promiſſa expoſiti forent. quibus motus Satrapa ad ſuos reverſus, nutu & verbis ut ſeſe reciperent juſſit. quod dum illi faciunt, milites eos à tergo invadunt, ac tanta clade cædunt, ut ad unum omnes periiſſent, niſi Tubantiæ Satrapa cum ſua turma eis ſubſidio veniſſet. quamplurimi hic è Tranſiſalanis deſiderati, & cadaverum multitudo curribus impoſita Daventriam lacrymabili ſpectaculo devecta, quæ ibi ſepulta fuerunt. milites præter ſpem victores, relicta Sallandia in Comitatum Benthemienſem ſe contulerunt.

Altera illa militum turma, qui & ipſi Domino carere putabantur, Gennemudæ ſubſtitit, ubi circumquaque nullum ſceleribus modum faciebant, virgines vitiando, vaccis viventibus linguas execando, aliaque quæ grave eſſet commemorare perpetrando.

Anno cIɔIɔx. Henricus de Groote latronum horum ductor, in ſinu maris Germanici, quem *de Zuyder-zee* appellare ſolemus, aliquot Campenſium naves cepit, quas tamen Campenſes ei viciſſim eripuere, ut & navem onuſtam ſariſſis ac alio armorum genere, cui inerat nobilis quidam Theodorus vanden Berge, quem nuper Dux Gelriæ Caſtellani titulo arci Cuynre præfecerat, ubi ab Epiſcopo captus juramento promiſerat, ſe per aliquot annos adverſus Epiſcopum non militaturum. item Capellus, prætor Hardervicenus, nec non Henricus ab Eſſen (non ex Eſſeniis Tranſiſalanis aut Gelris, ſed forte ob oppidulo Eſſen oriundus) Eylardus Vrieſe, Lucas a Marck, Hillebrandus Vrieſe, ac præter hos inter quadraginta & quinquaginta milites. Hi omnes Campos devecti, ad mortem condemnati, ac capite truncati fuere. Id quod Dux Gelriæ ægerrime tulit, ſed à Campenſibus publico ſcripto defenſum fuit.

Cum eodem tempore, Lubbertus a Keppel cum aliis militibus Elburga Gennemudam navigio Rhenano tendere ſtatuiſſet, Campenſes navem illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

illam in ſuam poteſtatem redegerunt, Lubbertum Campis in liberali cuſtodia habuerunt, milites vero compedibus nexos in portis ſuis ac turribus captivos tenuerunt.

Epiſcopus Ultrajectinus & Ordines Tranſiſalaniæ, Daventriæ menſe Junio Comitia celebrarunt, quibus deliberatum, de rationibus impediendi ne milites è partibus Gelriæ cum iis qui Gennemudæ hærebant conjungerentur, neve incolæ ditionis Tranſiſalanæ, ac peregrini, præſertim Teutones ibi mercimonia agitantes, tam gravibus detrimentis afficerentur. Decreverunt autem duas naves quas ὁλκάδας voce Græca dicere aſſolent, inſtruendas, ac in mari ad oſtium Aquæ nigræ (quam vocant) juxta Gennemudam collocandas. quo pacto dictis incommodis occurri poſſe arbitrabantur. id Epiſcopus ac duæ civitates ſociæ à Campenſibus ut facerent flagitarunt, qui id operæ in ſeſe receperunt, ac dictas naves tormentis, nautis, milite probe munitas, loco conſtituto Gennemudenſibus objecerunt.

Poſt hæc Carolus Gelriæ Dux cum tota militum Gennemudenſium manu (quos hactenus pro ſuis noluerat agnoſcere) ac præterea cum omnibus equitibus peditibuſque quos ſub ſignis habebat, in Daventrienſes movet. At hi virtute ſua, adiutique ſtudioſorum, qui tum Daventriæ literis operam navantes, ipſis auxiliares accedebant, numeroſa manu (fuiſſe enim haud infra ſexcentos commemorat Hollandiæ Chronicon) ſe ſuaque fortiſſime defendebant. Inde ulteriora perſecutus Tubantiam intravit, quam totam, literis incendium ſpirantibus quaquaverſum miſſis, ſibi tributariam reddidit, unde ingentem pecuniæ ſummam corraſit, ac multos ad incitas redegit. Aldenſaliam aggreſſæ ejus copiæ, à civibus iterato repelluntur, ducenti aut trecenti Gelrorum ibi deſiderati. Tandem majora tormenta admoveri jubet Dux, ac ipſe in caſtra venit. globo ignito injecto incendium in urbe excitat, ac mox portam tormento confringit. ſic urbs occupata, ac ferebatur ipſe Dux quadrageſimus fuiſſe qui eam intrarunt. conabantur Gelri incendium extinguere, ſed fruſtra.

Die Lunæ, qui erat profeſtus quadrageſimæ, Gelri in urbe complures qua cives, qua colonos, alioſque miſerandum in morem trucidarunt, ne ab ægris quidem qui in noſodochiis decumbebant manus abſtinentes, quoſcunque, etiam domi in cubilibus ſuis quieſcentes reperire poterant confodientes. templa porro & cœnobia ſpoliarunt, ciboria, quæ vocant, calices, ac alia ornamenta diripuerunt. villicis primo pecuniam ad vitam redimendam imperarunt, mox antequam præfinitum tempus eſſet elapſum in vincula conjecerunt, ac centum & eo amplius ex illis infelici arbore ſuſpenderunt. Cumque in viam ſe dediſſent arcem Lage petituri, ſubito verſis veſtigiis cum ipſo Duce Gelriæ quadringenti milites Aldenſaliam repetierunt, reliqui Zutphaniam profecti. Diepenhemium quoq; & Gora victoris fortunam ſecutæ ſunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Promiſerat Epiſcopus Ultrajectinus Ordinibus Tranſiſalaniæ, triſti hoc rerum ſtatu, ſe ad ipſos eſſe venturum, ſcripſit itaque Campenſibus, ut ſibi xix naves Rhenenſes ad locum cui Embrugga nomen eſt, obviam mitterent, quæ omnes tormentis ac alio apparatu bellico inſtructæ erant. cum iis Epiſcopo occurrerunt, ac Campos advexerunt, unde Daventriam contendit.

Daventriæ cum eſſet, ad Comitia convocavit Tranſiſalaniæ Ordines, ubi concluſum, bellum adverſus Gelriæ Ducem ſumendum eſſe. ac primo I Ↄ equites, & c I Ↄ pedites conſcribendos. pollicebatur Epiſcopus, ſe in id negocium collaturum pluſquam facultates S. Martini ferre poſſent, ac omnes quos in diœceſi inferiori nanciſci poſſet equites ad decretam expeditionem tranſmiſſurum.

Præterea intet ſe egerunt de ſumtibus in hoc bellum conferendis, unde ii petendi, quando villicorum facultates iis non viderentur ſuffecturæ. Nonnulli ex equeſtri Ordine cenſebant, cives urbium in eos nonnihil de ſuo expendere æquum eſſe. quibus ſeſe delegati civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ oppoſuerunt, aſſerentes tot ac tantos eſſe fundos civium, qui plus ſatis gravarentur, ut prorſus à ratione alienum foret eos ulterius onerare velle. inhærendum ergo ſibi privilegiis ſuis & vetuſtis conſuetudinibus, quibus ab ejuſmodi exactionibus eximantur. Ordines ergo, de conſenſu Epiſcopi Ultrajectini, cenſum generalem univerſæ ditioni imperarunt, à quo nemo liber eſſet, exceptis iis ex equeſtri ordine qui quotannis ad Comitia vocarentur, & tribus civitatibus, Daventria, Campis, Zwolla. ſemiſſem autem cenſus à fundi Domino, ſemiſſem à colono pendendum eſſe. non eximebatur hic clericus, non laïcus, non feudi Dominus, non glebæ aſſcriptus. ſtatutum porro à tribus civitatibus cenſum hunc exactum iri.

Adhæc Ordines Tranſiſalaniæ ablegarunt Ioannem ab Itterſum Schenckium, Satrapam Covordiæ ad Epiſcopum Oſnabrugenſem, ad legendos equites, quandoquidem is Epiſcopus, datis ad civitatem Daventrienſem literis, ſe & fratrem regioni Tranſiſalanæ libenter militaturos ſignificarat. Illud tamen Satrapæ in màndatis dederant Ordines, ne ipſius Epiſcopi operam hac in parte acceptaret, idque vitandi periculi cauſa, ſi qua forte eum in hoſtium poteſtatem venire contingeret, ſed potius in id incumberet ut peritum quempiam equitum ductorem, de conſilio Epiſcopi, ibidem nanciſceretur.

Zutphanienſes Ordinibus Tranſiſalaniæ, durantibus hiſce Comitiis ultimo Junii die ſcripſerunt, incuſantes proceſſum à Campenſibus inſtitutum adverſus Gennemudanos, abalienationem item arcis Oyen ab Epiſcopo commiſſam. ac ſibi conſultum videri ajebant, ut ulteriori malo etiamnum prævorteretur, ſuum in hoc ſtudium ac diligentiam prolixe offerentes.

Prælectis hiſce literis, multi ex equeſtri Ordine, quiritari de civitatibus, ac

ac præſertim Campenſi, quarum culpa univerſa regio, ac præcipue equeſtris ordo in tantas difficultates incidiſſent.

Epiſcopus Ultrajectinus, Dominica Jubilate, cum Duce Philippo adverſus Gelriæ Ducem, certis conditionibus fœdus inivit.

Ordines Tranſiſalaniæ ſæpenumero ab Ordinibus diœceſis inferioris auxilia flagitarunt adverſus Ducem Gelriæ, quo limites S. Martini conſervari ac defendi poſſent. at hi cum ægre ad bellum cum Duce pertrahi ſe paterentur, quem offendere formidabant, quod Ultrajecti complures amicos haberet, pro reſponſo identidem dabant, optare ſe ut amica conventione hæc controverſia dirimeretur, atque ad eam rem promovendam ſe ſuo officio non defuturos. Scripſerunt & eo fine ad Gelriæ Ducem, ſe ab Epiſcopo Ultrajectino, & Tranſiſalana ditione ſollicitari ad mittenda adverſus ipſum auxilia, teneri ſe ad defenſionem limitum S. Martini. Sed malle tanquam mediatores, tam in controverſia Epiſcopi, quæ pertineret ad arcem Oyen, quam in cauſa Tranſiſalanorum, amicabilem operam conferre, petentes ab eo ut locum ac tempus ſibi ad hoc deſignare vellet &c.

Reſpondit eis Carolus die Mercurii poſt Invocavit, conquerens præcipue de Campenſibus, ac concluſionis vice ſignificans, ſe paratum eſſe etiam nunc, cum Epiſcopo Ultrajectino tranſigere, hac lege, ut Epiſcopus cum ſuis à cauſa Campenſium & reliquarum duarum civitatum ſeſe ſepararet, exigente haud dubie æquitate, ut & ipſi, & Epiſcopus tam nefarium facinus punitum vellent, atque ad id opem ac operam conferrent. cujus ipſos non fuiſſe conſcios libenter crederet. Hoc facto, ſe non gravatim de tempore ac loco ſtatuturum, & in id quod æquum & juſtum deprehenderetur, conſenſurum.

Dehinc Dux Gelriæ, arces Diepenhem & Lage, in tractu Tubantino, occupavit, etiam prope Campos, in loco cui nomen Camperveen, incendiis & deprædationibus graſſatus eſt.

E militibus Tranſiſalanis, Daventriæ, & circa eam collectis, die Lunæ pontem Daventrienſem tranſierunt equites ſexcenti, & octingenti pedites, unde in Velaviam, Gelriæ regionem delati, in pago ter Wolde, ac agro vicino multas inſignes ædes exuſſerunt, nemini parcentes, ita ut domos etiam non paucas quæ Daventrienſium erant, flamma hauſerit. exuſta inter alias domus Conradi a Löſſen. Epiſcopus Ultrajectinus Dominica poſt Oculi Campos cum quingentorum peditum manu advectus eſt.

Decreverant Ordines Tranſiſalaniæ Daventriæ in generalibus Comitiis congregati, ut tres civitates in urbe Daventrienſi continuo ſummam aliquam pecuniæ conferrent, cujus primus in bello uſus foret. è quibus Campenſes x x florenorum c I ɔ. & reliquæ civitates ratam quoque portionem exolverent, eam pecuniam è publicis tributis poſtea recepturi.

Ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Adhæc dicti Ordines monaſteriis ditionis Tranſiſalanæ xxx florenor. cIↃ imperarunt, quæ ipſis mutuo darent. eorum ſingulis cœnobiis ſua aſſignata portio. è quibus monaſterium regularium in Windeſem duo millia ſuppeditavit, & ab Ordinibus apocham ſigillo munitam recepit. cujus apographum hic inſeremus, cum dubio procul reliquæ ejuſdem argumenti fuerint.

,, Nos Fredericus Dei gratia Epiſcopus Ultrajectinus, Marchio Badenſis, ,, equeſtris Ordo regionum Sallandiæ, Tubantiæ, Vollenhoviæ & Drentiæ, ,, noſqne Coſſ. Scabini & Conſiliarii trium civitatum, Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, notum facimus omnibus ac profitemur hiſce noſtris ,, literis: Quandoquidem, ut nunc ſe res habent, ad apertum cum Gelriæ Duce ,, bellum pertracti ſumus, eo quod regiones noſtras cis Iſalam hoſtilem in ,, modum rapinis, incendiis, extorſionibus ac aliis modis invaſerit: ut ergo ,, ei reſiſtamus, in ejus rei ſubſidium monaſterium Windeſemenſe, ordinis ,, regularium, mutuo dedit, ac numeravit præſentis pecuniæ bis mille flore- ,, nos aureos, aut monetam ejuſdem valoris. qua de cauſa nos eidem mona- ,, ſterio, noſtro ac ſucceſſorum noſtrorum nomine promiſimus, ac per haſce ,, noſtras literas promittimus, intemerata fide nos eam nummorum ſummam, in bonum ac utilitatem noſtram & dictæ regionis Tranſiſalanæ ex- ,, penſam, intra proximum biennium reſtituturos atque exoluturos, abſque ,, dilatione & dolo malo. in teſtimonium &c.

Miſit porro civitas Campenſis Daventriam duo tormenta maxima, duos colubros (ut vocari ſolent) cum omni apparatu ac requiſitis. quomodo & civitas Zwollana aliquot tormenta Daventriam ſubvehi curavit.

Die Mercurii poſt Oculi Campis Zwollam profectus eſt Epiſcopus Ultrajectinus, unde adhuc aliquot tormenta campeſtria ſecum avexit. Biduum autem Zwollæ commoratus, Daventrienſes ſcripto commonefecit, ut ſibi equites quos in urbe habebant obviam mitterent, ſe enim in animo habere ad eos ſe conferre. Sexcenti ergo equites Daventrienſes Epiſcopo inter Zwollam ac Daventriam occurrerunt, cum duobus Senatus Daventrienſis delegatis, & nonnullis apparitoribus. qui adventum ei gratulati, eum cum Comitatu ſuo in urbem perduxerunt.

Dum Daventriæ eſt Epiſcopus, iidem equeſtri ac pedeſtri turmæ quam in diœceſi inferiori coll.gerat Epiſcopus obviam properarunt, & una cum ipſâ verſo itinere rurſus Daventriam intrarunt. Ita ut Epiſcopus illo tempore Daventriæ & in ejus vicinia cIↃccc. equites & pluſquam quingentos pedites ad manum haberet.

Creaverat Epiſcopus D. Gerlacum ab Iſenbroeck, qui cum LXVII equitibus ad eum convolarat, ſummum ſui exercitus Imperatorem. Epiſcopus & tres civitates, pro ſtipendiis & quocunque illato damno fide ſua interpoſita

cave-

cavebant. unde regio illa in maximum æs alienum incurrit, cum, ſi cui equus morboſus eſſet, cum ſibi eripi aut interfici permitteret, qui deinde caballo valido ei permutabatur, idque juxta diplomata eis cum auctorarentur conceſſa Daventriæ 1. Aprilis c I ɔ I ɔ x. quorum exemplar eſt apud *Bocopium*.

Huic ſuo imperatori Epiſcopus, pro corpore ſuo c c. florenos aureos in ſingulos menſes conſtituit, præter quos lucelli in illa regione conſueti nomine, omnes equos frenatos, omnia tormenta campeſtria minora, & decimam partem omnium exactionum ſibi vindicaret. quæ cum omnem̃ modum excedere civitates judicarent, Epiſcopus ut ſuper eis cum illo tranſigerent eis mandavit̃.

Campenſes Everardum a Venne, & Gualtherum ab Wterwick, Senatores Daventriam ablegarunt, Epiſcopo, durante hoc bello, affuturos.

Hiſce peractis Epiſcopus cum equitibus ac peditibus ſuis Velaviam intrat, Appeldornam funditus diruit, Wilpam & Neo-paludem incendiis vaſtat, arcem Keppelam, & Arkenſtenium in ſuam poteſtatem redigit. capta Nykerka, ſiquid illic reliquum erat, id totum abſumſit ac depopulatus eſt. unde agricolæ plerique Velavia deſerta, huc illud diffugerunt.

Die Sabbati ſequente, Epiſcopus in Tubantiam movit, arcem Diepenem obſedit, quam Bernardus ab Hacfort Satrapa Comitatus Zutphaniæ cum equeſtri ac pedeſtri manu tenebat. eam vi armata ſibi ſubjicit, multos Gelros fundit, Satrapam cum LXXVII equitibus captivum abducit. inter captivos complures nobiles Gelri erant Twellus, Bagardus Ducis hoſpitio præfectus, Spiegelius, Goltſtenius, Knippenburgius. Diepenhemo victores Daventriam rediere, ibique ad tempus ſubſtiterẽ.

IX Aprilis die Epiſcopus cataphractus Domino Florentio ab Egmont, & Dom. a Batenburch comitatus cum c I ɔ I ɔ c equitibus, & ccc peditibus arcem ter Wolde petiit eamque obſidione cinxit, advexerat autem I ɔ aut I ɔ c plauſtra ſcalis, pulvere ac globis tormentariis, aliiſque requiſitis onuſta, ac tormenta bellica non pauca, prout Campenſes tormenta ſua maxima, & minora quoque, ac ſimiliter ſua civitates reliquæ ipſi ſuppeditaverant̃.

Aderant autem ei è ſingulis civitatibus, Daventrienſi, inquam, Campenſi, & Zwollana, bini Senatores, quorum ſinguli octonis equis inſtructi erant.

Arx hæc ſupra quam credi poſſit firma ac valida erat, adeo ut pro inſuperabili haberetur. tribus enim profundis foſſis cingebatur, & triplici inuſitatæ altitudinis vallo, cui in circuitu denſiſſimum è ſpinis ſepimentum implantatum erat. Arcem hanc Epiſcopus tormentorum primo diſploſionẽ, mox tribus validiſſimis inſultibus aggreſſus eſt. tertio autem impetu eam in poteſtatem redegit. multi ibi Gelrorum cæſi, L X comprehenſi. nihil huic arci neceſſariorum ad victum aut pugnam deerat, quibus poſtquam à fero-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

cienti milite penitus expoliata eſſet, juſſu Epiſcopi ſolo æquata fuit, & vallum in foſſam dejectum.

Poſt hæc Dux Gelriæ per dolum civitatem Campenſem occupare conatus eſt, ſed fruſtra. de quo latè *Bocopius*.

Epiſcopus Tubantiam ingreſſus, in profeſto Pentecoſtes Aldenſalam obſedit, ſuggeſtum è materia in juſtam altitudinem erigit, è quâ urbi mala plurima illata. Ex oppido vehementer laboratum, ut ſuggeſtus incenderetur. ignem ei injiciunt, ſed rurſus extinctus fuit, & quoad ejus fieri poterat ne globis tormentariis & miſſilibus ignitis facile lædi poſſit cavetur.

Interim periculoſa ſeditio inter milites exoritur, quibus uno alterove menſe ſtipendia repræſentata non erant. ſedatus tamen fuit ille motus, tribus civitatibus Daventrienſi, Campenſi, ac Zwollana pecunias conferentibus, ac militi ſatisfacientibus.

Qui Aldenſalam tenebant Gelri cum Epiſcopo colloqui deſiderarunt, & in haſce conditiones x. Sept. die cum ipſo tranſegerunt: ut omnes captivi dimitterentur. omnes ſyngraphæ ex hujus belli exactionibus ortæ abolerentur, omnes milites, equites, tribuni aliiq; officiarii intra menſem ab Epiſcopo unius menſis ſtipendium reciperent. In hæc cum conveniſſet, Epiſcopus eos armatos egredi permiſit. contulerunt autem ſeſe Zutphaniam, ubi non admiſſi, ad tempus in pomœriis remanſerunt. tandem tamen urbem ingreſſi ſunt.

IX Julii die Epiſcopus celebravit Comitia cameræ ſuæ, ſuper facultatibus cenſui obnoxiis quas poſſidebat in tractu Cuynre. intererant è Senatu Daventriæ Scabini Mag. Hermannus Lulofs, Otho a Deutecum.

Anno CIↃIↃXI. XI Januarii Fridericus a Baden, Epiſcopus in urbe Daventriâ cum equeſtri Ordine & civitatibus Tranſiſalaniæ Comitia judicialia celebravit. quibus intererant Scabini Daventrienſes Otho a Deutecum, Ioannes Strubbe, Rodericus a Renen.

Eodem tempore Ultrajectini bello adverſus Epiſcopum ſuum impliciti fuere, ac Ducem Gelriæ Carolum in protectorem ſuum aſſumſerunt.

Epiſcopus quoque Ultrajectinus una cum Ordinibus Tranſiſalaniæ cum Celris in haſce pacis conditiones convenit: ut tota ipſorum controverſia duobus principibus ſecularibus committeretur, quod illi de ea pronunciaturi eſſent, utrinque ratum foret. partes rationes quas pro cauſa ſua limitare arbitrarentur, ſcripto conſignarent, ac certis temporum intervallis reſponſa ſua & replicas judiciali ordine repræſentarent, re vero ad plenum conſcripta ac diſceptata, ante certum diem ſententia ferretur. quod ſi principibus in decidenda lite non conveniret, eo caſu tertium adlegerent, & quicquid hiſce tribus viſum foret, ei tenerentur acquieſcere, ſuper quo diplomata ſigillis munita utrinque traderentur. per hanc autem tranſactionem, captivi omnes dimitterentur, iis exceptis qui fide data de revertundo diſceſſerant nec erant

reverſi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

reverſi &c. omnes porro tractatus à præcedentibus Epiſcopis & Ducibus Gelriæ confecti, in pleno remanerent vigore.

Dux Gelriæ Carolus, quum urbem Ultrajectinam, protectoris titulo occupaſſet, ibidem monetam cudi curavit, cui nomen impoſitum Schrickenbergi Ultrajectini. ab uno autem latere conſpiciebatur imago S. Martini equo vecti, ac ſub pedibus ejus clypeolus cum inſigniis Ducis Gelrorum. in ambitu hæc legebantur verba: Carolus Dux Gelriæ, Juliæ, Comes Zutphaniæ. ab altero latere hæc: Moneta civitatis Trajectenſis.

Dux Carolus Hattemum recepit, & Henricum a Nyvelt ejus Satrapam conſtituit, eique in mandatis dedit, ut ab omnibus navibus quæ ſecundo aut adverſo Iſala vehebantur, vectigal exigeret, eodem modo quo præſidiariis Burgundis factum fuerat. Hoc mandatum Satrapa civitati Campenſi, ipſo die Petri ac Pauli per literas indicavit, utque de eo cives ſuos certiores facerent petivit, nequid eo ignorato detrimenti caperent.

Tres civitates primariæ negocium hoc graviter ferebant, ac ſimul ſtatuere nullo modo vectigal illud Gelris eſſe pendendum, cujus exigendi nullum jus haberent. Hinc fervere contentiones, Gelrorum Duce præfracte à ſingulis navibus ſenos ſtuferos (ut vocant) poſtulante, civitatibus autem obfirmatis animis ne id fieret intercedentibus. Qua de cauſa XI Julii die ad civitates Gelriæ præcipuas, Neomagum puta, Zutphaniam, Ruremundam & Arnhemum literas dedere, quibus conquerebantur, Ducem Gelriæ, ſimul ac Hattemum in ſuam poteſtatem redegiſſet, omnes naves quæ ſecundo vel adverſo flumine vehebantur, novo telonio oneraſſe, quum fluvius Iſala per quingentos annos, & eo amplius Eccleſiæ Ultrajectinæ ſubjectus fuiſſet, ac perpetuo ab omni onere liber eo utentibus patuiſſet. excepto tantummodo tempore Ioannis a Gelre nothi, qui tum Satrapa Hattemenſis erat, ac idem conatus fuerat, ſed ab incœpto monitus abſtinuerat. idem quoque tentaſſe Burgundos, ſed civitates libertatem fluminis ita tutatos fuiſſe, ut irritum quoque fuerit eorum conſilium. Scripſiſſe ſe ſuper hac re Duci Gelrorum, ac ut ejuſmodi novæ molitiones abolerentur flagitaſſe, jamque petere à civitatibus, ut operam addere vellent, quo eadem uſurpatio nunc quoque è medio tolleretur. nulla enim ratione eam ſibi tolerandam eſſe. Quod ſi Gelrorum Dux tale quid de jure ad ſe pertinere exiſtimaret, non detrectare ſe neque Epiſcopum, quo minus res in judicium adduceretur, petere interim ut ejus quæ inter vicinos eſſe debet amicitiæ ratio habeatur &c.

Hoc anno Covordiæ Satrapa Rodolphus a Munſter, arcem munitiſſimam, cui nomen dabat, *den Kinckhorſt*, extrui curavit prope Meppelam in Drentia, eam foſſa latiſſima ac profundiſſima, & vallo non abſimili cingens. diſplicuit hæc res Ordinibus Tranſiſalaniæ, ac tribus præſertim ejus civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, Zwollanæ, à quibus literæ ad eum miſſæ ſunt, quæ cum ab opere deſiſtere juberent, ni faceret ſibi de rationibus id impediendi cogitandum.

 dum.

dum. Ad has reſpondit literis datis in profeſto Mariæ Magdalenæ, cives atque etiam delegatos trium civitatum ſingulis propemodum diebus extructionem arcis ſuæ oculis uſurpaſſe, neque unquam ſibi eam diſplicere ſignificaſſe, quod nunc fiat, poſtquam fere ad finem perducta ſit, neq; ſibi æque integrum ſit eam demoliri. ſe tantas in regione Tranſiſalana poſſeſſiones habere, ut vanum ſit mali quicquam de ipſo ſuſpicari velle, neque unquam in animo habuiſſe ulterius in opere procedere quam ut ædificium adverſus cccc aut Iↄ vagabundos munitum tuto inhabitare poſſet. id quod, ratione illius temporis habita, ſatis neceſſarium eſſet. neque civitatibus aut regionibus inde detrimentum, ſed commodum oriri poſſe. petere ſe perquam amanter, & demiſſe, ne quid ſibi detrimenti inferri paterentur &c.

Huic reſponſo civitates non acquievere, ut quibus nullo modo conſultum videretur, tantam munitionem in ſua regione excitari, unde multa ipſis mala proficiſci poſſent, cum abſq; hoc, locus ipſe ſua natura pene inacceſſus eſſet, unde communibus votis ſtatuerunt, Rodolpho vallum ſolo æquandum, ac foſſam terra aut ruderibus replendam eſſe. quum autem blanditiis rem protollere conaretur, mox extructa arce, ut verebantur, multum diverſa tentaturus, iterato ei ſcripſerunt, ut iis quæ ipſi mandaverant obſequeretur, neq; enim ſe paſſuros privilegia ſua, quorũ vigore id non tenebantur perpeti, ab ipſo inſuper haberi.

Rogarunt ad hæc Epiſcopum Ultrajectinum, ut in eandem ſententiam ad Rodolphum literas daret. quod factum III Julii die.

Sed ſpretis hiſce omnibus Rodolphus, vallum incœptæ arcis in magnam altitudinem educi, lorica cingi, & portis muniri fecit. quapropter trium civitatum delegati Vinſemii congregati, re mature expenſa, periculi plenum fore indicarunt, ſi permitterent Rodolphum cœptum opus perficere, decretum ergo, arcis illius mœnia & foſſas ſolo ab ſeſe æquandas eſſe. de quo die v. Aug. Epiſcopum per literas certiorem fecerunt.

Civitates Daventria & Zwolla à Campenſibus petierunt, communi ſumtu & periculo id quod decretum erat, effectum dare vellent. quod & ſe facturos receperunt.

Intellecto hoc decreto Rod. à Munſter, die Mercurii poſt Mauricii, Zwollam ſe contulit, multa ibi cum Senatu de ædificio ſuo contulit, ac obtulit ſe pro cIↄ florenorum ſumma cautionem daturum, niſi intra tres hebdomadas vallum domus ſuæ uſque ad ſummitatem feneſtrarum cellæ ſuæ ſive cryptæ ſubterraneæ dejiceret. ad quæ à Zwollenſibus reſponſum non accepit, eo quod reliquarum civitatum legati abeſſent, & aliter concluſum eſſet.

Similia ſcripſit die Mercurii poſt Matthæi ad civitatem Campenſem, petens ut quempiam ad ſeſe ablegarent, qui oſtenderet, quouſque ſibi vallum demoliendum cenſerent. ne ſeſe pro rebelli, aut mandati Epiſcopalis contemtore haberent, neve damno ſeſe afficere vellent, multis additis promiſſis, quam amanter ſeſe erga regiones gerere conſtituiſſet, ac recenſione eorum in quibus de iiſdem prolixe meritus eſſe ſibi videbatur.

Tres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Tres civitates in ſententia perſtitere. Et Campenſes duos è Senatu ſuo cum c c. peditibus, tormentis inſuper & alio armorum genere Meppelam miſerunt, qui arcem ſolo æquarunt, pontem & portas dejecerunt, ſupellectilem domus diripuerunt, & cum præda Campos reverſi ſunt.

Rodolphus a Munſter ſuper hiſce ultionem à tribus civitatibus ſumere conſtituit, ac damnum ſibi illatum unde poſſet reſarcire. Eoque in arcem Covordianam neceſſaria convehi curavit, ſparſo rumore, quod eſſent in civitatibus illis qui ſibi necem machinarentur. Miſſiſque ad Campenſes literis, petiit ut ſe certiorem redderent, quid ſibi à civitatibus expectandum foret, vellentne ſibi quam perpeſſus erat jacturum, de ſententia arbitrorum, reſtituere, necne. id enim vel diſſimulare, vel amiſſa via juris non repetere, ſibi ac ſuis amicis ignominioſum fore. ſimilia ad Epiſcopum ſcripſit, nec non ad eos qui fidem ſuam, tanquam ſponſores, pro eo, cum ei arx Covordienſis committeretur, apud civitates interpoſuerant, & à quibus ſiquid ratione illius arcis regio Tranſiſalana detrimenti caperet, ei jus erat repetere. Erant hi Io. ab Itterſum Sallandiæ Satrapa, Henricus Voſſius a Steenwijck, Io. a Bochorſt, & Io. ab Itterſum Schenckius. è quibus duo, ad litem componendam die Virgini Mariæ ſacro Zwollam petierunt. quo & venit Io. Viſſcherus, Munſteri ſcriba, literas ab eo ſinu geſtans, quibus civitatibus hoſtilia denunciabat, ac in mandatis habebat eas Zwollanis tradere. Acceſſerunt eum Henricus Voſſius & Io. ab Itterſum, ac poſtquam ab eo de literarum argumento reſciviſſent, perſuaſerunt homini ne eas traderet, ſeſe enim in animo habere ad Munſterum proficiſci, ac cum eo de re tota agere. quod & factum.

Ad eum ut venerunt, nihil aliud quam deſperata conſilia apud ipſum deprehenderunt. tam enim inſolenter ſe gerebat, ac ſi totius regionis Princeps ac Dominus fuiſſet, multoſq; è magnatibus ſecum conſilia communicare non obſcure ferebat. Retulerunt de hiſce ſponſores ad civitatum delegatos, qui clanculum de Ducis Gelrorum & Comitis Friſiæ Orientalis inito cum ipſo ſyncretiſmo monebantur. Ordines Tranſiſalaniæ fidejuſſores Munſteri ſerio hortati ſunt, ad Epiſcopum Ultrajectinum ſe conferrent, ac ab ipſo impetrarent, ut in Tranſiſalaniam veniret. poſſe enim ipſos pro prudentia ſua, facile prævidere, ſiquid regioni à Munſtero damni inferretur, fore ut id ab ipſis exigeretur. datæ ſunt eis eum in finem literæ, quibus ut adventum ſuum maturaret Epiſcopus rogabatur.

Anno cIↃ IↃ XI. Quum antea Senatus Daventrienſ. tribunos plebis creare conſueviſſet, & octonis tantum ſingulæ tribus conſtarent, die Martis poſt Converſionis Pauli, convenit, ut penes corpus tribunorum plebis deinceps eſſet tribunos eligere, & quidem ad duodenarium numerum in quaque tribu, eoſque Senatui, ab eo confirmandos, proponere. pro illa autem vice Senatus in ſingulis tribubus octo primos, reliquos autem quaternos ipſi tribuni elegerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Eodem anno in feſto Petri ad vincula inſtitit apud Senatum cœtus tribb. pleb. ut in ſingulis tribubus noveni in electione magiſtratus calculum ponerent, articulus autem de octonis tribb. pleb. in duodenos mutaretur. quod non ſine difficultate obtinuerunt.

Eodem, Lamberti die, à tribb. pleb. propoſitum, vellet juberet magiſtratus, ut qui in electione ejus præteriretur, etiam ſeſſionem ac votum inter tribb. pleb. amitteret, niſi nova intercederet electio. ea petitio à magiſtratu rejecta fuit.

Inſignia Daventrienſia hodie duobus conſtant clypeis, quorum alter aquilam, alter lineam tantum qua album à rubro diſtinguitur, repræſentat. At anno cIↄ Iↄ xi. excuſi libri pro poſteriore hoc ſcuto, crucem habent, ut vides in figura ſubjecta. Conſiderandum, an non Carolus V. id mutarit, poſtquam ab Epiſcopo juriſdictionem in hanc urbem ſibi comparavit.



Bonas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Bonas literas Daventriæ circa hoc tempus pro virili promovebat inſignis Typographus Iacobus de Breda. Ab hoc edita:

Tractatus de Arte Oratoria.

Maphæi Vegii Laudenſis Antoniados, ſive de vita Divi Antonii libb. 4. Carmine heroïco.

Baptiſtæ Mantuani Carmen de fortuna.

Gemmula vocabulorum, cIↄ cccc xc III.

Evangelien ende Epiſtelen, mitten Sermonen van den geheelen Jare, de eene na den anderen volghende: ende oock mede de Prophetien getrocken uyt de Bibelen, overgheſet uyt den Latijne in goeden Duytſche, ende nu anderwerf verbetert ende gecorrigeert is, ghelijckerwijs als men houdende is in de Heilige Kercke. Anno eodem Kalend. Martii.

Rob. Gaguini, de intemerato virginis conceptu adverſus Vincentium quendam decertatio, cIↄcccc xc IV.

Verba deponentalia, & Compoſita verborum Jo. Sinthen, cIↄ cccc xcv.

Poſtilla Guillierini, eodem.

Compoſita verborum & verba deponentalia Jo. Sinthen, cIↄ cccc xcvIII. in vigilia Palmarum.

Hermanni Torrentini de generibus nominum, heteroclitis, patronymicis, &c.

Bapt. Mantuani opus de mundi calamitatibus. Idem, *contra Poëtas impudice loquentes*, cIↄ Iↄ I. in profeſto Viti & Modeſti.

Itinerarius Ioannis de Heſe, Preſbyteri à Jeruſalem. cum nonnullis aliis ſimilis argumenti, in profeſto Converſionis S. Pauli, cIↄ Iↄ IV.

Georgica Virgilii cum novo commentario Hermanni Torrentini, cIↄ Iↄ V. proxime poſt Jubilæum.

Boëthius de conſol. Philoſoph. cum comment. S. Thomæ, cIↄ Iↄ VI.

Ovidii Metamorph. libb. IV. & V. cIↄ Iↄ XI.

Paræneſis Iſocratis ad Demonicum, interprete Rod. Agricola, cum quibuſdam aliis, cIↄ Iↄ XII. VIII Kalend. Maji.

Collectaneæ Latinæ locutiones Jacobi Spirenſis, cIↄ Iↄ XII. & XIII. Kalend. Auguſt.

Valerii Martialis, & Julii Juvenalis Carmina ſelecta, cIↄ Iↄ XII. IV. Id. Octob.

Ma-

Mag^ri^. *Bartholomæi Colonienſis libellus elegiacus, de ſeptenis doloribus illuſtriſſimæ ac glorioſiſſimæ Virginis Mariæ*, cIↄIↄXIV. VIII. Id. Novemb.

Hymni & ſequentiæ cum Notis Hermanni Torrentini, cIↄIↄXVI.

Syntaxis Brechtana. Item, *Ars Metrica & Muſica*, cIↄIↄXVII. prid. Non. April.

Elegantiæ terminorum ex Laur. Valla, & quorundam aliorum, ſecundum ordinem Alphabeti, eod. in profeſto exalt. S. Crucis.

Epiſtola Pauli ad Romanos, eodem, v. Kal. Octobr.

Aulularia Plauti, Comœdia lepidiſſima, quæ etſi alias incompleta, à Codro Vrceo tamen eſt perfecta, cIↄIↄXVIII. v. Kal. April.

Alter Typographus, non minus induſtrius, fuit Theodoricus de Borne, ab hoc evulgata:

Publii Fauſti Andrelini de virtutibus Carmen, & elegiæ quædam caſtiores anioreſque.

C. Plinii Secundi Præfationes duæ, per Henricum Ioannem Batavum tum accuratiſſimè caſtigatæ, tum etiam novis Annotationibus lucidiores redditæ.

Jo. Sulpitii Verulani Carmen Elegiacum de facetia menſæ, deque cæteris honeſtis adoleſcentum moribus.

Aldi Manutii Romani de conſtructione verborum, adverbiorum localium, participiorum & nominum rudimenta. Item, *De figuris dictionis & conſtructionis*, cIↄIↄX.

Aurelii Prudentii Hymni tres, cIↄIↄXI. in ipſis Carnivaliis.

Catonis diſticha, monoſticha è variis Græcis Poëtis traducta, aliaque gnomologica, per Jac. Fabrum, cIↄIↄXI. menſe Octob.

Baptiſtæ Mantuani vatis præſtantiſſimi divinum ſecundæ parthenices opus, Sacroſanctam Divæ Virginis Catharinæ paſſionem heroïco Carmine illuſtrans. cIↄIↄXIV. v. Kal. Febr.

Baptiſtæ Mantuani vatis eminentiſſimi opus inſigne de mundi calamitatibus, earundemque tum cauſis tum remediis; cIↄIↄXIV. VI. Kalend. Maji.

P. Virg. Maronis Æneid. lib. IV. cIↄIↄXX. menſe Febr.

Virg. Æneid. lib. V. cIↄIↄXXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Virg. Æneid. lib. x. (tempus non eſt additum.)
Lucani de bello civili tres priores libri. cIↄIↄxLVI.
Etymologiæ Grammaticæ Latinæ brevis & luculenta præceptio, in uſum ſcholæ Daventrienſis. cIↄIↄLII.
Q. Horatii Flacci Lyricorum verſuum Muſica modulatio, ad Carminis cujuſque rationem diligenter accommodata, ac ſeorſim ad puerorum uſum excuſa, ut hac cantandi exercitatione paulatim aſſueſcant odis Horatianis. eodem anno.

Anno cIↄIↄxII. actum fuit cum Rodolpho a Munſter, ut arcem Covordiam in manus Epiſcopi & trium civitatum conſignaret, & nummos quos pro ea erogaverat ab iiſdem reciperet. cui petitioni tandem acquievit xxIII Sept. die. Intererant tranſactioni è Daventrienſibus Petrus a Mouwijck, & Ioannes ten Hoeve.

Poſtquam Rodolpho plenè ſatisfactum eſſet, collectis ſarcinis, & omnibus quæ ad ſeſe quocunque jure pertinebant convaſatis, arcem Covordianam in uſum Epiſcopi Ultrajectini, Ordinibus Tranſiſalaniæ tradidit, nullo ſibi in eam reſervato jure, ac inde cum militum quam collegerat manu, vexillis volitantibus egreſſus eſt.

Verum antequam ipſe juramento, ſponſores vero ejus ſtipulationibus ſoluti eſſent, nocte intempeſta clanculum ſudes munimento præfixas, in foſſa, ſub aqua conſciderat, ac in fundo foſſæ machinas clanculum collocarat, per quas bini facile tranſire poterant. ſolutis autem ſudibus funes alligarat, quibus eos attrahere ac dejicere poterat.

Octiduo poſtquam arcem reliquerat, noctu inter xx. & xxI. Octobr. cum aliquot militibus ad arcem acceſſit, cum iis per occultum, quem diximus, pontem foſſam tranſiit, ſudes dejecit, atque ita arcem occupavit, Reinero a Covorden ac compluribus è famulitio Adolphi a Rechteren, tunc temporis ibidem Satrapæ, obtruncatis. Eruptione ex arce in Drentiam facta, eam tributariam ſibi reddidit, ut & pagos ac municipia Sallandiæ prope Covordiam ſita.

Tres civitates Epiſcopum Ultrajectinum ac diœceſin inferiorem de tota re certiorem fecerunt, rogantes ut in medium conſulerent, quo arx quamprimum recuperari poſſet, & in Rodolphum exemplum ſtatueretur quo alii ſibi à ſimilibus in poſterum auſis caverent. Ordines diœceſis inferioris reſcripſerunt, ſe delegatos ſuos in Tranſiſalaniam miſſuros, pariter cum illis conſilia collaturos, quo promtum tanto malo remedium inveniretur.

Rodolphus a Munſter arcem Covordianam tormentis, telis, commeatu ac omnibus rebus neceſſariis munivit. quicquid autem talium deſiderabat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Groningâ,& ex arce quam ibi extruxerat Emdanus Comes ei ſuppeditabatur. ad hæc non cõtemnendam vim pecuniæ è tributis ac extorſionibus collegerat.

Epiſcopus Ultrajectinus XXVII Octob. die, Zwollæ Comitia celebravit, in quibus decretum ut ſequitur:

Ad recuperandam arcem & municipium Covordianum, Epiſcopum ſup-peditaturum c. equites, ditionem Sallandiæ pedites cc. regiones Tuban-tiæ ac Vollenhoæ ſimul cc. alteros. trium civitatum ſingulas c. pedites, duas colubrinas, XII tormenta minima, quibus tres civitates ſimul adde-rent duo tormenta maxima, cum requiſitis &c.

In hoc decretum omnes conſenſerunt,& quiſque quod ſuarum erat partium repræſentavit. Expeditioni intererant è ſingulis civitatibus Senatores duo, & quidem è Daventrienſibus Mr. Hermannus Lulofs, & Mr. Hermannus Swaefken. è Campenſibus & Zwollenſibus quinam eodem delegati fue-rint, negat *Bocopius* ſe reperiſſe. Hi militibus quibus ſuæ civitates ſtipen-dia numerabant, ſigillatim imperabant. Scripſerunt porro Ordines diœ-ceſios inferioris ad tres civitates, literis IV Novemb. die datis, ſe iis adver-ſus Rodolphum a Munſter ſubſidia propediem miſſuros.

Ultrajectini hoc anno, deſerto Gelriæ Duce Carolo, Epiſcopo ſuo re-conciliati fuere.

Anno cIɔIɔXIII. cum Rod. a Munſter prædam è Drentia raptam Groningæ depoſuiſſet, & Emdanus Comes eum omni ope juvaret, literas ad utroſque dederunt Ordines diœceſeos Ultrajectinæ, ſciſcitantes, an Ro-dolphi violentas actiones promovere, ac cauſam ejuſdem ſuam facere in animo haberent? id vero ſe de iis non poſſe in animum inducere ut credant, petere tamen ut ſcripto ſeſe de voluntate ſua certiores faciant, ut quid ſibi viciſſim agendum ſit, ſcire poſſint.

Comes Emdanus & civitas Groningana Ordinibus diœceſeos datis ad eos literis reſponderunt, ſe neutrarum partium eſſe velle.

Taanſiſalani Zwolla profecti, in pago Covordia metati ſunt, & arcem obſederunt. Adolphus a Rechteren, cui Rodolphus a Munſter eam eripue-rat, cum LX viris armatis in caſtra venit. Ordines diœceſeos inferioris qnos promiſerant equites peditesque & ipſi eo miſerunt. Admota dehinc arci tormenta, & mœnia verberari cœpta.

Interim rumores increbeſcunt, in Friſia Orientali à Rodolpho equeſtres pedeſtreſque copias contrahi, ad ſolvendam obſidionem, nec certo ſciri cuinam eæ proprie militarent. petierunt ergo exercitus ductores à tribus civitatibus. ut CCC cives, rerum bellicarum non imperitos in caſtra mit-terent. id quod civitates facere renuerunt, ſibi civium ſuarum opera opus eſſe cauſati, quod & in Gelria militem concurrere inaudiſſent. verum omnes hi rumores nulla veritate nixi ſponte evanuerunt.

Epiſco-

Epiſcopus Ultrajectinus toto trimeſtri cum exercitu ſuo ad Covordiam hæſit, magna vi adhibita ut arcem in poteſtatem ſuam redigeret. Præſidiarii, cum auxilia nequicquam expectarent, & deficeret commeatus, arcem tradiderunt, vitam & facultates pacti, & mox ea exceſſerunt.

Hiſce peractis Epiſcopus Ultrajectinus, de ſententia trium civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, Everwinum Benthemiæ & Steinfurti Comitem, Covordiæ ac Drentiæ Satrapam crearunt, depoſita prius ab eo non exigua pecuniæ ſumma, & juramento Epiſcopo ac civitatibus de more præſtito.

Rodolphus a Munſter, cum ægre hæc omnia ferret, equitum ac peditum manu iterum collecta, Tubantiam irrupit, ac Goram ibi intercepit. Idſardus Friſiæ Orientalis Comes ei aperte adhærebat. Ludolphus Lugge cum I ɔ peditibus ei auxilio venit, ratus ſe Tubantiæ, Drentiæ, Sallandiæ, Vollenhoæ, ac quaquaverſum protenditur Tranſiſalania, tributa imperaturum. Rodolphus rapinis, incendiis, exactionibus magno Tranſiſalaniam damno affecit, & cum præda Groningam contendens, cum à Senatu introitu urbis prohiberetur, non procul ab ejus pomœriis, in pagis Helpen & Harne conſedit. unde Slochteram, in regione cui nomen *t'Olde-ampt* ſuos duxit, captivos è Tranſiſalania ſecum trahens.

Tranſiſalani & ipſi educto milite, ac inito cum Epiſcopo conſilio, ſuis rebus non inutile fore judicarunt, ſi arcis Rodolphi, cui nomen *den Kinckhorſt*, cujus vallum & foſſas ſolo æquarant, totam everterent, ne eam unquam deinceps inſtaurare poſſet. quod à Campenſibus factum.

Rod.' a Munſter etiam naves aliquot ſibi comparavit quibus infeſtum mare reddebat. petiitque à Rege Daniæ ut Tranſiſalaniæ incolas in illo regno ſibi areſto detinere liceret, quod ei negatum eſt.

Alterá Petri ad vincula, Daventrienſes & Zwollani, de conſenſu tribunorum pleb. cum Saxonibus, Colonienſibus, Monaſterienſibus, Clivenſibus, Juliacenſibus fœdus inierunt. *Acta vetera Tribb. pleb.*

XXVII Septembris die Epiſcopus Comitia judicialia celebravit in arce Vollenhoviana, quibus è Scabinis Daventrienſibus intererant M^r. Hermannus Lulofs, & Petrus a Mouwick.

Hoc anno & multis ſequentibus Daventriæ ſtudiis literarum provehendis ſedulam operam præſtitit

Typographus per inſignis Albertus Pafraet.
Ab eo excuſa:

Joannis Damaſceni quædam.
M. T. Ciceronis Cato Major.

Æneidos liber ſecundus, *ex Jo. Bapt. Egnatii exemplari recognitus.*
Æneidos lib. tertius.
Rod. Agricolæ in Platonis Axiochum traductio.
Jo. Murmellii protrepticon Poëtantium.
Ejuſdem in artem componendorum verſuum tabulæ.
Vita Pauli primi Eremitæ, per Hieronymum conſcriptam, una cum vita D. Antonii, per Maphæum Vegium Laudenſem. CIↃIↃXIII.
De Gulden Croone Mariæ &c. CIↃIↃXVI.
Declamatio Philippi Beroaldi de tribus fratribus, ebrioſo, ſcortatore, & aleone. CIↃIↃXVII. menſe Februario.
De octo partium Orationis conſtructione libellus G. Lilii, cum Præfatione Jo. Coleti, & D. Eraſmi Roterod. eod. menſe Julio.
Rodolphi Agricolæ Anna mater, Carmine Elegiaco. eod. menſe Auguſto.
Jo. Murmellii ars componendorum verſuum. eod. anno & menſe.
Aurelii Prudentii contra Symmachum, libri duo. eod. menſe Octobri.
Eraſmi de copia rerum, liber ſecundus. eod. IX. Octobr.
M. T. Ciceronis paradoxa. CIↃIↃXX. menſe Martio.
Ant. Mancinelli ſpeculum de moribus & officiis. eod. menſe Octobri.
Jacobi Montani Spirenſis collectaneorum Latinæ locutionis, opus ſecundum. CIↃIↃXXI. menſe Januario.
E Divo Hieronymo ſelectæ Orationes. eodem menſe Martio.
Æneidos libri ſex poſteriores, ex Aldi Romani exemplari recogniti. Anno eodem.
Iidem libri ex caſtigatione Jo. Sulpicii Verulani. eodem.
Fauſti Andrelini Foroliuienſis Epiſtolæ proverbiales. CIↃIↃXXII.
C. Criſpi Salluſtii bellum Jugurthinum. eod. menſe Martio.
Ejuſdem de conjuratione Catilinæ. eodem.
Terentii Heautontimorumenos. CIↃIↃXXIII. menſe Januario.
Hieronymus ad Nepotianum, è caſtigatione Eraſmi. eodem menſe Martio.
Querela pacis Eraſmi. eod. anno & menſe.
Æneidos liber IV. CIↃIↃXXIV. menſe Januario.
Lib. V. eodem anno.
Lib. VI. eodem. menſe Febr.
Prognoſticon de Antichriſto &c. Latinè & Belgicè, eod. Anno.

M. T. Ciceronis Epiſtolarum familiarium liber II. cIↄIↄxxv. menſe Nov.

Gerardi Synellii Groningani, Abbatis Vallis B. Mariæ in Norda Hortulus Orationum libb. III. *metro dramatico conſcriptus*. eodem anno. *ex Deſſelio*.

Æneidos lib. VI. *&* VII. *ex Jo. Bapt. Egnatii exemplari recognitus*. cIↄIↄxxv.

Euangelium ſecundum Lucam, ex recenſione Eraſmi. eodem.

Abſolutiſſimus de octo partium Orationis constructione libellus, emendatus ab Eraſmo Roterodamo.

Eraſmi Epiſtolæ ſelectæ.

Bucolica Virgilii. eod. menſe Junio.

Virgilii Moretum, Vir bonus, Roſa, de Vino & Venere. cIↄIↄxxviii. menſe Septembri.

Progymnaſmata adoleſcentiæ, Eraſmi Roterodami. cIↄIↄxxix. menſe Aprili.

Collectanea ex univerſo opere librorum Divi Auguſtini paſſim decerpta, ſemitam quandam mediam Christianis nunc miſere diſſentientibus monſtrantia, qua unanimiter ad Eccleſiam Chriſti redeant. eod. anno.

Apologi Æſopi, interprete Laurentio Valla. cIↄIↄxxx.

Joachimi Wilachii Stenuicenſis Miſcella Græcæ linguæ, in ſupplementum eorum quæ in aliis Grammaticis deſiderantur. cIↄIↄxxxiii. Non. Septemb.

Ælii Donati Grammatici clariſſimi Barbariſmus, multo quam antehac emendatior. eodem.

Aſſertio Alveldiana in Canticum ſalve Regina mater miſericordiæ, contra impios Deiparæ Virginis Mariæ murmuratores, detractores, blaſphematores, &c. cIↄIↄxlv. *Auctore Auguſtino Alveldiano.*

Anno cIↄIↄxiv. Carolus Gelriæ Dux, cum civitatem Groninganam ſui juris feciſſet, non contentus ea fortuna, etiam Covordiam ac Drentiam ſibi ſubjicere cogitavit. Oppoſuit ſe equeſtri ac pedeſtri collecta manu Epiſcopus Ultrajectinus, ac civitatem Campenſem rogavit, ut duas dimidias colubrinas, cum requiſito apparatu, & virum rei tormentariæ peritum ſibi ſuppeditaret. quod & factum.

Anno cIↄIↄxv. Franciſcus quidam nothus è familia Voſſiorum à Putten regioni Transiſalanæ bellum indixit, miſſis literis ad tres civitates,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Daventrienſem, Campenſem, Zwollanam, quibus ſignificabat, ſe iis rapinis, cædibus, incendiis hoſtilia quæque illaturum, ratione æris alieni quod patruo ſuo deberetur, & in ſe tranſlatum eſſet &c. ut & nomine nobilis viri ab Itterſum, qui in ſuo ære eſſet, & ſolvere renueret.

Nothus hic, nullo certo lare huc illuc vagabatur, & ad tempus Hattemi ſe continuerat. Verebantur Tranſiſalani, ne Dux Gelriæ ejus actionibus ſe immiſceret, & hoc vel illo arrepto prætextu, in ſuperiorem diœceſin aliquid moliretur. Quapropter datis ad eum literis, ſciſcitati ſunt, num cauſam illam ſuam faceret. reſpondit Dux, ſe nec noſſe hominem, nec quicquam ſibi cum eo rei eſſe, quo intellecto Tranſiſalani minas ejus ſuſque deque habuerunt.

Eodem Anno Io. a Diepenbroeck civitatibus Daventrienſi, Campenſi ac Zwollanæ hoſtilia per literas denunciavit, ob ſyngraphas earum ſigillis munitas, quas ipſæ non exolverent. Simulac literæ fuiſſent redditæ continuo equeſtres ac pedeſtres copiæ in Tubantiam irruerunt, quæ Haecxbergi cives aliquot abduxerunt, pagis nonnullis tributum imperarunt, ac ingentes egerunt prædas. Milites hiſce rebus intenti, cuinam militarent ignorabant, dubii an hæc fierent privata auctoritate, quo debita ſibi ſtipendia conſequerentur (nam anno cIↃIↃx. ditioni Tranſiſalanæ ſuam operam accommodarant, nec plene eis erat ſatisfactum) an vero nomine ac auctoritate Ioannis a Diepenbroeck rem gererent, an denique Ducis Gelriæ, qui opportunitates quæreret civitatem quampiam aut arcem invadendi. Unde in ancipiti erant animi Tranſiſalanorum, dum quid ſperent metuantve ambigunt.

Adhæc Gerardus ab Hagenbroeke, ferrum & ignem ſuperæ ac inferæ diœceſi denunciavit, eo quod Bernardus & Godefridus a Lange fratres ſibi ac uxori ſuæ, adverſus pacta ipſorum ſigillis munita, vim feciſſent. ſuper qua re multas nequicquam querimonias inſtituiſſet. velle ſe ergo cum ſuis adiutoribus hoſtem iis eſſe, rapina, incendio, cæde, & quacunque ratione ſibi integrum eſſet.

Eodem anno Romanorum Rex Maximilianus, & Hiſpaniæ Rex cum Epiſcopo Ultrajectino Friderico a Baden egerunt, ut Epiſcopatum Ultrajectinum abdicaret, ac in D. Philippum Burgundum, defuncti Epiſcopi Davidis Burgundi fratrem, de conſenſu Papæ Romani transferret. Ordines inferioris diœceſeos hanc rem ægerrime tulerunt, ac Ordinibus ditionis per Tranſiſalanæ literas ſignificarunt, rumorem hujus rei ad ſeſe perveniſſe, de veritate tamen etiamnum incertos, qua de cauſa delegatos ſuos ſe miſiſſe Doroſtadium, quo de tota re certiores fierent, ac petere ut ipſi ſuos Ultrajectum mitterent, in commune conſulturos quid in tanta re ſibi ſtatuendum eſſet: cum facile viderent diœceſi Ultrajectinæ eam non parum incommodaturam.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Tranſiſalani ergo Ioannem a Langen, J. U. D. cum uno ex Ordine equeſtri, & uno è Secretariis Daventrienſibus Ultrajectum miſerunt. habebant hi in mandatis, ut primo Doroſtadium ſe conferrent, ut factum. Hic Dominum a Montfoort & reliquos diœceſeos inferioris delegatos offenderunt, qui & ipſi ob eandem cauſam eo profecti erant. Delegati Epiſcopo ſignificarunt adventus ſui rationem, qui reſpondit, verba quidem ſuper eo negocio fuiſſe commutata, ſed nihil ſe decreturum niſi de conſenſu Ordinum diœceſeos cis & trans Iſalam. id reſponſi ſcripto quoque conſignatum iis tradidit, ut de eo ad ſuos referre poſſent.

Poſt hæc Maximilianus Rom. Rex, & Carolus Rex Hiſpaniarum, Dominum ab Hoerne, Dom. a Gaeſbeke, Conſiliarios cameræ Regiæ literis fiduciariis inſtructos Ultrajectum miſere, ubi diœceſeos inferioris Ordinibus in domo capitulari majori congregatis eas legendas exhibuerunt, ac per Mag. Antonium a Kypholt eis indicarunt, Regem Hiſpaniæ conſiderasſe invaletudinem Epiſcopi Ultrajectini, quem ſi brevi contingeret decedere, verendum eſſet, ne rixæ inter ditionem Trajectinam, ac ſuas regiones Trajectinæ limitaneas orirentur. Cui rei ut adverſum eatur, ac utrinque in pace ac concordia regiones contineantur, eo uſque eum cum præſule tranſegiſſe, ut is conſtituiſſet Ultrajectinum Epiſcopatum dum in vivis adhuc eſſet abdicare, ac uni è ſanguine domus Burgundicæ reſignare, videlicet D. Philippo a Burgundia, qui & ab Hiſpaniarum Rege ad eum acceptandum requiſitus, ſuum conſenſum non denegarit. quo facto, Regem à Pont. Rom. ut eum brevi, quod vocant, Pontificio ad eam dignitatem admitteret impetraſſe. Quum autem niſi tota re cum diœceſanis communicata rem tantam peragere nolit Rex, petere eum peramanter, ut Ordines ejuſcemodi reſignationem ac tranſlationem Epiſcopatus in Philippum Burgundum ratam habere vellent. eſſe eum è domo Burgundica oriundum, unde hactenus præſules peti conſueverint, quæque ope ac auxilio eis ſæpenumero præſto fuerit, nec adoleſcentem nimis, nec ſenem, virtutibus inſuper clarum, publici eorum boni ſtudioſum, qui privilegia eorum ac immunitates defendere ac conſervare, & Eccleſiam Ultrajectinam magnopere ſublevare & exaltare in præcipuis habiturus eſſet, nulla nova onera eis impoſiturus, ſed ut bonum Principem decet ſe per omnia geſturus. Quod ſi amicæ Regis petitioni eos contingeret refragari, non tamen ſtatuiſſe Regem hoc negocium intermittere, ſed eis uſurum mediis, quibus ad præfixum ſibi ſcopum pervenire poſſet.

Ad hæc Ordines diœceſeos inferioris dixerunt, non decere ſe neque ſibi integrum eſſe ſuper hac re delegatis Regiis reſponſum dare, antequam cum Ordinibus diœceſeos ſuperioris de re tota communicaſſent, id quod propediem facturi eſſent.

Ordi-

Ordines inferioris diœceſeos bis terve de hac re ad Tranſiſalanos perſcripſerunt, rogantes ut honorificam legationem ad ſe mitterent, quo de re tota ſtatuere, & de communi ſententia Regi Hiſpaniarum reſpondere poſſent.

Quia autem Ordines Tranſiſalani nunquam ſuper hoc negocio fuerant requiſiti, viſum fuit Ordinibus inferioris diœceſeos chartæ committere quæ commode regi reſponderi poſſe arbitrarentur. eorum apographum ad Tranſiſalanos miſerunt, ut ſiquid in in iis diſpliceret communi conſenſu corrigeretur &c.

Anno CIↃIↃXVI. multa in diœceſi inferiori Ultrajectinâ celebrata fuere Comitia ſuper tranſlatione & conceſſione Epiſcopatus, cui ut aſſentirentur Ordines diœceſeos præſertim inferioris ægre admodum adduci poterant. Unde Hiſpaniarum Regis legati Tranſiſalanos ſibi conciliandos rati, Zwollam profecti ſunt, ubi ab Ordinibus, ut in tranſlationem conſentire vellent petiere, qui ſcripto petitionem illam, & reſponſum à ſe legatis datum, Ultrajectinis tranſmiſere.

Decanus Eccleſiæ cathedralis Ultrajectinæ cum ſuis omnem lapidem movit, ne in tranſlationem Ordines conſentirent. Rebus ita ſe habentibus in urbe Ultrajectina, nonnulli clam cum Gelriæ Duce egerunt, ut è conſiliariis ſuis eo quoſdam ablegaret, puta Doctorem Lange, & Commendatarium S. Ioannis Arnemiæ. Hi Ultrajectum profecti, Decano ſignificarunt, ſe Ordines conventos velle. is ergo Capitulum die Saturni poſt Luciæ ut conveniret effecit. ibi D. Lange prolixa oratione voluntatem Principis ſui ediſſeruit, prædicans deceſſorum ejus erga eos ac totam diœceſin benevolentiam, quam ii viciſſim illis conſtanter exhibuerint, quo medio utriuſque ditionis incolæ in pace ac quiete hactenus vitam egerint, quod ut deinceps fiat, Principi ſuo in votis eſſe ut quam maxime. Atque eo nomine ſeſe ab eo ablegatos adeſſe, ut ipſis indicarent, reſciviſſe eum ſumme reverendum, illuſtrem &c. Principem ac D. Fridericum Epiſcopum Ultrajectinum, Epiſcopatu ſuo vel ceſſiſſe jam, vel ceſſionem parare, idque in manus D. Philippi a Burgundia. id quod Principi ſuo præter omnem expectationem eveniat, quandoquidem idem D. Philippus, in ſe ſuoſque ſubditos malevolo ſemper animo fuerit, idque hoſtilibus actionibus Arnemiæ, in obſidione Wageningana & alibi paſſim oſtenderit, ubi ferro flammaque omnia egerit, tulerit, nec aliter adhuc affectus ſit, quam ut omnes vires in ſuam ſuorumque perniciem ſit exerturus. id quod Clem. Duci nullo modo tolerandum ſit. Ideoque monere eum, ne blandis Burgundi pollicitis aures accommodent, ſed privilegiis ſuis conſervandis invigilent, jus ſuum in eligendo novo præſule tueantur. Quod ſiquis ex eis hanc infractionem privilegiorum ac libertatis ipſorum permittere vellet, amicitia, pecunia, odio, invi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

invidia aliterve ad id faciendum inductus, ſciret id in indelebilem ignominiam & ruinam diœceſeos ceſſurum. Cui ut præverteret Dux Gelriæ, monere ipſum eos, ut pro ſua prudentia ejuſcemodi Epiſcopum eligerent, qui ſuæ Clem. ejuſque ditionibus minime ſuſpectus foret. Non quod eos edocere velit quid eis faciendum eſſet, ſed huc ſolummodo ejus petitionem tendere, ut talis eligi poſſit per quem utraque ditio in pace ac tranquillitate contineri, & diœceſeos jura conſervari poſſint. Quod ſiquis Princeps hoc nomine iis vi ac armis moleſtus eſſe vellet, ducem quicquid viribus, opibus, etiam cum vitæ diſcrimine valeret, ipſis in auxilium offerre. Sin autem & ipſi invito ſuo Principe, ac ſpretis ejus monitis, vel Philippum hunc, vel alium ſuæ Clem. ſuſpectum creaſſent præſulem, non poſſe id S. Clem. in aliam partem accipere, quam id fieri in contemtum ſui, unde turbæ, bella aliaque incommoda proculdubio eſſent oritura, quæ Princeps ſuus malit præcaveri, prout ea etiamnum præcaveri ab ipſis queant. Rogare ergo eum ut ſcripto ſuper hac re ſententiam ſuam declarent, qua cognita, quomodo ſeſe hac in re gerere debeat ſit perſpecturus.

Quum Friſia miſerandum in modum hinc à Burgundis, inde à Gelris vexaretur, ac unuſquiſque ſolicitus eſſet, quorſum tandem res evaſura eſſet, multi ex opulentioribus inde in Tranſiſalaniam & alio domicilia tranſtulerunt. Dominus quoque Florentius Comes à Buren, Stenovicam, conſentiente Epiſcopo, aliquot miſit milites, qui impedirent ne urbs derepente à Gelris invaderetur, utpote in limite Friſiæ ſita. Cumque militibus hiſce aliquot menſium deberentur ſtipendia à Bureno, urgebat Epiſcopus ut eis ſatisfaceret. qui viciſſim petiit ab Epiſcopo, ut tantiſper per cœnobia diſtribuerentur, donec pecunia colligeretur, utque operam daret ne Gelris à Tranſiſalania commeatus adveheretur, denique injungeret Tranſiſalanis civitatibus, ne quos è Friſia profugos apud ſeſe reciperent. Scripſit ſuper eo negotio Epiſcopus ad civitates Daventrienſem, Campenſem, Zwollanam, quæ reſponſum dedere, non videri ſibi illud rationi conſentaneum, portas ſuas cuilibet patere, quum adverſus neminem hoſtili animo eſſent, neque ſeſe de jure cuiquam id negare poſſe. Quod ſi alioqui uni parti præ altera favere deprehenderentur, atque inde ſibi moleſtiæ crearentur, non fore poteſtatem D. Florentio ſeſe iis liberandi, nec voluntatem ſeſe defendendi. Nec internoſcere ſe Friſios Gelricarum partium (quos vocabat) à reliquis. proinde petere ſe ut apud D. Florentium procuraret, ne is civibus ſuis hoc nomine incommodaret &c.

Præter hæc dictæ civitates Satrapam Vollenhovianum Georgium Schenckium per literas rogarunt, ut Stenovicanum præſidium per monaſteria diſtribueret, eo quod pecunia eis deficeret, & fides apud cives vacillaret. Id prorſus inconſultum Satrapæ viſum fuit, neque enim eſſe Epiſcopi Ultra-

jectini curam gerere militum Comitis Bureni. Utilius autem fore judicabat, ſi civitates, una cum civitate Stenovicana, ad præfectum Friſiæ literas darent, quibus peterent, ut is præſidium ad ſe revocare vellet, ob mala quæ alioqui metuenda eſſent, ſi in diœceſi Ultrajectina prædas agere occœpiſſet. literæ hæ ad eum ſunt miſſæ.

Ad hæc notum fecit civitatibus idem Satrapa, inaudiſſe ſe, Ducem Gelriæ Carolum, totam militarem turmam, ad quinque capitum millia, in ſua verba adegiſſe, nec cuiquam conſtare quo eam mittere in animo haberet. neceſſarium ſibi videri, ut Haſſeltæ, Vollenhoæ, Stenovicæ diligens haberetur cura. Non multo poſt Burgundi ad Stenovicam ſuas copias explicuerunt, ſed nihil quod ſcriptione dignum eſt effecerunt.

Hoc anno lingua Belgica Daventriæ edita fuit *Aurea corona Mariæ &c.* libellus ſuperſtitioſus, confectus à Patre quodam conventus Monialium in Mariengarde, Ordinis Benedicti, in quo tamen nonnulla ſunt adverſus diſpenſationes Pontificias. Refert inter alia, duos monachos è ſuo ordine Bullas à Papa impetraſſe, per quas ipſis liceret carnibus veſci, eorum alterum repente mortuum ſocio ſuo apparuiſſe, ac ſe ratione Bullæ ſuæ damnatum ſignificaſſe, cumque alter quæreret an non recte Bulla ſcripta fuiſſet, affirmaſſe, ſed hoc unum defuiſſe, quod Chriſtus ſigillum ſuum ei non appendiſſet. Aliud quoque exemplum habet, cujuſdam qui eodem modo ſe damnatum conquerebatur ob impetratas a Pontifice bullas, & interrogatus an perperam eæ ſcriptæ fuiſſent, reſpondit rectè quidem ſcriptas fuiſſe, ſed ſe miſerum incidiſſe in diabolum Germanici idiomatis, qui Latinam linguam non calleret, ideòque Bullas utpote Latine ſcriptas non potuiſſe impedire quo minus ipſum ſecum ad infernum raperet. exclamat autem auctor: *Eheu quantam hominum turbam diabolus iste Germanicus ſecum ad orcum abſtulit &c. qui non credunt quid ſcriptura hiſce de rebus tradat, ſed Bullis quas obtinuerunt nituntur!* De hoc ſcriptore plura habebimus ad annum cIↃ IↃ XXIV.

Anno cIↃ IↃ XVII. cohors militum imperio ſolutorum, Ducibus Reecalf, Dackſteyn, & Balthazaro Trevirenſi, ad ſeptem hominum millia, multas regiones pervagantur, omnia vaſtant. Cæſari, Hiſpaniarum Regi, Angliæ, Galliæ, aliis Principibus obſequia ſua offerunt, ſed nullibi voti compotes fiunt.

Tandem Dux Gelriæ Carolus delegatos ſuos ad eos mittit in regionem Keſſelanam, indicans, ſi ſub ſeſe militare velint, ſe ſingulis de pulvere tormentario proſpecturum, prædas liberas permiſſurum, & florenum cornigerum (ut tunc vocabatur) arrhæ vice daturum, in eam vero regionem eos deducturum ubi omnes diteſcerent, & quodcunque per exactiones poſſet nanciſci, id eis ſtipendii loco erogatum iri. Acceperunt imperium Gelri milites, quibus injungit ut ad regionem Tranſiſalanam prope Daventriam ſe conferrent.

Hi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Hi ergo Tubantiam intrant, Goram obſident. ubi, die Veneris poſt Regum, cum Senatu & civibus amico, ut videbatur, colloquio inſtituto, dum id habetur, oppidum ex improviſo occupant, & omnes in eo inventos miſerandum in modum trucidant. Quo Daventrienſes intellecto, rem totam Zwollanis & Campenſibus confeſtim ſignificant. tres civitates è veſtigio c c equites & c c c pedites Aldenſalam mittunt, ac præter eos, non exiguum ruſticorum numerum ex Tubantia.

Eodem menſe Dux Gelriæ Carolus, cum equeſtri ac pedeſtri manu in agrum Daventrienſem movit. Daventrienſes ſecretarium ſuum ad eum ablegant, quæſitum, quid ſibi de eo expectandum foret. eum Dux ipſe in monaſterio quod ter Hönnepe vocant, acceſſit, comitatus equitum ductore Goltſtenio, Ioanne Bentingio ſtabuli ſui præfecto, Mag. Arnoldo a Gruythuyſen, ac aliis compluribus. ibi Secretario affirmavit Dux, ſibi animum eſſe, cum Epiſcopo Ultrajectino ejuſque ditione pacem ac amicam vicinitatem colere, neque ullum regioni damnum importare, ſed æquum eſſe ut militi de cibo ac potu proſpiciatur.

Perrexit hæc turma Winſemium, ubi in monaſterio, & colonorum domiciliis pernoctarunt. Accepto autem à Duce in ſingula capita floreno cornigero, per Tranſiſalaniam in Friſiam ſe contulerunt.

Ordines diœceſeos inferioris, aliquoties à Tranſiſalanis flagitarunt, ut ſententiam ſuam ſuper tranſlatione Epiſcopatus tandem aliquando transſcriberent, ac quomodo de ea reſpondendum cenſerent ſignificarent, denique ut delegatos ſuos cum mandatis mitterent, qui ſecum ad aulam proficiſcerentur. ſed videntes Tranſiſalani, hoc agi ab illis, ut tota rei invidia in ipſos derivaretur, negarunt ſe vel hoc vel illud facere poſſe, niſi antea penitius ſibi de ſententia inferioris diœceſeos conſtitiſſet.

Quo illi intellecto, nihil reſcripſerunt, ſed delegatos ſuos D. Ioannem a Montfoort, Decanum S. Petri, ac plures alios clanculum ad aulam Burgundicam miſerunt, qui ibi muneribus ac promiſſis eum in modum deliniti fuerunt, ut omnino conſultum arbitrarentur, tranſlationem permittere, & recipere Philippum Burgundum in novum præſulem. Utque facilius id negotii procederet, apud ſuos quiſque amicos, ſcriptis literis rem pro virili commendarunt. Horum fuit ipſe Montfortius, licet antea nullo modo in tranſlationem ut conſentiret adduci potuiſſet.

Delegati diœceſeos inferioris, Ultrajectum ex aula Burgundica reverſi, cum tribus Ordinibus capitulum, ut vocant, celebrarunt, ubi decretum, in tranſlationem Epiſcopatus conſentiendum eſſe. Ad hæc Comitia nemo è ſuperiori diœceſi vocatus fuit, nemo comparuit, nec conſilium à quoquam eorum petitum fuit.

Vi hujus decreti D. Fridericus a Baden Epiſcopatum Ultrajectinum

Philippo Burgundo ceſſit, ac ſe eo abdicavit. Eodem autem anno XXIV Septembris die, circa horam VI. veſpertinam vita functus eſt.

D. Philippus a Burgundia, Ordines Tranſiſalaniæ rogavit, ut legatos ſuos ad inaugurationis ſuæ ſolemnia Ultrajectum mittere vellent Verum illi neminem eo ablegarunt, niſi è ſingulis civitatibus ſingulos Secretarios, qui Epiſcopo, ſuo omnium nomine, adventum in ſuas oras gratularentur, ac rogarent ut quamprimum in Tranſiſalaniam veniret.

Die Veneris, poſt Aſſumtionis Mariæ, circa meridiem, Epiſcopus perquam magnifice urbem Trajectenſem intravit, Comitatus mille circiter equitibus egregie ornatis. ac ibidem magna cum pompa fuit inauguratus. Poſtridie S. Michaëlis Enchuſæ, ac deinde Campis ſimili modo fuit receptus.

Die Martis à meridie, circa horam primam in equo Campis egreſſus, Daventriam cum Comitatu petiit, cum præcedenti Dominico die equites ipſius, Velavia peragrata Daventriam jam intraſſent. Ipſe in cœnobio Windeſemenſi pernoctavit, quo & aulicos ſuos ac officiarios citaverat, qui ſuæ in tribus civitatibus inaugurationi intereſſent. hi noctem in arce Suythem tranſegerunt.

Die Mercurii Daventriam intravit, ubi magnifice fuit exceptus. cives in armis ei occurrerant uſque ad molam ſubventaneam, ubi inauguratus fuit.

Die Jovis Epiſcopus Senatum Daventrienſem, cum matronis ac virginibus in publico œnopolio, convivio excepit.

Die Veneris Senatus Daventrienſis Epiſcopum ac cives in eodem œnopolio convivas habuit.

Die Saturni, & deinceps feſto S. Victoris, Daventriâ Campos contendit, ubi juramentum præſtitit in domo telonii, unde in urbem admiſſus, inauguratus, & lautiſſime exceptus fuit.

Tres civitates, Daventria, Campi, Zwolla, tria pocula argentea inaurata, è binis ſingula cyathis, ſe mutuo claudentibus affabre compacta fieri curarant, inſculptis urbium inſignibus, è quibus ſingulæ uno Epiſcopum donarunt.

Hinc Zwollam perrexit eodem fine. ubi die Jovis inauguratus fuit.

Mandarat Epiſcopus Satrapis, equeſtri Ordini, Prætoribus, & omnibus minoribus oppidis Sallandiæ, ut ante diem Veneris in loco dicto Spolderberch præſto eſſent, pro Domino ſuo ipſum ibi ſolenni juramento recepturi, præſentibus trium civitatum delegatis. quod & factum eſt.

Eodem die Epiſcopus Satrapam & multos ex equeſtri Ordine Sallandiæ, Satrapam Vollenhoviæ, trium civitatum delegatos, Senatum Zwollanum, ac multos alios ad convivium invitarat, quod turbatum fuit, allato ad præſulem nuncio, complures equites pediteſque, quibus non erant ſoluta ſtipendia, in Tubantiam irruiſſe. hi literis ad Epiſcopum & tres civitates datis, eis hoſtilia denunciabant. Hi poſt multa per Tubantiam ac Sallandiam inſolenter perpetrata, numerata nonnulla pecuniæ ſumma, quievere.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Hoc anno Daventriæ extructa fuit domus fratrum Gregorianorum. vulgo fratrum egenorum domus vocatur.

Anno cIↄIↄxviii. Dominica Reminiſcere Philippus Burgundus, in arce Vollenhoviana, in ſacerdotem, & Epiſcopum Ultrajectinum conſecratus fuit.

Die Junii xxvi. Epiſcopus prima Comitia judicialia in arce Vollenhoviana celebravit, quibus è Scabinis Daventrienſibus intererant Mag. Gerardus Swaefken, & Rodolphus a Twickelo.

xxviii dicti menſis prima Comitia cameræ ſuæ ibidem habuit, è Daventrienſibus Scabini iidem intererant.

Milites imperio ſoluti, qui nigræ cohortis nomine appellabantur, è Friſiâ profecti, diu in Tranſiſalania, prope Daventriam vagabantur, unde in Gelriam ac Cliviam ſe contulerunt, magno paſſim damno data. Hi à Gelriæ & Cliviæ Ducibus, & Comite Naſſoviæ fuſi, ac qui fuga ſibi conſulere nequibant, ſuſpenſi fuerunt.

xix Auguſti die Epiſcopus cum Ordinibus Tranſiſalaniæ jus in illa regione obſervandum in ordinem redegit, idque perpetuæ obſervationis eſſe voluit. Cui inter alia inſertum erat, nequa deinceps bona in Tranſiſalana ditione ſucceſſione devolverentur in perſonas clauſtrales, ſed ut eorum uſufructu ad vitam contenti eſſent, poſt eorum autem obitum ad hæredes ſeculares illa redirent. diploma quo jura hæc continebantur, à tribus primariis civitatibus obſignatum fuit.

Hoc anno Daventriæ excuſa eſt *Hiſtoria Joannis à Mandevill, Latine*.

Anno cIↄIↄxix. menſe Junio Daventriæ jactum fuit fundamentum laquearis ad manum dexteram templi D. Virginis.

Circa hoc tempus cives Campenſes Senatum illius urbis multis convitiis proſciderunt, ab eo publicas facultates dilapidari &c. criminantes. Ordines Tranſiſalaniæ tum temporis una cum Epiſcopo Daventriæ congregati erant, ubi è Campenſibus aderant Lubbertus ab Hattem, & Gerardus Borchertſen. cumque difficultas aliqua incideret Campenſes ac Zwollenſes delegati ad ſuos recedebant, cum iis conſulturi. quo facto, cum Magiſtratus Campenſis delegatis ſuis negotium de quo agebatur ad Ordd. & Præſulem commode referendum commendaret, illi, id ſe facere non poſſe reſponderunt, eo quod à civibus traducerentur ac ſi civitatis ærarium itinerando & epulando exhaurirent. precibus tamen collegarum tandem ut iterato ſe in viam darent perſuaſi fuerunt. Motus tamen civium in apertam ſeditionem erupit, in qua ſenatum ac ipſam formam regiminis mutarunt. Epiſcopus ut animos mitigaret Campos ſe contulit, ſed caſſo conatu. prout fuſe à *Bocopio* recenſetur.

XIX Decembris die Epiſcopus Ultrajectinus Daventriæ Comitia judicialia celebravit. quibus nomine Daventrienſium intererant Rodolphus a Twickel, Petrus a Mouwick, Mr. Gerardus Swaefken, Ioannes ten Hove.

Anno CIϽIϽXX. gliſcente Campis ſeditione, inſuper in bellum acerbiſſimum adverſus civitatem Zwollanam Campenſes incidere, ratione vectigalis, ſinui quem Aquas nigras denominant, à Campenſibus impoſiti, quandoquidem naves è mari quod ibi Auſtrale dicitur in Aquas nigras devehi non poſſent, quin loca quæ ad juriſdictionem Campenſem pertinebant tranſirent. Negabant Zwollenſes ſe vectigal illud ſoluturos, utpote rem hactenus inuſitatam. unde Campenſes navem Zwollanam areſto detinuerunt, ut viciſſim Zwollani cives aliquot Campenſes eorumque mercimonia, quæ dimittere nolebant niſi navi prius reſtituta. Senatus Campenſis intempeſta nocte Ioannem a Breda Daventriam ablegavit, qui Senatui ibidem, quod ſibi à Zwollanis contigiſſet ſignificabat. Daventrienſes protinus M. Gerardum Swaefken & Rodolphum a Twickel Zwollam miſerunt, qui cum Magiſtratu ibidem collocuti, Campos ſe contulerunt, ibique Senatui indicarunt, ſtare ſententiam Zwollanis, non dimittere cives Campenſes eorumve bona, niſi reſtituta navi cum vectura ſua.

Reſponderunt Daventrienſibus Campenſes, ſe navem illam non alio animo detinuiſſe, quam ut de cauſa in judicio cognoſceretur, & quod judicatum foret ei acquieſcerent. Quod ſi ex jure deprehenderentur injuſte navim detinuiſſe, ſe damni dati non modo ſortem, verum & uſuram perſoluturos, petentes interim, ut Zwollani cives ſuos, ſufficienti cautione præſtita dimitterent. Quibus intellectis Daventrienſes denuo Zwollam petiere, ac ſententiam Campenſium quam poterant commodiſſime ibi explicarunt. ſed cum nihil conveniret, re ad Campenſes perſcripta domum reverſi ſunt. Poſtmodum Epiſcopus quoque multis egit ut civitates reconciliaret, ſed fruſtra, unde atrox inter eas bellum exarſit.

XVI Januarii die Epiſcopus Daventriæ publice jus dixit.

XVII. Comitia judicialia ibidem celebravit. quibus è Scabinis Daventrienſibus intererant Petrus a Mouwick, Ioannes a Leyden, Ioannes ten Hove, Mr. Gerardus Swaefken.

XXX. Epiſcopus Comitia cameræ ſuæ ibidem habuit.

Eodem anno Comitia menſalia quæ vocant ibidem habuit, quibus intererant è Scabinis Daventrienſibus Io. a Leyden, Io. ten Hove, M. Ger. Swaefken, Rodolphus a Twickel.

XIII. Februarii Comitia cameræ ſuæ iterum celebravit Daventriæ, præſentibus equeſtri Ordine & Scabinis trium civitatum; nomine Daventrienſium intererant Petrus a Mouwick, Io. a Leyden, Io, ten Hove, M. Ger. Swaefken.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

xv Febr. denuo habita Comitia menſam ejus, & facultates cenſui obnoxias ſpectantia, his intererant, præter Ordinem equeſtrem, Petrus a Mouwick, & Io. a Leyden, tanquam perſonæ particulares.

Eodem anno Epiſcopus Campis Comitia cameræ ſuæ ſuper iis quæ modo memoravimus habuit. quibus, præter equeſtrem Ordinem, intererant tanquam privati, Petrus a Mouwick, M. Ger. Swaefken. *Bocop.*

xxvii Decemb. obiit Rever. Pater Dominus & Mag^r. Andreas de Venrade, S. ſedis Apoſtolicæ dum viveret Protonotarius, ac Eccleſiæ S.Lebuini Daventr. Præpoſitus. & deinde die Veneris proxime ſubſequente, videlicet penultima ejuſdem menſis Decembris, Rev. Pater, D. & Magr. Ioannes Inghen-Winckel, S. ſedis Apoſt. Protonotarius, ſanctorumque Victoris Xantenſis, Severini & Beatæ Mariæ ad gradus Colonienſis, & Ioannis Trajectenſis Eccleſiarum præpoſitus, dictæ præpoſituræ Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſ. per procuratores ſuos, ad hoc ſufficienti mandato ſuffultos, poſſeſſionem adeptus eſt. Winandus autem Pipherinck Canonicus dictæ Eccleſiæ Sancti Lebuini Daventrienſ. fuit conſtitutus prædicti Domini præpoſiti, & præpoſituræ Daventr. in ſpiritualibus & temporalibus Vicarius generalis. *Acta Præpoſ.*

Anno cIↃ IↃxxi. i Januarii, delegati Cæſaris Caroli V. Magr. Franco Cobelius & Henricus Spiringus Campos appulerunt, ibique ut Senatus cogeretur à Conſule pro tempore petierunt. quod & factum, coram quo comparuerunt, ac exhibitis primo fiduciariis literis Senatui ſignificarunt, placere S. Cæſareæ Majeſtati, ut civitates Campenſis ac Zwollana, quæcunque iis intercederet controverſia, tum quoad rem principalem tum quoad acceſſoria, in manus Principis ſui Epiſcopi Ultrajectini conſignarent, qui conſultis Ordinibus ſuis cis ac citra Iſalam, id quod jus & æquum eſſet de ea pronunciaturus eſſet. quo facto utraque civitas invicem pacem coleret, ac ab omni injuria abſtineret. Injuncturam autem Cæſ. Majeſt. Epiſcopo, ut inter hunc diem & proximam Pentecoſtem toti negotio finem imponeret. Campenſes, cum utroque Tribb. pleb. Collegio in placitum Cæſaris conſenſerunt. Inde ergo Cæſarei delegati Zwollam petierunt, ubi eadem promtitudine in Cæſaream petitionem aſſenſum eſt.

Epiſcopus ergo Ultrajectinus, una cum Deputatis Ordinum ſuorum ab utraque Iſalæ ripa, Daventriæ conveniunt. Huc Epiſcopus civitates inter quas contentio erat evocavit, quæ ſuos eo delegatos miſerunt. Epiſcopus & Ordines multum operæ in eo poſuerunt, ut eas inter ſeſe reconciliarent. quæ res cum lente procederet, tandem civitates cauſam ſuam in manus Principis ſui compromiſerunt. juxta tenorem inſtrumenti quod hiſce inſeremus.

Super contentionibus inter civitates Campenſem ac Zwollanam nuper exor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

exortis, tum ratione detentionis navium & telonii à Campenſibus invecti, tum & quarumcunque injuriarum quæ hinc inde acceſſerunt, Venerandus in Deo, generoſus Princeps, Dominus meus Ultrajectinus, utrique ſuæ civitati diem dixit, quo Plenipotentiarios ſuos huc Daventriam ad ſeſe ablegarent, prout & hodierno die fecerunt. Clementiſſ. autem Dominus noſter, de conſilio Ordinum utriuſque ſuæ ditionis, civitates ambas eo gravibus adductis rationibus permovit, ut controverſiam ſuam, tam quoad principale, quam quoad acceſſoria in totum ipſi, tanquam ordinario ſuo judici & naturali Principi, ſubmiſerint, decreta pœna confiſcationis omnium privilegiorum, quibus nomine Cæſaris ac ſacri Imperii hactenus fruuntur, & inclementiæ ac indignationis dicti ſui Principis, in caſu inobedientiæ adverſus ullam partem hujus tranſactionis. Hac tamen lege, ut à dicto Principe ac Domino ad eam vocentur utriuſque ſuæ ditionis Ordines, è quibus citra partium ſtudium ii delegabuntur quorum opera ac conſilio Princeps uti teneatur. Donec exhibitis ab utraque parte ſufficientibus documentis, ex jure de re tota ſtatuerit, intra hunc diem & Pentecoſten proximam, aut ſex hebdomadas poſt illam, pro ratione impedimentorum quæ Clem. Domino noſtro objici contigerit. Actum Daventriæ, die Martis poſt Pontiani Anno cIↃIↃXXI.

Hiſce peractis, Epiſcopus utrique civitati publicam pacem imperavit, utque eam promulgarent injunxit, cujus vigore neutri in alteros hoſtiliter agerent, ſub pœna compromiſſo contenta. Neve civitates ſe mutuo conviciis, famoſis libellis, cantilenis Satyricis &c. laceſſerent, ſub dicta pœna. Campenſes ex edicto Epiſcopi pacem publicari curant, Zwollani autem minime, nec ulla ex parte decreto Epiſcopi paruerunt, prædicantes paſſim, ea lege ſe cauſam ſuam ſubmiſiſſe Epiſcopo, ut naves ſuæ ab omni telonio immunes, libere ex Aquis nigris in mare Auſtrale & hinc illuc commearent, veteri more: idque tam Decanum cathedralis Eccleſiæ, quam S. Petri in Ultrajectina civitate (erant hi Epiſcopi Vicarii) ſibi pollicitos eſſe.

Convocarat Epiſcopus Daventriam comitia ſuorum Ordinum, quo Campenſes Lubbertum ab Hattem, & Ioannem a Vechta ablegarunt, quibus in mandatis dederant, ut per libellum ſupplicem hæc ita à Zwollanis ſpargi ſignificarent, ac an res ita ſe haberet ab eo ſciſcitarentur, cum ejuſmodi promiſſi prorſus inſcii eſſent. quo facto Epiſcopus palam, præſentibus Ordinibus, ac audientibus civitatis Zwollanæ delegatis, falſum id eſſe dixit, neque promiſſum id eſſe Zwollanis, neque ſe quicquam tale dixiſſe, aut in animo habuiſſe. paratum ſe eſſe una cum delegatis Zwollam petere, eo Decanum Eccleſiæ cathedralis, & Decanum S. Petri per litteras evocare, ac eis præſentibus id ipſum coram toto Senatu profiteri. quod cum minus placeret, uterque Decanus Daventriam evocatus eſt.

Quo

Quo cum appuliſſent, Epiſcopus eis palam in comitiorum conventu indicavit, quo fine eo citati eſſent. re intellecta, excuſarunt ſe Decani, ſeque tale quid Zwollanis promiſiſſe inficiati ſunt. neque unquam id ex veritate pro batum iri dixerunt. Quibus auditis, Epiſcopus Zwollanis injungi curavit, ut pacem promulgarent, à mercimoniis telonio obnoxiis in Aquas nigras invehendis, aut inde evehendis abſtinerent, tantiſper dum de tota re decifum foret, quo facto vel ſententiæ obſequi, vel ante eum diem, cum Campenſibus aliter, de voluntate utriuſque partis tranſigere eis integrum eſſet.

Delegati Zwollenſium hiſce Epiſcopi verbis acquieſcere detrectarunt, & ira repleti palam repetierunt, utrumque Decanum ſuis promiſiſſe, naves ipſorum veteri more libere commeaturas eſſe, nulla addita exceptione.

Epiſcopus cum equeſtri Ordine, & Daventrienſibus delegatis, magnam adhibuerunt diligentiam, ad rationem ineundam quomodo ſe Zwollani uſque ad cauſæ deciſionem gererent. Verum illi clam, inſalutato Epiſcopo, diſceſſerunt. Scripſit ergo Epiſcopus ad civitatem Zwollanam, die purificationis Mariæ, velle ſe, ut Dominica proxima pacem publicarent, prout & delegatis Campenſibus injunxiſſet. conſtare enim ſibi delegatos eorum non Zwollam, ſed alio profectos eſſe. Dicto die Campenſes pacem promulgarunt, Zwollani autem minime.

Delegati urbis Zwollæ, Daventriâ recta Ultrajectum petierunt, ubi capitulum congregari fecerunt, cui & Decani, de quibus ante, intererant. Eos interrogarunt, an non verum eſſet, antequam in compromiſſum ſuper telonio à Campenſibus invecto conſentirent, Decanos illos Zwollenſibus promiſiſſe, fore ut ſtante compromiſſo naves ex Aquis nigris in mare Auſtrale veteri more commearent, tantiſper dum res tota deciſa eſſet, idque nulla addita reſtrictione: Id quod uterque Decanus coram toto capitulo faſſus eſt ita habere, licet id ambo publice Daventriæ, coram Epiſcopo, legatis Majeſt. Cæſareæ, equeſtri Ordine, ac trium civitatum delegatis negaſſent.

Zwollani petito & accepto hujus rei teſtimonio, ab Epiſcopo poſtea flagitarunt, ut ejuſmodi promiſſa factis implerentur. Epiſcopus Decanum utrumque denuo citavit, ac de hoc negotio interrogavit, qui iterum factum negarunt, falſum id & ementitum eſſe aſſerentes. Zwollani, veritatis fiducia nixi, vel promiſſa ſibi repræſentari, vel à compromiſſo abſolvi & literas à ſeſe ſubſignatas ſibi reſtitui poſtularunt. reſpondit Epiſcopus, promiſſum illud ſuo injuſſu factum eſſe, ſeque ad dicendam ſententiam progredi ſtatuiſſe.

Quo fine, civitates Campenſem ac Zwollanam, tribus diſtinctis vicibus ac tandem peremtorie citari curavit, ut, vigore compromiſſi, omnibus quæ ad cauſam ſuam pertinerent, inſtructæ Ultrajecti ſe ſiſterent. Campenſes

per

per negotiorum ſuorum geſtores ad ſingulas citationes comparuerunt, Zwollanis emanentibus, & per literas ad Epiſcopum datas petentibus, ut promiſſis ſtaretur, alioqui ſe coactum iri alium quempiam advocare, qui ſeſe in juſta ſua cauſa defenderet. ac ab illo tempore cœperunt agere cum Gelriæ Ducẽ.

Poſt hæc Campenſes, ad inſtantiſſimas petitiones Epiſcopi & Ordinum inferioris diœceſeos, Zwollanis permiſerunt, ut naves ipſorũ, uſque ad deciſionem controverſiæ à telonio immunes eſſent, ea tamen legẽ, ut ſi Campenſibus jus telonii illius fuiſſet adjudicatũ, Zwollani etiam illius interſtitii telonium reddere tenerentur̃.

Accepta conditione injunxit Campenſibus Epiſcopus, ut actionem ſuam adverſus Zwollanos inſtituerent, quo facto, ſequuta eſt Zwollanorum reſponſio, Campenſium replica, Zwollanorum duplica.

Hæc dum agitantur, Cæſar cauſam ad ſuum tribunal pertrahere molitus eſt, quod Campenſes per literas & delegatos deprecati ſunt, Zwollani autem nec mandati Cæſarei rationem habuerunt, nec quenquam è ſuis ad eum̃ ablegarunt. id quod poſtea ſcripto excuſarunt̃.

Die Mercurii in profeſto S. Margaritæ, ſub veſperam, Michaël a Pannerden, Satrapa Hattemenſis, nomine Caroli Gelriæ Ducis, cum equitum & peditum manu Zwollæ intromiſſus fuit. Hi una cum Zwollanis primo aſtu, deinde obſidione Haſſeltam intercipere conati ſunt. Haſſeltani de re tota Campenſes certiores fecerunt, ac annonam & præſidiarium militem ab eis petierunt. Campenſes eis ſeptem onera ſiliginis & primo centum milites, mox quinquaginta alios è civium ſuorum numero miſerunt̃. rogaruntque Daventrienſes ut & ipſi ſimilia præſtarent. qui LXX milites & VIII. ſiliginis onera Campos miſerunt, quæ ut Haſſeltam deferrentur à Campenſibus curatum fuit̃.

Zwollani Carolum Gelriæ Ducem, certas conditiones ſtipulati, in protectorem ſuum receperunt̃.

Friſii quum Gelricis partibus faverent, navibus ſuis Campos appropinquarunt, & navem mercibus Daventrienſibus & Campenſibus onuſtam̃ avexerunt. Id vero inexpectatum civitatibus accidit, quibus nihil cum Friſiis controverſiæ intercederet, quibuſcum amice ac pacifice hactenus egiſſent, imo in omnibus eorum neceſſitatibus manus eis auxiliatrices commodaſſent. idcirco Snecanos per litteras monuerunt, ut præteritorum beneficiorum memores operam darent quo civibus ſuis cum ſumma injuria erepta reſtituerentur. ſed nihil obtinuerunt̃.

Hermannus ab Iſſelmuden, loco D. Georgii Schenckii (quem Carolus V. Imperator Friſiæ præfectum dederat) Satrapa Vollenhoviæ conſtitutus, à Gelris & Zwollanis, in loco cui nomen den *Oort*, juxta Gennemudam, op-

preſſus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

preſſus ac cæſus eſt. Cum autem is civitatibus jusjurandum non præſtitiſſet, nec fidejuſſores, ut mos erat, conſervandæ ac reſtituendæ arcis nomine repræſentaſſet, Domino autem Schenckio nummi quibus eam oppignerarat nondum eſſent redditi, neque fidejuſſores ejus promiſſis adhuc ſoluti, multam diligentiam adhibuit, ut id fieret, quæ res magnas difficultates habuit. Tandem Epiſcopus de conſenſu duarum civitatum, Daventrienſis & Campenſis, Borchardum a Weſterholt loco defuncti Satrapam conſtituit, qui civitatibus dicto ſacramento, & datis fidejuſſoribus, Schenckio nummos de quibus dictum eſt reſtituit.

Carolus Gelriæ Dux, Zwolla in ſuam poteſtatem redacta, omnem movit lapidem, quo Tranſiſalaniam ſuis ditionibus adjungeret, ac civitates, præſertim, Daventriam & Campos ita arctaret, ut deſerto Ultrajectino, ſuum imperium ſubirent. Hoc fine è regione Daventriæ duo propugnacula vallo & foſſis munitiſſima Iſalæ impoſuit, quorum alterum *Altena*, (id eſt, plus æquo vicinum) alterum *Kijck in de pot*, (id eſt, ollæ inſpectorem) nominavit. Ex iis urbi vehementer incommodavit, ipſas civium domos globis tormentariis inde emiſſis quotidie infeſtans. Ex altera parte Daventrienſes omnia ad bellum expedire, de ſariſſis & reliquo telorum genere ſibi proſpicere, tormenta ipſi fundere, urbem in quatuor regiones partiri, molam farinariam circumducto vallo munire, ac reparatis ruinoſis, ad ſui defenſionem intenti eſſe.

Epiſcopus hac rerum facie auxilii indigus, è Tranſiſalania in Brabantiam ad Cæſarem ſe contulit, ipſius opem implorans, ſed nihil ab eo præter pollicitationes retulit. Quum interea Gelrus univerſam Tranſiſalanam regionem vaſtaret, reditus ejus omnes ad ſe contraheret, exactionibus pro libitu colonos gravaret. unde omnia civitatibus deficiebant. Epiſcopus autem ad eas è Brabantia perſcripſit, ſe ad exiguum adhuc temporis iſthic apud Cæſarem hæſurum eſſe. verum civitates ejus reditum ad ſuos urgere, ſe vita ac facultatibus ſuis ei affore promittentes. Quumque vererentur ne Zwollani ope Gelrorum Stenovicam interciperent, conſentiente Ioanne Cruſio Sallandiæ quæſtore, centum militum turmam eo miſerunt.

Tandem Epiſcopus, ad inſtantiſſimas petitiones Tranſiſalanorum, Quæſtori ſuo Io. Cruſio aliquot florenorum millia tranſmiſit, petens ut iis ſuo ſumtu milites aliquot conſcriberent. ſuper quo negocio civitas utraque cum equeſtri Ordine convenerunt, ubi ſtatutum, Io. Cruſium Sallandiæ Quæſtorem, & Wilhelmum a Dotichem Daventriæ Prætorem, ſupra militarem manum quæ Ordinum ac civitatis ſtipendiis militabat, adhuc tria peditum ſigna, & CL. equites conſcripturos. quod & factum.

Ioannes Cruſius & Guil. a Dotechem die Lunæ poſt Exaltationis crucis cum hiſce militibus Campos devenerunt, erat autem profeſtum S. Lamberti,

 ubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ubi Ordo equeſtris una cum delegatis Daventrienſis & Campenſis civitatum, adhibitis etiam eodem Cruſio & Dötechemio, conſultabant, ubinam primo hac equitum & peditum manu utendum eſſet. hic ſententiæ variabant. Daventrienſes & Campenſes eos adverſus hoſtem in ipſa Tranſiſalania hærentem mittendos cenſebant, at Quæſtori Sallandiæ, itemque Prætori Daventrienſi conſultius videbatur, eos in hoſtico, id eſt in Velaviæ tractu occupare, ut inde abacta quantam poſſent præda, & pecunia per exactiones corraſa, milites quibus parce ſtipendia erant numerata, eo alacriores & dicto audientiores haberent. quæ ſententia obtinuit.

Die S. Matthiæ, erat autem dies Mercurii in jejunio quatuor temporum ut vocant, Io. Cruſius & Guil. a Dötichem cum equeſtribus ac pedeſtribus copiis ſummo mane inter tertiam & quartam horam, Campis egreſſi in Velaviam ſe effuderunt, cumque tenebræ adhuc eſſent iis egreſſuris, omnibus & ſingulis urbis incolis injunctum erat, laternas cum candelis ardentibus præ foribus ſuis ſuſpendere, quibus caligo diſcuteretur.

Simul in hoſtilem agrum hi milites pedem poſuere, incendiis in colonorum ædes cœperunt graſſari, ipſos ruſticos captivos abducere, pecora abigere, ita ut ad quingenta hominum, & quinquies mille boum corpora captiva ſecum traherent, quibuſcum omnia incendiis fœdantes, Elburgam prætervecti, ad Aperloam pagum contenderunt.

Dux Gelriæ, qui hoc tempore Hattemi erat, & futuram hanc expeditionem jam ante reſciverat, ſe ipſum quoque in eum caſum præparaverat, trecentis equitibus & mille octingentis peditibus, ac præterea omnibus Velaviæ ruſticis in unum contractis, qui hoſtem præſtolarentur. Aperloæ autem in ædibus milites nonnullos occultarat, inſciis totius hujus rei Tranſiſalanis. Quibus Aperloam adventantibus, Dux Gelriæ cum ſuis in eorum quoque conſpectum venit, Cruſius & Dotechemius cum equitum turma loco edito, & ſepimento munito conſiſtebant, peditibus in declivi ante eos diſpoſitis, ac Gelris tamdiu progrediendi copiam fecerunt, donec & ſolem & ventum à tergo haberent, quam opportunitatem nacti Gelri, ab utroque in eos latere irruerunt, ſclopetariis qui per domos diſtributi fuerant, globulorum nimbum in eos exonerantibus. acri commiſſo prœlio, Gelri tandem victoria potiti ſunt. multi utrinque deſiderati, quorum maxime conſpicui, è Gelris, Hermannus a Velen Satrapa Comitatus Zutphanienſis, & Regnerus ab Aernem. è Tranſiſalanis nemo alicujus nominis occubuit, præter Houwermannum a Coevorden.

Wilhelmus a Dötichem Prætor Daventrienſis, clade ſuorum conſpecta, equo ſe dejiciens, ſub veſtitu ruſticano ſe occultare conatus eſt, ſed non diu latere potuit, quin ipſe una cum Io. Cruſio & centum equitibus captivus Hattemum ad Ducem Gelriæ perductus fuit, à quo uterque caveæ ligneæ, quæ

quæ Waſſenarii dicebatur, (quod in ea Carolus Dux Dynaſtam Waſſenariæ, cui erat peroffenſus, diu captivum tenuerat) incluſus fuit.

Hæc cavea, à Carolo ita erat formata, ut longitudinem haberet pedum ſeptem, eam autem altitudinem, ut in ea vir erecto corpore ſtare poſſet, latitudinem vero haud majorem, quam ut lectus inſuper cum ſedili in eadem haberentur: Cæterum circumquaque columellis ferreis haud aliter erat communita, quam ſi in ea fera quæpiam ſervanda foret. Habebat præterea feneſtellam, per quam patina & cantharus tranſmitti poterant. Eratque in medio denſiſſimæ turris lapideæ ita aptata ac poſita, ut ad fornicem adduci ac reduci demittique per funes machinamque poſſet. Et adeo cum prandendum captivo aut cænandum erat, demittebatur, atque inde viciſſim in altum verſus fornicem reducebatur.

Dimiſſo autem commodum è ſua captivitate Waſſenario, Cruſius & Dotechemius, ut diximus, in hanc caveam ſunt conjecti, nam & in eos periniquo animo erat Dux. qui Cruſium conſpicatus, Itane inquit, Domine Quæſtor? iſticcine te video? ſcio te pecunia abundare. reſpondens ei Cruſius, Sane, inquit, clementiſſime Princeps ac Domine, tempus fuit, quo ejus haud exiguam ſummam, clementiſſ. mei Domini nomine in numerato haberem. cui Carolus, alias inter nos (inquit) latius colloquemur. Cum autem ad tempus ibi detenti fuiſſent, Arnemium perducti, cuſtodiæ quæ eſt in fornice portæ D. Ioannis fuerunt traditi, ubi Io. Cruſius uſque ad VI. Nov. Anni CIƆIƆXXII. permanſit. quo tempore permiſit ei Doct. Winoldus ab Aernem, nomine Ducis Gelriæ, ut egreſſus pretium redemtionis ſuæ afferret.

Io. a Twickello cum multis civibus Campenſibus & ruſticis Tranſiſalanis, Aperloæ captivi facti ſunt.

Fugientibus hunc in modum Tranſiſalanis, Ioannes a Welevelde cum multis aliis Daventriam intravit, cumque interrogaretur de ſucceſſu expeditionis, reſpondit *Perdita* eſſe *omnia*, id quod nonnulli è turbulenta plebe cum audiſſent, ita acceperunt, ac ſi *prodita* eſſe *omnia* aſſeruiſſet. ac addiderunt, Senatum Daventrienſem patriam prodidiſſe, ac nominatim, Petrum a Mouwick Conſulem Zwollam pulverem tormentarium miſiſſe. quo divulgato rumore, concurſu facto, campanæ impelluntur, curia invaditur, januæ & arcæ effringuntur, portarum claves iis exemtæ cuidam è turba traduntur, conclave ubi archiva urbis aſſervabantur, ſpoliatum, publica litterarum monumenta concerpta. direptum & gazophylacium in quo argentum publicum cuſtodiebatur. ac nihil ibi reſidui factum. Inde eodem impetu ædes Petri a Mouwick, ac aliorum è præcipuis occupantur, ubi multa per ſummam inſolentiam perpetrata. Poſtridie tympanorum ſono publicatur, omnibus qui ſuam ſalutem cum ſalute civium conjunctam velint, in forum majus,

quod

quod Brinconem vocant conveniendum. Hinc tribb. plebis omnes dignitate moverunt, quorum loco è ſingulis fraternitatibus (uti vocant) binos elegerunt, qui ad curiam profecti, quatuordecim è Senatu ejectis, alios pari numero eis ſubſtituerunt. decem reliqui ſeſe in foro civibus adjunxerant. Hiſce factis, cives iis qui Senatu moti erant liberum commeatum dedere, ad ſeſe veniendi, ac cauſam ſuam, ſi poſſent, defendendi. Petrus itaque a Mouwick, palam circulum ingreſſus, poſtulavit, ut ſiquis quicquam adverſus ſe haberet, id coram toto cœtu proferret atque etiam demonſtraret, nullius ſeſe ſilentium petere. Quod ſi culpa ſua talis eſſet, ut capite luenda videretur, præſto ſe habere quo è veſtigio ſatisfaceret, ſin pecunia, non deeſſe ſibi quo multam exolveret. denique hoc unnm ſe flagitare, ut ſi nocens deprehenderetur, ea in ſe exempla ſtatuerent, quæ alios à ſimili facinore deterrere poſſent. Ad tam maſculam vocem omnes obmutuere. & ad ſaniora conſilia converſi, perperam geſtorum prius ἀμνηστίαν pacti, nec ſe in quemquam paſſuros eam ob cauſam inquiri, mutuo ſacramento obſtricti, ab ulteriori motu quieverunt, & quod unum poterant, rapti argenti quantum inveniri poterat curarunt reſtitui.

Hærebat per id tempus peculiaris inter Daventrienſes ac Gelriæ Ducem Carolum controverſia, nomine pontis, ut & turris, quam illi in flumine ac territorio illius (ut ipſe ajebat) poſuerant: unde ille ſibi ſuæque juriſdictioni haud levia detrimenta allata fraudemque factam cauſabatur. Hanc tamen controverſiam rejicere ſe, interceſſione quorundam amicorum profitebatur in v hoſpitalia Ultrajectenſium, ac Præſulis conſiliarios aliquot, ut illi, præſentibus nomine ipſius Senatoribus nonnullis oppidi Zutphanienſis, de ea cognoſcerent: Interim Daventrienſes turrim ſolo æquarent, ſe vero fidejuſſores daturum, de ea ſuis ſumtibus inſtauranda, ſi cauſa cecidiſſet. Denique poſt pronunciatam de ea lite ſententiam inducias aliquot menſium fore, ſed ea lege, ut nec Haſſeltanis, quod antehac feciſſent, nec ullis ipſius hoſtibus, nec ipſi quidem Præſuli ſuo, ſiquid ab eo in Gelros hoſtile moveretur, adjumento eſſent. Sed eæ leges Daventrienſibus minus probatæ ſunt, & Senatus ac Tribunorum plebis decreto rejectæ, Dominica poſt Ægidii.

Gelriæ autem Dux, cum de turbulento Daventriæ ſtatu ad eum perlatum eſſet, eam occaſionem non amittendam ratus, Velavia movens, omnes ſuas copias ad Daventriam poſuit, tormenta graviora è regione pontis ac turris erexit, iiſque impetum in utrumque convertit. Erat hæc turris ad caput pontis quo oppidum, quod ad Iſalæ ortivam ripam eſt ſitum, cum Velaviæ regione connectitur, aderatque vallum ibidem, quo pons turriſque præcingebantur. Eo occupato, dejectoque præſidio, turrim ipſam, ſuæ poteſtatis factam Gelrus diruit. ſimul ignem ponti injecit, quo pene pars ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ejus altera in totum conflagravit. Munimentum quod Daventrienſes ibidem habebant (*het Blockhuys* vocabatur) intercepit ac firmavit. Hac urbi Daventrienſium illata calamitate ad ſua Gelri rediere. Oppidani, unum è munimenti quo pontum præcinctum diximus, præſidiariis, proditionis inſimulatum, poſtquam in urbem rediiſſet, quaſi cum hoſte de turri tradenda fuiſſet pactus, extremo affecere ſupplicio.

Habebant Daventrienſes haud procul urbe ſua turrim aliam ſpeculatoriam, quam *'t Koerhuys* vocant, milite munitam. & hanc invaſit Gelrus, præſidiumque trucidavit.

Die Mercurii poſt Simonis & Judæ delegati quidam à Senatu Daventrienſi fuerunt, ad mutuo ſumendam pecuniam à capitulo & monaſteriis urbanis. opificum manuariorum tyrones quicunque è Gelria oriundi erant, ſtudioſi pauperes, mendici, itemque famuli ſacrificulorum urbe ejecti cc l. pedites & l. equites in verba civitatis adacti. ſcalæ & plutei mœnibus applicati, eadem, ut & turres reparatæ, naves omnes in portum contractæ.

Die Martis poſt Andreæ, turma equeſtris Domini a Rockendorf in urbem admiſſa, ac per hoſpitia diſtributa, ac ſi quo caſu deficerent ſtipendia, fides magiſtratus apud hoſpites, pro ſolutione eorum quæ inſumturi eſſent, interpoſita. item c c. modii ſiliginis mola comminuti, ut militibus extra urbem commorabantur eſui eſſent. pretium modio ſiliginis florenus aureus ſtatuebatur. Ab Hoſpitali S. Spiritus mille ſiliginis modii mutuo ſumti, ut iis inter equitum peditumque copias, una cum panno, diſtributis, eæ dicto audientiores haberentur. Omne frumentum, ac inſuper omne butyrum peregrinorum deſcriptum, ac in publica horrea comportatum, mœnibus circumjectæ loricæ, ad quas conficiendas, materia, ubicunque ea inveniebatur, deſumta. ac deliberatum, qua ratione in proximum pontem Zutphanienſem ignis injici poſſet. In ejuſdem urbis agrum facta excurſione, oppidani ejus aliquot intercepti, & cuſtodiæ traditi. Gelrorum tunc quoque ſtatio loco depulſa.

In hunc annum incidunt ſanguinolenta Caroli V. edicta, inconſultis Ordinibus in Belgio condita, quorum vi ſupra l. hominum millia ibidem religionis ergo ſuppliciis affecta fuerunt.

Florebat tunc Daventriæ Ioannes Ooſtendorpius, de quo hæc habet Noviomagus: Mag^r. Iohannes Ooſtendorpius Canonicus templi D. Lebuini Daventrienſis, vir multo ſtudio longaque experientia doctiſſimus, adoleſcens admodum Weſſelum Groningenſem (qui lux mundi vulgo dicebatur) ſenem adiit, & inter cætera ab eo audivit, quaſi jam quod futurum erat providente: Studioſe adoleſcens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentioſorum iſtorum Theologorum, Thomæ, & Bonaventuræ, & aliorum ejuſdem farinæ, ab omnibus verè Chriſtianis Theologis

logis explodetur. Id ego à jam caneſcente Oſtendorpio in templo D. Lebuini audivi. Anno c I ɔ I ɔ x x. x Kalend. Mart. Hæc Noviomagus. Hoc vaticinium editis Weſſeli operibus adjunctum eſt. *Cat. Teſt. verit. l. 19. in Weſſelo, p.* 1509.

Anno c I ɔ I ɔ xxII. x Febr. Deliberatum Daventriæ de dimittendo extraneo milite. Decretum inſuper ut una tantum porta pateret.

Die Veneris quatuor temporum ſiligo quæ in penuario publico aſſervabatur, ad ſatisfaciendum hoſpitibus apud quos milites diverterant, vendita xxxII ſtuferis in ſingulos modios, & ſingulis pro ratione ſegetum quas intra urbis juriſdictionem poſſidebant, cenſus imperatus.

In feſto Palmarum ſtatutum, ut omnes domus, tam Eccleſiaſticæ quam ſeculares cenſum penderent, exceptis gerontodochio, hoſpitali S. Gertrudis, altero hoſpitali dicto de Voorſt, noſocomiis S. Spiritus & S. Eliſabethæ. item ut reditus poſſeſſionum quæ ad Gelros pertinebant, in uſum civitatis converterentur. Utque ad Vinſemienſes ſcriberetur, quo ſe excuſarent, ni facerent, ignis eorum ædibus injiceretur. Denique necui liceret neutri parti addictum vivere.

Die Martis poſt Pentecoſtes, quæſivit Senatus è Tribb. pleb. cenſerentne de pace aut induciis agi poſſe? qui reſponderunt, id ſibi non diſplicere.

Die Saturni poſt Sacramenti, viſum fuit Senatui, quod ad neutralitatem attinet, non poſſe inhiberi quominus ea à Principe permittatur, cumque jam multis Magnatibus ſit conceſſa, non eſſe conſultum eam violare.

Interim decretum, ut quicunque hoc bello in agro libere commorati fuiſſent, tenerentur pecunias ad uſum publicum conferre. hæc ex Archivis Tribb. pleb.

Eodem anno regimen Campenſe mutatum fuit, & Senatus electionem Tribunorum plebis ad ſeſe recepit. *Bocop.*

Menſe Aprili Cæſar Carolus V. Gelros, Friſios, ac Zwollanos, tanquam rebelles per totum Belgium publice proclamari fecit.

Ordo equeſtris Tranſiſalaniæ, & duæ civitates, Daventrienſis ac Campenſis, una congregatæ, in medium conſuluere quid ſibi reſtaret agendum. Alterutrum enim faciendum, vel pedites equiteſque conſcribendi, aut ii ſuppeditandi ab Epiſcopo, aut permittendum ut univerſa regio Tranſiſalaniæ fieret poteſtatis Gelrorum. Hac de cauſa Secretarios Daventrienſem & Campenſem ad Præſulem in aula Cæſarea hærentem ablegarunt, ubi & Lubbertus ab Hattem Conſul Campenſis tunc temporis erat, cum mandatis, ut palam ei per eundem Lubbertum, ipſis præſentibus ſignificarent, niſi ditioni Tranſiſalanæ opem ferret, ſe coactum iri de rebus ſuis eum in modum ſtatuere, ad quem alioqui non libenter devenirent. Secretarii ad aulam

pro-

profecti, Lubberto ab Hattem ea quæ in mandatis habebant expoſuere. Lubbertus iiſdem præſentibus, prolixe onera ſub quibus ditio Tranſiſalana ac duæ civitates gemebant Epiſcopo propoſuit, ac publice dixit, niſi pecunia, equeſtri ac pedeſtri manu ſubſidio venerit, non poſſe ſe diutius ſubſiſtere, & ad ea conſilia neceſſario proceſſuros, de quibus alias non facile cogitarent.

Hiſce auditis Epiſcopus, vehementiſſime apud Cæſarem inſtitit, qui auxilia ei large promiſit, ac ſe eum in finem Balivum Brabantiæ in Tranſiſalaniam miſſurum recepit. Cum hiſce pollicitis Epiſcopus Secretarium Campenſem Mag. Ioannem a Breda, die Lunæ ante Kal. Maji ab ſe dimiſit. monens, ut eundem Balivum, Enchuſam propediem venturum, navibus ad bellum inſtructis exciperent. Ad quæ reſpondit Secretarius, diſpliciturum Ordinibus ac civitatibus Tranſiſalaniæ, quod abſque S. Clem. domum redirent. Sed Epiſcopus, ſibi adhuc ad tempus ibi commorandum affirmavit, quo pecuniæ quantum ſatis eſſet, ſi poſſet, conficeret. quod ſi nunc derepente recederet, timendum ne omnes ſuæ ſollicitationes in ventum abirent. ita Io. a Breda Amſtelodamum ſe contulit, Lubbertus autem, & Secretarius Daventrienſis apud Epiſcopum remanſerunt. Campenſes navibus ſuis bellicis Balivium cum Comitatu ſuo ad ſeſe accerſivere.

Carolus V. Cæſar Epiſcopo CIↃCCLX. milites Germanos, qui ſibi diu militaverant, ſuppetias miſit, qui Daventriæ appropinquarunt, ubi eos acceſſit Balivus Brabantiæ, quicum per aggerem Cotenam uſque proceſſerunt, ubi propugnaculum habebant Zwollani, vocabatur militari joco *den Luyſebos*, id occuparunt, disjecerunt, ac immiſſo igni ſolo æquarunt.

Inde Haſſeltam uſque progreſſi, ubi Gelricum erat propugnaculum, *Corſhuyſen* nomine, etiam illud in poteſtatem redegerunt.

Inde Gennemudam, ubi obſidionem ſolvit Dux Gelriæ, & Cæſarianos fudit.

Quum Bruxellâ nec pecunia deinceps nec miles mitteretur, Daventrienſes & Campenſes Secretarios ſuos, M. Henricum, & M. Ioannem a Breda iterato ad Epiſcopum ablegarunt, breve & categoricum reſponſum flagitaturos, num auxilia ipſis mittere vellet poſſetve, adjunctis proteſtationibus quales ſupra vidimus. idem agere juſſi erant & egerunt apud Dominam Margaritam a Burgundia, præfectam harum regionum. quæ delegatos remiſit ad Comitia propediem celebranda Dordraci.

Daventrienſes, die Veneris poſt ipſorum encœnia, Satrapam Lochumenſem cum undecim aliis, qui (ad moliendum adverſus ipſos quiddam) in equis advenerant, cœperunt, ac captivos in urbem adduxerunt.

Dux Gelriæ Covordiæ & Gramſbergæ arces occupavit.

Die IV Septemb. Zutphaniæ conventus fuit inter Gelriæ & Tranſiſalaniæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

laniæ delegatos, quo via tentaretur ad tolerabilem cum Duce tranſactionem ac pacem. comparuerunt hic Conſiliarii Ducis Gelriæ, equeſtris Ordinis Tranſiſalaniæ, ac duarum civitatum, Daventrienſis & Campenſis delegati, una cum duobus earundem civitatum Secretariis. ubi negotium hoc utrinque multis ventilatum, ſed nihil admodum convenit. itaque dies illius menſis XVIII condictus, ad ibidem rem amplius diſcutiendam. cum utraque pars denuo ſe ſtitiſſet, Dux Gelriæ ſequentes pacis articulos propoſuit.

Duæ civitates ſupra nominatæ, Ordo item equeſtris ditionis Tranſiſalanæ, & oppida ac arces nondum à Gelriæ Duce occupatæ, pacem ac benevolentiam cum ipſo colunto. Nihil adverſus ipſum ex ipſis urbibus agunto, aut agi permittento, dum vivet & Epiſcopatum poſſidebit D. Philippus a Burgundia Præſul Ultrajectinus, niſi is ſeſe interim Duci Gelriæ reconciliaverit. Si idem Epiſcopus adverſus Ducem Gelriæ molitus quicquam fuerit, eum adjuvandi poteſtatem non habento. Si is civitatibus Daventrienſi ac Campenſi aliiſve oppidis ac arcibus ſuperioris diœceſeos damnum inferre decreverit, viciſſim Princeps Gelriæ ipſis auxilium præſtato. Civitates hæ duæ, & ditio Tranſiſalana, quæcunque hoc fœdere comprehendi voluerit, nullum dehinc Principem recipiunto, ſive à ſe electum, ſive aliunde ſibi impoſitum, niſi is ante pollicitus fuerit, ſe cum Duce & regione Gelriæ pacem ac concordiam ſervaturum, ac cum eodem Gelriæ Duce, de omnibus quæ utrinque ſunt controverſa ita tranſegerit, ut ei ſatisfactum ſit. quod ſi hæc tranſactio inter utrumque Principem ad optatum finem non potuerit perduci, alium Principem allegunto, cui totius rei arbitrium permittatur.

Delegati civitatum Daventrienſis ac Campenſis, petierunt, ut ſibi concederetur de his ad ſuperiores ſuos referre, ac ſententiam eorum ſciſcitari. quod eis hac lege permiſſum eſt, ut proximo die Lunæ qui erat XXVI. Septembris dies, cum finali reſponſo redirent, longiorem enim ejus dilationem nullo modo concedi poſſe.

Campenſes quam citiſſime Ioannem a Breda Secretarium ſuum ad Epiſcopum miſere, cum mandatis, ei in memoriam revocandi tot fruſtraneas ſuas petitiones ac proteſtationes, quibus exiſtimationi ſuæ ſe abunde conſuluiſſe arbitrentur, inſuper ſubſequutos progreſſus Ducis Gelriæ, calamitatem civitatis Daventrienſis, ubi inter cives tanta eſſet inopia, ut inde tumultus, ſeditiones, ac cædes pullulaturæ eſſent, niſi mature provideretur. Decretum Principi Gelriæ civitatem Campenſem extructa ad eam arce in ſummas anguſtias redigere &c. per quæ adacti eſſent ea ratione rebus ſuis conſulere, ad quam alioqui perinviti progrederentur, rogantes, ne id in ſequiorem partem acciperetur. Daventrienſes etiam plures alias ſuas ac totius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

totius regionis miſerias per literas Epiſcopo ſignificarunt. In ſua autem urbe Tribunos plebis, opificum fraternitates, ac omnes denique cives in unum convocarunt, articulos pacis eis propoſuerunt, in quos ab omnibus conſenſum eſt. Eo facto è Senatu Twickelium & Brunſveldium Campos miſere, qui de ſuo ipſos decreto certiores facerent, nempe ſtatuiſſe ſe pacem illam Dominica proxima promulgare, id quod & ditionis Gelricæ Quæſtori per litteras ſignificaverint, petentes ut Campenſes idem facerent. quod &, licet non exigua cum difficultate, factum eſt, & poſtridie per epiſtolam Præſuli Ultrajectino indicatum, in qua hæc reperiuntur verba: Humiliter rogantes, ne nobis hanc rem, conſiderata hujus temporis conſtitutione, velis vitio vertere. Quandoquidem T. Cl. ſubditi manemus, neque ullo tempore hac in parte ſtatuimus mutare. Si enim vel Poſtulatum nobis præfeciſſemus, vel Gelriæ Ducem Protectoris tituli voluiſſemus accipere, potuiſſemus hoc facere magno cum lucro: ſed nullo modo tale quid nobis perſuaderi paſſi ſumus, cum apud Cl. T. perſeverare eamque nunquam deſerere nobis conſtitutum ſit &c. Die Lunæ poſt Gereonis & Victoris. Anno cIↃ IↃ XXII.

Poſtquam Tranſiſalani cum Gelriæ Duce tranſegiſſent, conſultum fuit viſum Daventrienſibus ac Campenſibus, ut cum militibus rationes ſubducerentur, quo eos eo citius ſacramento ſolvere poſſent. quod cum præſidiariis Haſſeltenſibus innotuiſſet, coitione facta, jurarunt ſe ab invicem divelli nolle, antequam ab Epiſcopo Ultrajectino miſſionem & ſtipendii ſolutionem accepiſſent. inſuper hoſtilem in modum adverſus Zwollenſes graſſati ſunt, licet Daventrienſibus & Campenſibus ſcripto fuiſſent polliciti, fore ut ab omni injuria Zwollanis inſerenda temperarent. ægerrime id tulerunt Zwollani, & jacturam ſuam à Campenſibus ſarciri poſtularunt, deque iis quæ ſibi evenirent, apud Conſiliarios Ducis Gelriæ conqueſti ſunt. qui ſcriptis ad Daventrienſes & Campenſes litteris, iis minati ſunt ſe vi armata Haſſeltanos adoriri velle.

Ordo equeſtris, & duæ civitates, conſentiente Gelriæ Duce, ad exolutionem contracti æris alieni, in ſingula aratra exactionem conſtituerunt denorum aureorum. Quo intellecto Haſſeltani milites, agricolas Dalfſeni & prope oppidum Haſſeltanum commorantes captivos abduxerunt, eoſque coëgerunt, imperatam ſibi pecuniam nemini niſi Haſſeltanis exolvere. quod ita indigne tulit Dux Gelriæ, ut res ad novum bellum adverſus Tranſiſalanos ſpectare videretur.

Hanc ob cauſam, atque alias complures, cum Gelris novus celebratus fuit conventus, 11 Novemb. die, ubi & Zwollani comparuerunt, quorum rogatu cœtus ille fuerat convocatus. Hi propoſuere, Haſſeltanos, Stenovicenſes, Aldenſalenſes, quibus præſidium erat impoſitum, quique tractatu pacis comprehendi voluerant, ſibi in tractu cui nomen Maſtebroeck alibique

multa damna intuliſſe, petentes à Duce, ut Daventrienſibus ac Campenſibus injungeret, pro reliquis oppidis, caſtris, ac municipiis fidejubere. quo ipſis propoſito, reſponderunt id prorſus iniquum eſſe, ſi quidem minora oppida, arces &c. neque ſibi ſubditæ ſint, neque quicquam ſibi cum eis rei eſſet, unde fidem ſuam pro illis interponere ſibi haudquaquam integrum eſſe, cauſam autem non dicere, quominus qui pacis leges violarent, prout jura & tractatus leges exigerent, punirentur.

Hiſce interfati Zwollani, æquiſſimum eſſe contenderunt, ut Daventrienſes ac Campenſes ejuſmodi promiſſum Duci Gelriæ præſtarent, cujus alioqui, ut & Zwollanorum conditio per tractatum pacis deterior foret. ſed nihil convenit. unde Dux Gelriæ flumina ſua & vias publicas denuo clauſit.

Ratione hujus altercationis multi cõventus inter partes fuerunt habiti. tandem rationibus permotus Dux, iniquum eſſe agnovit, ut id oneris civitatibus imponeretur, ac per flumina ſua & vias libere commeandi facul atē conceſſit.

Poſt hæc omnia Dux Gelriæ, pro Domino Tranſiſalaniæ ſe gerere cœpit, & Bernhard. ab Hacfort Satrapam Comitatus Zutphanienſis, ejus regionis præfectum creavit, Iacobo autem ten Sterte, quæſturam Sallandiæ donavit.

Bernardus ab Hacfort, ſub tali titulo diploma promulgari fecit, quo omnibus Officiariis, equeſtri item ordini &c. ſub pœna vitæ & fortunarum injungit, ut ante certum diem Zutphaniæ ſe ſiſtant, ibique Duci obſequium ac juramentum præſtent. Similia mandavit Iacobus ten Sterte, & in omnibus municipiis Sallandiæ publice proclamari fecit, ut omnes cenſus, decimæ, reditus, & quæcunque Epiſcopo perſolvi ſolebant, ad ſe, utpote Quæſtorem Ducis Gelriæ, tanquam Tranſiſalaniæ Domini deferrentur.

Borchardus a Weſterholt, Satrapa Vollenhovianus, accepto hoc mandato, Campos profectus eſt, ac conſilium petiit, quo pacto ſe in hoc negocio gerere deberet, nulla enim ratione ſe Duci Gelriæ juramentum præſtare velle, antequam ab Epiſcopo Ultrajectino juramenti, quo ipſi obſtrictus erat, nexu ſolutus eſſet. quod ſi non obtineret, malle ſe Daventrienſibus ac Campenſibus arcem Vollenhovianam, prout eam ab iis receperat reſtituere. ea lege ut nummos quos cautionis loco apud eos depoſuerat reciperet, & qui pro eo fide juſſerant, ea ſponſione ſolverentur.

Campenſes ſuper hac re non parum ſolliciti, die 11. Decemb. ad Daventrienſes ſcripſerunt, petentes, ut cum Zutphanienſibus eam conferrent, & quid reſponſi accepiſſent, Hermanno Hugoni ſcripto ſignificarent, qui de re tota poſtmodum ad Epiſcopum relaturus eſſet.

Anno CIↃIↃXXIII. Dux Gelriæ exactionum adverſus Tranſiſalanos nec finem nec modum facit, pecuniam ad exauctorandos milites collectam Gelri & Zwollani ad ſe rapiunt, qui ea de cauſa in Zwollanos deprædationibus viciſſim graſſantur. & hi quidem à Daventrienſib. & Campenſibus damna ſibi

ſibi illata reſarciri poſtulant, ſed detentam pecuniam ut reſtituant induci non poſſunt. Renuentibus autem Daventrienſibus ac Campenſibus, Dux flumina ſua & vias denuo claudit. Daventrienſes & Campenſes conſilii inopes, conſentiunt in colligenda aliqua pecuniæ ſumma, qua præſidio Haſſeltano ſatisfiat, ſed iterum Zwollani oneroſas conditiones adjungunt, unde factum ut nihil ad milites perveniret.

Tranſiſalani in has anguſtias redacti, fluminibus ac viis publicis excluſi, neque obolum è fundis ac reditibus ſuis recipientes, nihilominus per Hollandiam, Brabantiam, Orientales ac Occidentales plagas libera agitabant commercia: Verum Zwollani, non minima tantorum malorum cauſa, multo, tum temporis, infelicius agebant quam reliqui, cum & ipſi facultatum ſuarum fructu omni carerent, nec inſuper, metu Haſſeltanorum, è portis ſuis pedem promovere auderent, omni etiam mercatura ac opificio in urbe propemodum ceſſante. Hinc inter cives murmura adverſus eos qui ipſis recipiendi Gelriæ Ducis auctores fuerant, hos omnium malorum quæ civitatem premebant cauſas eſſe publice vociferantes, ac ut operam darent, quo non minus quam vicini ſui libere quaquaverſum negociorum ſuorum cauſa commeare poſſent, poſtulantes, ni facerent, ſe nec vitæ nec facultatibus eorum parcere decreviſſe. Nonnulli è præcipuis ad Ducem iter inſtituunt, ut eum de re tota certiorem faciant, & de prævertendo periculo cum ipſo agant.

Interim nonnulli à Gelrorum partibus alienores clanculum conueniunt, ac deliberant, qua ratione cum duabus civitatibus Daventrienſi ac Campenſi in gratiam redeant: uni è ſuo numero injungunt, ut amicum quendam ſuum è Senatu Campenſi clam per litteras ſollicitet, loco certo ad ſeſe venire velit ubi ſemotis arbitris cum ipſo communicare poſſit ea quæ in bonum civitatis Campenſis ac regionis Tranſiſalanæ ceſſura cenſeat. cõveniunt ambo, ac Campenſi indicat Zwollanus ſe à Tribb. pleb. & multis bonis civibus in mandatis habere, ut ipſi patefaciat, ſtare eis ſententiam, ſeſe poſtliminio cum Tranſiſalaniæ Ordinibus, & duabus civitatibus conjungendi, rogans ut id Senatui Campenſi ſub fide ſilentii indicaret. quod factum. atque hi per ſecretas litteras de eo Daventrienſem quoque Magiſtratum certiorem fecerunt.

Daventrienſes & Campenſes ſinguli unum è Secretariis ſuis ad Ducem Gelriæ miſerunt, petitum, ut flumina & vias publicas aperire, merces ſuas ab areſto quo eas detinebat liberare ac dimittere vellet, ſed nihil obtinuerunt, dicentibus Ducis Conſiliariis, ſibi antequam id fieret, annuos agrorum fructus una adhuc vice colligendos eſſe.

Anno ɔIↃIↃXXIV. Zwollanorum ad Ducem Gelriæ delegati domum revertuntur, multa ac larga promiſſa, ejus manu ſubſignata ſecum deferentes, quibus cives non acquievere, qui capita factionis Gelricæ evitare

cœperunt, quo illi animadverſo, de mediis adducendi Zwollam Ducis Gelriæ cogitarunt, qui & ipſos defenderet, & adverſarios puniret. Hoc ſuum conſilium Duci aperuerunt, cui id ſummopere probabatur. interim rumorem ſpargunt, Ducem pauciſſimis Comitatum ad urbem venturum, eoque exoptatum nuncium pacis & liberi commercii allaturum eſſe. id quod cives nonnihil ſedavit, cum præſertim Dux ipſe idem civibus ſcripto polliceretur. Nonnulli tamen, rem penitius intuentes, eo rem deduxerunt, ut primo legatio ad Ducem inſtitueretur, petitura, ne Dux in urbem, præter quotidianum aulæ ſuæ Comitatum, alios ſecum adduceret. id quod facturum ſe recepit; unde Zwollani è Senatoribus ſuis ei duos obviam miſerunt.

Dux Gelriæ, præter ordinarium aulæ ſuæ & familiæ Comitatum nonnullos è ſuis nobilibus, ſtipatos famulis ſuis, in equis, ac inſuper tria peditum ſigna, quæ ſecum Zwollam intrarent adduxit, atque ita in viam ſe dat. XIV Martii die, qui erat Veneris, ante medium quadrageſimæ.

Zwollam appropinquans equo deſcendit, ac peditibus ſe permiſcuit ut ii tanto facilius ſecum urbem intrarent.

Civibus tantum Ducis Comitatum intuentibus, negotium ſuſpectum eſſe cœpit. Cumque jam quamplurimi nobilium equis urbem eſſent invecti, & Dux ad primum introitum portæ quæ Saxonum dicitur, proceſſiſſet, eo intrante, utraque catarrhacta, tam primæ quam ſecundæ portæ demiſſa fuit, quo turba equitum peditumque excluderetur, eum in modum, ut Gelrorum quorundam humeri repentina hac dejectione læderentur.

Dux Carolus inter utramque portam ſubſtitit, neque quo ſe verteret inveniebat. donec vidit oſtiolum quo tranſitus patebat ad foſſam. eo conſpecto cuidam ex aulicis dixit, verbis ſemiteutonicis, nam in Gallia educatus erat, *Hier wilſe deur.* ſignificans ſe hac perrumpere velle. quod ei diſſuaſum & impeditum fuit. Non multo poſt, Dux in urbem receptus, & in æde ubi moneta cudebatur ei hoſpitium aſſignatum fuit, reliqui omnes extra urbis mœnia commorari cogebantur. Dux in hoſpitio ſuo pernoctavit, ac poſtridie Zwolla excedens, Hattemum rediit.

Epiſcopalis factio in urbe Zwollana indies invaleſcebat, & in carcerem conjectis præcipuis eorum qui erant Gelricarum partium, die V. April. ad Daventrienſes Campenſeſque litteras dedit, quibus rogabantur ut delegatos ſuos Zwollam mittere vellent. quo eodem die venerunt Rodolphus a Twickelo, Henricus Plaetman, cum Secretario Daventrienſi, Campenſes Secretarium ſuum Ioannem a Breda miſerunt, cum poteſtate requiſita. Dux hiſce auditis, cum toto ſuo exercitu Zwollam movit. Quum civitatum delegati cœpiſſent inter ſe tractare, moritur Epiſcopus VII Aprilis die, in arce ſua Doroſtadio.

Zwollani graviter conqueſti ſunt apud legatos civitatum Daventrienſis ac

ac Campenſis, quod ipſi cives ſui, aliique boni viri tam miſete ab impuris hominibus per mendacia ſeducti eſſent, ac eo perſuaſi, ut deſerto Principe ſuo Epiſcopo Ultrajectino, Ducem Gelriæ recepiſſent. teſtati interim ſe ſemper in illa actione ſibi reſervaſſe, quod fideles D. Martino, uſque ad ultimum vitæ halitum remanere vellent, ac in eo jam eſſe, ut cum Daventrienſibus & Campenſibus fœdus inſtaurarent, ad utilitatem S. Martini & diœceſeos Ultrajectinæ. Civitates, poſt aliquot diſceptationes, in eas conditiones convenerunr, quæ ſequenti diplomate continentur:

„ Nos Coſſ. Scabini, & Conſiliarii civitatum Daventrienſis, Campenſis, & Zwollanæ notum facimus ac profitemur, hiſce noſtris litteris patentibus, ac ſigillatis; Quandoquidem tres civitates inter ſeſe, & cum univerſa regione Tranſiſalana, contentionibus, diſcordiis, ac bello denique fuerunt intricatæ, placuit eas redintegrata pace denuo inter ſeſe uniri, & fœdus contractum, deinceps ac perpetuo indiſſolutum conſervare. Itaque de novo nos inter nos mutuo devinximus, promiſimus & recepimus, promittimus ac recipimus, hiſce præſentibus, bona S. Martini, & diœceſeos Ultrajectinæ nos membra eſſe ac fore, ac nobis mutuo in quibuſvis moleſtiis ac difficultatibus undecunque eæ emergant, vita & facultatibus noſtris affuturos, neque ulli è nobis tribus, in vetuſtis ſuis privilegiis, jure, conſuetudinibus, nocumentum aut diſpendium allaturos, ſed ea ſingulis utenda fruenda, ſine ullo impedimento permiſſuros, in iiſque nos mutuo adjuturos ac defenſuros pro virili. Promittimus ac recipimus nos civitates Daventrienſis & Campenſis, nos civitati Zwollanæ ſanguine & facultatibus noſtris auxilia laturas, in iis quæ nunc Dux Gelriæ adverſus eam vi armata tentare cœpit. citra dolum malum. In rei fidem nos civitates ante dictæ ſigilla noſtra hiſce litteris appendimus. XI Aprilis, Anno CIↃ IↃXXIV.

Quia autem delegati civitatum ſuarum ſigilla penes ſe non habebant, contractus hic in chartam conjectus, & ſubſcriptionibus munitus fuit, cum promiſſione, diploma ſigillatum juxta ejus tenorem conficiendi, quamprimum id fieri poſſet. quod & factum. Qui ſubſcripſerant hi ſunt: Rodolphus a Twickelo, & Henricus Plaetman, nomine Daventr. Mr. Io. a Breda civitati Campenſi à Secretis. Paſmannus ten Holte, Albertus Broecker, Coſſ. civit. Zwollanæ.

Zwollani à Gelriæ Duce obſeſſi omni præſidio erant deſtituti, ideoque duarum civitatum delegatos rogarunt, ut ad ſuos ſcriberent, & ſibi aliquot milites ſubmitti peterent. miſerunt ergo primo Daventrienſes LX pedites, ac deinde Campenſes quoque alteros LX.

Die XXIX Aprilis, Dux Gelriæ cum civitatibus Hattemi convenit in conditiones quas ſequens diploma exhibet:

„ Quan-

,, Quandoquidem Generoſus illuſtris Princeps, Clementiſſ. meus Dominus ,, Dux Gelriæ, Juliaci &c. ad fervens deſiderium duarum civitatum Daven- ,, trienſis & Campenſis, iiſdem permiſit inter Cl. ſuam & civitatem Zwol- ,, lanam ſe interponere, ad componendum diſſidium, & ulteriorem inimi- ,, citiam præveniendam, hodierna die inter delegatos Clem. ſuæ & Senato- ,, res civitatum Daventrienſis & Campenſis convenit in ſequentes condi- ,, tiones:

,, Principio, omnis malevolentia, ſimultas & controverſia, quæ inter ,, Clem. meum Dominum & civitatem Zwollanam viget, committetur co- ,, gnitioni Domini alicujus aut Principis partibus non addicti, ſive Epiſcopi ,, propediem eligendi, ſive Ordinum diœceſeos Trajectinæ inferioris, ſive ,, adeo duarum civitatum Daventrienſis & Campenſis, ad optionem Clem. ,, mei Domini ſupra dicti, quocunque id tempore Clem. ſuæ placebit ac ,, integrum erit. Equeſtres porro ac pedeſtres copiæ quæ Zwollam obſident ,, una cum tormentis continuo inde diſcedent, flumina & viæ è veſtigio ape- ,, rientur, ita ut omnibus utrimque ſubditis, Gelris ac Trajectinis, nemine ,, excepto, merces ſuas ſub debitis vectigalibus & teloniis paſſim devehere, ,, ac per utramque regionem ire ac redire, tanquam in alta pace abſque im- ,, pedimento liceat. Zwollanis autem interea temporis Burgundos in auxi- ,, lium arceſcere, aut fœdus cum eis inire liberum non erit. Iidem quoſ- ,, cunque è Senatoribus ſuis civibuſve captivos detinent, continuo dimit- ,, tent, ac honeſte habebunt, donec dictæ controverſiæ fuerint ſopitæ. ,, Quumque civitates Daventrienſis ac Campenſis pro Zwollanis ſponde- ,, rint, articulos hoſce, de Burgundis, & captivis ab iis eſſe conſumman- ,, dos, eædem civitates intra duodecimum diem eandem ſuam cautionem ,, ſufficienti diplomate, ſuæ Clem. tradendo, conſignare tenebuntur. Pro- ,, miſſæ, nec hactenus exſolutæ pecuniæ, durante obſidione Zwollanâ, in ,, rationem non venient. nec Clem. mei Domini officiarii ullam novam ,, exactionem molientur, donec electio novi Epiſcopi facta ſit. Quando- ,, quidem autem in articulos præcedentes à delegatis Clem. mei Domini & ,, utriuſque urbis Senatoribus conſenſum eſt, hujuſce ſcedulæ duo ejuſdem ,, argumenti exempla, XXIX Aprilis die, Anno CIↃIↃXXIV. eorum ,, manibus hoc modo ſubſignata ſunt: Arnoldus a Gruythuyſen, Ioannes ,, Benninck, Warnerus a Lennep, Ioannes a Vierſen, Rodolphus a Twic- ,, kelo, Gerardus Borgers, Ioannes a Vechta. idemque diploma poſtquam à Duce Gelriæ viſum ac approbatum eſſet, ejuſdem appenſo ſigillo muni- tum fuit. qui hoc peracto obſidionem Zwollanam, ut promiſerat, diſ- ſolvit.

VI Maji die eligitur in locum defuncti Epiſcopi Henricus II. Comes Palatinus, Bavariæ Principis filius, propoſitus Eccleſiæ cathedralis Argen- tinenſis,

tinenſis, Præpoſitus in Elwangen & Aquiſgrani, Canonicus Colonienſis. fuit hic Epiſcopus Ultrajectinus LVIII. & poſtremus eorum qui regalia, & jus gladii temporalis habuit, ac Principis inſtar diœceſin rexit quadriennio ſedi præfuit.

Dux Gelriæ, cui diſplicebat hæc electio, omnia ſua flumina, omneſque vias denuo concluſit,ac per univerſam ſuam ditionem prohibuit, corporis & fortunarum pœna propoſita, nequis vel minimum Zwollam inferre auderet, omneſque ubique merces Zwollanas areſto detineri fecit. Daventrienſibus porro ac Campenſibus ſcriptis litteris vetuit, ne ſeſe Zwollanorum negocio immiſcerent, niſi eodem apud ſeſe loco quo Zwollani erant haberi vellent. verum hæc vana fuere, duabus illis civitatibus, mandato Ducis inſuper habito, Zwollanis fidem datam ſervare certis. Unde Dux deintegro omnes Daventrienſium ac Campenſium facultates ubicunque poterat detinuit, ac magnum rapiendo, ac captivos eorum incolas abducendo utriſque damnum intulit. Gelri quoque milites qui utramque arcem è regione Daventriæ extructam præſidio tenebant, Iſala trajecto, civium pecora è prato publico abegerunt, qua de re civitates ambæ ad Zutphanienſes ſcripſere, petentes, ut a Duce impetrarent facultatum ſuarum ac civium reſtitutionem, quos pacis aut induciarum tempore ſibi querebantur ereptos, ſane paci illi conciliandæ ipſos quoque interfuiſſe & in ea concludenda calculum poſuiſſe. Nec officio ſuo hac in parte Zutphanienſes defuere, qui à Gelriæ Duce obtinuerunt, ut permitteret Daventrienſibus pecora ſua circa urbis ſuæ pomœria paſtum ducere, certis tamen conditionibus ſtipulatis, pro quibus apud Zutphanienſes cautionem interponere tenerentur, quod & factum.

Iacobus ten Sterte, una cum Zwollanorum exulibus, civibus Zwollanis qua potuit damnum dedit, raptis eorum bonis.

Sub hæc Twellæ amica inſtituitur collatio inter Gelros & trium civitatum delegatos, ubi vehementer expoſtulabant civitates de illatis injuriis adverſus pacta & conventa. quibus Magiſter aulæ Ducis Gelriæ reſpondiſſe fertur: Nos Gelri ditionem noſtram mendaciis, ut mendicus centonem ſuum pannis conſutum retinemus, cui ea in re laboris & moleſtiæ affatim incumbit.

Multi ſimiles conventus celebrati, in quibus nihil quod è re eſſet decretum eſt, cupiente Duce, ut Daventrienſes & Campenſes ſeparatim ſecum agerent, excluſis Zwollanis, quod obtinere non potuit. qua de cauſa multa cauſatus eſt, quibus docere conabatur, Campenſes ac Zwollanos tractatum Hattemenſem violaſſe, quo ſe proinde nequaquam deinceps teneri velle aſſerebat.

Epiſcopus, belli ſumtus reformidans, magis ad pacem inclinabat, quapropter Electorem Trevirenſem rogavit, ut operam ſuam ei obtinendæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

occuparet. Hic diem amicæ collationi, Noveſii celebrandæ, præfigit, quo ut ſibi tuto proficiſci liceret, liberum à Duce commeatum petierunt Tranſiſalani, quem ab ipſo impetrare nequiverunt. cenſuerunt ergo Campenſes, nihilominus ad conventum illum mittendos delegatos, itinere per Hollandiam ac Brabantiam Noveſium uſque inſtituto. id vero Daventrienſibus minime conſultum videbatur, niſi commeatu à Gelriæ & Cliviæ Ducibus conceſſo. tandem in ſententiam Campenſium de mittendis delegatis conſenſum fuit, unde Campenſes IV Septemb. die, ſeptem numero, cum duobus equitibus & curru uno Daventriam ſe contulerunt, quo & appulere Zwollanorum delegati, ſicque una cum Daventrienſibus poſtridie Noveſium contenderunt, quo VIII Septembris die, circa veſperam pervenere.

Ubi & comparuit Elector Trevirenſis, cum Comitibus nonnullis ac Conſiliariis, ita ut ad centum capita in Comitatu haberet. item delegati Epiſcopi Ultrajectini recens electi, diœceſeos inferioris, trium civitatum diœceſeos ſuperioris. inter quos ex urbe Daventria Petrus a Mouwick, Mag. Gerardus Swaefken, & Hermannus, eidem civitati a Secretis.

Hic inter alia conqueſtus fuit Gelriæ Dux, de turri quam Daventrienſes in ſuo, ut ajebat, territorio extruxerant, in reliquis etiam belli cauſas in ipſos conjicit, ac latrocinia eorum in Gelria perpetrata &c. aggerat. Ad hæc Epiſcopales reſponderunt, Iſalam fluvium ante aliquot ſecula juris Trajectini fuiſſe, Daventrienſes ibidem trajectum ac deinde pontem ſine ullo impedimento habuiſſe, ad quem conſervandum, cum aliquoties eum exurere hoſtes tentaſſent, eos turrim extruxiſſe, neque quenquam contradixiſſe uſque ad annum CIↃIↃXXI. quo bellum inter ipſos & Gelrum denuo exarſiſſet, unde eam in ditione Gelrica extructam non eſſe quilibet videre poſſet. multis ſuper hac re ultro citroque diſceptatum fuit, ſed nihil convenit.

Interim dum Elector Trevirenſis media accommodationis proponit, Gelri in ditione Tranſiſalana ovium quamplurimos greges abegerunt, arcem *ten Rade* ſolo æquarunt, civium Daventrienſ. mercimonia diripuerunt, ac inter ſeſe partiti ſunt. quod cum civitatum delegati Electori Treverenſi indicarent, ille perquam ægre tulit, & re infecta primo ipſe, denique reliqui quoque ad ſua diſceſſere.

In profeſto S. Laurentii Daventriæ decretum, Zwollanis triginta aut quadraginta equites ſumtu civitatum eſſe ſubmittendos, ac pecuniam ad id requiſitam a civitatibus per tres portiones æquales eſſe contribuendam.

Ibidem die Veneris poſt *Eſto mihi*, ſingulis opificum ac mercatorum Collegiis injunctum ut ducentas nitri libras emerent ac in commune conferrent.

Die Veneris poſt Lebuini Tribunis pleb. propoſitum, an placeret a capitulo, ut vocant, mutuo ſumi ſub ſyngrapha quadringentos florenos aureos? quod fieri placuit.

Die

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Die XXVIII Septemb. Epiſcopus magna cum pompa Ultrajectum intravit, ibique inauguratus eſt. Unde in Tranſiſalaniam profectus, primo Zwollam, ob ancipitem ejus urbis ſtatum, ſe contulit, ibique ſolenni more receptus eſt, ea lege ne id duabus civitatibus reliquis fraudi eſſet, neve privilegiis earum præjudicatum cenſeretur, qua de re diplomata civitatis ſuæ ſigillo munita, iis Zwollani tradere tenerentur.

Hoc facto Epiſcopus Daventriam petiit, ubi poſtquam inauguratus eſſet, Campos in eundem finem perrexit.

Zwollani cum indies magis magiſque affligerentur, annonæ etiam caritate inter eos gliſcente, cœperunt ſociis civitatibus diffidere, unde ab iis petierunt ſibi declarari, num, ſi bello deinceps impeterentur, ab iis auxilia expectanda ſibi eſſent? quod iis largiter promiſſum, & fideliter quoque pro tempore ac neceſſitate præſtitum fuit.

Poſt hæc procuravit Elector Trevirenſis tranſactionem in haſce leges: ut Epiſcopus quinquagies mille florenos Rhenanos, Zwollani vero quingentos annuos, quibus ſe decem millibus ſemel numeratis liberare poſſent, Gelriæ Duci penderent, qui viciſſim omnes arces, municipia, domos reſtitueret, exceptis Covordia & Diepenemo, quæ ad vitam retineret. adhæc propugnaculum *Altena*, in ſua, uti dicebat ditione a ſe extructum, citra impedimentum Epiſcopi retinere ac poſſidere volebat.

Diſplicebat poſtremum hoc Daventrienſibus. qua de cauſa Campenſes ac Zwollani eis polliciti fuere, ſi quo pacto propugnaculi illius jugum excutere daretur, ſeſe una cum Daventrienſibus ſumtus ad id requiſitos toleraturos eſſe. hujus promiſſi tale diploma Daventrienſibus datum:

„ Nos Coſſ. Scabini ac Conſiliarii civitatum Campenſis ac Zwollanæ, „notum facimus noſtro & ſucceſſorum noſtrorum nomine, nos de conſenſu, „ſcientia ac voluntate Tribb. noſtræ plebis pariter conſtituiſſe: Quandoqui„dem inter Generoſum Principem Clem. noſtrum Dominum Epiſcopum Ul„trajectinum, ab una, & Ducem Gelriæ ab altera parte, tractatus pacis con„fectus eſt, a quo propugnaculum nomine *Altena*, è regione Daventriæ ſitum „eſt exemtum; ſi qua forte contingeret idem propugnaculum amica trans„actione, aut aliter, in poteſtatem Daventrienſium concedere, nos ad hoc „una cum civitate Daventrienſi pariter, abſque ulla tergiverſatione, ſumtus „toleraturos eſſe, ac quicquid inde oriri poſſit communi opera ad exitum „ducturos. Id quod promittimus, nos, ut bonos viros decet, noſtro ac ſuc„ceſſorum noſtrorum nomine, abſque omni dolo malo effectum daturos. „In fidem &c.

Epiſcopus Ultrajecti petiit donarium quinquagies mille florenorum, quos novo Præſuli ſolenne erat offerri. id ei quidem conceſſum eſt, ſed à quo perſolvendum foret controvertebatur.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Hoc anno Daventriæ excuſum eſt Latino & Belgico idiomate Monachi illius Benedictini, præfecti cœnobio Virginum in Mariengarde, Prognoſticon Antichriſti, in quo quicquid unquam ſtultum & ridiculum ſuper eo argumento ab otioſis Monachis excogitatum fuit coacervatur. Imprimis autem Mart. Lutherum, quem Mergium &c. vocat, tanquam Antichriſti præcurſorem inſectatur. E Latina editione quædam excerpam, è quibus velut ex ungue leonem hunc ſcriptorem lectores cognoſcant̄:

Pag. 24. b. de miraculis futuri Antichriſti locutus, *Audite*, inquit, *propter Deum, quid factum eſt in Wormatia, ubi ille ſchiſmaticus ac diſſenſor Martinus Lutherus prædicavit. Poſt ſermonem, cum deſcendiſſet de ambone, venit una mulier, habens roſarium in manu, accedenſque tetigit eum cum illo roſario, & plures venerunt poſt eam & fecerunt ſimiliter: quemadmodum ſolent homines facere de Sanctorum reliquiis. ô inſenſatæ, ô fatuæ mulieres! habetis talem fiduciam de quodam fraterculo hęretico, ac ſchiſmatico, & à ſummo Pontifice excommunicato &c. quid tunc facietis quando videtis Antichriſtum, & diſcipulos ejus tanta miracula & prodigia facientes &c. quam cito debetis declinare à fide, & venire & tangere illos cum roſario, ſicut illæ tetigerunt Mart. Lutherum, tanquam dignos & ſanctos, cum peiores ſint dęmoniis! ergo attendite, infrunitę, nam talia facere eſt ſicut fricare diabolum in poſteriorem partem.*

Pag. 33. agens de vi excommunicationis in Lutherum vibratæ, hujuſmodi eam exemplo confirmat̄: *Fuit quidam Comes Tholoſanus, fautor & receptor hæreticorum, & omnis talis ipſo facto eſt excommunicatus una cum hęreticis &c. Et quidam ſanctus Abbas fuit ad eundem Comitem miſſus ad monendum eum. qui cum viro ſancto nollet acquieſcere, nec excommunicationem timeret, ſciens vir ſanctus, quod cor perverſum non erudiretur verbis, dixit Comiti: Vt tu & tui videant factis quantum infecta ſit anima quæ excommunicationis vinculo eſt innodata, volo mihi afferri album panem; quo ſibi allato, dixit: O panis, licet tu non merueris, tamen ut in te oſtendatur veritas fidei noſtræ, & maledictio animæ excommunicationem non timentis, excommunico te. quo dicto, panis qui erat inter manus ejus albus & candidus, mox niger factus eſt. quem præcepit in duas partes dividi, & intus ſimiliter apparuit niger, mucidus, & corruptus. Tunc ſubjunxit, ut etiam ſcias virtutem abſolutionis, accepto pane abſolvit eum, qui in priorem ſpeciem & candorem reverſus eſt.*

Pag. 38. ubi neſcio quomodo à Lutheranis ad Turcas deflectit, *In fide*, inquit, *turpiſſima Mahumetica nullum unquam factum eſt miraculum, niſi illud miraculum reputetur, & illuſorie narretur, quod accidit cuidam Ianuenſi, qui in partibus illis exiſtens, deſideranſque videre quid facerent illi Saraceni ſive Mauri in templo ſuo, quod Moſckeam appellant, in quo quilibet Chriſtianus intrans aut occiditur, aut fidem Chriſti negare conſtringitur, expoſuit ſe periculo, & latenter intravit. Cum autem ibi eſſet in medio maximę multitudinis, & non poſſet exire, neceſſi-*

taſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

taſque ei veniſſet ſuperfluum pondus corporis deponendi, ſtercorizavit in femoralibus.
Cum autem fœtor eſſet in illa Moſchea, omnes circumſpiciebant quis hujus fœtoris cauſa
fuiſſet. Invenerunt que ipſum Ianuenſem, quem volentes occidere, ille, qui forte lin-
guam eorum ſciebat, eis dixit, vel per interpretem mendacium hoc ſignificavit, ſci-
licet, quod cum ipſe non poſſet per longum tempus habere beneficium ventris, intra-
vit templum, ut Mahumeto ſe commendaret, & ſtatim habuit beneficium ventris.
Hoc autem audientes & credentes illi homines beſtiales, acceperunt femoralia illa ſter-
core infecta, & ſuſpenderunt in Moſchea, clamantes, miraculum! miraculum!

Pag. 62. ubi de hæreticorum pœnis agit, *Ille princeps*, inquit, *in cujus*
provincia talis hæreticus & ſchiſmaticus ſurrexit contra ſummum Pontificem &
veram totius eccleſiæ fidem, debet, ſi verus Catholicus eſt, illum hæreticum portare
manu velociſſima, ſine diſputatione, ad lectum S. Laurentii, & ſuſtinere juſte illam
pœnam pro malitia, quam ille ſuſtinuit pro vera juſtitia & corona gloriæ. Si ſic
feciſſent reges & principes & prælati eccleſiarum ab initio, & modo, uſque ad con-
ſummationem ſeculi, nullus nimirum fuiſſet nec eſſet publicus hæreticus in toto mun-
do. quod ſi non fecerint ſic principes terrarum, præſertim illi in quorum provinciis
tales hæretici habitant, veniet nimirum ſuper illos terribile judicium Dei, quod
mandavit Dominus Moyſi, dicens Numer. 25. Tolle cunctos principes populi,
& ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Iſraël.
Et hoc ideo, ſecundum Gloſam, quia vel erant auctores peccati illius populi, vel
quia non prohibuerunt ſecundum poſſe. Quemadmodum fecit ille Dux Saxoniç Fride-
ricus, Elector Imperii, cum illo ſchiſmatico Mart. Luthero, quem Mergium vo-
cavi, in quo oſtendit hæreticum ſe eſſe cum ſuo idolo, & per conſequens non dignum
Electorem Imperii, &c.

Pag. 67. b. *Modo*, inquit, *ad inconſuetam ac ridiculoſam venio quæſtionem.*
Quæro tibi, ex quo tu es doctor, ut dicunt, quæ eſt differentia inter doctorem, &
dul-dorem? *ut omnes intelltgant*, dul *idem eſt quod* demens, *quaſi* deorſum
a mente, *extra mentem & rationem facere, ſicut rabioſi.* door 1. ſtultus, *& ab*
extollo, extollis, *dicitur* ſtultus q. extultus, *quia ſe extollit, vel etiam di-*
citur ſtultus q. ſtatim ultus, &c. *& ideo* dul-door *dicitur geminatus ſtultus,*
quorum infinitus eſt numerus. (& mox) *Si ergo tu Martine Lucer, quem Mer-*
gium, propter tuam hæreticam doctrinam apud nos tenemus, ex illo dul-dorum
numero non es, parcat mihi Deus, tunc male & temere reflexi oculos mentis ad omnia
tua opera, verba, & documenta. Sed omnia tua ſcripta ac documenta ipſius Luci-
feri inſpiratione ac ſuggeſtione prædicta fore & confecta nullatenus dubito.

Pag. 70. Conceptionem virginis Mariæ ſine peccato originali adver-
ſus Dominicanos propugnans, *Vtinam*, inquit, *eſſet ſine peccato, ut credo;*
reſpondendum adverſariis virginis Mariæ, ac omnibus ſchiſmaticis hæreticis, ſicut
reſpondit quidam frater conventualis S. Franciſci, devotus virginis Mariæ; forte
ipſa virgine illum ad hoc faciendum inducente, atque cenſuram eccleſiaſticam de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

percuſſione clerici relaxante, ad confuſionem ſui adverſarii. Ille etenim prędicator cum prædicaſſet in quadam terra Lombardiæ de immaculata virginis conceptione, frater quidam ordinis cujuſdam, qui interfuerat prædicationi, eratque Magiſter Theologię, vel, ut convenientius dicam, tenebrarum, ſicut Mergius, multis ſophiſticis argumentationibus oppoſuit ſermoni dicti fratris, affirmans glorioſam virginem originali vitio fuiſſe maculatam. Videns autem prędictus frater qui prædicaverat, quod ille Magiſter tenebrarum fecerat ſuis cavilloſis probationibus, ſicut fecit quidam alius in libro ſuo infamatorio beatæ Virginis &c. dixit ad populum; O devoti immaculatę Virginis, audiſtis argumenta hujus adverſarii Dominæ noſtrę, quibus concludit ipſam per peccatum meretricatam fuiſſe; ſed quia verbis illis infamatoriis non eſt reſpondendum, faciam ei reſponſionem quam meretur. Apprehendens ergo ipſum, revolvit eum ſuper genua ſua, erat enim valde fortis. Elevatis itaque pannis, quia ille Magiſter tenebrarum contra ſanctum Dei tabernaculum temere locutus fuerat, cœpit eum cum palmis percutere ſuper quadrata tabernacula ſua, quæ erant nuda. Non enim habebat femoralia vel antiphonam. Et quia ipſe infamare voluerat beatam Virginem Mariam, allegando forſitan Ariſtotelem in libro priorum, iſte prędicator confutavit ejus argumenta legendo in libro ſuorum poſteriorum. De hoc autem omnes qui ad hoc aderant ridebant. Tunc exclamavit quędam devota mulier, dicens, O Domine prædicator, detis ei quatuor alias palmatas pro me. ſicque multæ aliæ rogabant. itaque quod ſi illarum petitionibus ſatisfacere voluiſſet, per totum diem illud facere non potuiſſet, nec unam pelliculam, nimirum ſuper caudam ejus tenuiſſet. Ille vero Magiſter tandem dimiſſus, valde confuſus abſceſſit. Vtinam ſi tale fieret reſponſum verbis accuſatorum Virginis Mariæ, atque hęreticorum, ſcilicet reſolvendo illorum argumenta in libro ſuorum poſteriorum, tot dul-dores non eſſent ſurgentes tam arroganter contra veræ Romanæ Eccleſiæ honeſtatem & inſtitutionem.

Pag. 92. b. objurgat Pontificem Romanum, quod in bulla qua Lutherum excommunicat, exclamet: *Exurge Domine & judica cauſam tuam &c. Exurge Petre &c. Exurge tu quoque, quæſumus ſancte Paule &c.* Ait autem: *Quid hoc eſt quod audio, ſancte Pater? debemus ſic reſpondere hæreticis, & clamare, quaſi mente timida, ad Dominum, & Sanctorum præſidium? Non ſic, Pater ſancte, verè non ſic. quando talia ſchiſmatici & hæretici audiunt, derident te & Catholicos Doctores, quaſi ignorantes, & timentes eos, nec arma fidei habentes.* Et mox: *Multa conſilia & jura, ac varia tractaſti & revolviſti de Apoſtatico & præſumtuoſo Monacho, & ſanctos pro ſubſidio, ut dictum eſt, invocaſti, ſed non deſcenderunt de cœlo in auxilium.* Et mox: *Qui vult expellere & effugare lupos rapaces, id eſt, hęreticos extra ovile fidelium ovium, & fines Romanæ Eccleſiæ, oportet ſic clamare audacter à ſede Apoſtolica, & ita ſubſidium invocare ſanctorum; Exurge glorioſiſſime & invictiſſime totius Chriſtianitatis Imperator, per gladium tibi à Chriſto in ultima cœna potenter datum ſeu commiſſum, in auxilium ſanctæ Rom. Eccleſiæ. Exurge Chriſtianiſſime Rex Franciæ &c. Exurge Rex Angliæ, Rex Vngariæ &c. Exurge Illuſtriſſime ac Chriſtianiſſime*

Prin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Princeps Brandenb. Elector Imperii &c. Exurge Magnifice & Prudentiſſime Prin-
ceps Georgi &c. Exurgant quoque omnes Chriſtianiſſimi Principes in vera Germania
exiſtentes & regnantes, in ſubſidium S. Rom. Eccleſiæ, contra novos Martinianos, ſeu
Merginianos, veros Antichriſti præcurſores. O Imperatores, Reges, Principes, Comites,
ac milites Chriſtianorum! Quod ſi nec ſic audire volueritis hanc Orationem queruloſam
lamentabiliter à ſummo Pontifice ad vos Chriſtianiſſimos Principes emiſſam, nec recipere
iſtam ſalubrem doctrinam, ô attendite tunc & videte, &, ſi eſt in vobis ullus ſenſus,
horrete etiam, atque etiam conſiderate quid vos ſequatur: Nimirum illud quod Dominus
dixit ad Moyſem, Num. xxv. cap. *Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos*
contra ſolem in patibulis &c. ut ſupra. Hæc pauca ex auctore illo, quem ſcio in
paucorum manibus eſſe, excerpenda duxi, è quibus de toto opere judicium
fieri poterit. Editio Belgica non minus inſanis latratibus referta eſt.

Anno cIↃ IↃ xxv. Daventriæ Comitia fuerunt celebrata, ad rationem in-
eundam, qua reliqui quinquagies mille floreni repræſentarentur, Duci Gelro-
rorum tradendi, ad capta oppidula & arces redimendas. Et hic magna diffi-
cultas fuit; tandem convenit, ut Epiſcopus duodecim millia conferret, ex
donario quod ipſi diœceſis inferior promiſerat, ager Tranſiſalanus decem mil-
lia, tres civitates Daventria, Campi, Zwolla altera decem millia.

Profeſto Valentini Daventriæ deliberatum, unde portio ei civitati impo-
ſita, quæ ter mille, ter centum & triginta tres florenos aureos conficiebat,
ſumenda foret. Die Veneris poſt Paſchatis propoſitum Tribb. pleb. vel-
lent, juberent noſodochium S. Spititus quingentos flor. domum Domini
Florentii totidem, domum Mag. Gerardi ducentos, domum Brandanam al-
teros ducentos conferre, ad dictæ ſummæ exolutionem.

Poſt hæc Tranſiſalaniæ Ordines in Comitiis generalibus comparuerunt,
ut agro Tranſiſalano cenſum imperarent, ubi contentio exorta eſt, Ordine
equeſtri maximam ejus partem in civitates tranſmovere ſatagente, quæ ei co-
natui ſe oppoſuere, privilegiis ſuis inhærere certæ. Tandem tantum num-
morum collectum eſt, quo præſidio Haſſeltano fieret ſatis, etiam viginti quin-
que florenorum millia magna cum difficultate corraſa, quibus Enſcheda &
Gennemuda è poteſtate Ducis Gelriæ redemtæ.

Epiſcopus poſt multas contentiones ac turbas promiſſum Ultrajecti do-
narium adeptus, in Germaniam reverſus eſt, ibique per novem menſes hæſit,
relicta ditione ſua in ſumma confuſione & calamitate.

Eo reverſo, partes litigantes cauſas ſuas ipſi terminandas compromiſe-
runt, inter quas pacem & ἀμνηστίαν ſancivit, quæ exiguo tempore fuit ob-
ſervata.

Per collationes aliquot inter Epiſcopi delegatos, Gelriæ Ducem, diœceſin
inferiorem, & tres civitates Daventrienſem, Campenſem, Zwollanam, exu-
les civitatis Zwollanæ magiſtratui ibidem reconciliati fuere,

Regio

Regio Tranſiſalana decem florenorum M. ab Epiſcopo accepit, promiſſa ab eodem ad redemtionem quatuor municipiorum. reliqua quoque quæ deſiderabantur ad XXV M. collegit, & Arnemii Duci Gelriæ adnumeravit, qui viciſſim arces Lage & Rechteren Epiſcopo Ultrajectino reſtituit.

Epiſcopus ante diem I. Decemb. Ordines Tranſiſalaniæ ad Comitia convocavit. ubi rogatæ ſunt tres civitates, ut nummos quos rogatu Ordinum Campenſes mutuo ſumſerant, quibus præſidio Haſſeltano ſatisfactum erat, reciperent exolvendos, quandoquidem penes ipſas præcipua occaſio belli fuiſſet. Verum id de communi illarum conſenſu recuſatum fuit, cum decreviſſent privilegia ſua quæ Epiſcopus manu ſua ac ſigillo ſarta ſerta conſervanda receperat, tueri ac defendere quod & obtinuerunt.

Nonnulli è reconciliatis Zwollæ exulibus, cum novarum rerum ſuſpecti eſſent, ut qui dicerentur urbem denuo in poteſtatem Ducis Gelriæ velle tradere, comprehenſi & tormentis ſubjecti fuere.

Anno cIↃ IↃ XXVI. Epiſcopo denuo in Germaniam profecto, Dux Gelriæ Carolus regionem Tranſiſalanam rurſus bello infeſtare cœpit. qua de cauſa Ordines Daventriæ congregati, decreverunt Gennemudam mœnibus eſſe nudandam, itemque arcem Rechteren, eamque hæredibus reſtituendam eſſe.

Miſerunt & delegatos Heydelbergam, ad Epiſcopum, qui reditum ejus urgerent. & ille quidem largiter eum pollicebatur, ſed nullo effectu, venando autem & omni voluptatum genere alteros ibi novem menſes abſumſit. Tandem Ultrajectum redux, genio nihilo minus indulgebat, licet omnia ibi turbis ac ſeditionibus plena eſſent. In morbum cum incidiſſet (alii venenum ei propinatum, alii lue Venerea eum languere ſuſurrabant) Doroſtadium transferri voluit, cum Ultrajecti quieſcere non poſſet. digreſſo præſule, gliſcit in urbe ſeditio. is, licet valetudine afflicta, eodem revertitur, cives aliquot captos ſupplicio afficere conatur, ſed motu per hoc invaleſcente, ſententiam coactus mutat, & capitis ſupplicium in exilium convertit.

Anno cIↃ IↃ XXVI. die Veneris poſt Pentecoſtes, Tribunis plebis Daventriæ propoſitum, placeret eis decimam quarumvis hæreditatum, ſive eæ ſeculares, ſive Eccleſiaſticæ eſſent, exigi, ad reparandas turres & mœnia, cui etiam uſui omnes mulctas impendendas eſſe.

Eodem in feſto Matthæi deliberatum, quid arce Rechteren agendum? Tribuni volebant eam penitus ſolo æquari, Senatus contra, ea maxime de cauſa quod eam datâ fide Zwollani cuſtodiendam recepiſſent.

FINIS LIBRI SECVNDI.

DAVEN-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

DAVENTRIAE ILLVSTRATÆ, SIVE HISTORIÆ URBIS DAVENTRIENSIS

LIBER TERTIUS.

LIBRVM hunc auſpicabimur à Gyberto Longolio viro doctiſſimo, qui circa hoc (niſi me conjectura fallit) tempus, Rector ſcholæ Dauentrienſis fuit. De re ipſa ne quis dubitet, ſubjungam, quæ mihi de ejus vita è variis auctoribus comperta ſunt.

Ultrajecti Gyb. Longolius ex nobili Langeraickianorum familia natus eſt, ſub Annum Chriſti cIↄIↄvII. Primis literarum rudimentis in patria feliciter perceptis, in Italiam ſe contulit: ibique cum linguarum ſtudio Philoſophiæ ac Medicinæ cognitionem conjunxit. Promerente ergo id ipſius doctrina erudita, & virtute, ſummis in arte Medica honoribus ab Italis ornatus eſt. In patriam reverſus apud Daventrienſes ludum literarium aliquantiſper magna cum laude rexit: atque in juventute bonis litteris ac moribus formanda occupatus fuit. Exinde Coloniam Agrippinam ſive evocatus, ſive loci genio invitatus, venit: ſuoque loco literas cum Græcas tum Latinas, collega Io. Cæſario, non ſine applauſu docuit: ſimulque Medicinam exercendo, fidem & induſtriam omnibus, qui cura ejus uſi ſunt, probavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ibi cum paulo ante operam ſuam Academiæ Roſtochienſi addixiſſet, reverſus Coloniam, ut ſupellectilem librariam aveheret, morbo lethali correptus, Euchariſtia ſecundum Chriſti inſtitutionem, ſub utraque, ut loquuntur ſpecie, uſus eſt. Ea de cauſa cum defuncto ſepulturæ locus in cœmiteriis urbis Coloniæ negaretur, exuviæ corporis ab amicis Bonnam devectæ, & pio Eccleſiæ ritu, Anno cIↃ IↃ XLIII. die XXX Maji, conditæ ſunt, tali cum Epitaphio:

Hoc tegitur Saxo Gyberti corpus inane,
Longoliæ gentis qui fuit alter honos:
Dicentem Auſonii vivo Cicerone probaſſent:
Tantus in eloquii flumine ſplendor erat.
Et, quæ doctrinæ fontes tenet Attica lingua,
Sic ipſi tanquam patria nota fuit.
Naturæ varios didicit motuſque viceſque;
Et quæ fœta homini munera terra parit.
Calluit & medicam dextreque exercuit artem,
AEgrotis ſolitus ferre frequenter opem.
Peſtis Agrippinâ cum graſſaretur in urbe,
Eripuit ſævę corpora multa neci.
Id meritum grati cives meminere, feruntque,
Ac artem laudant officiumque viri.
Dotibus his tantis caſtos adjungere mores,
Et ſtuduit vera mente timere Deum.
Huic tamen extincto, quidam qui templa gubernant
Iura ſepulturæ ſancta locumque negant.
Non aliquo talem meruit quia crimine pœnam,
Sed quod vera Dei juſſa profeſſus erat.
Sola novi fuit hæc iratis cauſa furoris;
Non Euangelii lumina ferre queunt.
Huc igitur Bonnam corpus venerabile Rhenus
Detulit, adverſis officioſus aquis.
Et funus magno gemitu cum duceret iſthinc,
Dicitur à lachrymis intumuiſſe ſuis.
Sed mens chara Deo, quod ſpe votiſque petivit,
Nunc fruitur vultu, maxime Chriſte, tuo.

Uſus eſt amicitia virorum ſua ætate doctrinæ laude inſignium permultorum: gratuſque fuit Melanchthoni, cum apud Hermannum Archiepiſcopum Colonienſem, rem Eccleſiaſticam in meliorem formam redigendi cupidum, ageret Anno cIↃ IↃ XLII. *Melchior Adamus Vit. Germ. Medic.*

Ibi

Medic. p. 39. Henric. Pantaleon. l. 3. Proſopograph. Clytræus l. 16. Saxon. Deſſelius Biblioth. Obiit anno ætat. XXXVI. *M. Adam.*

Ad Rectoratum ejus in urbe Daventria luculenter facit Præfatio ejus in Culicem Vergilianum, quem cum eundem auſpicaretur edidit. ita autem habet:

Gybertus Longolius Medicus & Gymnaſiarcha ludi literarii apud Daventrienſes, diſcipulis ſuis S. D.

„Quum expectationi veſtræ, adoleſcentes optimi, importunitate, & hominis neſcio cujus ruſtica inſuavitate ſatisfacere nequeam, volui tamen eleganti aliquo libello, tanquam congiario, animi mei voluntatem erga vos exponere: ſimul ut exactius cognoſcatis, non fortunæ arbitrio, verum probatorum eruditiſſimorumque hominum judicio ad hanc provinciam adminiſtrandam evocatum me fuiſſe. Itaque cum in hanc civitatem, Medicæ profeſſionis gratia, me recepiſſem, quod dextro Apolline & Æſculapio, quam in Italia ab optimis totius orbis terrarum præceptoribus cognoviſſem, ſuccedere videbam, ſtatueram nuſquam alio proficiſci velle, ſed optatas hic profeſſionis meæ ſedes collocare: cum non petentem Senatus prudentiſſimus honeſto & liberali ſtipendio me proſequutus, idipſum quod animo deſtinaveram, quaſi ex compoſito confirmare voluiſſe mihi videbatur. Et hactenus quidem Medica conditione contentus, profeſſionis meæ partes ſtrenuo tutabar: cum ex primatibus quidam me adierunt, rogaruntque ut Gymnaſio per ſecundam Germaniam, ut celeberrimo, ita lectiſſimorum diſcipulorum proventu nobiliſſimo, operam aliquam literatam horis ſuccisivis impenderem, fore enim quod præceptorum variatione aliquantulum declinare cœpiſſet, in integrum mea ſedulitate ac cura reſtitueretur. Reluctantem autem & in annuendo timidiorem cognoſcentes, argumentis etiam me in ſententiam ſuam trahere perſtiterunt. Principio, quod neque mihi neque cuiquam alii indecorum id eſſe poſſet, quando non pauci, annis ab hinc aliquot, Medicinam hic profeſſi ſcholæ quoque non ſine magna autoritate præfuiſſent: quod utraque profeſſio uno veluti ſub præſide Apolline conſtituta eſſe videatur. Omnem autem quam ego cauſabar difficultatem ita præciderunt, quod ex more gentis & patriæ conſilia Medica antemeridianis horis tantummodo dari aſſererent, reliquas autem omnes aut libri aut amici vendicarent. Ut taceam interim de pietate ſermonem, quam patriæ meæ me debentem, tanquam debitum repoſcebant, ſubinde inculcantes, me id ſine alterius ſtudii diſpendio plane facturum. Nam quem in præclara Agrippinatium Academia publico ærarii ſtipendio. quadriennium bonis autoribus prælegendis extraxiſſe cogno-

„viſſent, eum quoque perpetuo in promptu circumferre prædicabant, qui-
„bus bonorum adoleſcentium ſtudiis recte conſulere poſſet. Et quod caput
„erat orationis, de gymnaſiarcha, qui pro tempore præeſt, quemque quo-
„rundam commendatione (cum deligendi inter tam raros nulla eſſet facul-
„tas) admiſiſſent, ſic propemodum ratiocinabantur, hominem quidem eum
„eſſe bonum, & fortaſſe etiam à literis non alienum, ſed ad gubernandam
„vagam juventutem ut ineptiſſimum, ita etiam ſcholæ inutilem. Hæc capita
„erant, optimi diſcipuli, quibus me in ſententiam ſuam facile traxiſſent, ſi
„animus fuiſſet de poſſeſſione ſua aliquem deturbare. Verum cum delatum
„eſſet ad me, hominem ipſum non modo iſtud cupere, verum etiam vehe-
„menter exoptare, ut verum fatear, amicorum precibus locum dedi, & de
„patriæ ſcholæque utilitate cogitare cœpi. Iniquum etiam ratus, ſi tam levi
„de cauſa bonorum virorum animos à me alienaſſem. Cum interea ad me
„rumor adfertur, hominem illum, illum inquam hominem, mutata ſenten-
„tia, tanquam Chironem aliquem, qui meros Achilles doceat, in me criſtas
„erexiſſe, neque etiam à conviciis in publica veſtrum corona abſtinuiſſe.
„Nihil enim eſt, quod me diſcipulum ſuum licet inutilem (agnoſcitis ho-
„minis elegantiam) appellaverit, cum Muſas ipſas in teſtimonium vocem,
„me non modo eum nunquam ut præceptorem, ſed ne hominem quidem
„natum cognoviſſe. Taceo inſulſam illius παθοποιΐαν, qua veluti Hecuba
„ex tragœdia, madidis oculis & ridiculo ejulatu de miſeriis ſuis conſutis
„dolis queſtus eſt. Quas ſanè cum me illi non peperiſſe mihi conſcius eſſem,
„nolui amplius taciturnitate & patientia mea veſtros animos ſuſpenſos te-
„nere, ſed quid a me in futurum annum expectare poſſetis, jam nunc de-
„clarare ſtatui. Quod cum luculento aliquo teſtimonio facere non pote-
„ram, repertum inter ſchedas meas Vergilianum Culicem olim a P. Bembo,
„omnium Italorum eloquentiſſimo caſtigatum, deinde per ocium a me
„& reviſum & ſcholiis quibus nodos & inexplicabiles difficultates reſeca-
„rem, exornatum, diligentius relegere cœpi. Cumque animus a ſeverio-
„ribus ſtudiis quietior eſſet, quædam quæ hactenus fugerant, ſtudioſius an-
„notavi. quam operam etſi exiguam, vobis, optimi adoleſcentes, veluti
„primitias dedico, daturus his longe majora, ubi veſtros in me animos ple-
„niore aliquo teſtimonio & obſequio cognovero. Valete. Daventriæ,
„Kl. Feb.

Edidit Longolius præter ſcholia in Culicem:

Scholia in Eraſmi libellum de civilitate morum puerilium, excuſa Pariſiis apud Wechelum.

Annotationes ad dilucidam claramque lectionem quindecim libris Metamor-

tamorphoſeon P. Ovidii adjectas. Io. Gymnicus impreſſit Coloniæ cIↄIↄxxxiv. & cIↄIↄxxxviii.

Annotationes in obſcura & difficilia loca Rhetoricorum ad C. Herennium, ibidem impreſſas cIↄIↄxxxv.

Scholia quædam in Plautum, ibidem excuſa.

L. Vallæ Elegantiarum libros omnes ſcholiis quibuſdam, ubi hactenus mendoſi fuere, illuſtravit, cum aliis Doctorum Annotationibus. ibid. cIↄIↄxxxix. excuſis.

De Apollonii Tyanæi vita Philoſtrati libros, ab Alemanno Rhinuccino tranſlatos, ad Græcum exemplar emendavit, & Annotationes paſſim marginibus adjecit: impreſſas cIↄIↄxxxii. cum *Euſebio contra Hieroclem*.

Plutarchi opuſcula aliquot moralia, hactenus non converſa, tranſtulit. ibid. impreſſa cIↄIↄxlii. apud Io. Gymnicum: ſunt autem hæc: *Num ſeni ſit gerenda reſpub. De parentum erga liberos amore. Cauſarum naturalium lib. I. Diſceptatio, utrum ignis an aqua ſit utilior. Stoïcos magis mirabilia quam poëtas aſſerere. De tribus reip. generibus, Monarchia, Democratia, & Oligarchia. De odio & invidia.*

Dialogum de avibus, & earum nominibus Græcis, Latinis, & Germanicis, non minus feſtivum quam eruditum, & ad intelligendos Poëtas utilem. Tractat autem ſolum de avibus quas pulveratrices vocant: nam inſtitutum de reliquis etiam perſcribendi mores præpedivit. ibid. impreſſum cIↄIↄxliv. circa finem ſtudioſorum aliquot in ejus mortem Epitaphia adjiciuntur: & ipſius G. Longolii Carmen Elegiacum protrepticum ad bona ſtudia.

Concilium Nicænum, impreſſum Coloniæ Anno D. cIↄIↄxv. ex Græco in Latinum tranſtulit.

Æmilii Probi vitas Græcorum imperatorum ſcholiis illuſtravit, appoſitis locis quos Probus è Thucydide vertit. liber impreſſus Colon.

Lexicon Græco-Latinum, excuſum Coloniæ à Io. Prael, Anno cIↄIↄxxxiii. in 8°. adjectione vocabulorum circiter mille auxit, quæ adjectis aſteriſcis ſignata ſunt. *Geſneri Bibl.* (à qua abeſt Culex.) item

Inſtitutionis Dialectices libb. IV. Theodoricus Bornius excudebat Daventriæ, Anno cIↄIↄxxxvii. menſe Majo.

Guilielmus Hachuſanus (ſive Hachuſius) poſt Gybertum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Longolium ſcholiis illuſtravit *Deſid. Eraſmi Roterodami de civilitate inſignem libellum.* excuſus eſt Coloniæ apud Goſuinum Cholinum, anno cIↃIↃLXXXV. & Montibus Hannoniæ, cIↃIↃCVII.

Floruit Daventriæ una cum Longolio. edidit ibidem. *Officia Cicer. cum argumento Ph. Melanchthon. & ſua præfatiuncula in fronte libri.* operæ preium eſt ejus venam in Poëſi cognoſcere. ergo in Culicem Virgilianum à Longolio editum, hæc ejus eſt προσδιάλεξις.

Quis nitor inſolitus tibi parve humoris alumne,
Quis novus ornavit membra ſepulta color?
Non coma Narciſſi, aut ſemper frondentis acanthi,
Sed tenuit cineres aſpera ſpina tuos.
Obrueratque ſitus, lapidum & cumulatus acervus,
Extabat tituli vix nota parva tui.
Cuſtodem pecoris prope jam deleverat ætas,
Iam propè carpebant pabula nulla greges.
Deſierant docti miſeras meminiſſe querelas
E ſtygio rediens quas canis umbra lacu.
Nunc primo ſplendore immortales amaranthi,
Idalioque roſæ gemma pudore rubens,
Liliaque & violæ, tum Phœbi gloria laurus,
Cumque aliis ingens tu Cypariſſe vires.
Paſtor & ipſe cubans denſa requieſcit in umbra,
Et juxta ludit prata per uda pecus.
Tuque ſoporati recinis leve murmur in aurem,
Et querulos docto fundis ab ore ſuos.
Et neque jam vacuas errans agitâre per auras,
Lætus in Elyſia ſede quietus agens.
Hoc age Longolio dignas pro munere grates,
Nam te Acheronteo liberat ille metu.
Ille tui primus reparat, tumulique ruinam
Inſtaurat, ductu, Bembe diſerte, tuo.

Anno cIↃIↃXXVII. die Jovis poſt Severini, Daventriæ Tribb. plebis abnuerunt è militibus Conradi Penningi plures quam LXXX. in urbem admittere, ac urbs deintegro in quatuor regiones tributa, neutralitas prohibita, Canonicorum non reſidentium præbendæ ad uſus publicos converſæ, cives in cohortes diviſi, homicidis ſalvus conductus, quem vocant, conceſſus, portarum clauſtra mutata, ac negocium datum Brunſveldio & Geſſchero, cum civium ac militum manu Iſalam trajiciendi. Hi in Gelriam moverunt, ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ac per Velaviam, Zutphaniam uſque progreſſi, magnam pecudum prædam abegerunt. verum dum curis ſoluti vagantur & ruſticis moleſti ſunt, illi impulſa campana concurrunt, prædam Daventrienſibus eripiunt, & in fugam eos vertunt, ac uſque ad Iſalam è regione Daventriæ perſequuntur, ubi poſtremos occupant, quorum alii capti, ſubmerſi alii aut cæſi. nonnulli tamen in urbem ſalvi pervenerunt.

Dux Gelriæ templum Wilſemiæ munivit, quo impediret ne commeatus, qui Daventriâ Zwollam curribus inferebatur, libere advehi poſſet. id enim ſemel aut iterum ſingulis hebdomadibus ſolebat fieri. neve ex Iſala ſuperne inferneve aditus in urbes pateret. occupavit & Coburgam è regione urbis Campenſis ſitum, quo eam haud mediocriter afflixit.

Dehinc conventus Appeldornam indicitur, & articuli aliquot conduntur, ſub quibus Zwollani Gelrorum Duci reconciliarentur. ſed illi à Duce perquam negligenter ſunt obſervati.

Delegati Ordinum Tranſiſalaniæ Doroſtadium ad conventum ibi celebrandum evocati, & acturi cum reliquis de receptione exulum Zwollanorum, Epiſcopo ſignificarunt, Carolum Gelriæ Ducem tractatum pacis pro libitu infringere, Itaque cogitandum S. Clem. de mediis quibus ſubditi ſui à vi violenta tuti eſſent. De Zwollanorum calamitate maxima querela fuit, quos ita affligebat Dux, ut ne pedem quidem tuto foras efferre poſſent: quod ſi hiſce malis non proſpiceretur, neutiquam fieri poſſe ut res Tranſiſalanorum ſalvæ eſſent. Epiſcopus amplis promiſſis eos ſolatur.

Interim clam militem in urbem Ultrajectinam introducere molitur, quod ſubodorati Ultrajectini milites quidem excludunt, ipſum autem rogant ut cum aulico ſuo Comitatu pro more ingrediatur, quod ſe facturum negat, & tormenta expediri curat, acſi expeditionem pararet. Ordines Ultrajectini, veriti ne ab Epiſcopo opprimerentur, clam cum Gelriæ Duce agunt, qui centum equites in urbem mittit.

Poſtridie ejus diei qui erat v. Auguſt. Ultrajectini delegatis Tranſiſalanorum ſcripſere, (erant ii Doroſtadii cum Epiſcopo) excuſantes ſe, quod non ſemel fuiſſent moniti ſuper eo quod Epiſcopus equeſtres ac pedeſtres copias paratas haberet, quibus ipſos incautos invaderet, ideoque neceſſitatis cauſa equites intro admiſiſſe, non in fraudem Epiſcopi, ſed ad ſui defenſionem &c. petentes ut & ipſi eo ad ſe venirent, & in commune conſulerent, ne negotium ulterius quam optandum eſſet procederet.

Delegati Ultrajectinis ad haſce literas non ilico reſponderunt, ſed deliberandum ſumſerunt, quid ſibi in hoc negotio (quod magnæ difficultatis eſſe autumabant) agendum foret.

Non multo poſt, de conſenſu Epiſcopi diem amicæ collationi indixerunt, Beverovicum, ubi Ultrajectini cum eis tractarunt.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Quod dum fit, Martinus a Roſſem & complures alii, qua equites qua pedites ſub veſperam Ultrajectum appropinquant, portas effringunt, & omnes in urbem penetrant.

Die VIII Auguſt. delegatis Tranſiſalaniæ apographum epiſtolæ exhibetur, in quâ Dux Gelriæ ſcribebat, ipſos moliminis adverſus Ultrajectinos ex parte auctores fuiſſe, ac cum Epiſcopo ac militari ejus manu in campum proceſſiſſe.

Quibus lectis ab Ultrajectinis delegati petierunt, ut ſeſe apud Ducem excuſarent, ſibique ſalvum commeatum ab eodem impetrarent, atque ab eo ſciſcitarentur, poſſetne pati, ſeſe inter ipſos & Epiſcopum intervenire &c. ſed nihil ſolidi fuit reſponſum.

Quapropter ſtatuerunt Secretarium ſuum, ſalvo ſub conductu Ultrajectum mittere, ut quid in animo haberent, ac quomodo ſe cum equitibus gererent certius cognoſceret. Miſerunt ergo XII Auguſt. die, Hermannum Puffelinck Secretarium Daventrienſem, dato libero commeatu, Ultrajectum, qui ab Ordinibus in domo capitulari congregatis, nomine Dominorum ſuorum quæſivit, an pati poſſet Dux Gelriæ ut inter Epiſcopum & ipſos intervenirent, & an ſi hoc fieret, quicquam adverſus Zwollanos & ſuperiorem diœceſin eſſet moliturus? in eo enim caſu non videri eis conſultum ibi diutius moram trahere. Ultrajectini ea de re ad Ducem ſcripſerunt, & delegatos rogarunt, ut ibi permanerent tantiſper dum reſponſum foret allatum. quod & factum.

Dux Gelriæ ad Ordines Tranſiſalaniæ Arnemio litteras dedit, exprobans eis, quod conſcii fuiſſent moliminis Epiſcopi adverſus Trajectinos, ac hortans ut ſuper eo negocio ſecum ilico tranſigerent, alioqui facturum ſe quod illibenter faceret, &c.

Scriptum hoc Ordines Tranſiſalaniæ valde ſolicitos habebat, ut qui novum cum Duce bellum formidarent, ac ſcirent quicquid ſibi ab eo imputabatur, meram eſſe calumniam. Idcirco civitates Daventrienſis ac Campenſis ſingulæ unum è Secretariis ſuis Arnemium ad Ducem miſerunt, qui ſententiam ejus expiſcarentur, ac quomodo ulterius diſſidium præveniretur rationem inirent.

Dux Gelriæ Secretariis duarum civitatum ſignificari fecit, non impedire ſe quominus de negocio quod præ manibus erat ageretur. quo fine diem amicæ collationi deſtinavit Franchuſiæ habendæ, ad controverſiam præſertim inter ſeſe & Zwollanos componendam.

Delegati quoque Tranſiſalanorum qui Doroſtadii erant, Ultrajecto reſponſum Ducis acceperunt, quo concedebat ut inter Ultrajectinos & Epiſcopum ageretur, ea lege ne vel in maximis vel in minimis quicquam tractarent, niſi ipſum prius certiorem feciſſent, ipſiuſq; conſenſum accepiſſent. Quæ conditio cum ad eorum guſtum non eſſet, ſalutato Epiſcopo domum diſceſſerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Dux Haſſeltam & Gennemudam incautas opprimit. Gennemudam munit, & propugnaculum Nigroponti extruit, Campenſes undique in anguſtias redigit.

Die Bartholomæi Appeldornæ delegati Ducis & duarum civitatum Daventrienſis ac Campenſis convenerunt, ac media quædam in chartam conjecerunt, quibus ad ſtabilem pacem poſſet perveniri. quæ deinde, à Duce, fuerunt explicata & ampliata ad ſuam utilitatem, & ditionis Tranſiſalanæ detrimentum. dies alius aſſignatur, quo negocium, ſi poſſet, perficeretur. Eædem civitates Doroſtadium ad Epiſcopum miſerunt delegatos ſuos, qui eum permoverent, ut articulis pacis conſenſum accommodaret. Hæc porro in mandatis habebant:

1. Ut rogarent ac obſecrarent Epiſcopum conſideraret calamitatem civitatum ac regionum Tranſiſalaniæ, æs alienum cui eæ innexæ erant, atque ita identidem exhauſtæ ac attenuatæ, ut nihil deinceps ad novum bellum quod contribuerent haberent. neque fide ſua interpoſita vel obolum peregre fenerato ſumere poſſent.

2. Ut ergo placeret Cl. S. delegatos de pace cum Gelriæ Duce agere, utque eum in finem unum quempiam è Tribus Ordinibus Trajectinis, petito commeatu, mitteret, qui ſuper eo negocio una cum delegatis Daventrienſium & Campenſium Arnemium ad Ducem proficiſceretur. permiſit hoc Epiſcopus, ſed Ultrajectini requiſiti comparere abnuerunt, ſeque ad bellum adverſus Epiſcopum gerendum compararunt.

Dux Gelriæ cum Ordinibus Tranſiſalaniæ de pace inter ſeſe & ipſos conciliand agitabat. & pactæ fuerunt inter utroſque induciæ, quas quantum ad civitates Daventrienſem & Campenſem, & agrum quoque Tranſiſalanum attinet, ſic ſatis recte obſervavit, ita ut cauſam de eo conquerendi non haberent.

x. Septemb. die habendus erat conventus Appeldornæ, ubi de pace aut bello, ſub conditionibus propoſitis decerneretur. Daventriam itaque Ordines Tranſiſalaniæ congregantur, ubi ex urgentiſſima neceſſitate, ſtatutum fuit, articulos pacis eſſe recipiendos, modo non diſſentiret Epiſcopus Ultrajectinus.

Appeldornam ventum cum eſſet, non potuerunt conſentire in magnas pecuniæ ſummas, quas Dux inſuper à Zwollanis & tota regione poſtulabat. dies ergo rurſum alius conſtitutus eſt Appeldornæ ad XVIII Sept. diem, Satrapa quoque Comitatus Zutphanienſis pollicebatur delegatis Daventrienſibus & Campenſibus, ſe è veſtigio ad Ducem profecturum, ut ab eo præciſam ejus ſententiam reſciſceret, deque ea ipſos certiores facturum. hac de cauſa delegati Secretarium Daventrienſem Appeldornæ reliquerunt, ut decretum ac placitum Ducis Gelriæ Daventriam ad Ordines Tranſiſalaniæ perferret.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ordines Tranſiſalaniæ, intellecto negocio, poſtquam de eo ad Epiſcopum perſcripſiſſent, ad diem XI Sept. omnes, ne minoribus quidem oppidis excluſis, Daventriæ comparuerunt, & non ſine magna difficultate articulos Ducis Gelriæ receperunt, cui & permiſerunt tum ex equeſtri Ordine, tum è civitatibus obſides pro arbitrio ſeligere.

Die XVIII Septemb. delegati utriuſque partis Appeldorni convenerunt. Hic iterum alii articuli, ſuperioribus graviores à Gelris fuere propoſiti: quod mirati Tranſiſalani, hunc indictum diem reſponderunt, eo tantum fine, ut de articulis quos Dux Gelriæ, veluti præciſæ ſuæ voluntatis indices poſtularat ac ſua manu ſubſignarat ageretur. Ad quæ Satrapa Comitatus Zutphanienſis Bernard. ab Hacfort regeſſit; Vos Tranſiſalanos ſcire oportet, Nobis Gelris ſemper paratam ſariſſam præ foribus aſtare, noſq; pollices veſtros ori inſertos tenere, quamprimum libuerit morſuros. Nullum enim rebus veſtris refugium noſtis, quapropter prout nobis placuerit, ita vobis agendum eſt. Inter delegatos Tranſiſalanos erat Conſul Daventrienſis, Mag. Gerardus Swaefken, legationis facile Princeps, homo præter inſignem prudentiam ſingulari facundia clarus, is inſolenti reſponſo Gelri motus, Domine Satrapa, inquit, voſque reliqui Domini, librum, ut arbitror, commeatum nobis conceſſum noviſtis, eumque obſervandum cenſetis. cum annuiſſent, ſermonem proſequutus, Domine Satrapa, inquit. Si Clem. Dom. Gelriæ Dux voſque omnes pollices noſtros ori inſertos tenetis, morſuri quamprimum libuerit, nimirum urget nos neceſſitas eos ex ore veſtro retrahere antequam mordeamur. Porro vos Dominos ac amicos noſtros ſcire operæpretium eſt, regionem Tranſiſalanam ſponſam eſſe ea venuſtate, quæ facile ſponſum quempiam ad ſe ambiendam pellicere poſſit. Tibi autem Domine Satrapa ſerio affirmo, Ducem Gelriæ nunquam Dominio Tranſiſalaniæ potiturum, noſque eum in modum rebus noſtris conſulturos, cujus alioqui nunquam nobis in mentem veniſſet. Ita iritatis animis diſceſſum. ferunt poſtea Ducem, ubi paulo poſt opes univerſas Eccleſiæ Ultrajectinæ præter ſpem ad Burgundos attractas vidiſſet, dixiſſe, ferox reſponſum de pollicibus mordicus apprehenſis, ditionem utramque è faucibus ſibi eripuiſſe.

Tranſiſalanorum delegati, Daventriam reduces, tribunum militarem cum L. peditibus in verba Ordinum adegerunt, cum tempus non ſuppeteret ad Epiſcopum Ultrajectum proficiſcendi eumque ſuper hoc negocio conſulendi.

Gelriæ quoque Dux deintegro diem habendo colloquio deſtinavit, cui ſe Daventrienſes accommodarunt, at Campenſes minime, ut neque Zwollani, unde bellum quam vehementiſſime cœpit recrudeſcere.

Regio Tranſiſalana Bernardum Lappium cum cohorte equitum auctoravit, quibus tres civitates CCC. expeditos equites adjunxerunt.

Dux

Dux Gelriæ univerſam regionem Tranſiſalanam ſibi tributariam fecit.

Nihilominus per Ducem Cliviæ allaboravit, ut de novo dies colloquii aſſignaretur, Hueſſenii celebranda. Hic comparuerunt Conſiliarii Clivenſes, delegati Ducis, Epiſcopi, Ultrajectinorum, & Tranſiſalaniæ. & Tranſiſalani quidem notabili numero delegatos miſerant, è ſingulis Satrapiis binos Ordinis equeſtris, è ſingulis civitatibus majoribus binos Senatores & ſingulos Secretarios. Cum autem grave videretur cum tam multis agere, viſum fuit, deſtinandos nonnullos, qui negocium Cliviæ Duci enarrarent. electi ad hoc ex equeſtri Ordine Ioannes a Bochorſt Satrapa Vollenhoviæ, è civitatibus Petrus a Mouwick & M. Gerardus Swaefken, quibus adjuncti fuerunt Ultrajectinorum delegati.

Poſtulabat Dux Gelriæ, ut ſibi permitteretur Epiſcopo coadjutorem adjungere, ſive is eſſet filius Ducis Lunenburgenſis XXII aut circiter annorum juvenis, ſive filius ſuus nothus, Carolus, qui vigeſimum annum attingebat. huic juramentum præſtaretur, neque deinceps ullus eligeretur præſul niſi de Ducis conſenſu. atque hac lege ſe Zwollanis impoſitum cenſum annum remiſſurum. quod autem propugnaculis quæ Iſalæ, è regione Daventriæ extruxerat acturus eſſet, id cognitioni Ducis Clivenſis relicturum. Hæ conditiones cum Epiſcopi & Tranſiſalanorum delegatis intolerabiles viderentur, eas ad ſuos delegantes acceperunt referendas. unde dies alius ad Iſalæ ripam è regione Daventriæ conſtitutus eſt, quo quæ ſuperioribus ſuis ſuper iis viſum eſſent renunciarent.

Epiſcopus animadvertens Duci eſſe in animo, ut ſeſe Epiſcopatu privaret, ac nudum ſibi ejus nomen relinqueret, cum undique ſe in eas anguſtias præcipitatum videret, unde nullus pateret exitus, clanculum miſit ad D. Florentium de Buren, ac ab eo petiit, ut in aula Burgundica curaret ſibi diem præfigi in Hollandia, ſtatuiſſe enim ſe, Epiſcopatum transferre ad Cæſaream Majeſtatem, ea lege, ut quamprimum ſummam aliquam pecuniæ obtineret, qua militibus ſatisfaceret. Conſtituitur dies Schoonhoviæ, ubi translatus eſt Epiſcopatus & diœceſis inferior ad Carolum V. Imperatorem tanquam Comitem Hollandiæ, & Ducem Brabantiæ. Epiſcopo autem aſſignata ſedecim M. Carolinorum, quorum interventu militi ſtipendia ſolveret, & XXV M. quibus mille pedites auctoraret &c. Acta hæc XV Novemb. Anno CIↃIↃXXVII.

Non multo poſt Dux Gelriæ partim vi partim aſtu varia oppida, arces & municipia in inferiori diœceſi occupat, ita ut univerſæ illius regionis compos fieret, exceptis Ultrajecto & Amersfordia. Tranſiſalanas quoque civitates Daventriam, Campos, Zwollam in eas anguſtias redegit, ut extra portas ſuas pedem promovere non auderent. Daventriæ tria propugnacula objecerat. arcem Schulemburgum, ſive *ter Moelen* & ipſam muniverat. prope

 Cam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Campos tenebat Coburgum, Wilſemum, Gennemudam, ita ut nec terra nec mari liberum egreſſum haberent. Zwollam Haſſelta, Nigropontium, Rechteren infeſtabant.

Adhæc urbes & prædia Tranſiſalana ita ære alieno, & uſuris, pro quibus cives & incolæ corpora ſua & facultates obligarant, innectebantur, ut ſi quando, quod non ſine magno periculo fieri poterat, è regione illa evaſiſſent, quocunque venirent detinerentur, atque etiam in vincula conjicerentur. neque quo pacto quicquam deinceps, fide regionis interpoſita feneri ſumeretur (ut quæ plane videbatur decoxiſſe) ratio iniri poterat.

Quibus conſideratis decreverunt Tranſiſalaniæ Ordines, æquis tranſactionibus & tolerabilibus mediis ſeſe ſubjicere Carolo V. tanquam Duci Brabantiæ, & Hollandiæ Comiti, ea tamen lege ut Pontifex Romanus, Imperator qua Imperator, Romanum Imperium, & Epiſcopus Ultrajectinus in id conſentirent, ſeque juramento quo eis obſtricti erant, exolverent. Quo fine è ſingulis civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, Zwollana, ſingulos Secretarios ablegarunt Schoonhoviam, ubi eo tempore convenerant delegati Cæſareæ Majeſtatis, & Epiſcopi Ultrajectini, transferendo in Cæſarem Epiſcopatum, ut ante diximus occupati. Appulerunt eo Secretarii XVIII Novemb. die, & quæ in mandatis habebant expoſuerunt. ſtatutus ergo dies colloquii in urbe Campenſi habendi.

Interim tres civitates de arce quam Dux Gelriæ Winſemi extruxerat obſidenda deliberant, quod per eam ſtaret quo minus Daventriam ac Zwollam ex urbe Campenſi commeatus invehi poſſet. Miſerunt eo Daventrienſes è Senatu ſuo duos, cum nonnullis qua militibus qua civibus. Campenſes itidem duos cum civibus CCC. quibus & Zwollani pro ratâ portione ſuos adjunxerunt.

XI Decemb. equitum peditumque aliquot cohortes ſuperioribus additæ. in obſidione illa præter velitationes aliquot nullum operæpretium factum. Rumore autem ad obſidentes perlato, Ducem Gelriæ ad ſolvendum obſidionem ſe comparare, ipſi ab ea receſſerunt, ſeque Zwollam contulerunt.

Anno CIↃIↃXXVIII. 2 Januarii die, delegati Campenſium, ad Senatum illius urbis retulerunt de ſententia Cæſareæ Majeſtatis, videlicet non eſſe ei decretum cum Tranſiſalaniæ Ordinibus ullo modo agere, niſi ſeſe pure ac ſimpliciter ſibi tanquam Duci Brabantiæ, & Hollandiæ Comiti ſubjicerent, ac pro hæreditario ſuo Domino ſeſe agnoſcerent.

Senatus hanc rem utrique Tribunorum plebis collegio, aliiſque primariis civibus ſignificavit, petens ut mature ac ſerio de ea cogitarent.

Poſtridie eandem rem toti ſagittariorum (quos vocant) cœtui (ſunt autem ex civibus ii qui in armis exerceri, & ad urbis cuſtodiam adhiberi ſolent) indicavit, enarratis, præter id quod de ſententia Cæſareæ Majeſtatis diximus, ſtatu in quo civitates & univerſa regio eſſent conſtitutæ, violentis Gelri actionibus, & con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

& conditionibus quibus cum Cæſare paciſcendum videretur. quæ cum res eſſet, ſiqua alia, magni momenti, ſe conſilium ipſorum requirere. Hiſce intellectis omnes & ſinguli in hoc conſenſerunt, ut reciperetur Cæſar, tanquam Dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ in Principem hæreditarium, ea tamen lege, ut perpetuo Imperii Romani ac Hanſæ Teutonicę membra eſſent ac haberentur, ac jura ſua privilegia & antiquas conſuetudines inviolatas ſervarent.

Idem factum eſt Daventriæ ac Zwollæ. & VII Januarii die legati Cæſarei denuo Campos venerunt, nec non delegati equeſtris Ordinis ac civitatum, cum plena poteſtate, qui Cæſaream Majeſtatem ſuo & ſuorum hæredum ac ſucceſſorum nomine, tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ in Principem ſuum recepere.

Conabatur hæc Gelrus prævenire, literis ad tres civitates miſſis, ſed fruſtra fuit.

Legati Cæſarei Machliniam ad Cæſarem reverſi, de omnibus ad eum retulerunt, & inſtrumentum tractatus ei legendum exhibuerunt, qui in omnes ejus articulos conſenſit, ſimulque ad bello aggrediendum Ducem Gelriæ ſe comparavit.

Quæ dum geruntur Georgius Schenckius liber Baro a Toutenburch Cæſareæ Majeſtatis nomine Friſiæ præfectus, Campos cum militari manu ingreſſus, illius ac civium ope propugnaculum, quod Coburgum vocabatur, occupavit.

Dehinc Tranſiſalaniæ Ordines coram Schenckio, Imperatoriæ Majeſtati, ut viciſſim Schenckius Imperatoris nomine Ordinib. Tranſiſalaniæ jusjurandũ præſtitit, poſtquam ab Epiſcopo juramento quo ei tenebantur ſoluti fuiſſent.

Juramenti Cæſaris hæc erat formula:

„Hæc juramus nos tanquam Plenipotentiarii, nomine Illuſtriſſimi celſiſſi-
„mi, invictiſſimi Principis ac Domini, Dom. Caroli Dei gratia Imperatoris
„Romani V. tanquam Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ, nos ſanctam
„Eccleſiam defenſuros, viduas & pupillos protecturos, equeſtrem Ordinem,
„civitates, arces, regiones & incolas Tranſiſalaniæ, cum eis quæ ad eos perti-
„nent, cõtinuaturos ac conſervaturos penes omnia ſua jura municipalia, agra-
„ria &c. & quæcunq; alia privilegia, tam Hanſæ, quam aliarum immunita-
„tum, poſſeſſionum, conſuetudinum, unumquemque in ſuo, quod obtinet,
„cujuſve legitimũ hactenus uſum habuit: Inſuper eoſdem defenſuros ac pro-
„tecturos, ac omnia acturos ſecundum tenorem literarum confirmationis, da-
„tarum Anno CIↃ IↃ XXVII. XI Febr. die, ſub ſigillo Cæſareæ Majeſtatis prædi-
„ctæ. Ac denique nos erga dictas civitates, arces, regiones earumque incolas
„ita geſturos, prout bonum Dominum hæreditarium agere decet. Ita nos
„Deus adjuvet, & omnes ſancti ejus.

Hæc quia, occaſione ita ferente, Campis geſta ſunt, ne id Daventrien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſibus, (apud quos, ut in civitate primaria Princeps, ejuſve legatus primum ex more inaugurari debebat) fraudi eſſet, inſtrumentum indemnitatis eis à Campenſibus hoc anno traditum fuit. *Ex lib. Privil. Daventr.*

Porro, qui tranſactioni huic interfuerunt. nominantur, a Burgundis Florentius Egmundanus, Georgius Schenckius, Gerardus Mulardus, Jodocus Saſboutius, Petrus Saudanus, Petrus alius a libellis ſecretis rerum Hollandicarum. Ex equeſtri nobilitate Tranſiſalaniæ Ioannes Mulardus, Borchardus Weſterholtius Satrapa Vollenhoviæ, Lubbertus Mulardus, Io. Stellingius. Ex Daventrienſibus Io. Critius, Henricus Plaetmannus, & Henr. ter Spille, reipubl. ſcriba. è Campenſibus Lubbertus Hattemus, Ger. Burgardus, Io. Vechtus, Timannus Veno, Io. Breda ſcriba. è Zwollanis Io. Herverdenus, & ſcriba Warnerus Puſlingus.

Poſt hæc Georgius Schenckius Nigropontem, Haſſeltam, Gennemudam occupavit. id quod Daventrienſibus ſaluti fuit. res hoc modo geſta eſt: Poſuerat Dux Gelriæ, ut ſupra viſum, præſidium in ripa Iſalæ paulo infra Daventriam verſus Campos, ipſe *Luciferam* (*Morgenſterre*) appellabat, at quia civitati nimium imminere apparebat, ob formidoloſam propinquitatem vulgari loco *Inſpector ollæ* (*Kijck in de pot*) appellabatur, itemque alterum, cui nomen *Altena*, Nibeccam item & Wilpanum propugnaculum. Cum a Burgundis Haſſeltum captum eſſet, mittitur ex Altena exploratum quidam, quo caſtra Burgundi movere pararent. forte tum è caſtris turma equitum interiorem Velaviam verſus expatiatum exierat, ut erat anni tempus amœniſſimum. Hos explorator ille poſtquam vidit palantes, ratus eos Iſalam ad occupandum caſtris locum petere, verſo equo actoque calcaribus celeriter præſidium repetit. Ibi ex intervallo adhuc metu trepidans, & vix ſpiritum præ laſſitudine trahens, ab equo ille exclamat: hoſtes movent caſtra, horſum iter habent, capeſſite rebus omnibus relictis fugam. Creditum adeo nuncio per errorem vano fuit, ut extemplo neglectis cum aſſis ad focum verubus, vix ſpacium in fugam ſe abripientibus armandi colligendive ſarcinas fuerit. fugam horum, trepidatio eodem prope temporis puncto Luciferianorum ſecuta eſt. Daventrienſes hoſtium fuga cognita, civitate confertim effuſi, tranſmiſſo vado primum Altenam diripiunt, ac demoliti cum aggeribus ſolo ita adæquarunt paucis horis, ut veſtigium prope inexpugnabilis munitionis nullum extaret. Inde Luciferum adorti certatim magno labore (quia id longe altero, ob lateritia propugnacula & alia cæmentaria opera validius erat) disjecere. lateres in civitatem tranſvecti eodem ardore, atque inde in foro domum librandis ponderibus deſtinatam paulo poſt ædificarunt, quam libram Daventrienſem appellarunt. inſculptis ſempiterno apud poſteros monumento & in hoſtis contumeliam Luciferi, & Ollam inſpectantis capitis ſymbolis.

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃxxviii. feſto Martini hujus ædificii fundamenta jacta· abſolutum videtur Anno cIↃIↃxxxvi. is enim numerus inter gradus exaratus viſitur. Eodem die, Geldrus Nibeccam ac præſidium Wilpicum injecto igne deſeruit. Et ad iſtum quidem maximè modum æquato timore tribus munitionibus Dux amiſſis tot anteactas de Tranſiſalanis victorias uno die obliteravit. Contumeliam libræ ita ægrè dicitur tuliſſe Dux, ut poſtmodum pace facta cum Cæſare, occultis conditionibus inſeruiſſe feratur, ne Daventrienſes (ob dictam cauſam) ſe vivo Iſalam ponte jungerent. v. *Hortenſ. Rerum Vltrajectin. lib.* vii.

Vario deinceps Marte pugnatum. Roſſemius Gelricarum copiarum ductor una cum præſidio Ultrajectino Hagam deprædatur, Burgundi Hattemum, Elburgum, Harderovicum occupant. Campenſes munitionem Wilſemenſem, a Gelris deſertam ſolo æquant, Epiſcopus Ultrajectum incautum opprimit, ubi in Gelricam factionem carceribus, ſuppliciis, confiſcationibus ſævitum. Rena quoque denuo in ejus poteſtatem venit. Tandem legati Cæſarei Ultrajectum ingrediuntur, ut Cæſareæ Majeſtatis nomine, tanquam Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ urbem & diœceſin inferiorem in fidem aeciperent, juxta contractum cum Epiſcopo initum. quod & factum, ubi Ordines diœceſeos inferiores juramento quo Epiſcopo tenebantur ſoluti ſunt, qui deinde Epiſcopus Wormacienſis creatus fuit, captivi, quos præſul in vincula conjecerat liberati, exules reducti, & cleri omnia privilegia a Cæſare ſtabilita.

Pax quoque coivit inter Cæſarem & Gelriæ Ducem, in has leges, ut Dux ejuſque legitimi, & ex ipſo orti hæredes Ducatum Gelriæ & Comitatum Zutphanienſem poſſiderent, quod ſi contingeret eum decedere ſine prole maſcula è legitimo thoro ſuſcepta, Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanienſis hæreditatis jure perveniret ad Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ excepta ſola Groninga. Arcem Covordiæ & Drentiam ad vitam obtineret, quæ ipſo ſine hærede mortuo, ad Tranſiſalaniam reverterentur, ac Cæſari, dicta qualitate Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ, ejuſque hæredibus ſubjicerentur.

Ordinibus Tranſiſalaniæ hæc tranſactio diſplicuit, eo quod Cæſar eis pollicitus eſſet, ſe ditionem Tranſiſalanam redintegraturum, id quod factum non eſſet, quum Gelrorum Duci civitatem Groninganam, Covordiam, & univerſam Drentiam reliquiſſet, unde hactenus omnium onerum, cenſuum, exactionum ſolidus quadrans fuerat collectus. nec de nihilo ſollicitu erant, quando ita confeſtim in eo tractatu ſuo jure fraudati erant, quid tandem procedente tempore ſibi poſſet obvenire, præſertim conditionibus pacis ita inter ἀπόρρητα habitis, ut nullis nec ſuperioris nec inferioris diœceſeos Ultrajectinæ

jectinæ civitatibus earum ἀπόγραφον concederetur, quarum tamen maxime intererant earum cognitione non carere.

Daventriæ ante feſtum Petri ad vincula, à Tribb. pleb. propoſitum, ut Senatus reduceretur ad ſedecim capita, quorum quatuor anno toto conſulari poteſtate eſſent, id vero à Senatu recuſatum.

Poſt Dominicam Judica, Paſtori Daventrienſ. Eccleſiæ injunctum, ut ante certum diem urbe excederet, neve interea temporis concionando aut aliter ſeditionem moveret.

Die Veneris poſt Luciæ deliberatum de obtrectatione ejuſdem Paſtoris, qui ad invidiam Magiſtratui conciliandam, coronam ſuam ſacerdotalem, neglecta tonſura, obliterari permittebat.

Anno c I ɔ I ɔ x x I x. Henricus Bavarus Epiſcopus, eo quo dictum eſt modo Epiſcopatu ſuo exutus, mœſtus in Bavariam rediit, & circa feſtum S. Ioannis Romam miſit, ad Epiſcopatum, quoad juriſdictionem ſpiritualem in manus Clementis V I I. Papæ reſignandum, utque aula Epiſcopalis Ultrajecti permaneret, eam Pontifici tradidit, qui quem vellet ejus adminiſtratione provideret.

Imperator non multo poſt Hermannum Slach-heck, qui poſtea Archidiaconus, & præpoſitus Daventrienſis ab eo creatus fuit, Romam ablegavit, ut quæ inter ipſum & Epiſcopum ac utriuſque diœceſeos Ordines tranſacta erant, ſuo aſſenſu comprobaret. quod & factum eſt.

Papa Clemens VII. Epiſcopatum Ultrajectinum, quantum ad juriſdictionem ſpiritualem, Cardinali Enckevortio Epiſcopo Derthuſienſi in Hiſpania, contulit. Huic Epiſcopatui nihil deinceps aderat præter juriſdictionem ſpiritualem, oppidum ac arcem Doroſtadianam, cum aliquot florenorum millibus annuis, & aulam Epiſcopi in urbe Ultrajectina, omnes reliquæ ditiones, urbes, arces utriuſque diœceſeos hæreditario jure ad Carolum V. ejuſque ſucceſſores devolutæ ſunt.

Cardinalis Enckevortius hoc anno factus fuit L I X Epiſcopus Ultrajectinus, qui Epiſcopatum per procuratorem ſuum Iacobum Wittigen, quem Ultrajectum miſit, curavit adminiſtrari. Antea ipſi Epiſcopi in eo tenebantur reſidere, eam maxime ob cauſam, quod diebus celſi judicii, & Comitiis judiciariis in Tranſiſalania intereſſe ſolerent, quæ ipſorum jura jam ceſſabant.

Orto inter hæc contentio inter Zwollanos & Haſſeltanos, eo quod hi Aquas Nigras, ut vocant, ponte junxiſſent, id quod Zwollani ſibi non eſſe perpatiendum judicabant, cumque vererentur ne coram Cæſareo præfecto & Ordinibus Tranſiſalaniæ cauſa ſua periclitaretur, operam dederunt, ne eorum hac in parte ſibi ratio eſſet habenda, utque ea coram conſilio ſecreto decideretur, id quod non ſine difficultate tandem obtinuerunt. viſum eſt ei con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

conventui, fluvium ab Aquis nigris denominatum, Cæſarei juris eſſe, nec proinde licuiſſe Haſſeltanis propria auctoritate ei pontem imponere.

In actis præpoſituræ Daventrienſis hoc inſtrumentum invenio, vernacula lingua ſcriptum:

„ Anno CIↃIↃXXIX. XIX Maji die, coram me Winando Pipherinck, „Canonico Daventrienſi, & Vicario Domini præpoſiti, præſentibus viris feu„datariis præpoſituræ, comparuit Doctiſſ. &c. Mr. Winoldus ab Arnhem, „Doctor & Conſiliarius illuſtriſſ. & generoſiſſ. Principis, Caroli Gelriæ & „Juliaci &c. Ducis, ac requiſivit, ut in ſeſe facultates ac feudum conferrem, „quod defunctus D. Gerardus à Wilpe ejuſque majores antehac ſoliti fuiſſent „recipere nomine præpoſituræ Daventrienſis. Ad quæ ego Winandus Vicarius „ſupradictus reſpondi, me ejuſmodi feudi conferendi, inſcio Domino meo „præpoſito, ejuſque injuſſu, facultatem non habere, cujus ſingulari mandato „jam id contuleram in Adelheidam Frieſe a Cuynre, legitimam uxorem ſtre„nui Domini Ioannis a Reneſſe equitis &c. qua de re dictus Doctor Wi„noldus proteſtatus eſt, de negata ſibi feudi collatione. præſentes erant „Theodoricus ab Averenck, Magr. Gerlacus Doys ſequeſtri, & Henricus „ter Spille Secretarius Daventrienſis, tanquam feudatarii ejuſdem præpoſi„turæ ad hoc vocati.

Aliud inſtrumentum, ex autographo, Latine:

„ Paulus de Capiſuchis, J. U. D. Sanctiſ. D. noſtri Papæ in ſpiritualibus „Vicarius generalis, Romanæque Eccleſiæ judex ordinarius, univerſis & ſin„gulis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. Notum facimus & „atteſtamur per præſentes, Rever. in Chriſto Patrem & Dominum, D. Io. „Franciſcum de Bitonto, Epiſcopum Neapolis Antiochiæ, vices noſtras hac „in parte gerentem, de mandato & commiſſione noſtris, datæ præſentium, „Romæ in camera ſuæ modernæ reſidentiæ, ſita in regione pineæ, prope „templum glorioſiſſ. virginis Mariæ de Minerva, dilectum nobis in Chriſto „filium Bernardum Hillebrandi Clericum Trajectenſem . . . . ad quatuor „minores ſive acolytatus ordinem, juxta ritum, morem, uſum, obſervan„tiam, & conſuetudinem S. Rom. Eccleſiæ, cum ceremoniis & ſolennitati„bus in ſimilibus fieri ſolitis & conſuetis promoviſſe & ordinaſſe. In quorum „omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, per præſentes „literas exinde fieri fecimus, & per Notarium noſtrum infra ſcriptum ſub„ſcribi, ſigillique noſtri juſſimus appenſione muniri. Datum & actum Ro„mæ ubi ſupra. ſub Anno à nativitate Domini milleſimo, quingenteſimo vi„geſimo nono, Indictione ſecunda, die vero Sabbati, octava menſis Maji. „Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Cle„mentis divina providentia Papæ ſeptimi, Anno ejus ſexto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Die Lamberti placuit Senatui ac Tribb. pleb. Daventriæ, viſitari libros Lutheranos, bonos permitti, malos exuri.

Veneris poſt Luciæ placuit, mandata Cæſaris adverſus Lutheranos publicari, ac executioni mandari.

Dux Gelriæ Carolus controverſiam movit ſuper proprietate Iſalæ fluvii, & in agro Daventrienſi jus areſti uſurpavit. adverſus quæ Commiſſarii Cæſarei proteſtationem interpoſuerunt de incompetentia judicis.

Anno cIↃIↃxxx. IV Martii die, D. Georgius Schenckius liber Baro in Toutenborch, Præfectus Tranſiſalaniæ nomine Cæſareæ Majeſtatis prima celebravit Comitia Vollenhoviæ, ubi nomine Daventrienſium comparuerunt M^r. Gerardus Swaefken, & M^r. Egbertus a Doetecum.

In feſto Valentini, ita acciſæ erant urbis facultates, ut nec Dominis ſua honoraria, nec apparitoribus ſtipendia perſolverentur.

XV Novemb. præfectus Comitia judiciaria in arce Vollenhoviana habuit, quibus nomine civitatis Daventrienſis interfuerunt iidem Scabini qui ſupra.

Anno cIↃIↃxxxI. XVII Junii Comitia judiciaria in arce Vollenhoviæ à præfecto celebrata, præſentibus Daventrienſium nomine iiſdem quos ſupra nominavimus.

XXII Septemb. Decanus & Capitulum Daventrienſe, in Senatum tranſtulerunt jus collationis Eccleſiæ D. Virginis. *Ex lib. Privileg.*

Anno cIↃIↃxxxII. in feſto Matthæi, placuit, imagines quaſdam libræ Daventrienſium, ad ludibrium Gelrorum appoſitas, inde amoveri.

Veneris poſt Lamberti propoſitum à Senatu Daventrienſi in conventu tribunorum plebis, placeretne Cæſareæ Majeſtatis Commiſſarios admitti, qui de Lutheraniſmo ſuſpectos inquirerent ac punirent? Reſponſum, nullo modo concedi poſſe, ut ulli Commiſſarii extranei id juris uſurparent, ſed accuſandos eſſe ſuſpectos coram Conſule, aut nonnullis è Senatu ad hoc delegatis.

II Auguſt. die, D. Georgius Schenckius una cum Ordinibus Tranſiſalaniæ, frequentibus Comitiis, ſuper damno ac tributis, quæ multo jam tempora intermiſſa fuerant, reſtaurandis vacavit, eaque celebravit Daventriæ, præſentibus ex illa civitate Scabinis Petro a Mouwick, M. Gerardo Swaefken, Henr. Plaetmanno, M. Egberto a Doetecum.

Vixit hoc tempore Ioannes a Daventria, fratrum minorum regulæ obſervantium in provincia Colonienſi Miniſter, quem, quia ex cognomine videtur Daventrienſis fuiſſe, hic omittere non debui. Deſſelius Tranſiſalanum fuiſſe agnoſcit. edidit autem hoc anno Coloniæ librum cui titulum fecit, *Catapulta fidei* adverſus Anabaptiſtas. & Anno cIↃ IↃxxxv. alterum, qui inſcribitur, *Exegeſis Euangelicæ veritatis adverſus Auguſtanam confeſſionem.* ibid. apud Melchiorem Noveſianum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃxxxiii. obiit diem ſuum D. Wilhelmus ab Enckevoort, Epiſcopus Ultrajectinus, & eligitur ejus loco D. Georgius ab Egmond filius Ioannis primi Comitis Egmondani.

Die Lunæ poſt Apolloniæ Coſſ. Daventrienſ. Dotinchem, Grotenhuys, decretum in Senatu, ut quicunque Magiſtratu fungens moreretur, ſive is eſſet Camerarius, ſive Scabinus, ſive Conſiliarius, aut quamcunque dignitatem gereret, pretium ſive honorarium quod eo anno accepturus erat, ad uſus civitatis converteretur, ac pro eo confeſtim ipſo anno ſcyphus argenteus compararetur, cui defuncti inſignia in perpetuam ejus memoriam inſculperentur. *Ex lib. Atteſtationum.*

Hoc anno Georg. Schenckius cum Ordine equeſtri, & trium civitatum delegatis Comitia judiciaria in arce Vollenhoviana celebravit, quibus nomine Daventrienſium intererant Henricus Plaetman.... quibus delegatis digreſſis ſucceſſerunt M. Gerardus Swaefken, & M. Gerlacus Doys.

xxiv Septemb. idem Georg. Schenckius Comitia celebravit Daventriæ, quibus ex illa civitate intererant Petrus a Mouwick, M. Gerardus Swaefken, M. Gerardus Krijt, Henricus Plaetman.

Hiſce Comitiis petivit G. Schenckius a tribus civitatibus primariis, ut diebus judiciariis celſi (quod vocant) tribunalis, una cum ipſo comparere vellent, idem eas rogabat Ordo equeſtris. idque receperunt, ea lege, ne ſibi judicia committerentur terminanda, ſed tantum ad conſilia in medium conferenda adhiberentur.

Hoc anno medicos Daventrienſes invenio Franciſcum Fabricium Ruremundenſem, & Io. Reidanum, ad quem extant literæ Georgii Caſſandri ſuper religionis negocio. *Operum ejus pag.* 1117.

Anno cIↃIↃxxxiv. floruit Daventriæ inſignis Geographus Hermannus Venraed, qui luculentam Sphæram terreſtrem compegit ac ſua manu deſcripſit, è qua licet temporis injuria jam fere corrupta, hæc ipſius ad Lectorem verba deſcribere operæpretium duxi:

Hermannus Venraed Artium Mag^r. S.S. Theol. Bacc. formatus, & Medicinæ Candidatus pio Lectori bene agere:

„ Quanta laude quantoque honore Geographia digna ſit nemo opinor eſt „qui ignoret, adeo etiam ut Strabo ille libro 1. non ſemel judicet eos in„civiles eſſe & ad publica munia officiaque inutiles qui Geographiæ partem „non attigerunt. hæc eſt ea diſciplina per quam omnibus aliis ſcientiis non„nihil ornamenti accedit. Ulyſſem Homerus 1. Odyſſ. lib. tanquam a ma„gna ſapientiæ parte commendaturus eum eſſe dicit, *qui mores hominum mul„torum vidit & urbes.* hic enim Geographiæ fructus eſt, ut totius terræ quem-

,,admodum inhabitatur, partes, inſignia loca, maria, ſinus, amnes, montes, ,,fontes, ſpecus, lacus, aliaque innumera ex pictura, ſcriptorum aucto- ,,ritate accedente, & ordine, quod præcipuum eſt, in omnibus obſervato ,,cognoſcantur. quamobrem Philoſophia ipſa magna ex parte laborabit ,,deficietque ſi Geographiam neſciat. Theologus quoque multa ignorabit in ,,Hiſtoriis neglecta Geographia. nempe nullus locus eſt quo quicquam ,,inſigniter geſtum eſt qui non per Geopraphiam accuratiſſime reponatur. ,,Cum enim lego apud Suetonium, Florum, Virgilium cæteroſque Hiſtorio- ,,graphos, M. Antonium ab Aug. Cæſ. navali prælio ad Actium promonto- ,,rium devictum, quid de Actio cogito? ſi Geographia Duce eum Epiri ,,tractum non cognovi in quo Actium promontorium eſt? præterea ſi ab ,,Alexandro Darium aut ad Granicum Phrygiæ, aut ad Iſſon Ciliciæ, aut ,,Arbelam Aſſyriæ gravi clade affectum apud Curtium, Plutarchum cæteroſ- ,,que lego, quid Granicus? quid Iſſus? quid Arbela? apud Strabonem, ,,Melam, Solinum peto, neque hos locos, & vel mille alios intelligere ,,abſque Geographia potes. In ſacris quoque infiniti ſunt loci quos ſi ſitus & ,,Geographiæ rationem non habeas minime intelliges. unus eorum ſuffi- ,,ciet. Lucæ verba ſunt cap. 2. *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur* ,,*univerſus orbis.* vide ex Ambroſio quid ibi ſit deſcriptio, & quod totum or- ,,bem juſſerit deſcribi. mille alii ſunt loci quos omnes enumerare non ,,eſt neceſſe. proinde, ſtudioſe Lector te moneo rogoque, ut ſi tum ſacras ,,tum prophanas literas planius intelligere velis, pauliſper animum Geogra- ,,phiæ applices, unde & jucunditatem & utilitatem capies maximam. Vale. ,,Anno cIɔIɔxxxv.

Hujus anni xxi Martii die xxx naves Anabaptiſtis onuſtæ ex omnibus oppidis & pagis juxta Amſtelodamum ſolverunt, dicebantur ad cœnobium montis S. Agnetis prope Zwollam tendere, ubi ad decem millia qua virorum qua feminarum ejus ſectæ conventura erant. capta fuit Amſtelodami magna horum hominum multitudo, apud eos hæ literæ repertæ:

,, Dilecti fratres, profecturi eſtis ad ſemi-miliare prope Haſſeltam, ad ,,cœnobium montis, ibi ante meridiem præſto eſſe vos oportet, nec citius ,,nec ſerius, niſi vultis à lupo diſcerpi. dies conſtitutus eſt xxiv Martii. ,,cavete nequis emaneat, qui ſe ipſum quæret, ei vindicta divina improviſo ,,eveniet.

Haſce literas Amſtelodamenſes Campos miſerant, eas ab ſeſe apud quendam Arnoldum Pauli inventas narrantes, qui & dixiſſet, in monaſterio quod à Campo S. Ioannis nomen habet, itemq; in Windeſemenſi eos congregatum iri.

xxii Martii die multæ naves ex Hollandia Aquas quas vocant Nigras appulerunt, juxta Gennemudam, ſariſſis & omni armorum genere onuſtæ, viris quoque ac feminis ſectæ Anabaptiſticæ. Borchardus a Weſterholt Vollen-

Vollenhoviæ, & Otto a Rechteren Gennemudæ Satrapæ, haſce naves detineri juſſerunt, cumque eos qui iis vehebantur interrogarent quonam tenderent, reſponſum tulerunt, Monaſterium eos petere, ut fratres ac ſorores obſidione liberarent. hæc ipſo illo die à Satrapis illis, Campenſibus ſignificata, qui & ab eis rogabantur, ut delegatos ſuos Gennemudam mittere vellent, in commune conſulturos.

Poſtridie Campenſes quatuor è Senatu ſuo Gennemudam miſerunt, videlicet Gerardum Loſium, Tymannum a Veno, Nicol. Croeſer, Ioan. a Vechta.

XXV Martii die ab Enſa inſula, ad Aquas Nigras ſubductæ ſunt XXI naves Anabaptiſtis onuſtæ; in quibus ſeſquimille (aut præter propter) ſariſſæ, multæ ſecures, quatuor vexilla, totidem tympana, ac ſimile inſtrumenti bellici genus repertum. viri non multo pauciores tribus millibus, cum magna turba mulierum ac liberorum, undique comportatorum. naves hæ continuo armis exoneratæ fuerunt, & qui cum eis reperiebantur cuſtodiæ mandati.

Horum hominum plerique quæcunque habebant ſecum detulerant, poſſeſſionibus ſuis pretio perexiguo diſtractis, rati ad cœnobium montis S. Agnetis ſe Spiritu Sancto donandos. interrogati quonam iter haberent, reſpondebant, ad montem Sion. omnibus facultatibus ſpoliati fuere, multa etiam ipſi projiciebant in mare.

Delegati Campenſium Gennemudâ datis ad Campenſem Senatum literis, ſignificarunt, conſultum ſibi videri ut negotium hoc cum Regina Belgii gubernatrice, & cum D. Georgio Schenckio Tranſiſalaniæ præfecto communicaretur, & ab hoc peteretur, ut Gennemudam ſe conferret quod & factum.

Exitus hujus tragœdiæ hic fuit: Mulieres & pueri doli incapaces dimiſſi fuere, è viris autem præcipui, a quibus ignarum vulgus tam miſere deceptum erat, ſecuri percuſſi, capita perticis, corpora rotis ad exemplum impoſita.

Eodem tempore complures Anabaptiſtæ curribus, equis, pedibus ad idem cœnobium confluxerunt, nec ex Hollandia modo, ſed & ex Gelria, Comitatu Zutphaniæ, oppido Nyenhuys & aliunde, qui omnes capti, rebus ſuis exuti, alii poſt tædioſum carcerem dimiſſi, alii è præcipuis ſupplicio affecti fuere.

Die Lunæ poſt Palmarum, Senatus ac Tribb. plebis Daventrienſes, interpoſito juramento ſe ſibi invicem corpore ac facultatibus, noctu & interdiu opem ac auxilium collaturos promiſerunt, adverſus errorem Lutheraniſmi, quo titulo omnifariæ tum temporis hæreſes nobilitabantur.

Martis poſt Jubilate, Tribb. plebis ejuſdem civitatis placuit, ut ad petitionem eorum qui Monaſterium obſidebant, tormentum majus & minus, data cautione de reſtituendo, commodato eis mitteretur, modo duæ civitates ſociæ idem facere non abnuerent.

XV Octobr. Rex Anabaptiſtarum Monaſterii XXVI Apoſtolos emiſit regnum Dei prædicaturos. quorum VIII Oſnabrugum, VI Coeſveldiam,

v Warendorpiam, VIII Suſatum petiere. qui cum plerique capti & capite plexi eſſent, unus eorum, Henr. Hilverſum Goylandus eum Epiſcopo egit, ut liberatus urbis res exploraret ac proderet. id acturus Monaſterium redit, ac regi ſe non ſine miraculo evaſiſſe retulit, damnato videl. ad mortem apparuiſſe in carcere angelum, qui eum è carcere liberarit ac domum redire juſſerit, nunciatum regi, datas ſibi a Deo III urbes potentes. Amſtelodamum, Daventriam, ac Veſaliam. eaſque brevi ſub ejus poteſtatem redactum iri. Rex nuncium lætus ſuæ familiæ aſcripſit & annulo aliiſque inſignibus cohoneſtavit. Iohanni cuidam Gelenio Duci eorum qui ex Hollandia Friſiaque regi Sionis ſuppetias laturi magno numero congregabantur, felicem hunc nuncium per literas ſignificavit, ac in propoſito eos animavit. Henricum ab Hilverſum cum magna pecunia in Hollandiam Friſiamque miſit ad faciendum militem. cui comitem adjunxit Ioannem quendam Nottelium. cum ad teli jactum ad caſtra Epiſcopi appropinquaſſent, Henricus deſerto ſocio cum pecunia recta ad Epiſcopum ſe contulit, ubi deinceps manſit. Nottelius Daventriam petiit, ubi non diu moratus, Monaſterium reverſus eſt, ſuum infortunium & ſodalis transfugæ perfidiam regi expoſiturus. *Hortenſ.*

Anno CIↃIↃXXXV. Imperator in Tranſiſalaniam miſit diploma, quo interdicebatur, nequis cum Danis aut Norwegis ullum commercium agitaret. quod diploma civitates publicare noluerunt, ac per Ioannem a Vechta, & Nicolaum Verheyden, vigore privilegiorum Anzæ Teutonicæ quibus gaudent, apud Gubernatricem obtinuerunt, ut id abrogaretur. qua de re, literas ejuſdem Gubernatricis tum ad præfectum, tum ad civitates datas, etiamnum reperire eſt.

Sabbato poſt Agnetis, quatuor è Senatu Daventrienſi, & octo Tribb. pleb. ſelecti qui Inquiſitoriam in omnis generis hæreticos poteſtatem exercerent.

Menſe Aprili, vel circiter, duo Anabaptiſtæ Daventriæ capite truncati fuere.

XIII Junii Georg. Schenckius Zwollæ Comitia celebravit, quibus Daventrienſium nomine intererant Mag. Gerardus Swaefken, Hermannus ter Beecke.

Dominica poſt Baptiſtæ, allatæ in Senatum literæ Reginæ, quibus poſtulabat, ut Ordines Tranſiſalaniæ, una cum Namurcanis, Arteſianis, Hannoniis, Flandris, Zelandis, Brabantis, Hollandis, Friſiis, Ultrajectinis, ante diem XV Julii Bruxellas ſe conferrent, acturi de unione ac federe inter haſce provincias ſanciendo, quo ſibi mutuo in caſu periculi aſſiſterent, eoſdemque amicos & hoſtes haberent. in hanc petitionem a Senatu ac Tribb. pleb. conſenſum eſt.

Veneris poſt Exalt. crucis, Senatus & Tribb. plebis reciproco juramento ſeſe

ſeſe purgarunt, quod nihil commune cum errore Lutheranorum haberent, ac ſtatuerunt ſiquis eo infectus deprehenderetur, eum capite luiturum, ſalva interim liberis manente ejus hæreditate.

VI Octob. Schenckius Comitia judicialia habuit Vollenhoviæ, quibus intererat Daventrienſium nomine Mag. Ger. Swaefken, cujus loco ſuffectus fuit Mag. Gerlacus Doys.

Anno cIↄIↄxxxvi. Carolus Gelriæ Dux invitis Groninganis in eorum urbe caſtrum extruere voluit, quod cum obtinere per ſe non poſſet, Carolo filio ſuo notho, quem iis præfecerat, ut id effectum daret injunxit. id vero grave illi videri, quod juramento ſe aſtrictum ſciret Groninganorum privilegia inviolata ſervare. multa ſe quoque ab eis beneficia accepiſſe & in flagranti eorum gratia eſſe. cumque parentis ſui pertinaciam probe noſſet, ſatius habuit præfectura ſua reſignata, alio ſe conferre, id quod Senatui Groningano ſignificavit, & cum magna utrinque benevolentiæ teſtificatione, eis valedixit, ac in Germaniam profectus eſt.

Eo digreſſo Groningani cum D. G. Schenckio nomine Cæſareæ Majeſtatis agere cœperunt, de deſerendo Duce Carolo, & Imperatori ſe ſubjiciendo. quod cum Carolo innotuiſſet, ad civitates Daventriam, Campos, Zwollam hujuſcemodi literas dedit:

,,Honorati, prudentes, dilecti &c. Perlatum ad nos eſt, D. Georg. ,,Schenckium Cæſareæ Majeſt. nomine præfectum &c. in hoc eſſe, ut no- ,,bis invitis, ac in noſtrum præjudicium, adverſus pacificæ vicinitatis leges, ,,cum civitate noſtra Groningana clandeſtina conſilia agitet: qua injuria ,,cum ab illo afficiamur, non ambigimus quin facile conſideraturi ſitis, ,,ad quæ tentanda adverſus ejuſmodi actiones adigamur. cujus noluimus ,,vos neſcios eſſe; ut de rebus veſtris prudenter cogitetis. Datæ in urbe noſtra ,,Arnemio, cIↄIↄxxxvi.

Sollicitos admodum habuit civitates hæc Epiſtola, quæ bellum eis non obſcure minari videbatur, a quo non immerito abhorrebant. Quapropter Tranſiſalaniæ Ordines Ungariæ Reginam, Belgii gubernatricem ſupplices rogarunt, concederet & ſibi & viciſſim Gelriæ Ducatui in eo bello neutris partibus adhærere. quod illa non invita permiſit, unde ſuper eo negocio cum Duce cœperunt agere, qui & ipſe conſenſit.

VIII Junii D. Georg. Schenckius Groningæ receptus ac nomine Cæſ. Majeſt. inauguratus fuit, eiſdem conditionibus quibus id peregerant Tranſiſalani. id quod ipſo die tribus civitatibus ſignificari curarunt, quo meliori animo eſſent, ac Ducis minas minus curarent.

Accenſo bello milites G. Schenckii in territorio Tranſiſalano XI equites qui Gelro militabant comprehenderunt, & duo eiſdem tormenta eripuerunt. Poſtulabat ergo Dux ut Tranſiſalani tormentorum pretium exolverent, ac capti-

captivos liberarent, vigore pactæ utrinque neutralitatis. quibus tergiverſantibus, multa fuerunt habita colloquia, & multum inſumtum pecuniæ, donec Imperator cum Duce pacem iniret.

Georgius Schenckius cum arcem Covordianam, & Kinchorſtam obſideret, IV Octob. die, Borchardum a Weſterholt Satrapam Vollenhovianum ad Campenſes ablegavit, rogatum ut Satrapæ tormenta aliquot, cum pulvere pyrio & globis commodaret, quibus ſibi adverſus Kinchorſtam uſus eſſet. Excuſarunt hoc Campenſes, cauſati, ſi tale quid committerent, futurum ut neutralitas violata cenſeretur, à Provinciæ Ordinibus, de conſenſu Reginæ gubernatricis, cum Duce Gelriæ contracta.

x. Decemb. Pax inter Cæſaream Majeſt. & Ducem Gelriæ concluſa fuit. cum autem ſupereſſet quæſtio de proprietate fluminis Iſalæ, Imperator mandatum citationis ad judicium Cameræ adverſus Gelrum obtinuit. verum controverſia ea eodem menſe Graviæ compoſita ac ſopita fuit.

Anno CIↃIↃXXXVII, XI Januarii, Georg. Schenckius præfectus Friſiæ ac Tranſiſalaniæ &c. Mag. Gerardus Mulert, Cæſ. Majeſtati à Conſiliis &c. Fridericus a Meulen præfectus armamentarii, & Antonius de Bru Theſaurarius militaris, omnes Cæſ. Majeſt. delegati, Comitia cum Ordinibus Tranſiſalaniæ Daventriæ habuerunt. quibus nomine Daventrienſium intererat Mag. Gerlacus Doys.

Dux Gelriæ cui cum Rege Galliæ conveniebat, conatur ditiones ſuas (quum hærede legitimo careret, nec vellet eas incidere poſt obitum ſuum in manus Burgundorum, quod tamen in contractu cum Cæſare ſtipulatum erat) vivus adhuc in illum transferre. Enchuſæ inſidias ſtruit, quæ cum non ſucceſſiſſent ex voto, Regina Ungariæ Campenſes monet, ut rebus ſuis caverent.

Dux Gelriæ Arnemi Comitiis convocatis, Ordinibus Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanienſis, propoſitum ſuum de transferendis ad Gallum ſuis ditionibus declaravit, id quod tam ægre acceptum eſt, ut regionum ac civitatum delegati, ſpecie digrediendi pauliſper ac ſuper hoc negotio conſultandi, repente omnes ad ſuos profecti ſint, ac arces omnes ac munitionibus, tum urbium, tum municipiorum unico fere die in poteſtatem ſuam redegerint, atque ita Ducem omni ſuo regimine exuerint. Wilhelmum porro Ducem Cliviæ in protectorem ſuum, dum viveret Dux Carolus, & poſt obitum ejus, in Dominum ac Principem elegerunt. quod eorum factum Carolus, ad hoc requiſitus, approbavit.

III Novembr. die, Georgius Schenckius Comitia generalia Daventriæ celebravit, quibus nomine Daventrienſium intererant M. Gerardus Swaefken, Ioannes ab Eſchede, Henricus Plaetman, Theodorus a Brunſvelt.

Dominica Adventus Tribb. pleb. urbis Daventrienſis auctores fuerunt, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ut macellum publicum venundaretur, platea dilataretur, & macellum aliud commodiori loco ædificaretur.

Anno cIↄIↄxxxviii. Carolus Gelriæ Dux cum ſupra modum animo angeretur, quod ſubito ac inopinato omni ſuo regimine excidiſſet, incidit in gravem morbum, ac vitam cum morte commutat xxix Junii die, quum principatum obtinuiſſet annos xlvi.

Ut ſuperſtitiones hujus temporis lectori pateant, transferam in Latinum ſermonem literas Daventriæ hoc anno exaratas, è quibus & nomina quorundam ibidem præcipuorum Monachorum innoteſcunt. ſunt autem iſtæ:

„Nos frater Weſſelus Stoeldraeyer Guardianus, frater Gualterus ab „Apeldoorn Lector, frater Ioannes Segelaer, frater Arnoldus ab Olden-„zael, frater Reinerus Nicolai, frater Gerardus a Weſicke, frater Ioannes „ab Apeldoorn, frater Ioannes ab Harderwijck, frater Ioannes a Lochum, „Seniores conventus fratrum minorum in Daventriâ, notum facimus & „teſtamur hiſce noſtris literis patentibus & obſignatis, nos ex debito pro-„mittere, noſtro ac ſucceſſorum noſtrorum nomine, Adelheidæ Ioannis „ab Unna defuncti viduæ, nos ab hoc die ac deinceps in perpetuum quo-„tidie ad defuncti ejus mariti Ioannis ſupraſcripti ſepulcrum ituros, animæ „ipſius, ut & ipſius liberorum, & utriuſque cognatorum, memores futuros, „per *Miſerere mei Deus*, perque aquam luſtralem, ſecundum bonam & anti-„quam conſuetudinem ſanctæ Eccleſiæ: idque pro certa pecuniæ ſumma, „quam nobis prædicta Adelheida legitime ac recte exolvit. In fidem verita-„tis ſignatæ conventus noſtri ſigillo Anno cIↄIↄxxxviii. in Vigilia Petri ad vincula. Appenſum autem erat ſigillum in cera rubra, cui impreſſus erat crucifixus.

Anno cIↄIↄxxxix. Campis erat viceeuratus quidam, a Mag. Alberto Pighio præpoſito S. Ioannis Ultrajecti, & Paſtore urbis Campenſis ibidem conſtitutus, nomine Arnoldus Gratius, domo Colonienſis. Hic cum concionando valeret, ac in flagranti gratia civium eſſet, maxime eorum qui in partibus Teutonicis verſati fuerant, atque inde Auguſtanæ confeſſionis guſtum ſecum attulerant, facile in ſuſpicionem Lutheraniſmi incidit, quo nomine ab Officiali Ultrajectum citatus eſt, ut ibi ſe purgaret ſuper iis quæ in concionibus ſuis obſervata ſequioris notæ eſſe dicerentur. Hæc res cum ad aures civium perveniſſet, ægerrime eam tulerunt, nec permittere voluerunt ut eo proficiſceretur, quando nihil propius eſſe appareret, quam ut ſeditio in urbe ſi id fieret, oriretur: convenerunt ergo in templum quod à Spiritu S. nomen habet cives & opificum ac ſagittariorum collegia, ac ſtatuerunt, nullo modo ſibi tolerandum, ut Arnoldus Ultrajectum evocaretur, ſin eſſet qui adverſus eum quicquam prætenderet, ei fas eſſe Campis eum convenire ac reum peragere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Interim Senatus, cum utroque Tribunorum pleb. collegio in curia congregantur, ad quos civium nomine decem aut duodecim delegantur, rogantes, ut ſibi auxilio eſſe velint, ad hoc, ut Arnoldo Gratio Campis permanere concederetur, & accuſatoribus ejus mandaretur, ut actionem ſuam ibidem adverſus eum inſtituerent, certi ex jure & æquo cauſam ejus non minus ibi quam alibi terminatum iri. addebant, decretum eſſe civibus eum neutiquam dimittere. Senatui conſultum viſum nihil præcipitanter hac in re ſtatuendum eſſe, ſed omnia quærenda media quibus res in longum extrahi poſſet. reſponſum ergo dederunt civibus, ſe de re tota ad M. Albertum Pighium præpoſitum &c. perſcripturos eſſe. Atque hac ratione concurſum populi diſſolverunt.

Senatus Campenſis, prout receperat, ad Pighium ſcripſit, nullo modo ſibi conſultum videri, ut vicecuratum ſuum ita derepente extruderet, vehementer enim ſeſe vereri, ne, ſiquid per imprudentiam hac in parte committeretur, res in nervum eruptura eſſet.

Circa hæc Georgius Schenckius Vollenhoviam Comitia judicialia convocarat, quibus nomine Daventrienſium interfuturi erant M. Gerardus Swaefken, & M. Gerlacus Doys. Eum ergo miſſis eo delegatis, Campenſes de hoc negocio certiorem fecerant. Quo cum Provinciæ Ordinibus communicato, viſum eſt, ut & ipſe & illi Campos ſe conferrent, ibique cœpta Comitia continuarent. quod & factum, ac Pighius quoque eodem ſe contulit.

Die Sabbati poſt Gereonis & Victoris, D. Georg. Schenckius, Ordo equeſtris Tranſiſalaniæ, & Deputati civitatum Daventriæ ac Zwollæ, una cum Senatu Campenſi, & utroque Tribb. plebis collegio, Albertus item Pighius & Arnoldus Gratius ejus vicecuratus in Curia Campenſi congregati ſunt. Ibi Pighius Arnoldum accuſavit, ejuſque doctrinam ſugillavit, in faciem ei dicens, ſe non amplius eum pro vicecurato ſuo habere conſtituiſſe, æquum eſſe urbe cederet, ob multas rationes fuſe ab ipſo productas. Addidit, ſibi probe conſtare, Campis haberi conventicula, & urbi pernicioſa conſilia a nonnullis agitari, qui ſi eodem quo cœperant pede pergerent, urbem in grande periculum eſſent adducturi. horum coryphæos ſibi non ignotos eſſe &c.

Arnoldus Gratius, gravibus hiſce Pighii accuſationibus auditis, perterrefactus expalluit, ſeque quantum poterat defendit.

Dehinc a Præfecto & Ordinibus per ſententiam Arnoldus condemnatus fuit, ac juſſus ipſo die urbe excedere, nec in ejus ditione, regione Tranſiſalaniæ, aut Friſiæ quoque deinceps pedem ponere. ſed præſtat ſententiam ſubjungere è Belgico verſam:

„ Quandoquidem ad aures Clementiſſ. noſtræ Dominæ, Reginæ ac guber-
„natrices

,,natricis perlatum fuit contentionem quandam aliquo abhinc tempore ex-
,,ortam fuiſſe inter Rever. D. Mag. Albertum Pighium præpoſitum S. Ioan-
,,nis Ultrajecti & Paſtorem Campenſem ab una, & D. Arnoldum Colonien-
,,ſem ejuſdem Campis vicecuratum ab altera parte, unde ulterius diſcrimen
,,non de nihilo metuendum eſſet, placuit ejus Majeſtati, Clementiſſ. noſtro
,,præfecto D. Georgio Schenckio, libero Baroni a Toutenburch, Do-
,,mino in Wedde & tractu Weſterwoldingano, Cæſareæ Majeſtatis nomine
,,præfecto Generali Friſiæ, Tranſiſalaniæ, Groningæ & ditionis Groninga-
,,næ injungere, ut vitandæ omni ſeditioni & litigio, in cauſam inquireret,
,,ac de ea ut ſibi conſultum videretur ſtatueret.

,, Quapropter S. Clem. hodierno die, una cum ſuis Conſiliariis & Offi-
,,ciariis, ac Ordinibus Tranſiſalaniæ, præſente Senatu urbis Campenſis &
,,utroque ibidem Tribunorum pleb. Collegio, qui totum negotium S. Clem.
,,arbitrio permiſerunt, cauſa coram ipſis diſceptata, judicarunt ac ex juſto
,,& æquo pronunciarunt ut ſequitur:

,, Quum ergo conſtet, prædicto D. Arnoldo vicecurato, in urbe Cam-
,,penſi palam objectum fuiſſe eſſe eum hæreticum manifeſtum, cujus rei
,,ipſe, data in hoc arrha, qui præſentes erant in teſtes vocavit, nec tamen
,,ſeſe ſuper hoc hactenus defendiſſe. Item, poſtquam ſuper articulis quibuſ-
,,dam a Rever. Domino Epiſcopo Ultrajectino citatus eſſet ad cauſam coram
,,eo, aut ejus officiali, tanquam legitimis ejus ſuperioribus, dicendam, nec
,,comparuiſſe eum, nec ſe purgaſſe, ſed inobedienter ac contumaciter,
,,quod minime decebat, adverſus eos ſe geſſiſſe, unde a die citationis com-
,,motio quædam & ſeditio inter cives gliſcere cœpit:

,, Viſum fuit Clem. D. Præfecto, de conſenſu Ordinum Tranſiſalaniæ,
,,ad majus infortunium præveniendum, & concordiam ſtabiliendam, Ar-
,,noldo imperandum eſſe, ut è veſtigio Paſtori ſuo M. Alberto Pighio cla-
,,ves omnium rerum quæ ad Paſtoratum Eccleſiæ ſpectant, reſtituat, &
,,ante ſolis occaſum civitate ac diſtrictu Campenſi excedat, ſub capitis pœna,
,,utque in perpetuum è regionibus Friſiæ ac Tranſiſalaniæ, earumque tam
,,majoribus quam minoribus urbibus ac oppidis, nec non è civitate Gro-
,,ningana & Omlandia exulet, ſub prædicta pœna corporis & facultatum.
,,Quod ſiquis eum poſt latam hanc ſententiam domo exceperit, eum quo-
,,que eidem pœnæ obnoxium fore.

Tribb. pleb. ægerrime tulerunt, quod Pighius tam indigne de civium
congregationibus fuerat loquutus, ac ex eo audire voluerunt, quinam illi
eſſent, de quibus palam coram Præfecto & Ordd. Provinciæ dixerat, ſe ca-
pita factionis probe noſſe, ut ii pro qualitate delicti ſui puniri poſſent. quod
ſi tergiverſaretur Pighius, & eos nominare vel non vellet, vel non poſſet,
ſeſe illum calumniæ reum habituros, qui ea de cauſa debitam correctionem

ſubiturus eſſet. neque enim ſibi tolerandum eſſet, ut peregre ac paſſim pro ſceleratis ac proditoribus traducerentur. Cum Pighio hanc ob rem vix viæ tutæ eſſent, civibus eum amariſſimis verbis quocunque pergebat inceſſentibus, Præfectus denuo Ordines Tranſiſalaniæ, delegatos Daventriæ ac Zwollæ civitatum, Senatum Campenſem & utrumque Tribb. collegium, una cum Alberto Pighio præpoſito, in curiam convocavit. ubi Pighius palam omnibus audientibus teſtatus eſt, ſe verba de quibus inſimulabatur, non eo modo neque eo ſenſu prolocutum eſſe, quo ab aliis perperam eſſent accepta, ſed animo bono quod dixerat dixiſſe, civem ſe urbis Campenſis eſſe, in ea natum, in ea facultates ſuas habere &c. quæ cum civibus non ſatisfacerent, poſt longam altercationem, magna cum difficultate eo res à præfecto deducta eſt, ut ſibi ac Provinciæ Ordinibus cauſæ arbitrium permitterent: qui in hæc verba litem hanc deciderunt:

„ Quandoquidem die Sabbati proxime præterito Rev. D. D. Albertus „Pighius præpoſitus ad S. Ioannis Ultrajecti, Paſtor Campenſis, in accuſa„tione adverſus vicecuratum ſuum Arnoldum Colonienſem inſtituta, inter „alia verba nonnulla prolocutus eſt, quæ à Senatu & utroque Tribb. pleb. „Collegio civitatis Campenſis in ſequiorem partem accepta, ac ad animum „revocata ſunt, prout id ipſum Clem. D. præfecto indicarunt, eo, die ho„dierno res deducta fuit, ut hæc querela è Senatu Campenſi, ſuo & utriuſque „Tribb. pleb. Collegii, opificum quoque & ſagittariorum nomine, pure ac „plene arbitrio Clem. D. Præfecti, ac Ordinum hujus Provinciæ commit„teretur, ſub promiſſo, citra contradictionem acceptandi obſervandiq; quic„quid a Clem. D. Præfecto & Ordd. decretum ac pronunciatum fuerit.

„ Quapropter Clem. D. Præfectus ac Ordines, perpenſis omnibus quæ „ad rem faciunt, ac præcipue conſiderato, quod verbis a præpoſito prolatis „nemo nominatim deſignatus eſſet, quodque ea a præpoſito bono ac bene„volo animo, tanquam a viro erga civitatem Campenſem amanter affecto, „monendis civibus, non lædendis, eſſent prolata, quod ratione ſatis evi„denti probetur, cum idem præpoſitus, Campis natus, ibidem facultates, „charitates ac neceſſitudines haberet, ea de cauſa Clem. D. Præfectus atque „Ordines judicant æquum eſſe ut ei declarationi cives acquieſcant. Ut autem „clare favor & affectus D. Præpoſiti erga civitatem Campenſem innoteſce„ret, Clem. D. Præfectus & Ordd. eundem eo induxerunt, ut paratus ſit, in „honorem Cæſareæ Majeſt. ex favore, amore, & amicitia, Paſtoratum urbis „Campenſis, è veſtigio ac, ſine ulla mora, in manus Senatus ejuſdem urbis „reſignare, quo ab hac hora eis liceat eligere & creare bonum, probum, ido„neum Paſtorem, qui ipſos ſalutari doctrina ad ſalutem animarum ſuarum „inſtituere poſſit. Qua de re civitati, quæ ad hoc ſumtus ſuppeditatura eſt, „ejuſmodi ſigilla, bullas, brevia a Papali ſanctitate, præter diploma Cæſ.

„ Majeſt,

,,Majeſt. traditurus eſt, quæ ad hoc negotinm requirentur. Quo ipſo unusquiſque deinceps ulteriori ſuſpicione liberatur; ita ut nemo, quicunque is ,,fuerit, & cujuſcunque partis in honore ſuo ullam læſionem aut jacturam ,,ſubeat, ſed amice ac benevole tota res compoſita eſſe intelligatur. Actum ,,Anno cIↃIↃ XXXIX. XIII Octobris.

Juxta hæc præpoſitus Pighius civitati Campenſi reſignationem Paſtoratus tradidit, & bullam ac conſenſum Papæ eis impetravit. Atque ab hac origine jus conferendi Paſtoratum ad Magiſtratum illius urbis pervenit. Ad hæc mandato Præfecti, ad pulſum campanæ promulgatum fuit, ut unusquiſque a ſeditioſis vocibus & conventiculis ſibi caveret, niſi ſummas pœnas ac indignationem incurrere vellet &c.

Hoc anno Imperator Carolus V. tanquam Dux Brabantiæ & Comes Hollandiæ, civitatibus Tranſiſalaniæ permiſit jus cudendi florenum argenteum viginti aſſium. ſed nullo effectu, cum res ea tota civitatibus ſuſpecta eſſet.

Dux Clivenſis interdixit Daventrienſibus, ne pontem inſtaurarent, donec jus ſuum circa eam rem demonſtraſſent.

Anno cIↃIↃ XL. die S. Luciæ Tribb. pleb. Daventr. auctores fuerunt, ut a Regina gubernatrice peteretur, ſiquando literas daret ad Senatum, inſcriptionem dirigeret ad Scabinos & Conſiliarios, non autem ad Prætorem. quam in rem Senatus conſenſit.

Liber ex quo hæc, & nonnulla præcedentia, ſub nomine Actorum veterum Tribb. pleb. (*een olt Meente-boeck*) deſumta ſunt, fuit inſcriptus: *Concordata Legiſlatorum, ab anno Domini* cIↃCCCCLXXV. ubi *Legiſlatorum* nomine Tribb. pleb. inſigniuntur.

Hoc anno obiit Georgius Schenckius in arce Vollenhoviana.

Anno cIↃIↃ XLI. XIV Auguſti die, Imperator Carolus V. Ultrajecti triumphali pompa receptus fuit.

Anno cIↃIↃ XLII. cum bellum inter Cæſarem & Cliviæ Ducem, ratione Ducatus Gelriæ videretur imminere, Tranſiſalaniæ Ordines a Dn. Maria Regina & Belgii moderatrice petierunt, ut in illo caſu ditio Tranſiſalaniæ ab hac, Velavia autem & Zutphaniæ Comitatus viciſſim ab altera parte a belli muniis vacare poſſet. id quod eis primo ad XIV dies, mox ad VI hebdomadas, poſtea ad bimeſtre ſpatium conceſſum fuit, & quoties induciæ elapſæ eſſent, denuo fuerunt renovatæ. Ita ut Tranſiſalani toto belli tempore inter Cæſarem & Clivenſem, neutralitate fuerint gaviſi, ea tamen lege, ne Gelris commeatum adveherent.

Martinus a Roſſem Mareſchallus Ducatus Gelriæ, in ea regione mille quingentos pedites legit, nemine conſilii ejus conſcio. Regina gubernatrix civitates ea de re certiores fecit. Unde Daventrienſes ad Ducem Cliviæ ſcripſerunt, milites aliquot in vicinis locis conglobari, qui regi Galliarum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

aliiſque ſuam operam addixiſſe ferebantur, rogabant autem Ducem, ſignificaret ſibi, quid ab eis expectandum ſibi foret, cum timerent ne in regionem Tranſiſalanam irruerent, maximopere etiam flagitantes, ut facultates ſuæ quas in Ducatu Gelriæ & Comitatu Zutphaniæ poſſidebant extra periculi aleam conſervari poſſent.

Reſpondit Cliviæ Dux Daventrienſibus XXIV Junii die, nullos ſe equites peditesque contrahere niſi ad reſiſtendum Turcæ, prout alii Principes Imperii eidem rei invigilarent: ſi vel Galliarum Rex, vel Principes alii militem legerent, id ſe inſcio ſuoque injuſſu fieri, neque negocium hoc ſibi placere. Injunxiſſe porro ſe ſuis, ne quiquam adverſus præſcriptum Imperii militarent. Neque alio ſe animo eſſe, quam cum Tranſiſalaniæ civitatibus, ac aliis vicinis omnibus ac ſingulis, amice ac pacate vivendi.

Martinus a Roſſem cum ſuis equitum peditumque turmis, trajecto Moſa, Brabantiam intravit. adverſus quem Regina gubernatrix, Principem Arauſionenſem, Comitem Burenum, & Dominum de Buſſy cum exercitu in Ducatum Juliacenſem immiſit, quem penè totum occuparunt, ac poſtea militem dimiſerunt.

Menſe Auguſto Daventriæ Tribunis pleb. placuit, ut omnes mulctæ impenderentur extructioni munimenti ante portam Brinconiam, quod tunc affectum erat. Item ut cives viritim, atque etiam Eccleſiaſtici ad id ſumtus conferrent. quod ſi Eccleſiaſtici forte tergiverſarentur, in memoriam eis revocaretur, quod aliis temporibus, quum aula eis exactiones imponere niteretur, ſub protectione civitatis Daventrienſis latuiſſent. *Lib. Communitatis ab Anno* CIↃ IↃ XLII. II Junii.

Die Simonis & Judæ placuit ſubſidium pecuniarum adverſus Turcam colligi, & ex equeſtri Ordine & civitatibus quempiam ad Comitia Imperii ablegari.

Anno CIↃIↃXLIII. Daventriæ omnes ſubditi Ducis Cliviæ ac Gelriæ ad pulſum campanæ urbe exacti, reliquis peregrinis juramentum fidelitatis imperatum. omnia horrea, omneſque ædes extra muros ſolo æquatæ, à porta Montis uſque ad molam ſubventaneam quæ erat Winoldi a Ryſſen, incluſive.

Die Jovis poſt Aſſumtionis, placuit cenſum contribui adverſus Friſios, ea lege, ut Drentia quoque ſub regione Tranſiſalaniæ comprehendatur.

Eodem tempore poſtulatum, ut capitulum Daventrienſe tormentum bellicum unum, cœnobia vero collatis ſumtibus duo fieri curarent.

Die S. Thomæ Cæſarea Majeſtas exegit centeſimam omnium mercimoniorum. quæ res ægre à civitatibus admitti potuit.

Martinus a Roſſem Ducatum Juliacenſem receperat, Amersfortium quoque ſibi adjungit, quo rumore in Tranſiſalaniam pervagato, terroribus omnia

omnia repleta fuere, præſertim quod Cæſar peregre abeſſet, nec an in vivis eſſet ſatis conſtaret. Campenſes ſibi metuebant ab obſidione. Regina Maria militarem manum mittit, ad obſidendum Amersfortium, quâ non expectatâ Roſſemus, oppidum illud rurſus deſeruit. Acceſſit malo, quod Cæſariani à Juliacenſibus cæſi fuerint prope Sittart, ejus nomine oppidum.

Menſe Majo Cæſareæ Majeſtatis & Regis Daniæ legati, amicè contulerant in urbe Campenſi, ſuper controverſia quadam inter illos nuper exorta. Danus enim omnes naves Belgicas in freto quod Sundam appellare ſolent, areſto detinuerat, una cum mercibus quas vehebant. cum jam prope conveniſſent, Ranzovius evocatur, eique vel ore, vel per oblatas clanculum literas, clades Cæſarianorum nunciatur. qua intellecta, tergiverſari Dani, & actionem penitus abrumpere. Sequuta eſt magna annonæ charitas, cum frumentum ex illis partibus huc devehi prohiberetur. Inſimulabatur Cardinalis Caraffa hujus facti, eum enim calamitatem Cæſarianorum Bruxellâ ad Danos perſcripſiſſe plerique ſuſpicabantur.

Cæſar circa hæc neutralitatem qua gaudebat Tranſiſalania abolevit, hiſce ſcriptis literis:

,, Nobiles, dilecti &c. Significatum nobis eſt à Regina Ungariæ, Bo-
,,hemiæ &c. vidua. noſtro nomine in Belgio gubernatrice, dilecta noſtra
,,Domina ac ſorore, ditionibus noſtris Tranſiſalanis ab origine hujus belli,
,,neutralitatem eſſe conceſſam, quam viciſſim obtinuit Comitatus noſter
,,Zutphaniæ & regiones Velavicæ: eam vero dicta noſtra Domina ac ſoror
,,promiſit, ad tenuioris ſortis ſubditos Tranſiſalaniæ à rapinis & incendiis
,,præſervandos, donec procedente tempore earum virium exercitum colli-
,,geremus, per quem, auxiliante gratia divina, ſperaremus ditiones noſtras
,,Gelriæ ac Zutphaniæ ad noſtrum obſequium nos adducturos. Quum au-
,,tem impræſentiarum è regno noſtro Hiſpaniæ per Italiam in haſce regio-
,,nes, ejus rei perficiundæ gratia appulerimus, ac ingentes equitum pedi-
,,tumque copias ſub ſignis habeamus, quibus prima opportunitate hoſtiles
,,regiones invadere, ac Cliviæ Ducem eo adigere ſtatuimus, ut nobis cedat
,,ea quæ ex jure & æquo noſtra ſunt, & quorum poſſeſſioni deceſſores ejus
,,in forma maxime ſolenni renunciarunt; ad quod negocium omnes noſtros
,,bonos ſubditos nobis auxilio eſſe decet, prout nec dubitamus vos quan-
,,tum in vobis eſt alacriter præſtituros: Hinc petimus a vobis & rogamus,
,,ut hoc tempore cognato noſtro Comiti Bureno, generali noſtro Tranſiſa-
,,laniæ præfecto, cui in mandatis dedimus, ut hoſtibus noſtris pro viribus
,,noceat, ejuſcemodi adjumenta ſuppeditetis, è quibus deprehendere poſſi-
,,mus affectum veſtrum quo ad nos juvandos in recuperatione regionum
,,noſtrarum Gelriæ & Zutphaniæ propendetis, in qua certe propria veſtra
,,ſalus vertitur, ſublata neutralitate, per quam bella foveri & promoveri
,,ſolent.

„ſolent. Hæc ſi feceritis ſeriæ noſtræ voluntati obſecundaveritis. Deus vos „ſua gratia conſervet. IV Junii die Anno CIↃIↃXLIII.

Comes Burenus haſce literas Campis accepit, quæ tum ipſi, tum toti civitati gaudium magnum attulerunt. Senatus tormenta bellica omnia ex urbe prope domum telonii ſubvehi, ac ex omnibus turribus, in modum triumphi, ſclopeta exonerari fecit. Præfectus cum matronis ac virginibus, & præcipuis è Senatu civibuſque epulatus eſt, ac ſtrato Iſala flumine navigiis eaſdem cum adoleſcentulorum Comitatu ludicra pompa ſubvexit. Ac poſtmodum equeſtribus ac pedeſtribus copiis collectis, quas inter multi è nobilitate Tranſiſalana nomina ſua profeſſi erant, Turenum, Cliviæ oppidum a Cæſare obſeſſum cum iis movit. Cæſar Comitem peramanter excepit, cujus equites pediteſque mirum in modum ei placebant, quibus & conſtabat eum indigere. occupatur urbs vi armata, & tota deinceps ditio in fidem Cæſaris ſe dedit. Dux Cliviæ genibus Cæſaris ſupplex advolvitur, & Gelriæ ac Zutphaniæ ditiones ei tradit. Martinus a Roſſem ejuſdem miniſterio ſeſe devovet.

Cæſar Principem Arauſionenſem Gulielmum a Naſſau Præfectum ditionis Gelricæ & Comitatus Zutphanienſis creat, qui in iiſdem regionibus, Cæſaris vice, tanquam Dux Gelriæ & Comes Zutphaniæ inauguratur.

Anno CIↃIↃXLIV. nobilis virgo Maria a Beccum, quod in diverſa ab Eccleſia Romana ſententia eſſet, a matre ædibus exturbata in diœceſin Trajectinam venit. quod reſciſcens præfectus ei Provinciæ, miſit *Goſuinum à Raeſvelt* cum multis apparitoribus qui eam comprehenderent, in ædibus fratris ſui Ioannis a Beccum ubi latitabat. è lectulo ergo cum ſurrexiſſet, nox enim erat, uxorem fratris ſui Urſulam interrogavit, velletne ſeſe comitari? quæ reſpondit, ſi maritus non abnueret, ſe ei fore comitem: is, flagitante id Maria ſorore, annuit, itaque ſimul abiere. venerant ad eam mater ac ſoror è Friſia, quo animum ejus inflecterent, ſed fruſtra fuerunt, itaque eis valedixit. Pariter vectæ Daventriam, cleri inſultus ibi, præſertim cujuſdam fratris Gruelli expertæ ſunt, qui cum eas a ſententia dimovere non poſſet, eas & ultricibus flammis, & Satanæ, quantum in ſe erat, devovit. Inde in arcem Deldenſem perductæ. ubi delegatus quidam ex aulâ Burgundica multum cum eis altercatus eſt. inter alia, num rebaptizatæ eſſent quærens; cui illæ, ſemel ſe juxta inſtitutionem Chriſti baptizatas, unum verum baptiſma eſſe, quod qui acceperit Chriſtum induiſſe. quæſivit item quid de præſentia Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento ſentirent, quod illæ ad ejus ἀνάμνησιν inſtitutum, ac eo fine percipiendum reſponderunt. Cum autem Pontificum inventa, ut aliena a verbo Dei repudiarent, ad mortem fuerunt condemnatæ. Cum abducerentur, cantantes progrediebantur, ac cœtui hominum ſequentium tam triſte ſpectaculum miſeranti, non patimur, inquit Maria,

tan-

tanquam veneficæ aut ſceleris cujuſpiam convictæ, ſed ut Chriſtianæ. itaque noſtra cauſa flere nolite. Ad locum ſupplicii cum perveniſſent, conſolatæ ſe invicem, ac oſculo ſupremum vale dicentes, Deum, ut ignoſceret judicibus, quia quid facerent ignorarent, merſos ſuperſtitionum caligine illuminaret, ac animas ſuas in cœleſte gaudium reciperet precatæ ſunt. Maria, judices prius exhortata ne plus ſanguinis innocui deinceps effunderent, hilaris ad rogum properavit. carnifex cum execratione tumultuabatur, quod catena non ut vellet ſe haberet, quem illa modeſte increpuit, ac ne ſui corpuſculi cauſa, quod tanti non eſſet, nomen Dei blaſphemaret rogavit. Parochus Deldenſis Urſulam à ſorore avertit, at illa ſeſe ad eam denuo convertens, velle ſe ait exitum ſororis ſuæ aſpicere, in cujus gloriam & ipſa introire deſideraret. Exuſta Maria, denuo hanc interrogarunt an nondum à pertinacia diſcedere vellet, gladio, ſi hoc faceret, ferienda. ſed conſtanter recuſavit. uni è villicis ſuis forte præſenti, injunxit, marito ſuo valediceret, ac ut Deo inſerviret, cui jam ipſa immolaretur, ſuo nomine eum moneret. Pyræ extructæ admota, junctis manibus, Orationem Dominicam exorſa, cum diceret: Pater noſter qui es in Cœlis; ſanè, inquit Parochus, ibi ille invenitur. cui illa, quia eum ibi quæro, ac non in corruptibili pane, mihi mors ſubeunda eſt. Cum ſtruem lignorum aſcenderet, ac pes vacillaret nonnihil, lapſura mihi inquit videor; quod judex de abnegatione interpretatus, deſinite, exclamavit, parat enim defectionem. Nequaquam reſpondit illa, ſed truncus cui innitebar nutabat. abſit ut Chriſtum deſeram. ſic & ipſa ad palum alligata mortem patienter perpeſſa eſt. *Martyrol. Anab. part.* 1. *p.* 64.

In eundem annum incidit ſupplicium Georgii Ketel. Is, nobili patre natus, & à teneris in Principum aulis verſatus, cum religionis magis affectu quam delectu eſſet inſignis, in adoleſcentia rebaptizatus, poſtmodum in ſectatores Davidis Georgii incidit quorum ficta pietate deceptus, ipſorum gregi ſe adjunxit, ac ipſi Davidi percharus factus, ipſius negotia nonnunquam procurabat. adeo ut ipſius nomine duas magnificas legationes obiverit, unam ad Philippum, Illuſtriſſ. Haſſiæ Lantgravium, quæ incidit in autumnum Anni cIↃ IↃ XXXIX. alteram, ad cœtum Collocutorum Ratiſponenſium à Cæſare Carolo V. convocatorum, ad agendum de componendis Eccleſiæ diſſidiis, quæ legatio incidit in Annum cIↃ IↃ XLI. circa feſtum Aſſumtionis Mariæ. Anno ſequenti editioni libri Mirabilium ejuſdem impoſtoris præfuit. quem abſolutum, tum aliis tum Carolo Ducis Gelriæ filio notho commendavit. is autem, cum conſenſu ipſius Georgii, eum tum aliis, tum Doctori Hieronymo Wilhelmi urbis Groninganæ Quæſtori legendum ac cenſendum dedit. is pervolutato libro, ex eo excerpſit, quæ Chriſtianæ pietati repugnare judicabat, & ſcripto conſignata, ad Carolum miſit. qui

ea Senatui Daventrienſi (cujus urbis civis erat Georgius) mittere non neglexit. Senatus Daventrienſis, teſtimonium hoc eo certius & fide dignius exiſtimavit, quod non a Pontificio, ſed Euangelicæ doctrinæ addicto procederet, itaque miſſis Hieronymi literis ad Aulam Brabantiæ, ejus mandato Anno cIↃ IↃ XLIV. circa feſtum Pentecoſtes Georgium carceri mancipat, ac de re tota Satrapas ac judices Tranſiſalanæ regionis certiores facit, quo & ipſi provideant ne quid reſp. ab hoc hominum genere detrimenti capiat. A Georgio porro per graviſſima tormenta expreſſa quorundam Davidianorum nomina in Friſia Orientali degentium. quod autem horum potius, quam in aliis ditionibus habitantium nomina indicaret, inde erat, quod ſperaret id ſine illorum capitali periculo fieri poſſe. Erat tum temporis inter primarios Davidis Georgii diſcipulos Nicolaus Manardi, a pago Bleſdijck prope Stenovicam, ubi natus erat, Bleſdijckii nomine celebris, juvenis pereruditus: is quod cauſæ Davidianæ ex hoc negocio male metueret, magno ardore patrocinium Georgii Ketel ſuſcipit, tranſmittens ad Senatum Daventrienſem ſummam fidei Davidianæ ſcripto comprehenſam, ad ejuſque defenſionem ſeſe offerens, in quacunque urbe, quam ipſis placeret eligere, modo ea eſſet extra territorium Imperatoris, ac niſi eam doctrinam poſſet tueri, ſe paſſurum quicquid judices a partium ſtudio alieni de ipſo decreviſſent. At hæc parum morati Daventrienſes ad judicium de captivo ferendum animum applicarunt. in quo cum ſententiæ variarent, præcipuos ex equeſtri Ordine & civitatibus advocandos cenſuerunt, quibus præſentibus, cum confeſſio Georgii fuiſſet recitata, ac nonnulli in mitiorem ſententiam viderentur inclinare, Prætor & nonnulli è Conſulibus, teſtimonium Hieronymi in medium protulerunt. Iſtud, inquientes, Doctor Euangelicus (nequis ex odio ſcriptum ſuſpicetur) de hac ſecta teſtatus eſt, idque non modo è Mirabilium libro, ſed & ex ipſorum ſectatorum illius hæreſeos ore didiciſſe ſe profitetur. quibus auditis, urgente equeſtri Ordine, Georgius ad mortem damnatus eſt. accepta ſententia ſcripſit in carcere teſtamentum Georgius, quo liberos ſuos ad pietatem colendam hortatur, neque eis probro futurum ait, quod Patrem habuerint qui pro Chriſti nomine mortem oppetiit. ſcriptum fuit hoc teſtamentum XXVI Junii Anno cIↃ IↃ XLIV. cantionem quoque ſimilis argumenti ibidem compoſuit, ac menſe Auguſto ſequenti gladio percuſſus eſt. Captus erat & Typographus, qui librum Mirabilium excuderat. cujus cum vita periclitaretur, Officialis Daventrienſis cum Miniſtris ſuis coram Senatu comparuit, ut vinculis is liberaretur poſtulantes. cui nonnulli è Conſulibus objecerunt, non poſſe coram hominibus defendi, ſi is qui librum Mirabilium excuderat dimitteretur, cum ſupplicio affectus ſit Georgius qui editionem procuraverat. ad quæ Officialis: fratres minores, inquit, & ego, librum illum diligenter legimus, neque in eo quicquam depre-

deprehendimus, Sacramentis Sanctæ Eccleſiæ adverſum. nihil aliud tractat liber ille quam moralia, & allegorica, ac de rebus divinis diſputat, quæ ſuperant Typographi captum, ac de quibus omnes ſcholæ ac Theologi ſæpe mirabilem in modum diſſeruerunt. reſpondente Senatu: Doctor quidam Groningenſis nobis ſcripſit, librum illum ſcatere tam horrendis hæreſibus, quam unquam in terra fuerunt; Officialis, id fortaſſe verum eſſe, ait, ſed errores illos & Typographi & illorum omnium captum excedere, ſi ergo, inquit, ejuſcemodi hæreſium cauſa Typographo moriendum eſſet, neceſſarium foret, eas primitus ab eo cognoſci, intelligi, ac defendi: neque enim æquum eſt quenquam morte affici ob opinionem latentem, quæ in libro quopiam, ipſo inſcio deprehendatur &c. ad hæc nihil a Senatu reſponſum eſt, niſi quod nonnulli interrogarent: Si liber non eſt Lutheranus, qua de cauſa ergo Georgium ſupplicio affecimus? quid porro Typographo factum ſit non invenio. Hæc autem Collegi è duobus Bleſdiickii libellis, uno Belgico, quo reſpondet ad Epiſtolam Hieronymi, ac doctrinam Davidis Georgii acerrime defendit, qui libellus multo poſt a Davidianis eſt editus, Anno cIↃIↃcx. altero Latino, quem conſcripſit idem Bleſdiickius, poſtquam ſectam Davidianam deſeruiſſet, quique a nobis editus eſt Anno cIↃIↃcxlii. De vita, doctrina ac rebus geſtis Davidis Georgii.

E quibus videtur liber Mirabilium primo excuſus fuiſſe Daventriæ. nam & is qui editionem curavit civis Daventrienſis vocatur, & Typographus, poſt ipſum, Daventriæ in cuſtodiam datus fuit. & Emblema quod primæ ipſius libri parti, in prima editione, à Davide poſt Indicem præfixum eſt, inſculptum gerit annum cIↃIↃxlii. unde non multo ante hoc ſupplicium eam procuratam eſſe conſtat. ut taceam characteres ſive typos, cum aliis vulgari lingua in illa urbe exaratis ad amuſſim convenire.

Hoc anno extructa eſt Daventriæ porta Brinconia, ac in ejus fronte inſigne Emblema poſitum è cæſo lapide. in medio eſt Aquila Imperialis, quæ & inſigne urbis eſt, cum hac inſcriptione:

Dat nobis Aquilam, Romam inſignia, Cæſar,
Iuraque noſtra ſub his inviolata manent.

Ex utraque parte ſunt baſeis, quarum quæ ad latus dexterum eſt gerit ſtatuam Fortunæ, cum hiſce verbis:

Me duce Cattorum gens ſeditione coorta
Hæc, patriam fugiens, arva inarata ſubit,
Atque meo Davonturium de nomine dictum
Plus mille ante annos mœnia parva locat.

A dexteris eſt imago Bellonæ, cum hoc Epigrammate:

Addidi ego hoc urbi vallum furialis Enyo,
Quod ſecura ſuis hoſtibus objiceret.
Tu belli memor eſſe velis in tempore pacis,
Nequa tuum feriat vis inopina caput.

Cacumini inſiſtit effigies Caroli V. cum globo & enſe: ſub ejus pedibus hæc verba:

D. Carolo. Cæſ. V. *Imperatori Max.*
S. A. P. L. *Vindici.* P. P. S. P. Q.
Davonturienſis Monumentum hoc defenſionis ergo poſuit, Anno cIↃ IↃ XLIV.
Poſteri diligenter conſervanto.

De hac porta Io. Chriſtoph. Calvetus, de Eſtrella, Hiſpanus, Itinerario Philippi Hiſpaniarum Principis p. 305. ita loquitur: *La entrada fue por la puerta, que llaman de Brinconi: la quale es de maravilloſa obra, que deſpues de la de Anvers, no ay otra tal por aquellas tierras. fue edificada en el anno de mill y quinientos y quarenta y quatro.* id eſt: Introitus fuit per portam quæ dicitur Brinconia: quæ eſt operis admirandi, ita ut poſt Andoverpianam, nulla talis in illis regionibus reperiatur. ædificata fuit anno milleſimo quingenteſimo, quadrageſimo quarto. Hæc ille.

Quum à poſtulato centeſimæ Cæſar nihil remitteret, menſe Junio Daventriæ conſultius viſum, eam in Brabantia, quam in ipſa urbe exolvi, ſi omnino id faciendum eſſet.

Anno cIↃIↃXLV. circa diem S. Iacobi ripa Iſalæ qua Daventriam præterlabitur, cæſo lapide Namurenſi præcincta ac firmata fuit.

Eodem, die Lamberti Tribb. pleb. poſtularunt, ut detineretur Viſbekius (nomen Canonici eſſe puto) & pecuniam quam a cruce ſuſtu'erat reſtituere adigeretur. Item, ut Capitulum juberetur inventarium exhibere monilium aureorum & argenteorum, quæ penes ipſum aſſervabantur.

Anno cIↃIↃXLVI. In Februario primus trapezita (ex eorum hominum genere quos Lombardos vocant) Daventriæ admiſſus eſt, in annum unum, nec ulterius.

VII Aprilis Maximilianus Comes a Buren, Leerdam &c. Dominus ab Yſſelſtein, Gravendonck, St. Martens-dijck, Cæſareæ Majeſt. nomine Præfectus Generalis Friſiæ, Tranſiſalaniæ, & Groningæ, prima ſua Comitia judiciaria Daventriæ celebravit. Intererant nomine illius civitatis Hermannus vander Beke, Ioannes a Twickel, Mag. Otho Baſtert.

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↄIↄxlviii. xvi Junii, quia Gelria & Trajectum feuda Imperii ſemper fuerunt, Carolus V. ad eorum exemplum in Comitiis Auguſtanis, totum Belgium in circulum Imperii redegit, quem circulum Burgundicum ſive Belgicum indigetari voluit. cujus conſtitutionis vi, reliquorum Imperii membrorum inſtar gaudent Imperii juribus, defenſione ac immunitatibus, ac viciſſim tenentur conferre quantum duo electores, adverſus Turcam vero quantum tres, ſalvis interim eorum privilegiis, ac ita ut Comitiorum Imperii conſtitutionibus ac decretis minime obligentur. *Meteranus l.* 1. *p.* 13. b.

Hoc anno & menſe ſcriptas reperio ſequentes ſyngraphas, quas, ſicui forte uſui eſſe poſſint, hic inſerendas duxi. transferri eas in Latinum idioma, nullum operæ pretium videtur.

Copia litteræ de domo Patris & Conventu ſororum Bueſkens in Daventria.

WY frater Andreas van Diepenhem Prior, Egbertus Zwollis Supprior, Zuederus Burbanck Procurator, Henricus Tuſe, Hermannus Coesfeldiæ, ende Johannes Trajecti, Seniores, ende voert gemeene Conventualen, des Conventes van Albergen; bekennen ende betugen mitter waerheit openbaer, voir ons ende voir al onſe nacomelingen, in, ende voermits deſſen onſen apenen bezegelden breve, dat wy mit gueden rijpen berade, ende eendrachtigen willen, avergelaten, verpacht, ende avergeven, in eynen ſtedigen vaſten, ewighen erfpacht, nae erſpachtes rechte, onſe alynge huys, mit alle ſynen toebehoer, ghelegen binnen Deventer in die Papen-ſtrate, tuſſchen huyſinghe, der Vicarien omnium Sanctorum *in Sanct Lebuinus Karke, an die eyne zijdt, ende Aſken Rietmakers an die ander zijdt, den werdigen Pater, ende Mater, ende anderen ghemenen Conventz Suſteren van Buyſ kens Huys binnen Deventer, ende oeren nacomelinghen, om ſunderlinghe waldaet ende doegde die ſye ons ende onſe Conventualen van Albergen altoes ghedaen hebben, ende noch dagelijcx doen, ende in anſtaenden tijden wall doen ſullen: Alſoe dat wy dit ſulve huys voerſz. dair Heer Jacob van Gelre, Pater van Buyſken Huys voerſz. nu ter tijdt in woynt, niet aff te ſtaen ofte verkopen willen ende ſullen ſonder believen, weten, ende wille des opghemelden Conventes van Buyſkens Huys voerſz. ſonder alle argel. &c. In oerkunde der waerheit, hebben wy Prior, Supprior, Procurator, ende Senioren voerſz. van weghen des ghemeinen Conventes van Albergen, voer ons ende onſen*

nacomelinghen, deſen brief mit onſen Conventes zegel bezeghelt; in't Jaer ons Heeren, duſent vijf hondert acht ende viertich, up den vijftien dach Junio.

Copia litteræ Conventus ſororum Bueſkens in Daventria.

WY Jacob van Gelre Pater, ſuſter Alijdt Lambertz moder, ende ſuſter Neze Janſs Procuraterſche, ende voert ghemeene Conventualen des Conventes van Buyſkens Huys, binnen Deventer, bekennen ende belijen, voer ons ende onſe nacomelingen, in ende uyth deſſen onſen apenen breve, Alſo die weerdighen ende Geyſtlijcken Heeren, Andreas van Diepenhem, Prior; Egbertus Zwollis Supprior; Swederus Burbanck Procurator; ende voert ghemeene Conventualen des Conventz van Albergen, oir alynge huys mit ſyn toebehoer, ghelegen binnen Deventer, in die Papen-ſtrate, tuſſchen huyſinge der Vicarien omnium Sanctorum, *in Sanct Lebuinus Karke, an die eyne zijdt, ende Eſken Reytmakers an die ander zijdt, dair nu ter tijdt onſe Pater voerſz. in woont, ons ende onſen nacomelinghen, in ewighen, vaſten erfpacht, averghegeven, verpacht, ende averghelaten hebben, ende oick omme andere gude frundtſcap, ende doegeden, onſen Convente voerſz. durch den Heeren van Albergen beweſen ende angekiert, dat die Prior in der tijdt, ende Conventualen Heeren van Albergen voerſz. mit oir Conventens wagen, ende peerden, einen vryen intoch ende wttoch tot dat voerſz. Huys beholden ſullen; ock in den ſulven huyſe eine kamer mit twe bedden, ende oir toebehoer, ghelijck Prior voerſz. ſus langhe dieſelve gehadt, ende ghebruckt hefft, ende dair toe ſullen die voerſz. Prior ende Conventuael Heeren mede ghebrucken ons Paters taffel, ſoe goet ende quaet hye ſelves heft, ſoe ducke ende mannichwerf ſye toe Deventer kommen, ſonder alle arghelist. Oirkonde der waerheit, hebben wy Pater, Moder, ende Procuraterſche voerſz. onſe Conventz zeghel van Buyſkens Huys voerſz. beneden an deſſen brieff wittlijck ghehangen. In't Iaer ons Heeren, duſent vijf hondert acht ende viertich, op den vijftien dach in Junio.*

XXIII (aut, ut alii XXIV) Septembris die, obiit Maximilianus Comes à Buren, Præfectus Tranſiſalaniæ &c. in urbe Bruxellenſi. cui in illa dignitate ſucceſſit Ioannes de Ligny, Comes Arembergius.

Anno CIↃIↃXLIX. menſe Octobri, Princeps Hiſpaniæ Philippus Daventriam venit, Comitatus Præſide Viglio, ac multis magnatibus, quo univerſus

verſus Ordo equeſtris Tranſiſalaniæ, omnes quoque civitates, qua majores qua minores, omnes denique Prætores ac Officiarii, præfixo x. menſis die citati ſunt, poſtridie Hiſpaniæ Principi juramentum præſtarent, tanquam Domino ſuo hæreditario poſt exceſſum Caroli V. futuro. Et omnes quidem ſtato die præſto fuerunt.

xi. Octobr. Hiſpaniæ Princeps cum omnibus ſuis magnatibus regali pompa Daventriam intravit, cui obviam proceſſit (referente Io. Chriſtoph. Calveto) civitatis Præfectus, cum luculenta equitum manu, & plus bis mille peditibus, cum vexillis, tympanis ac tibiis, ad eum recipiendum. Princeps ad forum civitatis maximum, quod Brinconem vocant, ſe contulit, domum quæ à libra nomen habet aſcendit, ubi & Ordines ac civitates &c. comparuerunt. Quibus propoſita fuit voluntas Cæſareæ Majeſt. ut videlicet filium hunc ſuum, tanquam Dominum hæreditarium ab obitu ſuo futurum reciperent, & in ejus verba jurarent, qui viciſſim ipſis reciproco juramento confirmaret, ſe regioni ac civitatibus ſarta tecta relicturum ac conſervaturum omnia ſua privilegia, jura & veteres conſuetudines &c. Quibus auditis primo Satrapæ, equites, Officiarii ſuæ Majeſtati obſequium ac juramentum præſtitere, quibus ille viciſſim conſervationem omnium privilegiorum quibus bono titulo gaudebant ſub jurisjurandi religione eſt pollicitus. Similiter tres civitates primariæ, Daventria, Campi, Zwolla, in verba Principis, ut viciſſim Princeps in earum verba juravit. In rei fidem ac memoriam Princeps Hiſpaniæ ſingulis quorum intererat diploma tradidit, eodem ut plurimum argumento. cujus ἀπόγραφον, prout Campenſibus traditum fuit, refert *Bocopius*, hoc ſenſu:

,, Philippus Dei Gratia, Princeps Hiſpaniæ, utriuſque Siciliæ, Hieroſo-
,,lymæ &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Comes Habſ-
,,purgi, Brabantiæ, Hollandiæ &c. Notum facimus, & profitemur hiſce no-
,,ſtris literis, quod, poſtquam equeſtris Ordo, & delegati civitatum Tranſi-
,,ſalaniæ, Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ in communi, una cum oppi-
,,dis minoribus, repræſentantes ditionis Tranſiſalanæ Ordines, voluntati
,,Cæſareæ Majeſtatis Clementiſſ. noſtri Domini ac Parentis obſecundantes,
,,nos receperunt, obſequium nobis ac juramentum præſtiterunt, tanquam fu-
,,turo ſuo Domino hæreditario ac Principi, ac ſolenni jurejurando, hoc
,,die, quo datæ ſunt præſentes literæ id ipſum ſanxerunt, Conſules quoque,
,,Scabini & Conſiliarii civitatis Campenſis, ut & communitas civium & in-
,,colarum ejuſdem civitatis, nos eodem modo acceperunt, obſequio ac ju-
,,ramento ſe nobis obſtrinxerunt, prout verbotenus ſequitur:

,, Nos delegati Conſulum, Scabinorum, Conſiliariorum, Tribunorum
,,plebis, ut & civium ac incolarum civitatis Campenſis, tam illorum quam
,,noſtro nomine, tanquam ab eis habentes ſpeciale mandatum & procura-
,,tionem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,tionem, promittimus ac juramus, pro nobis ac hæredibus & ſucceſſoribus ,,noſtris, ac nomine ut ſupra, nos poſt obitum Cæſareæ Majeſt. Clementiſſ. ,,noſtri Domini (cui Deus longam ac felicem vitam largiatur) tibi Illuſtriſſi- ,,me Princeps, Clementiſſ. Domine Philippe, Princeps Hiſpaniæ, utriuſque ,,Siciliæ, Hieroſolymæ &c. Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Braban- ,,tiæ &c. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Hollandiæ &c. qui tanquam futurus ,,Dominus hæreditarius & Princeps ditionis Tranſiſalaniæ receptus & inau- ,,guratus es, cuique nos, noſtro & hæredum ac ſucceſſorum noſtrorum no- ,,mine, in Ducatum Brabantiæ, Comitatum Hollandiæ, & Dominium re- ,,gionis Tranſiſalaniæ antedictum fide & promiſſis obſtricti ſumus, tibi (in- ,,quam) tuiſque hæredibus ac ſucceſſoribus quod boni poſſumus præſtitu- ,,ros, mala autem averſuros, ac denique omnia facturos, quæ fideles ſubditos ,,erga naturalem ſuum Principem ac Dominum hæreditarium facere æquum ,,& juſtum eſt. Ita nos Deus adjuvet, & omnes Sancti ejus.

,,Nos autem, volentes ex noſtra parte, dictis Campenſibus conſuetum ,,præſtare juramentum, hoc eis jusjurandum lingua Belgica prælegi fecimus, ,,prout ſequitur:

,,Ego Philippus, Dei Gratia Princeps Hiſpaniæ (&c. ut ſupra) promitto ,,& juro, ſuper Sanctum Dei Euangelium, meo & hæredum ac ſucceſſorum ,,meorum, Ducum Brabantiæ, Comitum Hollandiæ, & Dominorum hære- ,,ditariorum regionum ac civitatum Tranſiſalaniæ, nomine: me in adventu ,,meo & ſucceſſione in dominium regionum ac civitatum Tranſiſalaniæ ,,Sanctam Eccleſiam protecturum, viduas & orphanos defenſurum, Conſu- ,,les, Scabinos, Conſiliarios, Tribunos plebis, & cives ac ſubditos civitatis ,,Campenſis, jura ipſorum municipalia, civilia, feudalia, agraria &c. & ,,omnia alia privilegia, poſſeſſiones, conſuetudines, tam reſpectu Hanſæ, ,,quam aliarum immunitatum quibus fruuntur, & quas juſto titulo hactenus ,,habuerunt, conſervaturum, ac omnia facturum juxta tenorem literarum ,,confirmationis, datarum XXI Febr. Anno CIƆIƆXXVII. ſub ſigillo Cæ- ,,ſareæ Majeſt. Clementiſſ. noſtri Domini ac parentis, quæ apud illos aſſer- ,,vantur. Ac porro ergo civitatem Campenſem, Dominos, cives, & incolas, ,,eorumque facultates ita me geſturum, ut probum Dominum hæreditarium ,,& Principem decet. Ita me Deus adjuvet, & omnes Sancti ejus.

,,Quibus prælectis lingua Belgica, juramentum præſtitimus verbis Lati- ,,nis &c. De quibus omnibus dicti Campenſes ſubmiſſe à nobis petierunt, ut ,,ipſis literas noſtras patentes traderemus, id quod libenter fecimus, haſce ,,delicet præſentes, quas ſubſignavimus, & appenſo noſtro ſigillo munivi- ,,vimus. In urbe Daventria, XI Octob. die, Anno CIƆIƆXLIX.

Civitates Campenſis ac Zwollana proteſtatæ ſunt, quod Princeps in duabus illis urbibus præſens inaugurationem non recepiſſet, reſervato ſibi ſuo

ſuo jure, ac de non præjudicando privilegiis ſuis ac præeminentiis, deque facto hoc in conſequentiam non trahendo caventes. ſimilia fecerunt Ordo equeſtris & minora oppida, ſuper eo quod id ipſum in loco cui nomen Spolderberch factum non eſſet.

Addit Calvetus, dum hæc fierent, appuliſſe Daventriam delegatos Friſiæ, cum poteſtate Principi juramentum præſtandi, nomine ſuæ regionis, idque factum eodem die magna cum ſolennitate, in regio Principis cubiculo; miſiſſe porro Principem ad Ioannem de Ligny Comitem Arembergiæ, Friſiæ Præfectum, in civitatem Groninganam ac Leovardienſem, ut inibi ſuo ipſum nomine reciperent, ipſique jurarent, utque poſſeſſionem illius Provinciæ apprehenderet, quandoquidem ob hyemem appetentem & incommoda viarum, quominus ipſe eam tunc quidem inviſeret, impediretur.

Hiſce geſtis, Ordo equeſtris ac civitatum delegati, in œnopolio publico ſimul epulati ſunt, invitante eos civitate Daventrienſi, & ſumtus ſuppeditante. tandem ſinguli ad ſuos reverſi ſunt, & Princeps quoque accepto octo millium florenorum donario, poſtridie diſceſſit, ut & in aliis ditionibus ad eundem modum recipi ac inaugurari poſſet.

Anno cIↄIↄL. Cum ferveret religionis reformatio, & adverſus eam perſecutio Caroli V. parum proficeret, cognitione cauſarum religionis penes judicem politicum manente, conatur is Inquiſitionem, qualis in Hiſpania viget, invehere in Belgium, ſed eam deprecantur Belgæ, interceſſione uſi Mariæ Reginæ Ungaricæ, quæ ipſa, ea de cauſa, ad fratrem Carolum in Comitiis Auguſtanis occupatum, profecta, & edictorum moderationem obtinuit, & Inquiſitionis periculum amolita eſt.

Menſe Decembri Daventriæ in Senatu relatum, Mag. Lambertum ten Duyne præbendam in urbe Lovanienſi conſtituiſſe, donatis ad eam xxx aureis florenis annuis, conferendam in quempiam è civium Daventrienſ. liberis; hac tamen lege, ut Henricus Swaefken, Mag. Gerardi filius primus ea donaretur.

Anno cIↄIↄLI. Cæſar arcem Covordianam munitiſſimam propugnaculis denudari voluit. cui rei diſſuadendæ multum operæ inſumſerunt Daventrienſes, Campenſes ac Zwollani, dicentes, ſe per hoc de privilegiis ſuis & præeminentia quam habebant in illam arcem periclitari: quum Satrapa Covordiæ dictis civitatibus teneretur juramento & datis vadibus fidem ac obſequium ejus nomine polliceri. quod earum jus irritum redderetur, arce ſuis munitionibus ſpoliata. poſt multam difficultatem negotium ita compoſitum fuit, ut redigeretur arx Covordiana ad eum ſtatum in quo fuerat tempore Frederici a Blanckenhem Epiſcopi.

Quo peracto, Burmannia, Satrapa Covordienſis, delegatos civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ acceſſit, ac ab iis petiit. ut vades

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſuos, qui ſuo nomine pro arce Covordiana fidejuſſerant, promiſſione ab ipſis facta liberarent. cui reſponſum dederunt civitates, ſe id minime facturas, ſed pollicitis inhæſuras, vigore literarum ſigillatarum quas ipſis ſuper ea re tradiderat.

Hoc anno Daventriæ patrem ſororum Gerardi Magni, Petrum Berg-eeck dictum fuiſſe invenio.

Anno CIↃIↃLII. quum Maria Regina, Belgii Gubernatrix Satrapam Vollenhoviæ Hermannum a Weſterholt, a Satrapiâ ſua, ut & Præfectura Caſtelli Cunerani, & quæſtura Vollenhoviana abdicaſſet, Ioannem vero Sloot dignitate Satrapæ, & Præfectura Caſtelli, ac Petrum a Cuynre quæſtura donaſſet, petiit Herm. a Weſterholt à tribus civitatibus, ut ſponſores ſuos, fidejuſſione, nomine Satrapiæ apud ipſas facta ſolutos pronunciarent, ſeque juramento quo eadem de cauſa civitatibus obſtrictus erat liberare vellent, tranſmiſſis ad eas literis Reginæ, quibus Ioannem Sloot ipſi dederat ſucceſſorem, à quo proinde, tanquam novo Satrapa, conſuetum juramentum & fidejuſſionem eas exigere æquum eſſet. Aſſenſæ ſunt huic petitioni civitates. & Io. Sloot, jurejurando civitatibus præſtito, eis nomine Satrapiæ & arcis Vollenhovianæ vades dedit Henricum Mulardum ſupremum Sallandiæ aggerum Præfectum, & N. ab Wterwijck.

Anno CIↃIↃLIII. decrevit Imperator, novum Magiſtratum, titulo Cancellarii & Conſiliariorum in Tranſiſalaniam invehere, idque, quia Principi illius regionis nulla juriſdictio in iis quæ judicia ſpectant, nec mandatum, nec prohibitio, ſive in civitatibus, ſive in municipiis competeret, ſolis comitiis annuis judiciariis exceptis, quas *Claringe* ſolent appellare. ibi enim ſi vota Ordinis equeſtris ac civitatum æquari contingat, Princeps ſuo ſuffragio litem dirimit, quod tunc cedit in rem judicatam, non ſecus ac ſi vel omnibus vel pluribus Ordinum votis deciſa eſſet.

Hoc ut obtineretur, Maria Ungariæ Regina, Belgii moderatrix, ad Zwollanam civitatem literas dedit in hanc ſententiam: Seſe ut Cæſareæ Majeſtatis negociis commodius proſpiceret, in regionibus Tranſiſalaniæ, Drentiæ, & Lingæ, maxime quod earum Præfectus Arembergiæ Comes, per abſentiam ſuam, dum bellicis Majeſtatis Cæſareæ expeditionibus ac aliis negotiis impeditur, eis aſſiduo adeſſe non poſſet, neceſſarium exiſtimaſſe, aliquot Conſiliarios delegari, qui dictum Arembergium opera ſua ſublevarent, ac emergentibus, ut fit, difficultatibus, etiam eo abſente, conſulerent, quo intellecto Cæſaream Majeſtatem Conſiliarios aliquot conſtituiſſe, qui Zwollæ eum in finem reſiderent. qua de re ſeſe ipſos voluiſſe certiores reddere. neque hoc conjunctum fore cum infractione privilegiorum quibus gaudebant &c. petere autem ſe, ut Zwollenſes eis pro viribus aſſiſterent. Datæ erant hæ literæ Valencenis, hujus anni XI Septembris die.

Ordines Tranſiſalaniæ hanc ſuorum privilegiorum rupturam eſſe rati, eam iniquo animo tulerunt, ac non initio tantum, ſed aſſiduo ſe ei oppoſuerunt, ut ſuis locis videbitur.

Regina Ungariæ primum Tranſiſalaniæ Cancellarium impoſuit Mag. Ludolfum ab Hattem, filium Conſulis Campenſis, ibidem, è patricia ſtirpe natum, qui cum ad tempus Zwollæ commoratus eſſet, ſupremum ibidem diem clauſit.

Huic ſucceſſit Ioannes Mepſe, è patriciis Groninganis. qui poſtmodum à Cæſarea Majeſtate Vicarius Præfectus Groningæ fuit conſtitutus. Hunc excepit Balduinus a Roon, qui antea fuerat Aſſeſſor in judicio Cameræ Spirenſis, è nobilitate oriundus. is poſtea Arnemiæ Cancellarius Gelriæ factus fuit.

Poſt hunc, turbis per Belgium gliſcentibus Cancellarius Tranſiſalanis datus eſt N. Noort, Gelriæ Tutor (dignitatis id ibi nomen eſt) ſed nunquam in Tranſiſalania ſedem fixit.

Porro nemini ex hiſce Cancellariis eorumque Conſiliariis unquam in Tranſiſalana ditione vel minima juriſdictio permiſſa fuit. in Drentia tamen, quæ olim fuit Tranſiſalanæ ditionis, nunc autem ab ea ſeparata eſt, eam exercuerunt. conatus eorum ad poteſtatem ſuam ſtabiliendam, & noſtrorum vigilantia ad eos impediendos, ſuis locis videbuntur.

Hoc anno Cæſar duo diplomata emiſit per univerſum Belgium, quibus omnes *thaleros* (monetæ genus eſt, quaſi *Vallenſes* dicas, nomen autem, ut arbitror, ſortiti ſunt ab illis qui primitus in *valle* Joachimica cuſi ſunt, atque inde Joachims-*thalers* appellantur) quos ipſe cudi non curarat, abolebat, conſtitutis uſquequaque collybiſtis, qui eos conflandos reciperent, ac alia moneta permutarent. inſuper ſuæ monetæ exportationem ad exteras regiones prohibebat. Horum diplomatum exemplaria Comes Arembergiæ miſit ad tres primarias Tranſiſalaniæ civitates, in hanc ſententiam ad eas ſcribens:

,, Honorati, prudentes, ac ſingulariter dilecti, mittimus vobis hiſce in-
,,cluſa ἀπόγραφα authentica diplomatum, nuper in Cæſareæ Majeſt. hære-
,,ditario Belgio invulgatorum ac publicatorum, ſuper negotio monetæ. Pe-
,,timus autem a vobis, & unoquoque ad quem id ſpectat, nec minus nomine
,,Cæſ. Majeſt. ſerio injungimus, ut tenorem eorundem diplomatum pro-
,,mulgari curetis in tribus civitatibus, & porro paſſim per ditionem Tranſi-
,,ſalaniæ ubicumque mos eſt publice edicta promulgari. Nihilominus, ne
,,forte conqueramini monetam veſtram per tres civitates, Daventriam, Cam-
,,pos, Zwollam, prohiberi, contentus eſt Cæſar ut ea intra eas civitates to-
,,leretur, ea lege, ne ea in minoribus oppidis, ac agro Tranſiſalano reci-
,,piatur, ſed decretum ſuum de thaleris in communi per omnia obſerve-
,,tur. qua de re vos certiores voluimus facere, ut ei vos conformetis. Hiſce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,Omnipotenti vos commendamus. Datæ Bruxellis XXI Octobr. Anno ,,CIↃIↃLIII. ſubſcriptæ: *Ioannes de Ligny.*

Civitates primariæ mature ſuper hac re inter ſeſe deliberarunt, negotium magni momenti eſſe rati, ac hac via, ſeſe privari privilegiis & præeminentiis, à Cæſaribus ac Regibus in ſe tanquam Imperii membra collatis, ac Cæſareæ quoque Majeſtatis jurejurando firmatis, quum ſponte ſuam Majeſt. tanquam Ducem Brabantiæ & Comitem Hollandiæ Anno CIↃIↃXXXVIII. in Dominum hæreditarium reciperent. pariterque concluſerunt, ſe ratione juramenti quo civitatibus ac ditioni Tranſiſalanæ obſtricti erant, jus ſuum hac in parte teneri defendere, quo privilegia & regalia ſua ſibi ſalva eſſent. è veſtigio ergo Satrapis per Tranſiſalaniam ſcripto prohibuerunt, ne diplomata ſuper re monetaria publicarent, ob ſingulares difficultates quas in eo negocio deprehenderent. petebant porro, ut ante IX Novemb. Daventriam ſe conferrent, poſtridie conventuri, ad rem totam mature diſcutiendam, quo & ipſæ Civitates tunc temporis delegatos ſuos plena poteſtate inſtructos miſſuræ eſſent.

Novembris die X. convenerunt Daventriæ Unico Sallandiæ Satrapa, Ioannes Sloot Satrapa Vollenhoviæ, & Caſtell. Cuynre Præfectus, Otho a Rechteren, Procurator Commendatarii in Ootmarſem, Satrapæ Tubantini defuncti vices gerens. delegati item civitatum, Daventrienſis Martinus Bödeker, Henricus a Markel, Campenſis Engbertus ten Boſſche, Henricus Dye Wolfs: Zwollanæ, Ioannes ab Haeſt, Henricus a Tiel. Hiſce in Curia congregatis, prælecta fuere diplomata Cæſarea ſuper thaleris, ac reliqua re monetaria, literæ quoque Præfecti eiſdem adjunctæ, & alteræ eas conſecutæ, ac poſt indictum diem conventus ad eos miſſæ, in hæc verba:

,,Honorati ac ſingulariter dilecti, quod nuper nobis injunctum fuit à Cæ- ,,ſarea Majeſt. ex apographo diplomatum hiſce adjuncto abunde percipietis. ,,Quum ergo Cæſ. Majeſt. decretum ſit, ex ejuſdem diplomatum tenore in ,,ditionibus ſuis hæreditariis omnino ac peremtorie procedendum eſſe, pe- ,,timus, ac nihilominus nomine Cæſareæ Majeſt. ſerio vobis mandamus, ut ,,tenorem illorum diplomatum publicari curetis, reſpective unuſquiſque in ,,ſua juriſdictione, id eſt in tribus civitatibus primariis, ac deinde paſſim in ,,locis eis ſubjectis, & ubicumque publicationes ejuſmodi fieri conſuetum ,,eſt, prima data occaſione nos certiores facturi, quid hac in parte a vobis ,,peractum fuerit, ut viciſſim quid nobis faciendum incumbat intelligere ,,queamus. Omnipotentis curæ vos commendamus. Datæ Bruxellis XXVIII ,,Octobr. Anno CIↃIↃLIII. ſubſignatæ: *Ioannes de Ligny.*

Ordines hiſce ſollicite expenſis, publicationem inhibendam decreverunt, ac ejus rei cauſas Præfecto transſcribendas. quod factum hiſce verbis:

,,Obſequium noſtrum, & quicquid poſſumus Clem. tuæ aſſiduo paratum ,,eſt.

„eſt. Clementiſſ. Domine: Clementia T. nobis nuper duo diplomata miſit,
„quorum primo thaleros quoſcunque vel accipere vel expendere prohibe-
„mur, addita tamen ſeorſim T. Clem. explicatione, qua thaleri in tribus qui-
„dem noſtris civitatibus cuſi, in eiſdem curſum habere permittuntur, ruri ta-
„men omnino vetantur: altero vero, ne ulla pecunia ullive nummi aurei
„argenteive Cæſareæ monetæ ſive ii in ſuæ Majeſt. ditionibus hæreditariis,
„ſive in aliis regiis, dominiis alibive cuſi ſunt, ex hac regione Tranſiſalana
„in aliorum Dominorum ditiones, civitates, aut dominia devehantur. rigi-
„diſſimis pœnis propoſitis, ſiquis hæc diplomata tranſgredi fuerit deprehen-
„ſus. Super quo negocio Clem. t. tanquam Præfecto noſtro nomine Cæſ.
„Majeſt. obedienter hæc proponimus conſideranda: Quanquam, Clem. Do-
„mine, ſemper alacres fuerimus ad mandatis Cæſ. Majeſt. obſequendum, ac
„in eo affectu ſemper perſeverare conſtituerimus, multiplices tamen rationes
„habemus (quas ſufficere arbitramur) ob quas nobis in extremo limite poſi-
„tis, hæc duo diplomata executioni mandare prorſus impoſſibile eſt. videli-
„cet, quia privilegiis monetæ gaudemus, nobis a Cæſ. Majeſt. nomine Ro-
„mani Imperii, etiam ut Electore in tractatu noſtro confirmatis, quibus di-
„plomata eiſdem contraria opponi, perquam grave foret. Ad hæc non latet
„Clem. T. ac reliquos aulæ Magnates, ditionem Tranſiſalanam eſſe extremum
„limitem regionibus Monaſterii, Oſnabrugæ, Paderbornæ, Miſniæ, Saxo-
„niæ, ac univerſæ Weſtphaliæ conterminum. è quibus regionibus nulla pene
„moneta præter thaleros, huc advehitur. iis ergo huc inferri prohibitis, mer-
„cimonium harum regionum (quod perquam tenue eſt) in hac regione ac
„civitatibus funditus interiret, adverſus vetera noſtra privilegia, ac conſue-
„tudines. Inſuper Cæſ. Majeſt. haud exiguam petitionem pecuniariam con-
„ceſſimus, hac conditione, ut ea exolvatur eo monetæ genere quod in hac
„regione hiſque civitatibus valet, prout in contractu ea de re conſcripto di-
„ſerte legitur. Unde collatis inter tres civitates primarias, & Sallandiæ, Tu-
„bantiæ ac Vollenhoviæ delegatos Conſiliis, hæ rationes eo valuerunt, ut pro-
„mulgationem horum diplomatum intermittendam eſſe omnes cenſerent,
„donec T. Clem. de re tota prius edocuiſſent. Porro cum duo hæc diplo-
„mata non nos modo, ſed Ordines Tranſiſalaniæ in communi ſpectent, vi-
„ſum nobis fuit, ad XXVI. hujus menſis diem eos ſuper hoc negocio convo-
„care. Neceſſaria ergo noſtra petitio eſt, ne grave ſit Clem. tuæ, noſtro ac to-
„tius hujus regionis nomine apud Sereniſſimam Reginam deprecari, ut nobis
„hac in parte indulgere velit. rogamus autem. T Clementię reſponſum ſcripto
„conſignatum ad nos tranſmitti. Deus Omnipotens Clem. tuam ſoſpitet.
„Datæ ſub ſigillo civitatis Daventrienſis, x Nov. die, Anno cIↃIↃLIII.

Ad hæc tres dictæ civitates, eodem die, ac eodem argumento ad Præſi-
dem ſanctioris Conſilii Viglium Zuichemum mutatis mutandis literas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

dederunt, obſecrantes ut apud Reginam intercederet, ne duo illa diplomata cogerentur promulgare.

XXVII Novemb. die, Civitates primariæ Ordines Tranſiſalaniæ ſuper hac cauſa convocarunt, ubi Mag. Nicolaus Verheyde, civitati Daventrienſi à Secretis, quem in finem vocati eſſent ediſſeruit, duo diplomata prælegit, cum omnibus ultro citroque miſſis Epiſtolis. Et hanc quoque quæ poſt reliquas omnes à Comite ad civitates pervenerat. ita autem habebat:

,, Honorati, ſingulariter dilecti. Quamvis duobus ad vos nuper miſſis ,,diplomatis ſuper abrogatione omnium thalerorum in communi, diſerte ,,cautum eſt, ut ii poſt tertiam à publicatione hebdomadem pro illicitis ,,haberentur, ac ut tales alia moneta permutarentur, conflarenturve, ac niſi ,,id fieret fiſco cederent, juxta ampliorem diplomatum tenorem: Placuit ,,tamen Cæſareæ Majeſt. Clementiſſimo noſtro Domino, ob æquas conſide- ,,rationes, ea de re diſpenſare, ac tres dictas hebdomadas ampliare ad ,,ſpatium trium hebdomadum illas ſubſequentium, eo videlicet caſu, ſi cives ,,trium civitatum & communitates reliquæ de temporis brevitate quereren- ,,tur, intra quod dictos thaleros permutare aut expendere non poſſent. qua ,,de re vos certiores facere voluimus, eo fine, ut in dicto caſu id ipſum pro- ,,mulgari curetis, ubicunque edictorum publicationes fieri debent aut ſo- ,,lent, ut quilibet ſecundum jam dicta res ſuas componat. Ita tamen ne ,,præſentes literæ cenſeantur vel minimum derogare diſpenſationi prioribus ,,noſtris contentæ, per quam vobis permiſſum eſt, thaleros apud vos cuſos ,,intra mœnia trium veſtrarum civitatum in uſu retinere. Omnipotens vos ,,conſervet. Datum Bruxellis VIII Novemb. Anno CIↃIↃLIII.

Ordines Tranſiſalaniæ hoc negocio rite expenſo, ac in eo ſe ſupra modum gravari arbitrati, nonnullos ex ſuo conſeſſu elegerunt, qui rem totam cum Satrapis & delegatis civitatum, quam commodiſſime ſcripto comprehenderent, ac ſimul diſpicerent utrum conſultum foret per literas, an vero per delegatos Reginam ſuper ea re adire. injunctum fuit id muneris, è Salandia Ioanni vanden Boetzeler, Erneſto ab Itterſum, & Ditherico a Voorſt: è Tubantia Bernardo a Bevervoorde in Weerſelo, Adolpho a Twickelo, & Gualthero a Coverden. è Vollenhovia Balduino Hagen, & Othulfo ab Ooſterwolde.

Satrapa & Officiarii ditionis Tranſiſalanæ & delegati Ordinum VII Decemb. die Daventriæ convenerunt, ad exequendum id quod ſibi in Comitiis fuerat demandatum. Dum in eo ſunt, innotuit eis, Comitem Arembergium ad Prætores Daventrienſem & Zwollanum literas dediſſe, uti collybiſtas aut aurifices aliquot ſibi conquirerent, civitatibus primariis immittendos, qui omnes thaleros permutatione ad ſeſe contraherent ac conſcinderent, recepturos in ſingulas libras Flandricas ternos ſtuferos. Zwollæ unus ex hoc ordine

ordine ſeſe ad eam conditionem recipiendam obtulit. ei Senatus illius urbis injunxit, ut ab hoc faciendo ſuperſederet.

Comes Arembergiæ ad literas trium civitatum reſponſum miſit. quod Daventriæ Deputatis Ordinum prælectum fuit, in hanc ſententiam:

,, Honorati, prudentes, ſingulariter dilecti: Scripta veſtra x. hujus men- ,,ſis Novemb. exarata accepimus, eorumque tenorem, quoad difficultates ,,ac rationes ob quas duorum diplomatum vobis nuper a nobis nomine ,,Cæſ. Majeſt. tranſmiſſorum publicationem diſtuleritis, abunde intellexi- ,,mus. Petitioni etiam veſtræ obſecundantes, Sereniſſimam Reginam de ,,tota re edocuimus, ſuper quo ejus reſponſum ore primum, deinde & ſcri- ,,pto expreſſum accepimus, in eam ſententiam, quod, ob rationes graviſſi- ,,mas non poſſit ejus Majeſtas vobis concedere, ut thaleri in priori ex duo- ,,bus illis diplomate nominati, elapſo termino conſtituto, per regionem ,,Tranſiſalaniæ in uſu maneant. id enim in cauſa fore, ut reliquæ Belgii Pro- ,,vinciæ idem requirant, ac, in caſu repulſæ ſe præ aliis gravari non de ,,nihilo cauſentur. Imo ſi id permittatur in Tranſiſalania, expectandum ut ea ,,undique pecunia reproba impleatur, unde magna incommoda eſſent ori- ,,tura, tam illius regionis, quam univerſi Belgii incolis, ac iis etiam qui in ,,illo mercaturam exercerent. Deinde quod attinet exportationem aureæ & ,,argenteæ monetæ, cui alterum diploma cavet, exiſtimat Sereniſſima Re- ,,gina, multo minorem vos conquerendi anſam habere quam Andover- ,,piam, Amſtelodamum, urbeſque alias, in quibus negociatio major eſt quam ,,in tribus Tranſiſalaniæ civitatibus, in quibus majori ex parte permutatione ,,variarum mercium mercatura exercetur. Juxta quæ & hoc in conſidera- ,,tionem venit, quod in Tranſiſalania diverſæ nummorum ſpecies in uſu ſunt, ,,ab aliis Principibus ac magnatibus cuſæ, quas inde exportari per dictum ,,diploma neutiquam prohibetur. Quibus rationibus, ut & pluribus aliis, ,,quas Sereniſſima Regina nobis propoſuit, expenſis, ea nullo modo ex- portationem illam concedere decrevit: ſed contra, ſerio nobis in mandatis ,,dedit omnem operam dare, ut abſque ulteriori mora, ad publicationem ,,utriuſque diplomatis, ejuſque ſedulam obſervationem, ſevere, & citra fa- ,,vorem aut diſſimulationem ullam, per Tranſiſalaniam univerſam proce- ,,datur. qua de re, ad nos debito obſequio exonerandos, quam citiſſime ,,vos certiores facere voluimus, ac inſuper nomine quo ſupra, expreſſe ,,vobis injungere, ut præciſe eam exequamini, juxta latiorem tenorem duo- ,,rum noſtrorum ſcriptorum, quæ ad vos nuper tranſmiſimus, ut Cæſareæ ,,Majeſtatis beneplacitum quoad hoc effectum dari, voſque in ſolita reputa- ,,tione bonornm & obſequentium ſubditorum conſervari poſſitis, id quod ,,omnino a vobis expectamus. quos Deus omnipotens incolumes præſtet. ,,Datæ Bruxellis, XXI die Nov. Anno CIↃ IↃ LIII. ſignatæ, *Ioannes de Ligny*.

Præter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Præter hæc idem Præfectus ad tres Satrapas, Sallandiæ, Tubantiæ & Vollenhoviæ literas dedit, in hanc ſententiam exaratas:

,, Magnifici, honorati, ſingulariter dilecti. Cognovimus è literis ve-,,ſtris, ſcriptis ad nos x. hujus menſis die, vos publicationem duorum di-,,plomatum, vobis nuper à nobis, nomine Cæſareæ Majeſt. tranſmiſſorum, ,,hactenus diſtuliſſe, id quod non parum factum miramur, quum tanto ſtu-,,dio id vobis mandaverimus, prout è præcedentibus noſtris probe potuiſtis ,,colligere. Neque vos latere volumus, nos id Sereniſſimæ Reginæ ex offi-,,cio indicaſſe, cui id minime gratum fuit, unde ſerio nobis injunxit, ut ,,vobis iterato mandaremus, abſque omni ulteriori mora ad promulgatio-,,nem & obſervationem dictorum diplomatum vobis progrediendum eſſe, ,,unicuique apud ſuos, ac in diſtrictu ſuæ juriſdictionis, ubi id ipſum fieri ,,ſolet ac debet. qua de re vos protinus certiores facere voluimus, ac in-,,ſuper denuo ac peremtorie, nomine quo ſupra, mandare, ut ſequeſtratis ,,omnibus excuſationibus, præciſe ei obſequamini, ac in poſterum cavea-,,tis, nequid tale denuo a vobis admittatur, ne Cæſareæ Majeſtati anſa por-,,rigatur, incommodorum quæ inde oriri poſſent, in vos culpam conferen-,,di, ac ut ea à vobis præſtentur exigendi, id quod optaremus evitari. Datæ ,,Bruxellis XXI. Novemb. die, Anno CIↃIↃLIII. ſignatæ: *Ioannes* ,,*de Ligny*.

Poſtquam delegati Ordinum literas haſce percurriſſent, rem totam inter ſeſe diſceptarunt, ac penitus ſuis privilegiis adverſam eſſe judicarunt, quod ut liquido pateret, Tractatum quem Cæſ. Majeſt. & juramento ſuo & ſigillo ſtabiliverat prælegi curarunt.

Delegati civitatum Satrapis perſuadere conati ſunt, ne diplomata publicari facerent, ac eo fine eos jurisjurandi civitatibus ab eis præſtiti commonuerunt.

Hinc, digreſſi nonnihil Satrapæ, cum delegatis equeſtris Ordinis conſultarunt, an a publicatione ſuperſedendum, an vero ad eam progrediendum videretur? & poſtquam ad conſeſſum eſſent reverſi, Dithericus a Voorſt nomine Satraparum & equeſtris Ordinis delegatorum, propoſuit: Si civitates Satrapis ac equeſtri Ordini polliceri vellent, ſe quicquid ex hac re detrimenti ipſis oriri poſſet in ſe recepturas ac luituras, eos tamdiu a publicandis diplomatis ceſſaturos, donec Ordines denuo ad aulam ſcripſiſſent, aut deputatos ſuos eo ablegaſſent, ad diplomata deprecanda: ſin ejuſmodi promiſſum edere gravarentur, iis tanquam Cæſaris Officiariis ad publicationem procedendum eſſe.

Ad quæ delegati civitatum Satrapis reſponſum dedere: ſe nequaquam in animo habere ejuſmodi pollicitis ſe illigare, quum ejus rei nullum haberent mandatum: Neque poſſe civitates apud ſuos ejuſmodi publicationem fieri

curare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

curare, ut quæ tendat ad infractionem ſuorum privilegiorum, atque etiam directe repugnet tractatui de quo ſupra. Quod ſi Satrapis, tanquam Cæſaris officiariis, libeat ea in ſuis diſtrictibus promulgare, id civitates impedire non poſſe: ſed hoc tamen aſſerere, adverſaturum id promiſſis ac juramentis quibus Satrapæ civitatibus obſtricti ſunt, ideoque ab eis id fieri non oportere, proteſtantes, ſe in hoc neque nunc neque in futurum ullo modo conſenſuros, idque ratione habita privilegiorum ſuorum ac immunitatum, ut & tractatus ſupradicti, quibus id adverſetur. Meminiſſent Satrapæ, ſibi jusjurandum ſuum, promiſſa, & vadium ſuper hoc civitatibus datorum nexum ac fidem accurate prælecta ac commendata fuiſſe. ac concluſum tandem, delegatos Ordinum, nomine totius regionis ad Sereniſſ. Reginam & ejus vices gerentem ſcripturos, ad diplomata hæc deprecanda, ea forma quam mox ſubjiciemus. literæ autem illæ poſtridie Satrapæ Sallandiæ, Commendatario Ootmerſiano, ac reliquis Ordinum Deputatis fuerunt prælectæ, in hanc ſententiam:

„ Ordo Equeſtris ac Civitates Tranſiſalaniæ, Majeſtati Sereniſſimæ „Reginæ:

„ Submiſſa noſtra ac prorſus affectuoſa obſequia, & quicquid in noſtra „poteſtate eſt, Regiæ tuæ Majeſtati aſſiduo parata ſunt.

„ Illuſtriſſima, Generoſiſſima, Potentiſſima Regina, Domina Clemen„tiſſima: Comes Arembergiæ, conſtitutus noſter Præfectus, in Tranſiſa„niam miſit nomine Cæſ. Majeſt. Clementiſſimi noſtri Domini duo diplo„mata, prius datum v. Octobr. proxime elapſi, quo, magnis pœnis pro„poſitis, prohibemur, nullos uſpiam thaleros, cujuſcunque illi monetæ ſint, „recipere aut expendere, alterum datum XXII Octobr. præteriti, quo ve„tamur, ullos omnino nummos moneta Cæſaris inſignes ex hiſce regioni„bus exportare. Deprehendimus autem nos tres civitates, hæc duo di„plomata adverſari laudabili Tractatui inter Clementiſſ. noſtrum Domi„num, Majeſt. Cæſaream, & hanc ditionem confecto. unde petivimus „ab Officiariis, ut vi nexus quo nobis devincti ſunt, publicationem ho„rum duorum diplomatum intermittant, tantiſper dum Clement. noſtrum „Præfectum Comitem ab Aremberch (qui diplomata emiſerat) ſcriptis „noſtris debite edocuiſſemus, nos obſervationi illorum diplomatum mini„me eſſe involvendos. Quumque res hæc non ad nos civitates duntaxat, „ſed & ad univerſos Tranſiſalaniæ Ordines ſpectaret, ii quidem omnes „XXVII Novemb. præteriti, noſtri autem delegati peculiariter die hodier„no Daventriæ congregati fuerunt, communicantes iiſdem hanc materiam „cum annexis, ut & noviſſimum mandatum, quod D. Præfectus noſter „Officiariis, ac nobis civitatibus die XXVI Novemb. ſcriptum tranſmi„ſerat, & XXX ejuſdem menſis à nobis acceptum eſt. Nos, communi ſtudio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,hanc materiam, & tenore utriuſque diplomatis expenſo, nihil aliud ſuſpi-
,,cari poſſumus, quam eſſe nonnullos qui Majeſtatem tuam (quæ nos ſem-
,,per per congenitam benignitatem clementer habuit) perperam hac in
,,cauſa informare conentur, quaſi noſtrarum regionum eadem ratio ſit cum
,,ſubditis Belgii per hæreditatem ad Principem noſtrum devoluti, ad quos
,,ultra omnem hominum memoriam ejuſmodi mandata ſive diplomata mit-
,,ti, & ab iis publicari ſolent. Clementiſſ. noſter Dominus Cæſar Romanus
,,clementer nos recepit, noſque, obſequentium ſubditorum inſtar, nos ejus
,,Majeſtati ejuſque hæredibus ſubmiſimus, non ſimpliciter, ſed per tracta-
,,tum utrinque reciproce ſancitum, interpoſito etiam jurejurando, de eo ad
,,omnem poſteritatem obſervando. Hoc ſtamus, neque unquam adverſus
,,eum quicquam agere decrevimus, confidimus autem, atque etiam roga-
,,mus, ut Cæſarea Majeſtas ejuſque hæredes gratioſe eidem viciſſim inhæ-
,,rere velint. In quo laudabili tractatu vetera noſtra privilegia, jura & im-
,,munitates, ut & avitæ conſuetudines omnes ſtabilitæ ſunt, idque non ad eas
,,nobis permittendas duntaxat, verum etiam tuendas. Siqui ergo forent, qui
,,Majeſtati tuæ ſecus conarentur perſuadere, eos neceſſe eſſet ſollicitare in-
,,fractionem dicti tractatus, uſuumque ac conſuetudinum noſtrarum. Etenim
,,tempore Dominorum noſtrorum ſuperioris ævi, Epiſcoporum Trajecti-
,,norum, certum eſt quorumlibet Principum, Comitum, Dominorum, ac
,,civitatum monetam ac nummos in hiſce regionibus valuiſſe, idque juxta
,,uniuſcujuſque valorem. unde libera & amica commercia exercuerunt cum
,,omnibus ſubditis noſtrorum vicinorum ac civitatum, nemine alterius mo-
,,netam prohibente. Neque ejuſmodi mandata emanabant, niſi conſen-
,,tientibus in ea Clem. noſtro Domino Ultrajectino, Ordine equeſtri ac ci-
,,vitatibus, prout bono hujus regionis conducere judicaretur. In hiſce con-
,,ſuetudinibus ac uſibus Cæſarea Majeſtas nos invenit ac recepit, ſeque nos
,,in illis conſervaturum promiſit. Regiæ quoque tuæ Majeſtati per delega-
,,tos noſtros, cum animi ſubmiſſione variis temporibus ac locis obtulimus,
,,& etiamnum offerimus, nos promtos eſſe ac fore quovis tempore, ad reci-
,,pienda ac publicanda diplomata conſentanea noſtro tractatui, juribus ac
,,immunitatibus exiguæ hujus regionis ac civitatum, quæque ad bonum
,,ſubditorum ejus tendere poſſint. adhæc rogavimus aſſiduo, & nunc quo-
,,que rogamus Regiam tuam Majeſtatem, placeat ei pro ſua clementia nos
,,non gravare ullis mandatis, quæ vergant ad infractionem dicti tractatus,
,,veterum noſtrarum conſuetudinum ac uſuum. quum enim in extremo li-
,,mite ditionum Cæſ. Majeſtatis ſiti ſimus, exigua agitantes mercimonia,
,,quotidie contrahere adacti cum incolis plagæ Orientalis, Monaſterii, uni-
,,verſæ Weſtphaliæ & regionum conterminarum, è quibus nulla fere mo-
,,neta ad nos defertur præter thaleros, ſi eos nec recipere nec expendere

,,per-

„permittamur, eo pacto omnem noſtram, quæ perexigua eſt, negociatio-„nem, penitus nobis perire ſentiemus. Adhæc, animadverſis magnis pe-„cuniæ ſummis quas Cæſ. Majeſtas à nobis petiit, ad defenſionem ditio-„num ſuarum ac populorum, animo liberali ac fideli, pro facultatum no-„ſtrarum tenuitate, tantas ei petitiones quantas à nobis concupivit, conceſ-„ſimus, ſed expenſa monetæ in deterius labentis mutatione, noſtræque re-„gionis ſitu, diſerte addidimus, nos petitionem quæ exigebatur exoluturos „ea monetæ ſpecie quæ per Tranſiſalaniam in uſu ac vigore eſſet, quod & „diſerte nobis permiſſum, & receſſui inſertum eſt. Quum ergo Cæſ. Maje-„ſtas dicto tractatu avita noſtra privilegia, jura, & immunitates, conſuetu-„dines ac uſus confirmarit, ac tueri promiſerit, neque nos deceret quic-„quam adverſus eundem tractatum, conſuetudines ac uſus tentare, ac plenè „perſuaſum habeamus, Cæſaream Majeſt. tanquam caput omnis juſtitiæ, „nunquam nobis injuncturam mandaturamve, ut irritum reddamus id quod „ſua Majeſt. nobis gratioſe permiſit, obſignavit, ac juramento confirmavit, „rogamus quam demiſſe poſſumus, tanquam promti ac obſequentes ſubditi „(qui nec, quod quidem ſciamus, ut inclementer nobiſcum agatur, ſumus „promeriti) ut Regia tua Majeſtas, quam ſemper erga nos gratioſe affectam „experti ſumus, ob rationes prædictas atque etiam ex congenita benignitate „nos à duobus illis diplomatis publicandis ac obſervandis excuſare velit. „Quod beneficium, pro virium noſtrarum exiguitate, cum omni obedientia „tum erga Cæſaream tum ergo Tuam quoque Regiam Majeſtatem humi-„liter ac obſequenter recognoſcemus. Quam Deus O. M. in celſo ac invicto „regimine ſalvam ac incolumem eſſe velit. Datæ ſub ſigillo Diterici a „Voorſt, nomine equeſtris Ordinis Sallandiæ, Tubantiæ, ac Vollenhöæ, „& ſub ſigillo civitatis Daventrienſis, quo nos civitates in hoc negotio „pariter utimur. die VIII Decemb. Anno CIƆIƆLIII.

Scripſerunt & ad Arembergium, Præfectum ſuum Tranſiſalaniæ Ordi-nes, in hunc modum:

„Promta noſtra obſequia, & quicquid poſſumus, T. Clem. ſemper præ-„ſto ſunt. Nobilis ac generoſe Domine: Quandoquidem delegati Ordinis „equeſtris, noſque tres civitates antehac a T. Cl. accepimus duo diplomata, „quibus cavetur, ut omnes omnino thaleri commerciis excludantur, neve „nummos qualeſcunque nomine Cæſ. Majeſt. cuſos exportare liceat, ac quæ „latius in eam ſententiam iis continentur, ſuper qua re nos civitates ad „Clem. T. reſcripſimus, rogavimuſque eo onere liberari: poſt quas T. Cl. „XXI Novembr. proxime elapſi ad Officiarios literas dedit, quæ XXX No-„vembr. hic receptæ ſunt, referentes Clementiſſ. noſtram Dominam Regi-„nam, omnibus rationibus poſtpoſitis, denuo injunxiſſe ac rigide mandaſſe, „ut dicta duo diplomata promulgarentur, ac obſervarentur. Antequam

,,autem noviſſimæ T. Clem. literæ ad nos perveniſſent, die Novemb xxvii.
,,ut & hodierno, ſuper tenore duorum diplomatum mature communicavi-
,,mus, & omnibus quæ ad rem facerent expenſis, deprehendimus obſerva-
,,tionem eorum nobis & huic regioni non modo gravem, ſed omnino im-
,,poſſibilem eſſe, quum in extremo limite ſiti ſimus, ac ob alias rationes ad
,,Cl. T. nuper tranſmiſſas. ideoque quam demiſſiſſime nunc ad Clem. no-
,,ſtram Dominam Reginam ſcripſimus, eaſque illi rationes ac excuſationes
,,propoſuimus, quas ſperamus Regiæ ejus Majeſtati ſatisfacturas, ob quas
,,nos ac Tranſiſalaniæ ſubditi iis non ſimus gravandi, modo præſtetur nobis
,,quod clementer nobis ſub fide ſigilli promiſſum fuit, prout apographo hiſce
,,incluſo continetur. Rogamus ergo, ne grave ſit T. Cl. hanc noſtram excu-
,,ſationem perlegere, ac in gratiam hujus regionis apud Sereniſſ. Reginam
,,pro nobis intervenire, tum adhibitis hiſce noſtris rationibus, tum aliis mo-
,,dis ac mediis quæ T. Clem. expedire videbuntur. quo in hac regione à
,,duobus dictis diplomatis liberi maneamus. id quovis officio erga T. Cl.
,,recognoſcere promti ſumus, quam Deus O. M. in celſo regimine ſoſpitem
,,eſſe velit. Datæ ſub ſigillo Diterici a Voorſt, nomine equeſtris Ordinis Sal-
,,landiæ, Tubantiæ, Vollenhöæ, & ſub ſigillo civitatis Daventrienſis, quo nos
,,civitates pariter in hoc negotio utimur. die viii Decemb. Ann. cIↃ IↃLIII.

Regina Maria acceptis Ordinum Tranſiſalaniæ literis excuſatoriis, iis
nullo modo acquievit, ſed prolixum ad eas reſponſum adornavit, quo omnes
Tranſiſalanorum rationes, ob quas ad publicationem dictorum diplomatum
ſe teneri negabant, convellere conabatur, in hanc ſententiam:

,, Maria Dei gratia Regina Dotaria Ungariæ, Bohemiæ &c. Guberna-
,,trix &c.

,, Nobiles, honorati, ſingulariter dilecti: Scripta veſtra, data ad nos
,,viii. hujus menſis, accepimus, ac lectis iis intelleximus rationes iis
,,contentas, quibus petitis remitti vobis publicationem ac obſervationem
,,duorum diplomatum, quibus & thaleri omnis generis abrogantur, & ne
,,nummi quicunque habent monetam Cæſar. Majeſt. è regione Tranſiſalana
,,exportentur, prohibetur, quæ quidem diplomata vobis nuper à Comite
,,Arembergio ordinato vobis Præfecto fuerunt tranſmiſſa.

,, Ut vero ad veſtras reſpondeamus, Primo, quod dicitis ac allegatis, vos
,,nihil aliud ſuſpicari poſſe, quam eſſe nonnullos, qui nos perperam edocere
,,inſtituant in hac cauſa, quaſi eadem conditione eſſetis, qua regiones hære-
,,ditate ad Majeſt. Cæſ. devolutæ, ad quas ab ultima origine ejuſmodi man-
,,data tranſmitti conſueviſſent, eaque ab iis publicari, certos vos eſſe volu-
,,mus, vos hac in parte non recte arbitrari; quod enim juſſimus diplomata
,,per omnes haſce regiones publicari ac obſervari, non per ſiniſtram perſua-
,,ſionem nobis adverſum vos ſuggeſtam evenit, cum materiam hanc præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ſente Arembergiæ Comite prolixe curaverimus diſceptari, unde primo de-
„prehendimus, ægre nos poſſe ad effectum eorum diplomatum in aliis re-
„gionibus pervenire, ſi apud vos aperta porta remaneret. Neque ſegniter
„hic quoque expenſa fuerunt incommoda quæ ſubditis per hæc mandata ini-
„tio evenirent, ſed æqua viciſſim lance ponderata fuerunt detrimenta in vul-
„gus perventura, ſi diutius permittendum & diſſimulandum eſſet, quod probâ
„harum regionum monetâ quaquaverſum exportata ea quæ deterioris com-
„matis eſſe deprehenditur, illius loco huc adveheretur.

„ Quod porro in hoc negocio ad tractatum veſtrum provocetis, dicentes
„diplomata illa repugnare laudabili tractatui inter Cæſ. Majeſt. & regionem
„ Tranſiſalanam, ſtabilito, item, eodem tractatu non ſolum vetera veſtra pri-
„vilegia, jura, ac immunitates, verum etiam avitas veſtras conſuetudines ac
„uſus à Cæſ. Majeſt. confirmatos, atque ex eo prætenditis obſervationi illo-
„rum diplomatum vos involvi iniquum eſſe, ſcire vos volumus, Cæſ.Majeſt.
„aut nobis non eſſe in animo ullo modo adverſus tractatum illum quicquam
„admittere, ſed perquam inſolens nobis accidere, omnia, præſertim illa, quæ
„tangunt obedientiam quam (vi juramenti quo Cæſ. Majeſt. obſtricti eſtis)
„ei debetis, hoc tractatu palliari & excuſari, qui tamen de eo quod impræ-
„ſentiarum controvertitur nihil continet. neque videmus quid hic ad rem
„ veſtram faciant nomina conſuetudinum ac uſuum, maxime in rebus quæ
„per abuſum, ac adverſus bonum publicum, quin & poſt tempus quo tracta-
„tus ille conſcriptus fuit, contigerunt. Prout etiam negari non poteſt, abu-
„ſum thalerorum paucis abhinc annis invaluiſſe, procedentem ex parte à
„civitatum Tranſiſalaniæ peculiaribus monetariis, nulla ratione habita eo-
„rum quæ Cæſ. Majeſt. noſque, antehac ſuper ea re Conſulibus, Scabinis,
„& Conſiliariis trium civitatum, tam per literas, quam ore Gerlaci Doys
„Conſiliarii in Tranſiſalania proponi curavimus.

„Quod inſuper dicitis & allegatis, ſub regimine Epiſcoporum Ultrajecti-
„norum, Principum tum temporis veſtrorum, omnium Principum, Comi-
„tum, Dominorum ac civitatum monetam in ditione Tranſiſalana valuiſſe,
„unamquamque juxta valorem ſuum, ita ut nemo alterius monetam recipi
„prohibuerit, percupidi eſſemus, ut idem etiamnum in cauſa monetaria ob-
„ſervaretur, ita enim videretis, per annexum hiſce breviculum (examen va-
„loris quorumlibet thalerorum exhibens) prorſus fore impoſſibile ut unuſ-
„quiſque eorum pro ratione valoris ſui recte acciperetur, ſpectata eorun-
„dem thalerorum multiplicitate & varietate.

„ Quamvis autem ſcriptis veſtris antedictis allegetis, ſuperioribus tempo-
„ribus in ejuſmodi edicta non aliter fuiſſe conſenſum, quam ab Epiſcopis
„Ultrajectinis pariter & Ordinibus Provinciæ, & Cæſaream Majeſt. vos in
„illis conſuetudinibus & uſibus inveniſſe, recepiſſe, in eaſque vobis per-

,,miſſurum ac in iis conſervaturum promiſiſſe, nos ejuſmodi uſum ibi ha-
,,ctenus nequivimus reperire, neque Cæſ. Majeſt. tempore ejus praxeos
,,ullum veſtigium nobis apparuit. prout neque in dicto tractatu ejus ulla
,,ſit mentio. Ac videtur nobis, non decere vos circa res quas ſua Majeſtas
,,ad propriam veſtram utilitatem, ut impleat id quod ſubditis ſuis præſtare
,,tenetur, ei manus occludere, ſed potiorem vobis eſſe debere rationem quæ
,,Cæſ. Majeſt. ac nos movit prohibitionem illam ſancire ad commune ac
,,univerſale bonum, quod privatæ utilitati prævalere æquum erat, apud eos
,,qui vobis auctores fuerunt hanc circa hoc negotium difficultatem mo-
,,vendi.

,, Quapropter, hiſce omnibus conſideratis, ſerio cupimus, ut vos hac
,,in parte conformetis ac aſſimiletis reliquis regionibus, cum quorum in-
,,colis vobis quotidiana commercia intercedunt.

,, Quoniam autem conquerimini, vos in extremo limite Cæſ. Majeſt.
,,ditionum ſitos eſſe, negotiationem perexiguam exercere, & quotidiana
,,vobis commercia intercedere cum incolis Orientalium partium &c. à qui-
,,bus non alia fere moneta præter thaleros ad vos deferatur, deprehendimus,
,,vos eadem ratione ne cum reliquis quidem hujus oræ ſubditis negociari
,,poſſe, ſi cum illis agere velitis, eiſque ſuas merces permutare ejuſmodi
,,thaleris, quos ipſis accipere & expendere vetitum eſt. unde periclitabimini
,,amittere univerſum commercium quod vobis cum illis intercedit.

,, Denique, quod ad alterum diploma attinet, ſpectans exportationem
,,monetæ Cæſareæ (quod præcipue factum eſt ad præveniendos abuſus ac
,,fraudes quorundam, mercaturam in auro exercentium) non reperimus in
,,ſcriptis veſtris peculiares ullas rationes afferri, ob quas dictum diploma
,,in Tranſiſalana ditione promulgari ac obſervari non oporteat. Addito,
,,quod idem diploma in reliquis regionibus inutile redderetur, ſi qui ei
,,contravenire conarentur, id genus nummos per Tranſiſalaniam efferre per-
,,mitterentur. Quibus omnibus expenſis, ſcripſimus ad dictum Arember-
,,giæ Comitem (qui iter in Tranſiſalaniam inſtituit) ut ſuper difficultatem
,,hanc vobiſcum communicaret, ac operam daret, ut id quod veſtro bono
,,hac in parte decretum eſt, debitum effectum ſortiri poſſet.

,, Petentes denuo, ut dicto Arembergiæ Comiti in iis quæ de hoc ne-
,,gotio vobis proponet plenam fidem tribuatis, ac porro omnem debitam
,,obedientiam Cæſ. Majeſtati, legitimo veſtro Magiſtratui ac Principi præ-
,,ſtetis. Nobiles, honorati, ſingulariter dilecti, Dominus noſter Deus vo-
,,biſcum ſit. Datæ Bruxellis XXIV Octob. die, Anno CIↃIↃLIII.

Anno CIↃIↃLIV. Comes Arembergiæ rediit in Tranſiſalaniam, ubi Comitia Daventriæ habenda XIII Januarii die convocavit. quo die Ordines in aula Epiſcopi comparuerunt. Quibus Comes ea quæ à Regina in-
man-

mandatis habebat aperuit, per Mag. Gerlacum Doys, quorum hæc erat ſumma: Majeſtatem Reginæ petere ab Ordinibus Tranſiſalaniæ, ut ſe reliquis Cæſ. Majeſt. ditionibus hæreditariis conformarent, ſibique in publicandis obſervandiſque duobus illis diplomatis obſequerentur. Quandoquidem nequaquam ſtatuiſſet eis hac in parte indulgere, aut excuſationibus eorum in contrarium, locum dare. Adjiciens non poſſe eos inniti Tractatui, cujus vigore negent ſeſe reliquis Cæſ. Majeſt ditionibus hæreditariis æquiparandos, ut qui per tractatum, non autem ſimpliciter Cæſ. Majeſt. partibus ſe adjunxerunt, item quod in extremo limite ſiti &c. Nam & Ducatum Gelriæ ac Comitatum Zutphaniæ tractatu intercedente ad ſuam Majeſt. perveniſſe, ac ſimiliter in limite ſitos eſſe, qui tamen in promulgandis & obſervandis diplomatibus ſeſe obſequentes exhibuerint. Quod ſi nihilominus Ordines aliquam adhuc prorogationem temporis exoptarent ad thaleros ſuos permutandos aut expendendos, libenter ſe nomine Sereniſſimæ Reginæ cum ipſis diſpenſaturum, & ex æquo & bono cum ipſis acturum.

Super hoc concluſum eſt, Ordines ad diem XXI Jan. Zwollæ conventuros, & S. Clem. ore aut ſcripto reſponſum daturos. Interim civitatum delegatos ad Collegas ſuos de re propoſita relaturos, & Tribunorum pleb. quoque ſententiam exquiſituros.

XVII Januarii die, trium civitatum delegati Winſemi convenerunt, ubi quæ Magiſtratibus & communitatibus ſuis placuerant contulerunt. Concordibus videlicet ſuffragiis eis viſum eſſe, non poſſe ſe duo illa diplomata recipere ac obſervare. inſuper conſtituiſſe eos, ut delegati ſui ad diem XXI Jan. Zwollam ſecum deferant aliquot ſuarum communitatum privilegia, ac ſingulas illas civitates eſſe membra Imperii demonſtrarent.

Comes Arembergiæ ac Ordines Tranſiſalaniæ XXI Jan. Zwollæ convenerunt, ubi Ordines reſponſum ſuum ad duo diplomata ſcripto conſignatum Comiti tradiderunt, in hanc ſententiam.

Reſponſum Ordinum Tranſiſalaniæ ad propoſitionem per Clem. noſtrum Præfectum XIII *Ianuarii pręterito Daventrię factam, ſuper publicatione duorum diplomatum, de prohibitis thaleris, & exportatione Cæſareæ monetæ.*

„ Ordo equeſtris Tranſiſalaniæ, ac civitates Daventria, Campi, Zwolla, „ repræſentantes Ordines regionis Tranſiſalanæ, convocati à Nobili & Generoſo D. D. Joanne de Ligny, Comite Arembergio, libero Barone in Barbançon, D. in Bruſiere, Cæſ. Majeſt. per Friſiam, Tranſiſalanam, Groningam ac Lingam Præfecto, & Capitaneo generali, ad ſiſtendum ſe in urbe Daventrienſi ad diem XIII. hujus menſis Januarii, audituri ejuſmodi propoſitionem ac mandatum quod Clem. noſtra Domina Regina gubernatrix hæreditarii Belgii ipſi in mandatis dederat, prout & Regia ſua Majeſtas XXIV Decemb. proxime elapſi ad Ordines ſuper eo ſcripſe-

„ rat,

,,rat, iidem Ordines dictis die ac loco obedienter comparuerunt, ac au-,,dierunt propoſitionem & mandatum Clem. noſtræ Dominæ, à Clem. Præ-,,fecto per Mag. Gerlacum Doys viva voce prolatum. Iidem porro Ordi-,,nes intelligentes ac deprehendentes propoſitionem illam viva voce factam, ,,& reſponſum XXIV Decemb. proxime elapſi à Regia ſua Majeſt. ſcripto ,,ad ſeſe tranſmiſſum, non alio tendere, quam ut dicti Ordines obedienter ,,ſe gerant (vi præſtiti ab ipſis juramenti) in publicandis & obſervandis ,,duobus diplomatis Cæſ. Majeſt. quibus cavetur ne ulli thaleri recipiantur ,,aut expendantur, neve ulla moneta Cæſarea exportetur &c. prout latius in ,,ipſis continetur:

,, Dicti Ordines Tranſiſalaniæ, propoſitione Clem. noſtri Præfecti, ut & ,,literis Sereniſſimæ Reginæ obedienter ac attente expenſis, cum in iis de-,,prehendant, animum Cæſ. Majeſtati non eſſe quicquam tentare adverſus ,,laudabilem Tractatum inter ipſam & dictas civitates initum, ſed potius ,,eum clementer tueri, ut fuſius iis continetur, ſummas eo nomine Cæſ. ,,Majeſt. gratias agunt, ac ſe viciſſim eundem Tractatum ſervare, ſuo ac ſuo-,,rum hæredum nomine, promtos ac alacres profitentur.

,, Veruntamen, cum animadvertant iidem Ordines è regiæ ſuæ Majeſt. ,,literis, judicare eam, non fuiſſe iis rationes, quibus inniti poſſent eidem ,,Tractatui, in negocio duorum illorum diplomatum, petierunt iidem Or-,,dines temporis prorogationem, quo S. Clem. die hodierno debite reſpon-,,dere poſſent.

,, Quum ergo concluſum Regiæ Majeſt. ac mandatum eis huc tandem re-,,deat, debere Tranſiſalanos, vigore præſtiti ab ipſis juramenti obedientes ſe ,,exhibere in iis quæ Clem. noſter Præfectus iis propoſiturus & communi-,,caturus eſt:

,, Ad hoc dicti Ordines demiſſe ac humiliter reſpondent, ſe juramento, ,,promiſſis, ac obſignatis Tractatibus ſuis, ſuo & ſuorum hæredum nomine, ,,auxilio & gratia Dei omnipotentis pro virili ſua parte ſatisfacere promtos ,,eſſe, ac in iis ſe perpetuo obedienter gerere, nec ſe ſibi conſcios eſſe, poſt ,,voluntariam ſuam ſubmiſſionem ſub Cæſ. Majeſt. quicquam in contrarium ,,à ſe commiſſum eſſe, ſed ſemper ſe exhibuiſſe obſequentes ac dicto au-,,dientes ſubditos.

,, Quum autem Tractatus, promiſſio, & obſignatio ante dicta inter Cæſ. ,,Majeſt. ejuſque hæredes, & dictos Ordines reciproce ſancita ſit, obſecrant ,,obſequentes ac obedientes ſubditi Tranſiſalani, placeat Cæſareæ Majeſtati, ,,& Sereniſſ. Reginæ nihil ſibi injungere aut imponere, quod eidem Tracta-,,tui, aut eis quæ ſibi in eo promiſſa ac reſervata ſunt, adverſum ſit.

,, Certum porro eſt, Clementiſſ. Cæſ. Majeſt. in eodem Tractatu, jura-,,mento, ac promiſſis, Tranſiſalanis, per verba ſub fide Principis concepta,

,,clemen-

„clementer pollicitum eſſe, ſe Ordinem equeſtrem ac civitates, judicia, „regiones, ac incolas Tranſiſalaniæ, cum eis quæ ad eos ſpectant, in omni- „bus ſuis juribus urbanis, municipalibus, feudalibus, aggerariis,& in omni- „bus ſuis privilegiis, tam Anzæ Teutonicæ, quam aliis, immunitatibus, poſ- „ſeſſionibus & conſuetudinibus, ut quiſque eis gaudet aut bona fide eis „hactenus uſus fuit, defenſurum ac protecturum.

„ Quæ omnia cum ita ſint, dicti Ordines Tranſiſalaniæ, literis obſigna- „tis coram Nobili & Generoſo Domino Ioanne a Ligny Comite Arem- „bergi, Præfecto ſuo, demonſtrarunt, tres Tranſiſalaniæ civitates, Daven- „triam, Campos, Zwollam multis abhinc annis fuiſſe ac etiamnum eſſe, „civitates Imperii & Anzæ Teutonicæ, ac tempore præcedentium Princi- „pum ſuorum, Ultrajecti Epiſcoporum, ut & durante Imperio præſentis „ſui Domini Cæſaris Romani, pro talibus habitas, ac ad earum cœtus con- „vocatas fuiſſe, antequam ditio ac civitates Tranſiſalaniæ ſeſe Majeſtati „Cæſareæ, tanquam Duci Brabantiæ & Comiti Hollandiæ ſubmiſiſſent, „etiam poſtquam ſeſe Imperii Romani & Anzæ ſubditas eſſe coram Clem. „noſtro Præfecto demonſtraſſent.

„ Prædictæ tres Imperiales ac Hanzeaticæ civitates privilegia habent cu- „dendi nummos aureos & argenteos, prout Anno cIↃ IↃ xxxix. xxvii Aug. „Hagæ-Comitis, & Anno cIↃIↃxlviii. xviii Decemb. Bruxellis „coram Majeſtate Reginæ demonſtrarunt, cujus etiam continuatam poſſeſ- „ſionem uſque ad diem hodiernum, coram Præfecto ſuo Comite Arem- „bergi per literas obſignatas, & Sereniſſ. Reginæ manum ac ſignaturam „edocuerunt. confidentes ac rogantes vi earum ac vigore, ne nummi ab „ipſis cuſi prohibeantur.

„ Præter hæc oſtenſum eſt, habere eaſdem jus collybi nummorum au- „reorum & argenteorum, in ditione Tranſiſalana & eiſdem civitatibus, ac „ejuſdem bonæ fidei poſſeſſione gaudere: aſſerentes, nunquam factum au- „ditumve fuiſſe, ut quiſquam alius id oneris inibi ſuſciperet, præter præ- „dictas illas civitates, denique monetam & collybum ſibi mutuo perpetuo „annexa fuiſſe.

„ Quum itaque ditio Tranſiſalana in prædictis civitatibus, privilegio, „gratia, & libertate ſacri Rom. Imperii, cujus & illæ, & ipſa ditio mem- „bra ſunt, una cum continuata poſſeſſione cudendi nummos aureos & ar- „genteos, etiamque civitates ipſæ, ac nemo præterea, collybum ibidem „exercuerint, quam poſſunt demiſſe rogant, ut Cæſ. Majeſtas, Dominus „noſter clementiſſ. ejuſmodi libertatem ac continuatam poſſeſſionem ſibi „integram relinquat, monetæ ſuæ impedimentum non objiciat, privilegia „ſua, libertates, poſſeſſiones, avitas conſuetudines ac uſus illibatos tueatur,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,prout eos titulos, privilegia ac poſſeſſiones coram Præfecto ſuo intra di-
,,tionem Tranſiſalanam demonſtrarunt.

,, Quoniam autem duo illa diplomata monetam & rem pecuniariam tan-
,,gunt, verum eſt, in Tranſiſalania annos abhinc c l. quoties declaratio
,,aliqua ſuper aurea aut argentea moneta facta fuit, Epiſcopum Ultrajecti-
,,num una cum Tranſiſalaniæ Ordinibus, interdum & civitates ſeorſim,
,,communem & publicam æſtimationem omnium qua aureorum qua ar-
,,genteorum nummorum (qualem pro ratione temporis, & pretio merci-
,,moniorum, bono publico convenire judicabant) emiſiſſe. cujuſmodi
,,conſtitutionum non pauca exempla, vel typis excuſa, vel juratorum ta-
,,bellionum, ac fide dignorum hominum manibus exarata, Præfecto ſuo
,,exhibuerunt. verbi gratia, eas quæ Annis cIↄccccI. cIↄcccclxxix.
,,cIↄcccclxxxvI. cIↄcccclxxxIx. cIↄccccxc. ad pulſum
,,campanæ publicatæ fuerunt. unam quæ Anno cIↄIↄI. à tribus civitati-
,,bus ſeorſim confecta typis deſcripta fuit. unam quæ in ditione Tranſiſalana
,, à D. Friderico Badenſi Epiſcopo Ultrajectino una cum regionis Ordini-
,,bus, & ipſa excuſa editaque fuit, Anno cIↄIↄII. ut & alteram ab iiſ-
,,dem ſancitam editamque Anno cIↄIↄVI. quæ omnia abunde demon-
,,ſtrata ac probata fuerunt coram dicto Præfecto noſtro. unde liquido pa-
,,tet, ejuſmodi poſſeſſionem, conſuetudinem ac uſum, jam ante ſubmiſſio-
,,nem Cæſ. Majeſtati factam in Tranſiſalania viguiſſe, in quibus Cæſ. Maje-
,,ſtas eam invenit, ſuſcepit, & tueri ac protegere promiſit.

,, Quum autem in literis Regiæ Majeſt. eo quo dictum eſt die ad Ordines
,,Tranſiſalanæ regionis emiſſis, Sereniſſ. Regina neget ſe hactenus ejuſ-
,,modi conſuetudinem in Tranſiſalania reperiſſe, neque tempore Cæſar.
,,Majeſt. tale quid in uſu fuiſſe &c. per ea quæ jam dicta ſunt abunde de-
,,monſtratum eſt, Epiſcopum Ultrajectinum, ac Tranſiſalaniæ Ordines de-
,,creta talia, ac ſtatuta ſuper re monetaria (qualia ſunt hæc duo diplomata)
,,omni tempore præterito per ſeſe condidiſſe, promulgaſſe, & typis excuſa
,,divulgaſſe, prout ſecundum temporis rationem, & communem pecuniæ
,,curſum in limitibus Tranſiſalaniæ neceſſarium aut expediens eſſe judicaſ-
,,ſent. Cæſarea autem Majeſtate Anno cIↄlxxxIx. ult. Julii æſtimatio-
,,nem quandam aureæ & argenteæ monetæ edente, quam regionibus hære-
,,ditario jure ad ſeſe devolutis neceſſariam ac commodam cenſebat, quæ
,,à Tranſiſalanis ob rationes jam dictas accipi non poterat, Ordines Tranſi-
,,ſalaniæ, poſſeſſionem ſuam avitam continuantes, una cum Georgio
,,Schenckio primo ſuo Præfecto nomine Cæſ. Majeſt. loco priorum ſuo-
,,rum Dominorum Ultrajecti Epiſcoporum, eodem Anno cIↄIↄlxxxIx.
xxvII Octobr. in urbe Campenſi conſtitutionem ac æſtimationem aureo-
,,rum & argenteorum nummorum per ſe ipſos condiderunt, publicarunt,
,,ex

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,ex parte ediderunt, ac obſervarunt. atque hæc contigerunt multo poſt
,,quam iidem Ordines ſe Cæſ. Majeſt. ſubmiſiſſent, prout & coram Præ-
,,fecto ſuo Comite Arembergio declararunt ac docuerunt exemplari illius
,,conſtitutionis typis deſcripto, quæ æſtimationem à Cæſ. Majeſt. quo di-
,,ctum eſt tempore conditam, & eam quæ ab Ordinibus Tranſiſalaniæ con-
,,fecta erat, tempore quo ſupra, ſibi mutuo in una pagina conjunctas exhi-
,,bebat. Rogantes, ut deinceps in eadem poſſeſſione, conſuetudine ac uſu
,,per ſe ipſos pretia nummorum, pro temporis ratione & neceſſitate ſub-
,,ditorum conſtituendi, continuare ſibi permittatur. Utque Cæſ. Majeſtati
,,poſſeſſionem illam ſuam, conſuetudinem ac uſum gratioſe ſartam tectam
,,præſtare placeat.

,, Neque unquam ex rei veritate deprehendetur, Epiſcopos Ultrajecti,
,,hujus regionis Principes, ullam diſpoſitionem, conſtitutionem, aut æſtima-
,,tionem aureæ argenteæve monetæ in Tranſiſalania, ſolos, abſque conſilio
,,& voluntate Ordinum unquam condidiſſe, ſed ſemper eum quem ſupra ediſ-
,,ſeruimus agendi modum hac in parte obſervaſſe. Atque ita exiguam hanc
,,regionem, commercium pertenue exercentem, in extremo limite ſitam,
,,omnium vicinorum Principum ac civitatum monetam nummoſque æſti-
,,maſſe, ac pro legitimis habuiſſe, juxta debitum eorum pretium, idque
,,continuaſſe uſque ad hodiernum diem, neque vel ipſam illorum, vel illos
,,ſuam monetam prohibuiſſe, ſed communiter unamquamque ſuo pretio re-
,,liquiſſe, niſi ſi quando fallaces aut adulterini nummi in Tranſiſalaniam
,,importati eſſent, quo caſu civitates eoſdem proſcripſerunt. prout id ipſum
,,coram Præfecto noſtro probatum dedimus.

,, Quod porro in literis Clem. noſtræ Dominæ Reginæ habetur; quando
,,duo hæc diplomata in Tranſiſalania non obſervari contingeret, non poſſe
,,fieri ut & in reliquo Belgio hæreditario obſervarentur, Tranſiſalani quam
,,demiſſe poſſunt indicant, ſperare ſe, atque adeo orare, ne in privilegiis
,,ſuis, poſſeſſionibus ac conſuetudinibus turbentur cum ſuo damno, ob uti-
,,litatem quæ inde in regionibus aliis poſſit percipi, ſed ut Tranſiſalanis ſim-
,,pliciter in eo ſtatu permanere liceat, in quo Cæſ. Majeſtas eos accepit, ac
,,promiſit non tantum eos in illo relinquere, verum etiam tueri ac con-
,,ſervare.

,, Neque poſſunt demiſſi & obſequentes Tranſiſalaniæ ſubditi, animo con-
,,cipere, poſtquam decretum & conceſſum eſt, quod & ipſum coram D.
,,Præfecto fuit oſtenſum, ut noviſſimæ Cæſareæ petitioni tali pecunia ſa-
,,tisfieret, qualis in Tranſiſalania obtinet, qui fiat ut nunc in contrarium
,,hujuſcemodi novitas ac difficultas invehatur.

,, Quamvis autem dicti Ordines perſpicue docuerint ac demonſtrarint
,,coram Clem. D. Præfecto ſuo, literis obſignatis. ac ſcriptis authenticis,

,,quæcunque hac ſua reſponſione continentur, ac æquum eſſet id pro ſuffi-
,,cienti recipi, nihilominus, ſi forte quiſpiam de eo (quod minime ſpe-
,,rant) dubitare poſſet, declarant iidem Ordines, ac aſſerunt ex abundanti,
,,eſſe penes ſe privilegia obſignata, jura & immunitates, præcedentium ſuo-
,,rum Dominorum ac Principum, eo ſenſu, ſi forte inter Dominum Prin-
,,cipemve ſuum ex una, & Magiſtratus communitateſque civitatum ex altera
,,parte, aliqua diſſenſio (quod gratioſe avertat Deus) oriretur, voluiſſe in eo
,,caſu præcedentes ſuos Dominos, ac obſignatis diplomatis conceſſiſſe, ut
,,quæcunque Magiſtratus civitatum pro tempore, ſuo juramento parati ſunt
,,confirmare, immunitatibus ſuis, jure, poſſeſſione ac avitis conſuetudinibus
,,contineri, ea illis libera ac intemerata relinquerentur, neque vel Principes
,,noſtri, vel quiſquam eorum nomine, ea quocunque modo infringere aut
,,imminuere tentaret. prout hic articulus coram Clementiſſ. noſtro Præfecto
,,per duodecim diverſa originaria & à Præſulibus Trajectinis obſignata di-
,,plomata abunde fuit demonſtratus. quorum primum, datum ab Ioanne
,,Trajecti Epiſcopo præfert annum cIↄcccxlvi. ultimum ab Henrico
,,Comite Palatino, qui ultimus ſecularis Epiſcopus Trajectinus fuit, an-
,,num cIↄIↄxxv. omnia ea quæ ſupra relata ſunt continentia, quorum
,,αὐτόγραφα fuerunt exhibita, ut dictum.

,, Idem quoque privilegium, conſuetudo, ac uſus non ſolum conceſſus fuit
,,ab Epiſcopis & Dominis Tranſiſalanis, verum etiam à Dominis noſtræ re-
,,gioni collimitaneis, Gelris ac Zutphanienſibus, in quorum jura Clem. no-
,,ſter Dominus Cæſ. Majeſt. (Deo ſit gratia) ſucceſſit. prout idem apographo
,,diplomatis dati anno cIↄccc xxxvi. oſtenſum probatumque fuit. ut antea.

,, Conſequenter, anno cIↄcccc lxvi. à D. Adolpho Duce Gelriæ, ſuo &
,,hæredum ſuorum nomine confirmatum fuit, id quod à Duce Gelrię Rainal-
,,do, per literas obſignatas eis fuerat conceſſum. quod & exhibito apogra-
,,pho authentico fuit comprobatum. ut ſupra.

,,Certum quoque eſt, dictas tres civitates ab omni antiquitate fuiſſe, & ad-
,,huc eſſe membra Hanzæ Teutonicæ, ſub quibus omnia quoque minora op-
,,pida regionis Tranſiſalanæ comprehenduntur ac proteguntur. Habere eas
,,inter ſeſe, certa privilegia, libertates & jura, quæ Cæſ. Majeſtas in ſæpius
,,nominato tractatu confirmavit, prout & hoc oſtenſum fuit. Hæ primariæ
,,civitates Anzæ, communi gaudent privilegio Imperii cudendi monetam
,,auream & argenteam, ac hoc tempore pleræque thaleros cudunt. Quando
,,ergo earundem Imperii ac Anzæ civitatum nummi reprobarentur, ac pro
,,adulterinis haberentur, non poſſet id a Tranſiſalanis, proximis Comitiis
,,Imperii ac Anzæ, coram civitatibus extra hæreditarium Belgium poſitis,
,,ut neque coram civitatibus Sacri Imperii defendi, atque eo modo ab Anzæ
,,Ordinibus ac civitatibus privilegiis ſuis privari poſſent. quæ Cæſ. Majeſt.
,,tan-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,tanquam Princeps earum & Dominus hæreditarius ipſis confirmavit. pro-
,,ut ſupra demonſtratum fuit.

,, Præter hæc omnia habent Tranſiſalani in tribus civitatibus primariis ut
,,& Aldenzaliæ, quin & ruri liberas quaſdam nundinas, præſertim boum ma-
,,crorum è Dania & vicinis regionibus huc appellentium, de quibus nundinis
,,ſigillata diplomata habent, a Rom. Imperio ac aliunde ipſis conceſſa, ea-
,,rumque ab omni vetuſtate uſque ad hunc diem quieta poſſeſſione fruuntur,
,,in quibus nundinis multa boum millia, lanæ quoque, & alia mercimonia,
,,è circumpoſitis regionibus eo advecta in commercium veniunt. neque mer-
,,catores illarum mercium aliam pecuniam præter thaleros ſibi in ſolutum
,,accipiunt, ea de re antecedaneo contractu ſibi caventes. quales multi con-
,,tractus jam ſtipulati & mercimonia certis terminis ſolvenda in illis liberis
,,nundinis tradita & accepta ſunt, quæ ſolutio quantum ad peregrinos non
,,alia moneta poteſt peragi. Verum quoque eſt, Arteſios, Hannones, Flandros,
,,Brabantos, Hollandos, Zelandos, & communiter multos per hæreditarium
,,Belgium mercatores, medio quadrageſimæ, profeſto Palmarum, octavâ
,,Paſchatis, ac deinceps uſque ad menſem Majum, Zwollam, Tranſiſalaniæ
,,urbem venturos, ad nundinas illas liberas ac privilegiatas de quibus ſupra
,,egimus, ut boves macros magno numero coëmant a Danis, Holſatis &
,,Orientalibus, ubi ſi nec thaleris (quos pro mercimonio ſuo paciſci ſolent)
,,nec moneta Cæſarea eis ſatisfacere liceret, aut vero mercatores peregrini
,,acceptum ſui mercimonii pretium prout cuique commodum eſſet expor-
,,tare prohiberentur, res eo tandem deduceretur, ut dicti Dani, Holſati,
,,Orientales nundinas ſuas transferrent in diœceſin Monaſterienſem, Emdam,
,,Comitatum Benthemienſem, Bremam, aut alium quempiam locum qui in
,,via Orientali commodiſſimus occurreret. quorum certe locorum ac urbium
,,incolæ eas nundinas, negociationes & commercia ad ſe derivata gratula-
,,bundi amplecterentur, & mercatoribus ex voto eorum ſeſe accommoda-
,,rent. Quod ſi etiam argentum a peregrinis acceptum (quod communiter
,,thaleris conſtat) hic recipi non poſſet, neque hic aliud præter Cæſareum
,,numiſma reperiretur, quod nec ipſum a peregrinis accipi liceret, aut ac-
,,ceptum & exportatum ab Officiariis in itinere eis eriperetur, ea ratione
,,regioni ac civitatibus Tranſiſalanis liberæ ſuæ nundinæ & vectigalia, qui-
,,bus vigore privilegiorum ſuorum fruuntur, ac denique omnia ſua com-
,,moda, negociatio, & mercatura penitus eriperentur. prout verum eſt, &
,,unicuilibet perſpicuum.

,, Quandoquidem ergo Tranſiſalani (ut demonſtratum eſt) ejuſmodi pri-
,,vilegiis, juribus, poſſeſſionibus, conſuetudinibus ac uſibus gaudent, quos
,,Clem. noſter Dominus, Cæſ. Majeſtas, in qualitate Principis noſtri hære-
,,ditarii, nec minus in qualitate Imperatoris Romani, nomine Sacri Rom.

,,Imperii gratioſe confirmavit ac ſtabilivit, (quod & ipſum literis obſigna-
,,tis evictum eſt, ut ſupra) præſertim quum ipſa Cæſ. Majeſt. promiſerit,
,,ac obſignarit, ſe dictam regionem ac civitates in privilegiis ſuis, juribus,
,,poſſeſſionibus, conſuetudinibus ac uſibus, non tantum non turbaturam,
,,ſed & protecturam, jamque abunde coram Clem. ipſorum Præfecto Co-
,,mite Arembergio probatum ſit, eos privilegio, poſſeſſione, jure, conſue-
,,tudine ac uſu gaudere, per ſeipſos ſtatuta & æſtimationes monetarias ſan-
,,ciendi, itemque libertate tam ab Imperio quam ab Anza ipſis conceſſa,
,,nundinas celebrandi, prout fuſe oſtenſum eſt, intra Tranſiſalaniæ limites,
,,coram Clem. noſtro Præfecto prædicto Comite Arembergio, qui à Sere-
,,niſſima Regina poteſtate inſtructus erat ſuper hac difficultate totoque hoc
,,negocio ſecum conferendi; rogant dicti Ordines quam poſſunt demiſſe,
,,tanquam promti ac obſequentes ſubditi, placeat Cæſ. Majeſtati, ac Se-
,,reniſs. Reginæ (quorum ſemper benevolentiam experti ſunt) remittere
,,nobis duo illa diplomata, ob allatas dudum rationes, neque nos illis gra-
,,vare. rogant pariter Clem. noſtrum D. Præfectum Comitem Arember-
,,gi &c. perquam officioſe, ac humiliter, ne gravetur S. Clem. hiſce & aliis
,,mediis quæ S. Clem. ad hanc rem inſervitura occurrunt, pro Ordd. Tranſi-
,,ſalaniæ deprecari apud Clementiſs. noſtrum Dominum Imperatorem
,,Rom. & Sereniſs. Reginam, eoſque edocere de conſpectis Clem. ſuæ au-
,,tographis privilegiorum, poſſeſſionum, conſuetudinum authenticis, re-
,,ſpondentibus huic deductioni dictorum Ordinum. Promtos ſe viciſſim
,,ac alacres offerentes, ad beneficium illud erga S. Clem. recognoſcendum,
,,quam Deus O. M. in celſo ac felici regimine ſoſpitare velit. Datum in
,,urbe Zwollana, XXI die Januar. CIↃIↃLIV.

Comes Arembergi reſponſum hoc ad Reginam tranſmiſit, una cum de-
claratione ſua, qua omnia originaria aut alias authentica documenta pri-
vilegiorum aliaque munimenta in eo citata, ſibi viſa eſſe profitebatur.

Quibus tamen Regina neutiquam acquievit, ſed poſtulavit ſibi ἀπόγραφα
horum omnium authentica ab Ordd. tranſmitti. prout è ſubjectis Comitis
Arembergi literis latius intelligetur, quæ ita habent:

,, Honorati &c. Memores vos arbitramur reſponſi ſcripto conſignati,
,,quod nobis XXI die menſis proxime elapſi in nupero Zwollæ habito con-
,,ventu, ſuper iis, quæ vobis XIII. ejuſdem menſis propoſueramus, circa
,,negocium publicationis ac obſervationis duorum diplomatum, exhibuiſtis.
,,quod ipſum reſponſum tum temporis ad Sereniſs. Reginam per certum
,,hominem tranſmiſimus. Cum ergo nobis Regina reſcripſerit, viſum ſibi
,,veſtrum reſponſum, ſed citationes ac deductiones in eo propoſitas non
,,eſſe ſibi integrum admittere, antequam latius ac plenius de iis fuerit
,,edocta, petit Regia ejus Majeſtas, & nos quoque, ut privilegiorum, mu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„nimentorum, ac documentorum aliorum quæ eo continentur, & quibus
„intentum veſtrum obtinere conamini, apographa authentica fieri curetis,
„eaque tradatis Conſiliario M. Gerlaco Doys, ut protinus ad nos deferantur,
„utque eis à ſua Majeſt. conſpectis, deinde ad ſcriptum veſtrum ejus reſpon-
„ſum ac finale decretum accipiatis. Deo vos committimus. Datæ Vollen-
„hoviæ, x Febr. cIↃIↃLIV.

Hiſce acceptis literis, convocata Zwollam fuere Comitia Ordinum Generalia ad diem XXVII Febr. ubi comparuerunt ex Ordine equeſtri Unico Ripperda Satrapa Sallandiæ, Goſuinus a Raeſvelt Satrapa Tubantiæ, Ioannes Sloot Satrapa Vollenhoviæ, Wilhelmus a Boechorſt Satrapæ Iſſelmudani vicem ſupplens, D. Bernardus a Schedelich Commendatarius Ootmerſenſis, Ioannes a Rede Satrapa Diepenemi, Bernardus a Bevervoorde, Egbertus ab Enſſe Quæſtor Sallandiæ, Ditericus ab Iſſelmuden, Rudolphus ab Oosterwolde, Wolfgangus Mulardus, Ioannes a Rechteren, Reinoldus a Coverden, Gerardus Mulert, Caſparus a Twickelo, Ditericus a Voorſt, Ioannes Reinarts, Henricus Mulert Præfectus aggerum, Hermannus Mulert Prætor Zwollanus, Ioannes a Boetzeler, Ioannes a Middachten, Gualterus ab Heyden, Stephanus ab Haerſt, Wilh. Mulert, Seino a Brenen, Henricus a Laer, Erneſtus ab Itterſum, Henricus ab Oldeneel. Delegati Daventrienſium Arnoldus ab Oldeneel, Gerardus ab Irte. Campenſium Egbertus Buſſche. Zwollanorum Ioannes ab Haerſolte, Wolfgangus ab Itterſum, Iacobus Duyſterbeecke, Mag. Henricus a Tiel.

Hic primo omnium prælectæ fuerunt literæ Præfecti, ac re diu multumque diſceptata, concluſum, mittendam ad eundem Epiſtolam, quæ continebat ſequentia:

„Obſequia noſtra &c. Nobilis, Generoſe, Clementiſs. Domine, lite-
„ras Clem. T. Vollenhoviæ x. hujus menſis die datas, quibus ſignificas
„Sereniſs. Reginam reſponſum noſtrum Tibi tranſmiſiſſe (& reliqua, ut
„ſupra) perquam demiſſe accepimus, ad quas T. Cl. hæc obedienter nota
„facere voluimus: Quandoquidem Majeſtas Regia, tuque, aliquoties à
„nobis petiiſtis publicationem duorum diplomatum, quorum altero tha-
„leros quoſcunque vel accipere vel expendere, altero monetam Cæſaream
„ullam ex hiſce regionibus exportare prohibemur, noſque, ut obſequentes
„ac fidi ſubditi, deprehendentes id noſtro Tractatui, privilegiis, conſuetudi-
„nibus minime conſentaneum, ac ſummopere nobis oneroſum eſſe, quam
„humillime ac cum omni obedientiæ ſignificatione rationes attulimus,
„quare ad illa obſervanda adigi non debeamus, neque ea ullo modo poſſint
„obſervari in exigua hac regione ad extremum limitem ſita, niſi cum grandi
„detrimento, ac certa ruina harum regionum. Prout ſpes erat, Sereniſſi-
„mam Reginam, ex ingenita clementia, nobis novitiis ſuis ſubditis nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„imperaturam eſſe quod ad cujuſquam jacturam cederet. Sereniſſima Re-
„gina de rationibus noſtris probe edocta, reſcripſit nobis XXIV Decem-
„bris proxime elapſi, ſe Clem. T. quæ in itinere tum temporis erat, in man-
„datis dediſſe, ut ſuper dictis gravaminibus nobiſcum conferret, petens à
„nobis ac injungens etiam, ut in iis quæ T. Clem. nobis propoſitura eſset
„plenam T. Clem. fidem haberemus, ac debitum exhiberemus obſequium.
„Huic mandato obſequuti, Clementiæ Tuæ Cæſareæ Majeſtatis vice, man-
„datis ad nobiſcum ſuper hac re conferendum inſtructæ, non tanquam
„exiguæ dignitatis delegato, ſed tanquam Clementiſs. noſtro Præfecto, Do-
„mino Ordinis aurei velleris, humile noſtrum reſponſum tradidimus, &
„omnia inibi allegata, non apographis, ſed literis obſignatis originariis, li-
„bris authenticis qui in archivis noſtris aſſervantur, a prædeceſſoribus no-
„ſtris nobis bona fide relicti, ac aliis fide dignis munimentis coram Clem.
„T. præſente ac vidente exhibuimus, & maxima ex parte prælegimus, ac
„Clem. tuam rogavimus, Majeſtatem Reginæ per literas certiorem fa-
„cere vellet, ſe omnia iſta munimenta oculis uſurpaſſe. Unde nulli dubita-
„mus, quin Sereniſſima Regina Clem. tuæ plenam fidem habitura eſſet,
„etiamſi nullum T. Clem. peculiare mandatum ſuper hac re dediſſet. Et
„poſtquam Clementiſs. noſtra Domina Regina (quæ ſemper gratioſe nobis
„indulſit) hac de re T. Clem. relationem, certificationem ac declaratio-
„nem audiverit, nempe T. Clem. in propria perſona munimenta origina-
„ria manibus contrectaſſe, vidiſſe, audiviſſe, quibus citationes noſtræ ve-
„rificatæ ſunt, confidimus Majeſt. ejus inclinatum iri ad nos non gravan-
„dos poſtulando ut privilegia noſtra ac jura extra limites harum regionum
„exportemus aut emittamus. Rogantes ut Clem. T. pro nobis hac in parte
„apud Sereniſs. Reginam deprecetur, nequid nobis ulterius velit injungere,
„neque noſtra privilegia ac jura (quæ utique omnia & ſingula in Tractatu
„noſtro a Cæſ. Majeſt. nobis confirmata ſunt) aliter accipere velit, quam
„quomodo & deceſſores noſtri, & nos poſt illos, ea poſſedimus. Id ſi fe-
„cerit Clem. T. nos ſibi viciſſim ad benefactum id recognoſcendum ob-
„ſtrictos habebit, quam Deus O. M. in celſo regimine ſoſpitem eſſe velit.
„Datæ in urbe Zwollana, ſub ſigillo Dieterici a Voorſt nomine equeſtris
„Ordinis, nomine autem civitatum, ſub ſigillo civitatis Zwollanæ, quo pa-
„riter hic utimur. XXVII Febr. Anno CIↃIↃLIV.

Hiſce acceptis literis Comes Arembergi Vollenhoviam Comitia Ordi-
num convocavit, a. d. XVI Aprilis ejuſdem anni celebranda. Ubi cum
Ordines ſe ſtitiſſent, Comes in cœnaculo majori, propoſitionem a M. Ger-
laco Doys Conſiliario viva voce fieri voluit, præſentibus M. Ludolpho ab
Hattem (primo Tranſiſalaniæ conſtituto Cancellario) M. Roberto vander
Beeck, & Engberto ab Enſſe Quæſtore Sallandiæ. Is ergo retulit, Majeſtati
Reginæ

Reginæ ſtatutum eſſe, privilegia quæ in reſponſo ſuo nuper XXI Januarii in urbe Zwollana, Comiti tradito, allegarant, aut ipſa, aut certe apographa eorum authentica videre. quum utique ea non occultari ſed luci exponi æquum eſſet &c. neque decere civitates hoc Principi ſuo negare, aut ullum in eo ſcrupulum movere. Quibus M. Ludolphus ab Hattem adjecit, ſi forte vererentur civitates privilegia ſua, vel authentica eorum apographa exhibere, quia forte non omnia æque eſſent roborata, nullam in eo difficultatem forte, cum loco talium privilegiorum bonæ fidei poſſeſſione & longævo uſu gaudeant &c.

Super hiſce ab Ordinibus concluſum, ipſos Clem. D. Præfecto vel ſcripto vel voce ſufficiens reſponſum daturos in urbe Daventrienſi a. d. XXVII Apr. proxime inſtantem.

Senatus trium civitatum, Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, haſce difficultates ſinguli ſuis communitatibus, ut vocant, ſive Tribunorum pleb. Collegiis indicarunt, ac cum iis conſultarunt, quo pacto ſe in hoc negocio gererent. Apud omnes concluſum, quandoquidem Cæſ. Majeſt. in Tractatu promiſiſſet, omnia ipſorum privilegia tueri, Ordines Tranſiſalaniæ, amputandis quibuſcunque de privilegiorum ſuorum certitudine altercationibus, eorum à Cæſ. Majeſt. confirmationem impetraſſe. ubicunque enim confirmatio eſt, ibi ceſſare omnem diſceptationem. Conſultum ergo fore, Præfecto ſuo viva voce ſignificare, non expedire ut apographa privilegiorum tradantur.

Die XXVII Aprilis ſuper hac cauſa Ordd. denuo Daventriæ in frequentibus Comitiis congregati ſunt. ubi actum fuit de propoſitione Comitis Arembergii nuper Vollenhoviæ facta, & decretum, quoſdam ex Ordd. ad eum ablegandos, qui viva voce ei reſponſum darent, ſeſe ex abundanti adhuc paratos eſſe citata privilegia intra Tranſiſalaniam exhibere, ac liberum fore ſuæ Clem. quos placeret, dum hoc fieret ſibi adjungere. Rogantes obedienter etiam hac una ultima vice, ut liceat ſibi in eo conquieſcere, neve eo nomine ulterius moleſtiæ ſibi exhibeantur, quum clarum ſit, Cæſ. Majeſt. omnia ſua privilegia in Tractatu ſuo rata habuiſſe, neque proinde ut ea diſputabilia reddantur æquum eſſe. parati viciſſim facere quæcunque obſequentium ſubditorum ſunt.

Ad hanc rem deſignati fuere ex Sallandia Ioannes a Boetzeler, ex Tubantia Rodolphus a Scheven, ex Vollenhovia Rodolphus ab Ooſterwolde, è Daventrienſi civitate Gerardus a Nirte, è Campenſi Egbertus ten Boſſche, è Zwollana M. Henricus a Tiel, inſtructi commonitorio quod brevitatis cauſa omitto.

Delegati hi XI Maji Lingæ Præfectum ſuum convenerunt, eique ſignificarunt, Quandoquidem S. Clem. XVI Apr. proxime elapſi Ordinibus

Pp pro-

proponi curaſſet, nondum acquieſcere Sereniſs. Reginam reſponſo die Agnetis in urbe Zwollana literis conſignato traditoque, ut nec ſequenti reſponſo ab iiſdem Ordinibus S.Clem. tranſmiſſo, gravari videlicet eoſdem Ordd. privilegiorum ſuorum, munimentorum, diplomatum ac aliorum ſcriptorum Zwollæ exhibitorum apographa tradere:

Reſpondere ad hoc Ordines, ditioni ac civitatibus ſumme oneroſum eſſe, neque ullo modo fieri poſſe, ut eorundem privilegiorum ac munimentorum apographa tradant, utque eadem ſua confirmata privilegia, libertates, conſuetudines & uſus ullo pacto diſputabiles reddant, ut qui a Cæſ. Majeſt. ſigillato & per juramentum ſancito Tractatu ſubmiſſionis Anno cIɔIɔxxviii. gratioſe ſint confirmati. Utque de ea re ad omnem poſteritatem certi eſſent, id ipſum Ordines primo dicti Tractatus articulo præcautum voluerunt, ita ut Cæſ. Majeſtas ſuo & hæredum nomine ditioni & civitatibus privilegia ſua, conſuetudines ac uſus obſignarit, confirmarit, ac juramento ſanciverit, hæreditario ac perpetuo ſe eadem protecturum eaque ipſis ut erant relicturum promittens. Confidunt autem etiamnum Ordd. vi ejuſdem Tractatus & confirmationis, non teneri ſe ejuſmodi petita apographa tradere, ac evitandum cenſent, ne ea in diverſum ſenſum aut interpretationem torqueantur quam prout hactenus quiete ab ipſis poſſeſſa uſurpataque ſint. Quemadmodum nullo etiam tempore a præcedentibus ipſorum Dominis, ut neque tempore Cæſ. Majeſt. Domini noſtri hæreditarii unquam factum fuerit. Sperantes adhuc, ac ſupplices rogantes, ut Sereniſſima Regina ditioni huic ac civitatibus hac in parte & ipſa gratioſe parcat, neque ulterius eas graven.

Nihilominus parati adhuc ſunt, & ex abundanti offerunt, exhibita ab ſeſe privilegia & munimenta, in reſponſo prædicto citata, Clem. ſuæ, loco Cæſ. Majeſt. Clement. ſui Domini, iiſque quos S. Clem. placuerit ſibi in eo negocio adjungere, ſemel adhuc & ultimo, intra Tranſiſalaniæ limites exhibere, plane in eundem modum quo in urbe Zwollana xxi Jan. die proxime elapſo exhibita fuere. Obſecrantque dicti Ordd. S. Clementiam, ne grave ſit ipſi hanc humilem ſuam reſponſionem ad Sereniſſimam Reginam perferre, ac pro ditione & civitatibus Tranſiſalaniæ apud eam ſuper hoc negocio deprecari.

Comes Arembergius audito hoc reſponſo per Mag. Ludolphum ab Hattem reſponderi fecit: ſperaſſe ſe, fore ut Tranſiſalaniæ Ordd. aliter hanc rem expenderent, & reſponſum commodius ad ſe perferrent, ut cui videretur, non eſſe hæc talia a ſubditis, Principibus ſuis deneganda. quicunque enim privilegiis frui volunt, ea exhibere debent, prout fecerunt Tranſiſalani erga Hollandos in controverſia de limitibus, & erga Gelros de Iſala flumine.

Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Cum autem delegati in reſponſo ſuo petierint, ut Clem. S. pro Tranſiſalanis apud Sereniſſimam Reginam deprecetur, rati fore ut ea ipſius precibus acquieſcat, reſpondet Cl. ſua, ſe nullam rationem in eorum reſponſo deprehendere, ob quam apud Cæſaream aut Regiam Majeſt. pro ipſis intervenire poſſet. poſtulatque, ut (ſi ulterius mandatum delegati habeant) de alio ac finali reſponſo deliberent, ſin nullum habeant, S. Clem. non ut Præfecto, verum ut regionis hujus fautori conſultum videtur, ut delegati de novo conventu habendo cum Ordinibus agant, in quo commodius reſponſum conciperetur &c.

Delegati paululum digreſſi, ac poſtquam inter ſe locuti eſſent, ingreſſi denuo, reſponderunt ſe nihil aliud in mandatis habere. Ac repetitis rationibus nonnullis, quibus moti Ordines gravarentur diplomata ſibi tranſmiſſa publicare, reſpondit Præfectus, rationes illas non contemnendas eſſe, ac quæſivit, num eædem præcedenti ſuo reſponſo eſſent inſertæ? quod affirmatum. Rurſus digredi juſſi, cum revocati eſſent, dixit eis Præfectus, non eſſe eos citatos, ut de publicatione diplomatum reſponderent, ſed de tradendis privilegiorum ſuorum apographis. Cum quæſiviſſent quænam nominatim apographa tradere juberentur, cum Zwollæ nihil ſingulare eſſet exhibitum præter Tractatum, & privilegiorum ſuorum confirmationem, & nonnullis eo ſpectantibus: reſponſum eſt, ut eorum quæ jam nominaverant apographa traderent, ac inſuper privilegium circa rem monetariam. atque ad hoc poſtulatum finale reſponſum peti. Iterum digreſſi legati, poſt deliberationem nonnullam, reſpondere, ſibi nihil præter jam dicta in mandatis eſſe, ſententiam S. Clem. libenter Ordinibus indicaturos, ac de iis quæ illi decreviſſent S. Clem. certiorem facturos. interim rogare ut de ſuo reſponſo ad Sereniſſimam Reginam perſcriberet. Sciſcitati quoque ſunt, an ſi conſultum videretur Ordinibus, Regiam Majeſt. ſuper toto hoc negocio convenire, id ipſe in malam partem eſſet accepturus? quod negavit. imo, & arbitratum ſe fuiſſe, eos hoc jam ante fuiſſe facturos, ac ob multas rationes quas ipſis in Aula propoſuerat, nec ab iis liquido fuiſſent perceptæ, ſeſe etiamnum indicare id expedire ut Regiam Majeſt. ſuper ea re accederent, ſeſeque literis in eorum favorem ſcriptis illam legationem adjutare ſtatuiſſe. Interim ut de iis quæ proximis Comitiis concluderentur ſe certiorem facerent. quod ſe facturos receperunt, atque ita ad ſuos regreſſi ſunt.

XXII Maji die ſuper eodem negocio coierunt Comitia Ordinum in urbe Zwollana, ubi intellectis iis quæ delegati cum Comite egerant, decreta legatio ad Reginam, ſex perſonis ad id ſelectis, quibus ſequens commonitorium fuit traditum:

Inſtructio & commiſſio, pro Ditherico à Voorſt ex Sallandia, Rodolpho à Scheven

 ex

ex Tubantia, & Rodolpho ab Ooſterwolde ex Vollenhovia; Gerardo ab Irte Daventrienſium, Egberto ten Buſſche Campenſium, Mag. Henrico à Tiel Zwollanorum nomine, delegatorum equeſtris Ordinis & civitatum Tranſiſalaniæ, ad proponenda & declaranda coram Clem. noſtro Domino Cæſare Rom. & coram Majeſtate Reginæ Gubernatricis &c. ea quæ in ſequentibus ſcripta ſunt.

,, Ante omnia commendant ſe equeſtris Ordo & civitates ditionis Tranſiſa-
,,lanæ quam humillime ac obſequentiſſime, favori Clementiſs. noſtri Do-
,,mini Imperatoris Romani, tanquam Principis ſui & Domini hæreditarii,
,,ut & Clementiſs. noſtræ Dominæ Reginæ, promti omnia peragere, per
,,quæ Cæſareæ & Regiæ Majeſtati honor, obſequium, reverentia & obedien-
,,tia præſtari poterit.

,, Comes Arembergi Præfectus Tranſiſalaniæ, Ordinibus ejuſdem ditio-
,,nis tranſmiſit apographum duorum diplomatum, per quæ ipſis ſummatim
,,injungitur, ut publicent, nemini omnino fas fore recipere thaleros, ut
,,neque monetam auream argenteamve Cæſaris nomine cuſam è ſuæ Maje-
,,ſtatis ditionibus exportare, ſub pœna eis contenta.

,, Regio ac civitates Tranſiſalaniæ hac re gravari ſe ſentiunt, ac man-
,,datum hujuſcemodi contravenire avitis ſuis libertatibus, conſuetudini-
,,bus ac uſibus quibus Tranſiſalani gaudent, nec minus, laudabili Tractatui
,,inter Clementiſs. noſtrum Dominum Imperatorem Rom. tanquam Prin-
,,cipem ſuum hæreditarium, ipſoſque ſancito, quo ipſis omnia ſua privile-
,,gia, poſſeſſiones, conſuetudines ac uſus confirmati ſunt. Iidem coram Præ-
,,fecto ſuo Comite Arembergio, à Sereniſſima Regina ſpeciatim ſecum ſu-
,,per hac re conferendi à Regina mandatum habente, qua viva voce, qua
,,ſcripto quæ ad hanc rem facerent expoſuerunt, per quæ exiſtimant, ſe ad
,,promulgationem ac obſervationem dictorum duorum diplomatum non te-
,,neri. Quum autem idem Arembergi Comes dictis Ordinibus nuper ſigni-
,,ficaverit, Sereniſs. Reginam iis necdum acquieſcere, hoſce delegatos miſe-
,,runt, qui Cæſaream Majeſt. & Sereniſs. Reginam humiliter de re tota edo-
,,ceant, ac rogent, ut ab illis diplomatis, aliiſque quibuſcunque quæ ipſorum
,,privilegiis, avitis poſſeſſionibus, libertatibus, conſuetudinibus uſibuſque
,,in Tractatu contentis diſſona ſunt, ſibi liberis eſſe liceat.

,, Quando igitur tres civitates, Daventria, Campi, Zwolla, ante omnem
,,hominum memoriam quieta ac bonæ fidei poſſeſſione gaviſi ſunt ac etiam-
,,num gaudent, cudendi auream & argenteam monetam, prout neminem
,,latet eos ipſos thaleros cudiſſe, eaque poſſeſſio ipſis confirmata eſt, non
,,decet eos propriam monetam reprobare aut abrogare, ſed eandem in com-
,,mercio, pro ſuo valore relinquere.

,, Adhæc, quoniam dicta regio & civitates S. Imperii & Anzæ ſunt mem-
,,bra, & Electoribus, Principibus, Comitibus, civitatibus Imperii ſolenne
,,fuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,fuit nummos cudere, pro ratione legitimi pretii, non eſt æquum, à Tranſi-
,,ſalanis, thaleros ab Ordinibus Imperii ac Anza, quorum ſocii ſunt, cuſos
,,reprobari, eo enim pacto Imperii ac Anzæ conſortibus injuriam facturi
,,eſſent, ac reliquis Imperii ac Anzæ civitatibus in cauſa eſſent, ut pari ratio-
,,ne nummos à Tranſiſalanis cuſos viciſſim reprobarent. Neque poſſent
,,Tranſiſalani in Comitiis Imperii, ac conventibus Anzæ, coramve civi-
,,tatibus Imperii & Anzæ, ut recte factum tueri, quod fœderatos ſuos tanta
,,affeciſſent injuria. Negotiatio quoque cum membris Imperii ac Anzæ,
,,ditionibus ac civitatibus noſtræ regioni vicinis, per obſervationem illo-
,,rum diplomatum, penitus in nihilum recideret.

,, In hac porro qualitate, poſſeſſione, uſu ac conſuetudine, tanquam
,,membra Imperii & Anzæ Clem. noſter Dom. Imperator Romanus ipſos
,,invenit, ac ut tales recepit, ac protecturum promiſit, unde non conveniret
,,ipſis Tranſiſalanis quicquam committere adverſus ea quæ Clem. noſter
,,Dom. Imperator iis gratioſe pollicitus fuit.

,, Neque unquam in Tranſiſalania viſum auditumve fuit, Principem
,,aut Dominum ditionis (qui nunc eſt Clementiſſ. noſter Dom. Cæſar Ro-
,,manus) per ſe ipſum ſeorſim ullam conſtitutionem ediddiſſe, circa res ſecu-
,,lares, jura municipalia, aggeraria, aliave, verum de conſilio, voluntate &
,,placito Ordinum regionis. quod ſane veriſſimum eſſe deprehendetur.

,, Siquando autem regionis Dominus abuſum quempiam aut exorbitatio-
,,nem in ſubditis ſuis deprehendiſſet, conſueverat Ordines ſcripto convoca-
,,re, ad certum locum intra ditionis limites, ubi quodcunq; à Domino ſimul
,,& Ordinibus decerni contigiſſet, obſervabatur. Et in hoc uſu Majeſtas Cæ-
,,ſarea ipſos invenit, eumque ipſum liberum permittere pollicita eſt.

,,Quod & à piæ memoriæ D. Georgio Schenckio, primo ſuo, & D. Maxi-
,,miliano ab Egmont Comite à Buren ſecundo ſuo Præfecto, ſtricte hacte-
,,nus, circa ejuſmodi conſtitutiones ſervatum fuit.

,, Neque unquam deprehendetur, regionis Dominum per ſe ſeorſim æſti-
,,mationem monetariam conceſſiſſe, concluſiſſe, feciſſe aut ordinaſſe. ſed
,,contrarium uſitatum fuit, videlicet, lapſa in deterius nummaria ratione, Prin-
,,ceps & Ordines pariter ſanciebant æſtimationem aureæ argenteæve monetæ,
,,prout & tempore G. Schenckii factum conſtat. In Tranſiſalania enim pe-
,,culiare genus monetæ eſt, in Belgio hæreditario ignotum. Atque in hac poſ-
,,ſeſſione Tranſiſalaniæ ſubditi nati ſunt, in ea Cæſ. Majeſtas eos invenit, ac
,,eam non ſolum eis inviolatam permittere, verum etiam conſervare promiſit.

,, Rogant ergo obedientes ac promti ad obſequia ſubditi Tranſiſalaniæ,
,,demiſſe ac humiliter, placeat Clem. noſtro D. Cæſari Romano, Principi
,,noſtro ac Domino hæreditario, nec non Sereniſſimæ Reginæ, permittere
,,ut permaneant Tranſiſalani in ejuſmodi qualitate, libertate, poſſeſſione,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,conſuetudinibus ac uſibus, in quibus ſpiritum primum duxerunt, ac in ,,quibus Cæſ. Majeſt. eos invenit, recepit, ac relicturam protecturamque promiſit.

,,Utque omnia mandata & diplomata, quæ Cæſ. Majeſtati edere viſum ,,fuerit, primo tranſmittantur ad conſtitutum nobis Præfectum, ab eo ,,Ordinibus proponenda, ut poſtmodum decernatur quod juxta libertates, ,,poſſeſſiones, conſuetudines & uſus dictæ regionis æquum eſſe judica-,,bitur.

,,Ut porro, Ordines Tranſiſalaniæ hanc inſtructionem & commiſſio-,,nem dictis deputatis tradidiſſe conſtet, in facti fidem ego Ioannes a Boet-,,zeler, nomine equeſtris Ordinis, noſque Coſſ. Scabini & Senatores ci-,,vitatis Daventrienſis nomine ſociarum civitatum, hanc inſtructionem & ,,commiſſionem appenſis ſigillis noſtris firmavimus. Datæ Anno cIↃ ,,IↃLIV. XXVI Maji.

Delegati Bruxellas profecti, Reginæ ſignificari curarunt ſuum adventum, quæ eis audientiam conceſſit. ac intellectis iis quæ in mandatis habebant, ſelegit Comitem Arembergium, Viglium Zuichemum Præſidem, Everardum Nicolai, in Conſilio Sanctiori Senatorem, ad cauſam eorum cognoſcendam, coram quibus comparuerunt, & fuſe totum negocium diſceptarunt: quo facto ſequens à Regina obtinuerunt reſponſum:

,,Quandoquidem Majeſtas Reginæ Gubernatricis &c. edocta de diffi-,,cultatibus quas movent Ordines ditionis Tranſiſalanæ, ſuper publicatione ,,certorum diplomatum nomine Cæſ. Majeſt. tanquam Domini ejuſdem di-,,tionis hæreditarii, inibi facienda: quibus continetur prohibitio accipien-,,di expendendive ullos thaleros, neve ulla moneta Cæſarea, aurea argen-,,teave, è dicta ditione exportetur aut alio deferatur, aſſerentes id adverſari ,,ſuis privilegiis, poſſeſſionibus, libertatibus, conſuetudinibus & uſibus, ,,Comiti Arembergio ejuſdem Regionis Præfecto in mandatis dederat, ut ,,nomine Cæſ. Majeſt. cum Ordinibus illius Regionis ſuper eo negocio ,,conferret, atque ab eis poſtularet exhibitionem eorum privilegiorum qui-,,bus hæc diplomata repugnare contenderent, quod & ab eodem Arember-,,gio factum, eidemque à dictis Ordinibus qua viva voce, qua ſcriptis res ,,nonnihil declarata fuit: ac tandem ii delegatos ſuos ad ſuam Majeſtatem ,,miſerunt, videlicet Dictericum a Voorſt, Rodolphum ab Ooſterwolde, ,,Gerardum a Nirte, Egbertum ten Buſſche, & Mag. Henricum a Tiel, in-,,ſtructione quadam ſcripto concepta ac datâ XXVI Maji hujus anni cIↃ ,,IↃLIV. munitos, juxta quam nomine Ordinum ſuæ Majeſtati commonſtrarent rationes ac media, per quæ prætendunt dicta diplomata in ditione ,,Tranſiſalana publicari non oportere: qui quidem delegati poſtquam ea ,,quæ ſibi in mandatis data ſunt ſuæ dictæ Majeſtati expoſuerunt, ac in-ſtructio-

„ſtructionem ſuam ſcripto conceptam eidem tradiderunt, cum ipſis ſuper „hoc negotio, juſſu ſuæ dictæ Majeſt. coram D. Arembergio Præfecto, „D. Viglio Zuichemio Præſide, & Mag. Everardo Nicolai Conſilii Cæ- „ſarii Sanctioris Conſiliario, collatio inſtituta atque agitata fuit.

„Et primo quidem eis ſignificatum, Majeſtatem ſuam, quod Cæſari tan- „quam Domino ſuo hæreditario omne obſequium ac obedientiam ſubmiſſe „offerant, nomine dictæ Majeſt. Cæſareæ, gratum & acceptum habere.

„Adhæc, quod per hanc inſtructionem etiamnum petant, ut dicta diplo- „mata (tanquam repugnantia ſuis privilegiis, avitis libertatibus & conſue- „tudinibus, Tractatu inter Cæſarem & ditionem ſancito confirmatis) ſibi „remittantur: juſſit ſua Majeſtas, ut eis diceretur, nec Cæſari, nec ſibi ejus „loco ac nomine, in animo eſſe, ullo modo privilegiis eorum, poſſeſſioni- „bus, uſibus, juribus, libertatibus quibus juſto titulo gaudent, contravenire. „Quia autem prætendebant per dicta diplomata tale quid committi; requi- „ſiverat ab eis ſua Majeſtas exhibitionem ejuſmodi privilegiorum quæ per „dicta diplomata violari aſſererent. idque, ut fundamento intentionum di- „ctorum Ordinum conſpecto, à ſua Majeſtate hac in parte melius ex æquo „& juſto de tota re poſſet ſtatui, utque ſimilibus querelis ac incommodis in „futurum poſſit occurri, quin etiam ut tanto melius caveretur nequid in „poſterum adverſus dicta privilegia, jura, libertates, poſſeſſiones ac con- „ſuetudines decerneretur, petiit S. Majeſt. ut plene de iis edoceretur, quod „vix fieri poterat nec viſis nec cognitis privilegiis.

„Quandoquidem porro, dicta inſtructione, ut & alio quodam ſcripto „quod antehac D. Arembergio traditum fuit, articuli nonnulli ac voces „continentur, quibus dicti Ordines videntur prætendere, Cæſareæ Majeſt. „tanquam dictæ ditionis hæreditario Domino illicitum eſſe, ulla inibi di- „plomata publicari curare, niſi prius conſultis & conſentientibus Ordi- „nibus, voluit Sereniſs. Regina eiſdem delegatis ſignificari, Cæſaream „Majeſt. nullatenus illam intentionem approbare, utpote rem tendentem „ad omnimodam enervationem auctoritatis ac celſitudinis ſuæ Majeſt. tan- „quam Principis ac hæreditarii Domini ejuſdem ditionis, ac repugnantem „regalibus, quæ ſua Majeſt. in hanc ditionem à S. Rom. Imperio obtinuit, „quæ & conſervare ac tueri Cæſar tenetur, inſtar reliquorum Principum „Imperii, qui omnes, vi regalium ſuorum in cauſis quotidie incidentibus, „ad commune reipubl. bonum, ac bonæ politiæ conſervationem, neceſſa- „rio jus ac auctoritatem habent, ſtatuta & edicta in ſuis ditionibus condendi „ac emittendi, citra antecedaneam communicationem cum ſubditis ſuis „aut regionum Ordinibus, per quas, ubi periculum in mora eſt, tardè re- „bus proſpici contingeret, ac in ſumtus ac moleſtias minime neceſſarias ipſi „Ordines conjicerentur. Nec æquum eſſet ſuam Majeſt. tanquam Tranſiſa-

„laniæ

„laniæ Dominum, minori conditione eſſe quam reliquos Imperii Princi-
„pes, præſertim ſi ejuſmodi diplomata & ſtatuta juribus ipſorum, privile-
„giis &c. non repugnarent.

„Quod autem tres civitates Daventria, Campi, Zwolla immemoriali
„(ut loquuntur) poſſeſſione argenteæ aureæque monetæ cudendæ gaudeant,
„ſuper eo ſua Majeſtas iiſdem Ordinum delegatis dici juſſit, nec Cæſareæ
„Majeſtati, nec ſibi ejus vices fungenti, animum eſſe, dictis civitatibus quo-
„ad privilegia ſua ullum impedimentum objicere, verum, quum manifeſto
„deprehendatur, ac notorium ſit, monetam quæ in dictis tribus civitati-
„bus cuditur, ratione pretii ſui non reſpondere canoni monetæ ſuæ Majeſt.
„in hiſce regionibus conſtituto, ſed tanto leviorem eſſe, ut monetarius di-
„ctarum civitatum, conflando duntaxat monetam ſuæ Majeſt. & ex ea aliam
„cudendo non contemnendum lucrum facere poſſit, prout id diligenti in-
„dagine compertum eſt, deſideraret ſua Majeſt. harum regionum boni pu-
„blici intuitu [huic incommodo medelam adhiberi] in quo caſu nihil
„erit cur S. Majeſtas eorum nummos prohibere velit, cui ex vero cauſa ſatis
„magna eſt monetam eorum ac nummos reducendi ad canonem reliquarum
„monetarum per haſce regiones. quod ſane tribus civitatibus non cedet in
„imminutionem privilegiorum ſuorum, ſed magis in eorum amplificatio-
„nem ac provectionem.

„Delegati hiſce rite expenſis, declararunt, non fuiſſe Ordinum men-
„tem, qualis ea in ſupra allatis fuerat propoſita, quaſi videlicet Principum
„ac Dominorum ſuorum auctoritati, celſitudini, aut regalibus vellent in-
„tercedere, contra enim, eos promtos ac paratos eſſe omnia diplomata &
„edicta ſuæ Majeſt. ad bonum, & tranquillitatem regionis, ac civitatum in-
„columitatem obedienter accipere, publicare, iiſque obſequium præſtare,
„etiamſi ſuper iis Ordines non fuiſſent auditi conſultive, prout & aſſerebant
„multa ac varia diplomata ſuæ Majeſt. cum Ordinibus haudquaquam com-
„municata, ab iis accepta, publicata, obſervataque fuiſſe. modo ea, ut ſupra
„dictum fuerat, privilegiis eorum, juribus, poſſeſſionibus, conſuetudi-
„nibus ac uſibus, Tractatu ſtabilitis, non contraïrent. in quo caſu decreviſ-
„ſent, id ipſum Cæſ. Majeſtati vel per delegatos, vel ſcriptis literis ſignifi-
„care, ac talia ſuorum privilegiorum, jurium, poſſeſſionum, uſuum ac
„conſuetudinum, juxta tenorem dicti Tractatus (adverſus quem actum
„fuiſſe cenſeant) documenta ſuæ Majeſtati exhibituros, quibus ſperarent
„Majeſt. ſuam permotum iri, ut ejuſcemodi gravamina aboleat. prout aje-
„bant ſæpius in cauſis ſimilibus à ſe factum, & optata remedia à ſua Majeſt.
„impetrata eſſe. Nominatim Anno cIↃ IↃ XLVIII. quando ad petitionem
„ab ſeſe propoſitam, de diplomate permiſſionis in negocio monetario dif-
“ferendo, a ſua Majeſt. gratioſam ejus dilationem obtinuerant. Rogabant

„porro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„porro dicti delegati, ut, quandoquidem hæc duo diplomata, de quibus
„impræſentiarum controverſia ſit, citra grande detrimentum, imo certam
„ruinam civitatum ac ſubditorum regionis Tranſiſalanæ obſervari nequi-
„rent, placeret Seren. Reginæ publicationem eorum ſibi clementer remittere,
„& mediis quibuſdam ei rei accommodatis ejuſmodi circa ea moderatio-
„nem præ manibus ſumere, qua ingenti damno mercaturæ ac negociationis
„(quod alioqui procul omni dubio expectarent, mercatoribus Orientaliori-
„bus qui thaleris merces permutare aſſueverant, pecunias ſuas expendere,
„aut quas hic accepiſſent exportare prohibitis) præverti poſſet. offerentes
„viciſſim omne ſtudium ſe adhibituros, poſtquam ad ſuos eſſent reverſi, quo
„moneta trium Tranſiſalaniæ civitatum deinceps ad canonem monetæ Cæ-
„ſareæ per reliquum Belgium uſitatæ reduci poſſet. utque diplomata Cæſ.
„Majeſt. alia, quæ privilegiis ſuis &c. non adverſentur, juxta mentem ac
„bonam intentionem ſuæ Majeſt. obſerventur, ſalvo in omnibus Tractatu.

„ Regina, intellectis iis quæ delegati propoſuerant, & conſiderata humili
„eorum oblatione, ac confidens eos fideliter eam executuros, cupida etiam
„in omnibus æquis petitionibus Ordinibus Tranſiſalaniæ gratificari, ac
„omne detrimentum, omnemque perniciem ab eis amoliri, contentam ſe
„dixit a publicatione diplomatum ſuperſedere, eouſque, donec conſpectura
„eſſet, quid proximis comitiis Auguſtanis a Cæſar. Majeſt. convocatis, ſuper
„negocio monetario, & obſervatione novæ conſtitutionis, præteritis co-
„mitiis conditæ, decernendum ſit. Interea temporis, ut plenius edoceatur
„operam dabit, quid in regione Tranſiſalana, ſuper canone ac æſtimatione
„nummorum obſervari conſuetum ſit. Ordines viciſſim ac reliqui quibus
„id incumbit cavebunt, ne quos thaleros in reliquas Cæſ. Majeſt. ditiones
„inferant mittantve, ne ſibi hoc facto malum attrahant.

„ Quod ad exportationem Cæſareæ monetæ, nummorum aureorum ar-
„genteorumve, non contradicit S. Majeſtas, quo minus mercatores in regio-
„ne Tranſiſalana negociantes exportent ejuſmodi monetam auream argen-
„teamve, Cæſarea auctoritate cuſam, quam pro mercimoniis ſuis ibidem
„diſtractis acceperint. ea lege, ut proſpiciatur, ne ſub ſpecie tolerantiæ a
„mercatoribus quibuſdam, aliiſque privato lucro intentis, nullis mercibus
„in ditione Tranſiſalana divenditis, multitudo aliqua monetæ Cæſareæ, per
„civitates ac regionem Tranſiſalanam, in fraudem diplomatum in aliis
„Cæſ. Majeſt. ditionibus promulgatorum, alio devehatur. Datæ Bruxellis,
„XV die Junii, CIↃIↃLIV.

Defuncto Seinone Mulert Sallandiæ Satrapæ ſucceſſit Unico Ripperda, qui tribus civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, Zwollanæ, frequentibus comitiis ſacramentum dixit, in forma & effectu, prout deceſſor ejus Anno CIↃIↃXLI. die Martis poſt *Invocavit*, Zwollæ, præſentibus

trium earundem civitatum delegatis fecerat. Ad hæc autem ſe obſtringebat:

,, Se arcem ac propugnaculum Arkenſtenium rite ac fideliter conſer-
,,vaturum, pro ratione temporis, munimentis enim nudatum erat, ad bo-
,,num ac utilitatem Principis, ac ditionis civitatumque Daventrienſis,
,,Campenſis, Zwollanæ. non admiſſurum ſe in eandem arcem ac propu-
,,gnaculum ullos dicti Principis, ditionis ac civitatum perduelles, neque
,,paſſurum ut ex eadem arce & propugnaculo ſubditis ditionis ac civitatum
,,damnum inferant. Se poſt deceſſum Principis eandem arcem & propu-
,,gnaculum nulli alii Principi aut Domino traditurum, niſi veris hæredita-
,,riis Dominis, ac ſucceſſoribus Principis defuncti, & qui jus ſucceſſionis
,,habent in eandem ditionem Tranſiſalanam. Se trium dictarum civita-
,,tum civibus ac incolis conſervaturum omnia ejuſmodi privilegia, liber-
,,tates, conſuetudines, quas olim quidem Epiſcopi Trajectini, nunc au-
,,tem Cæſarea Majeſt. eis conceſſerunt ac confirmarunt. Denique in omni-
,,bus inſtar fidelis Officiarii ſe geſturum. dolum malum hinc abeſſe & ab-
,,fore. Adjectum fuit: Quandoquidem arx Arkenſtenia, ut nunc res ſunt,
,,munimentis denudata eſt, nos tres civitates impræſentiarum neceſſitatem
,,ſponſores dandi, tibi remiſimus, uſque ad id tempus quo eam poſtlimi-
,,nio contigerit firmari. Actum Anno cIↃIↃLIV. XXVII Aprilis.

Anno cIↃIↃLV. circa feſtum Michaëlis Cæſar quaquaverſum per univerſum; Belgium miſit diplomata, quibus omnium ac ſingularum regionum Ordines convocabantur, ut a. d. XVIII Octobr. Bruxellis ſe ſiſterent, plena poteſtate & procurationibus inſtructi, cum Majeſtas ſua ſtatuiſſet ditiones ſuas, dum adhuc in vivis eſſet, in filium ſuum Philippum Regem transferre. Eo ergo die appetente ingens hominum turba Bruxellis confluxit. qui tamen dies in XXV. Octob. prorogatus eſt.

Inter alios, Cæſ. Majeſtas ditioni quoque ac civitatibus Tranſiſalaniæ per Comitem Arembergium mandavit, ut delegatos ſuos Bruxellas plena inſtructos poteſtate mitterent. quæ res hic paulo latius ediſſeri meretur, ut quam tenaces majores noſtri privilegiorum ſuorum fuerint, etiam poſteris conſtare poſſit.

Scripſit ergo Arembergi Comes tribus civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, ac Zwollanæ, ut nonnullos Bruxellas ablegarent, a. d. XIV Octob. viſuros ac audituros, quopacto Carolus ejus nominis V. Princeps noſter hæreditarius, Belgium hoc ſuum hæreditarium ceſſurus ac reſignaturus eſſet in manus Domini Philippi Hiſpaniarum Principis, Angliæ Regis, & Majeſt. ejus Regiam in Dominum noſtrum hæreditarium recepturos ac inauguraturos, quod alioqui, non niſi poſt deceſſum Cæſareæ Majeſt. factum fuiſſet.

Comes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Comes Arembergi primo ſingulas civitates ſuper hoc negocio evocarat, id quod tres civitates ægerrimè tulerunt, decreveruntque id ei quam commodiſſime fieri poſſet ſignificandum, quo caveretur nequid tale in poſterum fieret.

Hac de cauſa in diem VII Octob. Zwollam convocata ſunt Comitia, in quibus nomine Ordinum comparuerunt qui ſequuntur: Ex Ordine equeſtri Ioannes Sloot Vollenhoviæ Satrapa, Wilhelmus a Bochorſt, Henricus Mulert Præfectus aggerum Sallandiæ, Balduinus Hagen, Dietericus a Voorſt, Hermannus a Langen, Rodolphus ab Ooſterwolde, Reinoldus a Coeverden, Eggericus Ripperda, Gerardus Mulert, Seino a Brenen, Ioannes a Middachten, Wilhelmus Mulert, Ioannes Reyners, Ioannes a Boetzeler, Erneſtus ah Itterſum, Ioannes a Laer, Stephanus ab Haerſt, Ioannes a Warmelo, Ioannes a Steenwijck. Delegati civitatum: Daventriæ, Arnoldus ab Oldeneel, Winoldus a Twickel: Camporum, Egbertus ten Buſſche, Hermannus vander Vecht; Zwollæ, Ioannes ab Haerſolte, Wolfgangus ab Itterſum, Iacobus Duyſterbeke, Mag. Henricus a Tiel. Atque hic decretum fuit, delegatos Bruxellam mittendos. quam ad rem ſelecti fuere ex Sallandia Dietericus a Voorſt, Ioannes a Boetzeler, Vollenhoviâ Balduinus Hagen, Rodolphus ab Ooſterwolde, quibus civitates ſuos adjungerent.

IX Octobr. die, Campenſes Daventriæ coram frequenti Senatu comparuerunt, ubi etiam ſe ſtitit Goſuinus a Raeſvelt Satrapa Tubantiæ. Hi pariter literas Præfecti perlegerunt, quibus ſerio mandabat, ut delegatos ſuos Bruxellas plenaria poteſtate inſtructos mitterent. adjunctum erat exemplar, juxta cujus tenorem literæ procurationis videbantur exarandæ. id hic inſeremus:

„(*Præmiſſis præmittendis*) Ordines præhabita communicatione, con-„cordibus ſuffragiis decreverunt, delegatos ſuos ad Cæſ. Majeſt. tranſmit-„tere, ad quam rem ſelegerunt N. & N. quibus omnibus & ſingulis, ple-„nariam poteſtatem ac auctoritatem dant, itemque ſpeciale & irrevocabile „mandatum, dicto die comparendi coram Cæſ. & Regia Majeſtate, ibique, „una cum reliquis Ordinibus dictarum Belgii regionum ſeſe præſentes ſiſten-„di, eo tempore quo Cæſ. Majeſt. renunciationem dictarum regionum eſt „peractura, ac viciſſim Regem in Principem ſuum ac hæreditarium Domi-„num recipiendi, ſub promiſſo tamen & juramento, à Rege publice, „præſentibus dictis Ordinibus præſtando, de obſervandis omnibus quæ „antehac qua generatim qua ſpeciatim tam civitatibus Tranſiſalaniæ, quam „in genere omnibus aliis civitatibus ac regionibus dicti Belgii ſe obſerva-„turum juramento recepit, & ad quæ obſervanda poſt deceſſum Cæſar. „Majeſt. erit obligatus. Prout viciſſim iidem delegati, nomine ac loco eo-

,,rundem Ordinum ſimile juramentum ſimiliaque promiſſa præſtabunt, de ,,omnibuſque antehac Cæſar. Majeſtati jurarunt promiſeruntque obſervan-,,dis, eadem ratione qua poſt dictum Cæſ. Majeſt. deceſſum ad ea obſer-,,vanda tenebuntur. Regemque prædictum, Ordinum ſuorum nomine ac ,,loco, renunciatione illa, ceſſione, ac tranſlatione peracta, ac deinceps reci-,,pient habebuntque pro Principe ſuo ac Domino hæreditario. Ad quæ dicti ,,Ordines eoſdem delegatos, vigore præſentium, auctoritate munierunt, ,,pollicentes, ſe quicquid eorum quæ ſupraſcripta ſunt egerint, jurarint, pro-,,miſerint ratum habituros. Actum &c.

Prælectis literis, & procurationis hac delineatione, propoſuit Ioannes a Dotecum inuſitatum onus hujus citationis, qua Præfectus eos Bruxellas evocabat. quum hæ regiones Cæſari, & Cæſar regionibus reciproce juramento ſint devincti uſque ad Cæſ. Majeſt. obitum, ut cum Principe ante illius deceſſum nihil ipſis ſit negotii. Ac præterea avitæ conſuetudini adverſetur, eos juramentum ac obſequium præſtare extra ditionis limites, id enim intra ipſam ditionem fieri oportere. prout id quoque per interpoſitas perſonas, puta per D. Georg. Schenckium Præfectum nomine Cæſaris antehac eſſet factum. ſuper qua re multa fuerunt mota, ac tandem concluſum, de ſententia Ordinum, qui adverſus veterem conſuetudinem peregre juramentum præſtare gravarentur, ad Cæſarem perſcribendum eſſe. quod in hanc ſententiam factum.

,, Obediens ac demiſſum noſtrum obſequium, & quidquid in noſtra eſt ,,poteſtate Tuæ Cæſ. Majeſtati perpetuo paratum eſt.

,, Illuſtriſſime, Celſiſſime, Potentiſſime, invictiſſime Cæſar, Domine ,,Clementiſſime. Nobilis ac generoſus Dominus Ioan. de Ligny Comes ,,Arembergius, Majeſt. tuæ nomine Præfectus Friſiæ ac Tranſiſalaniæ, elapſis ,,aliquot diebus ſcripto nobis ſignificavit, Majeſtatem tuam decreviſſe, uni-,,verſas ſuas Belgicas regiones cedere ac reſignare in manus Regis Angliæ, ,,Tuæ Majeſt. filii, atque ab iiſdem eum accipiendum eſſe conſtituiſſe. ,,quo fine nobis mandavit, ut delegatos noſtros Bruxellas mittamus a. d. XIV hujus menſis Octob. Nos itaque, in extremis finibus regionum Majeſt. ,,tuæ ab hac quidem parte ſiti, & per certos Tractatus Majeſt. tuæ ſubditi ,,facti, poſtquam ſuper hac re ſimul communicavimus, & animitus expen-,,dimus, quæcunque nobis, ut obſequentibus T. Majeſt. ſubditis hac in ,,parte expendenda videbantur, rogamus ſerio, ut Majeſt. tuæ placeat ,,hanc noſtram ſcripto conſignatam oblationem ac petitionem clementer ,,accipere, in eundem modum, ac ſi delegatos noſtros ſtatuto die tranſ-,,miſiſſemus. Obſecrantes præterea perquam demiſſe, ut Majeſtas tua, ,,primus noſter hæreditarius Dominus (qui hactenus clementiſſimum ſe ,,nobis exhibuit) deinceps dignetur continuare gratioſum ſuum regimen,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„cujus nomine Tuæ Majeſt. & Sereniſs. Reginæ immortales gratias agi-„mus. Veruntamen, ſi Cæſ. Tuæ Majeſtati una cum univerſis Belgii tui „hæreditarii Ordinibus, omnino ſtet ſententia ceſſionem illam peragendi, „animo obſequenti in eandem ceſſionem atque acceptationem illam con-„ſentiemus, ubi Ordines univerſi Belgii hæreditarii quod ſuarum hic par-„tium eſt egerint, ſalvo nobis, noſtris hæredibus ac ſucceſſoribus Tracta-„tu inter Cæſ. tuam Majeſt. tanquam primum noſtrum hæreditarium Do-„minum ac nos xxi Febr. Anno cIↃIↃxxvii. ſancito, ac ejuſmodi „obſignatis literis, quas T. M. hæreditarius ſucceſſor, Sereniſs. Angliæ „Rex nobis tradidit, inviolatis quoque omnibus noſtris privilegiis, juri-„bus, poſſeſſionibus, conſuetudinibus & uſibus. Quum autem ejuſmodi „ceſſionem & acceptationem extra T. M. ditionem Tranſiſalanam fieri in-„ſuetum ſit, neque extra id territorium à quoquam unquam facta ſit, quo „tamen non obſtante voluntati T. M. obſecundare optaremus, & quæ præ-„ſcripta ſunt perficere, perquam demiſſe à M. T. petimus, ut placeat ei, „procuratione inſtruere quemcunque viſum fuerit, ad renovationem hanc, „ceſſionem, ac tranſlationem hujus regionis intra ipſius limites peragen-„dam, noſque & ſubditos Tranſiſalaniæ juramento quo M. Tuæ tenemur, ſolvendos, ac porro à Præfecto noſtro Comite Arembergio, tamquam „Regiæ Majeſt. futuri noſtri Domini hæreditarii vices gerente, in fidem „recipiendos, cum debita inauguratione & reciproco juramento. Prout „in prima noſtra ſubmiſſione à D. Georgio Schenckio tanquam Præfecto, „& M. T. vices fungente factum fuit. Id pro eo ac poſſumus humiliter & „obſequenter M. T. rogamus, quam Deus O. M. in celſo regimine ſanam „& incolumem præſtare velit. Datæ ſub ſigillo civitatis Daventrienſis, quo „pariter in hac re utimur, ix Octob. cIↃIↃLV.

Eodem die Comes Arembergi Daventriam appulit. quem delegati Ordinum in domo Præpoſituræ convenerunt, ubi Ioannes a Dotecum Conſul Daventrienſis prolixe ei enarravit quæ ad ceſſionem illam & acceptationem ſpectarent, dixitque, inſolitum eſſe, Ordinem equeſtrem & civitates ſeorſim ſcriptis literis compellari, quod S. Clem. fecerat, novitatem id ſapere, cum uterque ordo pariter convenire ſemper aſſueverit &c. cui reſpondit Præfectus, non id a ſe factum ad infringenda eorum privilegia, ſed quia tempus contractius eſſe videbatur, quam ut ad generalem conventum deveniri poſſet. Adjecit Conſul, non ſatis capere Ordines quæ eſſet ſententia aulæ Bruxellanæ, num videlicet juramentum & ſolemnia alia ibi ab ipſis eſſent peragenda, abhorrere id à conſuetudine Tranſiſalaniæ, ſed paratos eſſe, peracta ceſſione, intra regionis limites, ac loco debito, ſive Principi, ſive ejus vices gerenti juramentum ac obſequium præſtare, prout & tempore D. Georgii Schenckii nomine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Cæſaris factum eſſet. quo fine Ordines literas ad Cæſ. Majeſt. mittendas curaſſent concipi. eas Præfecto prælegi fecerunt, eumque rogarunt ne gravaretur delegationem ad hoc negocium in ſe ſuſcipere, ac ſiquidem à Principe ad eam eligeretur, S. Majeſt. nomine juramentum ab ipſis accipere, ac viciſſim præſtare, quo ditio Tranſiſalana ab itinere hoc & magnis ſumtibus ſublevari, & ſuus ipſi antiquus mos conſervari poſſit. Reſpondit Præfectus, nihil vetare quo minus mittantur literæ, ſed conſultum videri, ut omiſſis particularibus, tantummodo ſcribatur, moris non eſſe ut extra ditionis limites juramentum præſtetur. interim facerent Ordines prout ſibi videretur. Adhæc pollicitus eſt Præfectus, ſi a Sereniſs. Rege Angliæ ad hoc eligeretur, ſe onus illud in ſe recepturum, & pro virili negocium hoc promoturum. Ita decretum eſt, Bruxellas delegatos mittendos non eſſe, ſed ſolummodo prædictas literas ad Cæſ. Majeſt. quod & factum.

XXV Octob. horis pomeridianis, erat autem dies Veneris, in aula Bruxellenſi convenerunt omnes Ordines, ac delegati civitatum totius Belgii, commiſſionibus ſuis ac procurationibus inſtructi, prout evocati erant ad ibidem comparendum, exceptis delegatis civitatis Lovanienſis, & ditionis Tranſiſalanæ, qui neminem eo ablegarant. Lovanienſes dicebant ſe privilegio exemtos eſſe, nequo tenerentur proficiſci ad recipiendum Ducem Brabantiæ, aut ei præſtandum obſequium. privilegium hoc a quingentis retro annis repetebant. Tranſiſalani, ita ut ſupra relatum fuit, & ipſi ſe excuſabant. Quam & excuſationem Cæſar accepit ac ratam habuit, ac Comitem Arembergi delegit, ut apud ipſos ceſſionem illam perageret, & juramentum, vice Regis Angliæ reciperet. ut plenius è ſequentibus ad eum literis intelligetur.

,, Carolus Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Rex ,,Germaniæ, Caſtellæ, &c. dilecto noſtro ac fideli equiti noſtri Ordinis, ,,Præfecto generali noſtrarum ditionum Friſiæ, Tranſiſalaniæ, Groningæ ,,& Lingæ, Domino Ioanni de Ligny Comiti Arembergio &c. ſalutem ac ,,dilectionem. Quandoquidem animadvertentes imbecillitatem & inhabi- ,,litatem noſtræ perſonæ, rationibus urgentibus moti, præſentibus Ordi- ,,nibus generalibus harum noſtrarum regionum, ad eam rem debite con- ,,gregatis, dilectiſſimo noſtro & amiciſſimo filio Regi Angliæ, Neapo- ,,lis &c. hodierno die plene ac ſolenniter reſignavimus, omnes dictas re- ,,giones ac civitates, arces, & dominia, tam veteris noſtri patrimonii, ,,quam reliqua, ſimulque omnia jura, celſitudines, præeminentias, juriſ- ,,dictiones, Magiſtratus, reditus, & regalia, nullo ex illis nobis retento ,,aut reſervato, ac deinceps ſtatuimus, tam vivis nobis, quam defunctis, ,,dictum noſtrum filium Angliæ Regem, ejuſque hæredes ac ſucceſſores in ,,eaſdem regiones, iis tranquille ac pacifice uſuros ac fruituros, veluti pro-

,,priis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„priis ſuis facultatibus ac patrimonio, ea ratione ac modo, quo nos eis
„hactenus uſi fruitique ſumus, & quo, poſt deceſſum noſtrum (juxta ju-
„ramentum obſequii ab Ordinibus generalibus harum regionum ei antehac
„Anno cIↃ IↃ XLIX. præſtitum) eis uti fruique de jure potuiſſent. Quum-
„que dicti Ordines harum regionum (poſtquam rite ac debite edocti fuiſ-
„ſent de rationibus ac cauſis per quas ad hanc rem permoti fuimus) par-
„tim ipſi, partim per delegatos ad hoc ipſum peculiari mandato inſtructos,
„in eandem ceſſionem ac reſignationem conſenſerint, ac deinde debita ju-
„ramenta dicto noſtro filio Angliæ &c. Regi præſtiterint: ad quam rem
„Ordines Tranſiſalaniæ hic nec ipſi comparuerunt, nec delegatos ſuos ſub-
„miſerunt, ſed ſcripto ſignificarunt, ſe promtos ac paratos eſſe, ad dictum
„Regem Angliæ filium noſtrum, nobis vivis, in Principem ſuum ac Domi-
„num hæreditarium recipiendum, petentes, ut eo quempiam noſtra vice
„functurum mittere vellemus, cum plena poteſtate ac procuratione, ad
„ſimilem ceſſionem ac reſignationem regionis ac civitatum Tranſiſalaniæ
„noſtro nomine ibi peragendam; notum facimus tibi, nos hac re expenſa,
„ac plene confiſos prudentiæ tuæ, habilitati, fidei, ac diligentiæ, te dele-
„giſſe, uti in regiones, civitates, ac municipia Tranſiſalaniæ, Dren-
„tiæ & Lingæ, Weddæ, & tractus Weſterwoldingani, te conferas, ibique
„noſtro nomine in ſolenni conventu Ordinum illarum regionum peragas
„ceſſionem pariter ac tranſlationem omnium illarum ditionum, civitatum,
„arcium, ac Dominiorum, cum omnibus ſuis juribus, celſitudinibus, præe-
„minentiis, juriſdictionibus & regalibus, nullo reſervato, itemque cum
„omnibus oneribus ac incommodis quibus eædem ditiones gravantur, idque
„pariter ac plene ad bonum & commodum dicti noſtri filii Regis An-
„gliæ &c. neque aliter. prout ei eaſdem regiones ceſſimus ac reſignavimus,
„cedimus & reſignamus per præſentes literas. Eoque peracto noſtros earum
„ditionum ſubditos omnes ac ſingulos, juramentis quæ nobis tanquam Prin-
„cipi ſuo & Domino hæreditario olim præſtiterunt ſolutos pronunciavi-
„mus ac pronunciamus: utque hac in re eique annexis agas ac facias, quæ-
„cunque ad eam requiruntur, ab eaque dependent. Quod ſi ob alia nego-
„cia tibi integrum non fuerit te conferre in tractum Weddanum ac Weſter-
„woldinganum &c. ad juramenta & obſequia prædicta peragenda, licebit
„tibi per alium quempiam noſtro nomine id fieri curare. quam ad rem te
„auctoritate inſtruximus, ac inſtruimus, promittentes fide Imperatoris ac
„Principis ratum ac validum nos habituros in perpetuum, quodcunque vel
„tu vel quem tibi ſubſtitueris, ratione tractus Weddani & Weſterwoldinga-
„ni &c. ea in re peregeritis, neque quicquam ei contrarium vel facturos
„ipſos vel ab aliis fieri permiſſuros. Ad hanc rem plenam tibi poteſtatem,
„auctoritatem, ac peculiare mandatum conferimus. mandantes de cætero

„ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,ac injungentes Ordinibus dictarum noſtrarum regionum, Tranſiſalaniæ,
,,Drentiæ, Lingæ, Weddæ & Weſterwoldingani tractus, pariterque reli-
,,quis omnibus noſtris judicibus, Officiariis & ſubditis ibidem, ut tibi in
,,iis quæ prædicta ſunt ſerio conſentiant ac obſequantur, adque ea exequen-
,,da omni auxilio, ſubſidio & ope adſint. Quoniam ita nobis placitum eſt.
,,In cujus rei fidem, haſce noſtro ſubſcripto nomine, & appenſo majori
,,ſigillo munivimus. Datæ in urbe noſtra Bruxella, XXV Octob. die. Anno
,,Domini noſtri CIↃIↃLV. Imperii noſtri XXXVI. ac Regnorum no-
,,ſtrorum Caſtiliæ &c. IV. Subſcriptæ: *Charles*, &c.

Dehinc, ultimo Novembris die, Rex Angliæ Philippus, Comitem Arembergi juſſit ſua vice juramentum ab Ordinibus Tranſiſalaniæ accipere, ac ſuo viciſſim nomine ea quæ ad eam actionem requirantur præſtare. continuans ei Præfecturam, ut fuſius in ſequentibus literis habetur:

,, Philippus Dei gratia Rex Angliæ dilecto noſtro ac fideli equiti noſtri
,,Ordinis, Præfecto generali noſtrarum Regionum, Friſiæ, Tranſiſalaniæ,
,,Groningæ, & Lingæ, Dom. Ioanni a Ligny Comiti Arembergio ſalu-
,,tem & dilectionem. Quandoquidem Imperator Dominus noſter ac parens,
,,tum ratione habita imbecillitatis ſuæ, tum ob alias cauſas eum ad hoc per-
,,moventes, præſentibus Ordinibus noſtrarum hujus tractus ditionum, ad
,,eam cauſam debite congregatis, nobis plenè ac abſolute tradidit ac reſigna-
,,vit omnes illas ditiones, civitates, arces & dominia, tam veteris ſui pa-
,,trimonii, quam alia, pariterque omnia jura, celſitudines, præeminen-
,,tias, juriſdictiones ac Magiſtratus, reditus, & regalia, nullo excepto aut
,,reſervato, ut iis ab hoc tempore, durante ejus vita, ac deinceps hæredes
,,noſtri & ſucceſſores in eaſdem ditiones, tranquille, pacate, & perfecte
,,utamur, fruamur, tanquam propriis noſtris facultatibus ac patrimonio,
,,eodem modo quo Dominus noſter ac parens iis uſus fuit uſque ad diem
,,dictæ ceſſionis ac reſignationis, quoque poſt ejus deceſſum, vigore ju-
,,ramenti a dictis Ordinibus harum regionum Anno CIↃIↃXLIX. præ-
,,ſtiti, eis uti frui nobis jus eſſet: Quumque dicti Ordines harum regionum
,,(poſtquam rite ac debite edocti fuiſſent de rationibus ac cauſis per quas
,,Dominus noſter ac Parens ad hanc rem permotus eſſet) partim ipſi, par-
,,tim per delegatos, ad hoc ipſum peculiari mandato inſtructos in eandem
,,ceſſionem ac reſignationem conſenſerint, quo facto debita juramenta
,,a nobis & prædictis Ordinibus aut eorum delegatis utrinque ſunt præſtita,
,,ad quam rem Ordines Tranſiſalaniæ hic nec ipſi comparuerunt, nec de-
,,legatos ſuos ſubmiſerunt, ſed ſcripto ſignificarunt, ſe promtos ac para-
,,tos eſſe, ad nos, vivo adhuc Domino ac parente noſtro, in Principem
,,ſuum ac Dominum hæreditarium recipiendos, petentes ut eo quiſpiam
,,Cæſar. Majeſt. vice functurus mitteretur, ad ſimilem ceſſionem in regio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,nibus Tranſiſalaniæ, Drentiæ, Lingæ, Weddæ, & tractus Weſterwoldin-
,,gani, nobis id petentibus, peragendam: viſum eſt nobis, te eadem ra-
,,tione delegare, uti peracta earundem regionum ceſſione, eas noſtro no-
,,mine denuo acceptes, ibidemque noſtro loco debita juramenta præſtes &
,,accipias, notum facimus, nos hoc abs te petere, ac plene confiſos pruden-
,,tiæ tuæ, habilitati, fidei ac diligentiæ, te ad eam rem per præſentes literas
,,delegare, ut peracta à te nomine dicti noſtri Domini ac Parentis, ceſſione
,,ac reſignatione dictorum dominiorum ac ditionum Tranſiſalaniæ, Dren-
,,tiæ, Lingæ, Weddæ, & tractus Weſterwoldingani &c. eaſdem noſtro no-
,,mine ac vice recipias, cum omnibus juribus, celſitudinibus, præemi-
,,nentiis, juriſdictionibus, & regalibus, ut & cum oneribus quibus eæ gra-
,,vatæ ſunt, plane in eundem modum quo Dominus noſter ac Parens iiſ-
,,dem hactenus gaviſus fuit: utque deinde Ordinibus dictarum regionum
,,noſtro nomine promittas ac jures, nos deinceps obſervaturos quæcunque
,,in priori noſtra inauguratione ac receptione in iiſdem regionibus pro-
,,miſimus ac juravimus, ſive adeo quæ noſtro nomine ibidem promiſſa ac
,,jurata ſunt, tam generatim quam ſpeciatim: omnia denique ad quæ
,,vigore præcedentis noſtri juramenti obligati eſſemus à deceſſu Domini ac
,,Parentis noſtri præſtanda. Atque ita nos geſturos, ut par eſt bonum
,,Principem ac Dominum hæreditarium. Hoc porro peracto, à dictis
,,Ordinibus, univerſis ac ſingulis ſimile juramentum accipias, quo polli-
,,ceantur, ſe nobis bonos ac fidos ſubditos fore, & inviolata ſervaturos ac
,,ſervari curaturos, quæcunque nobis in dicta inauguratione promiſſa ac
,,jurata fuere, eundem in modum, quo id à deceſſu Domini ac parentis
,,noſtri præſtare tenerentur. Quod ſi iidem Ordines id exegerint, poteris
,,noſtro ac illorum nomine innovare juramenta à nobis reciproce dicto
,,noſtræ inaugurationis die, Annis cIↃIↃxLIX. & L. præſtita, ac porro
,,circa hoc negocium eique annexa ea peragere quæ ad id requiruntur,
,,ab eoque dependent. Quod ſi ob alia negocia tibi integrum non fuerit
,,te conferre in tractum Weddanum ac Weſterwoldinganum &c. ad jura-
,,menta illa peragenda, & obſequia recipienda, licebit tibi per alium
,,quempiam noſtro nomine id fieri curare. quam ad rem te auctoritate in-
,,ſtruximus ac per haſce inſtruimus, promittentes fide Regis ac Principis,
,,ratum ac validum nos habituros in perpetuum, quicquid vel tu, vel
,,quem tibi ſubſtitueris ratione tractus Weddani & Weſterwoldingani, ea
,,in re peregeritis, neque quicquam ei contrarium vel facturos ipſos, vel
,,ab aliis fieri permiſſuros. Teque exinde noſtro nomine Præfectum earum
,,regionum deſignamus delegamuſque, ſub religione jusjurandi, Domino
,,ac Parenti noſtro abs te præſtiti, & inſtructionis tibi à ſua Majeſt. tradi-
,,tæ, auctoritatem tibi porro concedimus, noſtro nomine ac vice deinceps

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„continuandi in ordine ac gradu ſuo, officiis ac muneribus dilectos no-„ſtros, Cancellarium & Conſiliarios, inſuperque graphiarum noſtri Con-„ſilii in Tranſiſalania, Drentia, Linga, Wedda, & Weſterwoldingano „tractu, omnia per proviſionem, ea lege, ut ii omnes ac ſinguli tenean-„tur coram te debitum juramentum præſtare, quod ipſis ut faciant man-„damus, inſuperque intra bimeſtre ſpatium ab hac continuatione afferant „mittantve ad manus tuas eorumve quos ad id negocii delegaveris, apogra-„phum authenticum ſuæ commiſſionis, à Domino ac Parente noſtro ipſis „conceſſæ, ut ea viſa ac viſitata de ea agatur ac diſponatur prout nobis vi-„ſum fuerit. Ad hæc & iis annexa peragenda, conferimus tibi per præſen-„tes plenam poteſtatem, auctoritatem, ac mandatum peculiare, quoniam „nobis ita placitum eſt. Datæ in urbe noſtra Bruxella, ſub noſtro nomine „ac ſigillo Domini & Parentis noſtri, quo tantiſper utimur donec noſtrum „confectum fuerit. Die Novemb. ult. Anno Domini noſtri cIↃIↃLV. „noſtri Regni altero. Subſignatæ: *Philippus.*

Menſe Decembri, cum urbs Ruremunda tota conflagraſſet, petitum fuit ab omnibus civitatibus charitativum ſubſidium. obtinueruntque à civitate Daventrienſi centum aureos.

Anno cIↃIↃLVI. Comes Arembergius, acceptis mandatis Cæſareæ & Regiæ Majeſt. de ceſſione ac inauguratione regionis Tranſiſalanæ, Officiarios itemque delegatos trium civitatum, præfixo die XI. Aug. Vollenhoviam convocavit, qui ibidem dicto die comparuerunt, videlicet Unico Ripperda Satrapa Sallandiæ, Goſuinus a Raeſvelt Satrapa Tubantiæ, Ioannes Sloot Satrapa Vollenhoviæ. Daventrienſium nomine Arnoldus ab Oldeniel, & Gerardus a Nirte. Campenſium Egbertus ten Buſſche, & Hermannus Cruſe. Zwollanorum, Ioannes ab Haerſolte, & M. Henricus a Tiel. quibus Præfectus, per Cancellarium H. a Mepſe, præſentibus Conſiliariis Cæſ. Majeſt. videlicet, M. Gerlaco Doys, Egberto ab Enſſe, Rolando vander Beke, & Graphiario Franciſco Garterotti, proponi fecit, Cæſ. Majeſtatem, menſe Octobri proxime elapſo omnes Belgicarum ditionum Ordines ſcriptis literis Bruxellam convocaſſe, ad audiendum ac videndum quemadmodum Cæſarea ſua Majeſtas eas omnes vellet transferre ad uſus filii ſui Philippi Angliæ Regis. ibi omnes dictos Ordines conveniſſe, ac confiſam fuiſſe Cæſ. Majeſt. ibidem comparituras etiam ditiones Tranſiſalanas. verum ſeſe eaſdem eo modo excuſaſſe, ut ſuis rationibus aula acquieverit. jamque ſe mandatis à Cæſ. & Regia Majeſt. inſtructum, eandem ceſſionem & acceptationem reſpective peragendi, eoque fine Officiarios ac civitates convocaſſe, quo collatis Conſiliis, dies ad eam rem idoneus decerneretur.

Officiarii, ac delegati civitatum, ſumto invicem Conſilio, ſtatuerunt, poſt

poſt octiduum, ad locum cui nomen Nyerbrugge ex univerſa ditione, tum equeſtrem Ordinem, tum majores minoreſque civitates eſſe convocandas, de loco ac tempore deliberaturas, quibus juramenta illa reciproca præſtarentur, quod autem ibi concluſum foret, id Præfecto notum facerent. cum reſponſo per Satrapam Sallandiæ accepto Præfectus acquievit.

XVIII Aug. equeſtris Ordo, ac omnes, qua magnæ, qua parvæ civitates loco cui nomen Nyerbrugge, convenerunt, ubi Satrapæ & trium primariarum civitatum delegati, Ordini equeſtri, ac reliquarum civitatum delegatis ſignificarunt ea quæ ſibi Vollenhoviæ à Præfecto fuerant propoſita. Ubi & inter alia relatum fuit, Cæſ. Majeſtatem ditioni Tranſiſalaniæ promiſiſſe, & ſigillo ac jurejurando confirmaſſe, ſe eam conſervaturum in ſuis juribus municipalibus, urbanis, feudalibus, conſuetudinibus ac uſibus: quibus tamen palam contraveniri animadvertant, diverſis editis in Tranſiſalania literis cum hujuſcemodi inſcriptione: Præfectus, Cancellarius, ac Conſiliarii Cæſ. Majeſt. in Tranſiſalania, Drentia, & Linga. quibus literis ſe gravari cenſeant, acſi Cancellarius ac Conſiliarii ſibi arrogare vellent juriſdictionis alicujus in Tranſiſalania exercitium, ad infractionem ſuorum jurium municipalium, urbanorum, conſuetudinum ac inveteratorum uſuum. quam novitatem primo & ante omnia aboleri cuperent, ac à Præfecto ejuſmodi regimen exerceri, cujuſmodi præcedentes ſui Principes Epiſcopi Ultrajectini eorumque Præfecti D. Georgius Schenckius, & Comes Buranus exercuiſſent. Secundum hæc ad Præfectum, ut ſequitur ſcripſere:

„ Debita noſtra obſequia, & quicquid noſtræ poteſtatis eſt, T. Cl. ſem„per paratum eſt. Nobiliſs. Generoſiſs. Clementiſs. Domine, Audivimus „omnes ac ſinguli ea quæ nobis tres Satrapæ, Sallandiæ, Tubantiæ, ac „Vollenhoviæ, nec non trium civitatum, Daventrienſis, Campenſis ac „Zwollanæ delegati propoſuerunt, de decernendis tempore ac loco, qui„bus T. Cl. nos & hanc regionem ſolveret juramento quo Clem. noſtro „Domino Cæſari Romano devincti ſumus, ac deinde jusjurandum mutuum „præſtandum ac acceptandum, nomine Regis Angliæ præſentis noſtri Do„mini hæreditarii. qua re pariter expenſa, nulli quidem dubitamus, quin „T. Cl. plenam poteſtatem ac procurationem habeat ad omnia illa de qui„bus diximus peragenda, verumtamen, ut de ejuſdem tenore nobis conſtet, „ac num ea conveniat Tractatui à Cæſ. Majeſt. nobiſque obſignato, ac ju„ramento à Cæſarea & Regia Majeſt. in præcedenti eorum inauguratione „præſtito, petimus a T. Cl. ut dictæ inſtructionis apographum per præ„ſentium latorem ad nos velit tranſmittere, ut, ſiquid forte in ea oneroſi „(quod minime ſperamus) deprehenderetur, ſuper eo in anteceſſum cum „T. Cl. quoad ejus fieri poſſet, tranſigeremus. Quum autem Cæſ. & Reg. „Majeſtas nobis promiſerint, obſignarint, ac jurarint, ſe nos conſervaturos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„in omnibus noſtris juribus, conſuetudinibus & uſibus, comperimus mul-
„tas literas obſignatas per Tranſiſalaniam editas, hujuſmodi titulo: *Præ-
„fectus, Cancellarius, ac Conſiliarii Rom. Cæſ. Majeſt. in Tranſiſalania, Drentia,
„Linga.* quibus quidem literis nos gravari cenſemus, acſi Cancellarius &
„Conſiliarii ſibi juriſdictionem aliquam in Tranſiſalania, Drentia &c. ar-
„rogare velint, ad infractionem noſtrorum jurium municipalium, urbano-
„rum, conſuetudinum ac avitorum uſuum. quas novitates primo ac ante
„omnia aboleri vellemus, ac T. Clem. nomine Cæſareæ ac Regiæ Majeſt.
„eo deinceps modo regimen inſtituere, quo id hactenus exercuerunt præce-
„dentes noſtri Principes Epiſcopi Ultrajectini, eorumque Præfecti D. Georg.
„Schenckius, & Comes a Buren. Accepto illo apographo, & ſublata præ-
„dicta novitate, parati ſumus T. Cl. tempus ac locum deſignare, ad facien-
„dum prout prædictum eſt. Id quod reſponſi vice T. Clem. latere noluimus.
„quam Deus O. M. ſalvam & incolumem eſſe velit. Datæ Nyerbruggæ, ſub
„ſigillo civitatis Zwollanæ, quo pariter in hiſce utimur. XVIII die Aug.
„Anno CIƆIƆLVI.

Obſtupuit Comes Arembergius ad haſce literas, quibus negocium inau-
gurationis hujuſcemodi de cauſa protrahi videbatur: petiit ergo, ut Ordines
illam procedere vellent, ac poſtmodum de negocio Cancellarii & Conſilia-
riorum diſceptationem inſtitui. Cui petitioni Ordines minime acquieve-
runt, quum ante inaugurationem illam difficultatem ſublatam vellent. qua de
re multa fuit altercatio, & quamplurimi conventus celebrati, in quibus cum
Præfecto, Cancellario ac Conſiliariis actum. cum autem nihil conveniret,
miſerunt Ordines delegatos ſuos monitoriis inſtructos Bruxellam, novitatem
Cancellarii ac Conſiliariorum deprecaturos. ii fuere, ex Sallandia Ioannes
Reynarts, è Tubantia D. Bernardus de Bever Commendatarius Ootmarſen-
ſis, è Vollenhovia Balduinus Hagen. Nomine civitatis Daventrienſis Gerar-
dus a Nirte, Campenſis, Egbertus ten Buſſche, Zwollanæ M. Henricus a Tiel.
Inſtructio eorum fuſe continebat, ac multis rationibus confirmabat, in-
ſtitutionem Cancellarii & Conſiliariorum in Tranſiſalania adverſari tracta-
tui per quem Cæſ. Majeſtati tanquam Duci Brabantiæ & Comiti Hollandiæ
ſe ſubmiſiſſent, eum in Principem hæreditarium recepiſſent, nec minus juri
eorum municipali, urbano ac feudali. quæ omnia brevitatis cauſa omitte-
mus, præcipua autem ad annum CIƆIƆXLIII. denuo recurrent.

Cæſare è Belgio in Hiſpaniam profecto, Rex paſſim regimini Belgi-
carum regionum proſpicere cœpit, ac generalem ei Præfectum dedit Sa-
baudiæ Ducem, qui VIII Octob. die cum familia ſua armatus Bruxellam
ingreſſus eſt.

Ordinum Tranſiſalaniæ delegati gravamina ſua, juxta tenorem inſtru-
ctionis ſuæ, Sabaudiæ Duci expoſuerunt, ac ab eo reſponſum accepere,

poſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

poſſe ea quæ Cancellarius & Conſiliarii in mandatis habebant immutari nonnihil, atque ea quibus Ordines gravari ſe putarent omitti, ſuper qua re cum iis agendum foret.

Quibus ad Ordines relatis, decretum, Cæſ. Majeſt. jurejurando quo regioni teneretur ſolvendum, & Regi Angliæ juramentum & obſequium præſtandum.

XVI Decembris die, Ordo equeſtris & civitatum delegati Daventriæ comparuerunt, plena poteſtate inſtructi à ſuis civibus, Cæſarem quidem juramento ſolvendi, Regi vero Angliæ ſe ſubmittendi, ac juramentum reciproce accipiendi præſtandique. prælectæ hujuſce rei formulæ, & obſignatæ ad Præfectum miſſæ.

Profecti ad Arembergium delegati Ordinum, qui ei conceptus, mandati, ac ratihabitionis literas exhiberent. quo facto hanc ei proteſtationem prælegerunt.

„Coram Nobili ac Generoſo D. D. Ioanne a Ligny, Arembergio Co„mite, Barone in Barbanzon, D. in Buſſier, Cæſ. Majeſt. in Friſia, Tranſi„ſalania, Groninga, & Linga Præfecto, & Capitaneo Generali, hodie com„paruerunt in propriis perſonis Ordo equeſtris, & delegati trium civita„tum, Daventrienſis, Campenſis, & Zwollanæ, repræſentantes Ordines „Tranſiſalaniæ, ac propoſuerunt, ſeſe aliquot retro menſibus hujus Anni „CIↃIↃLVI. deprehendiſſe, Cancellarium & Conſiliarios recens citra „dictorum Ordinum conſenſum inſtitutos, juriſdictionem aliquam, regi„men, jubendi ac prohibendi poteſtatem in dicta regione Tranſiſalana ſibi „ſumere ſive uſurpare. id quod dicti Ordines aſſeruerunt contravenire „Tractatui inter Clem. noſtrum D. Cæſarem Rom. primum noſtrum Prin„cipem hæreditarium & dictos Ordines ſancito, nec minus avitæ libertati, „juriſdictioni, conſuetudinibus & uſibus Tranſiſalaniæ. quapropter able„garunt Ordo equeſtris ac civitatum delegati ad Clem. noſtrum D. Regem „Angliæ & Hiſpaniæ, tanquam ſecundum noſtrum Principem hæreditarium, „qui ei declararent, jus ac rationem ob quam dictis Cancellario & Conſilia„riis in Tranſiſalania, ac in ſubditos Tranſiſalaniæ nulla juriſdictio, jubendi „ac prohibendi poteſtas ſit permittenda, ac à Regia Majeſt. peterent, ut „omnis ejus generis novitas aboleri poſſet ante futuram inaugurationem, „prout latius patet in inſtructione ſcripto conſignata, cujus apographum in „aula traditum fuit. Ad quæ Regia Majeſt. probe de re tota edocta, iiſdem „delegatis ſcripto reſponderi fecit: quandoquidem inauguratione illa ab Or„dinibus peracta, omnes Officiariorum ejuſdem ditionis commiſſiones, ac „proinde etiam Cancellarii & Conſiliariorum de facto ceſſaturæ ſint, nul„lam ſe de novo conceſſurum eſſe, tantiſper donec cum dictis Ordinum de„legatis cõmunicari fecerit certos articulos ſuper adminiſtratione juſtitiæ in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„iiſdem regionibus, ac in iis inter Regiam Majeſt. & ipſos conſenſum fuerit.
„videlicet quibus in cauſis ac negotiis ſuæ Majeſt. Cancellario & Conſiliariis
„in eadẽ regione uti licebit, & quouſq; eorum auctoritas ſe extendet. Interim
„promiſſuros Cancellarium ac Conſiliarios, ſe ab omni ejuſmodi regimine
„ceſſaturos, donec habita illa communicatione cum Tranſiſalaniæ Ordini-
„bus fuerit tranſactum. Cui reſponſo S. Majeſt. etiamnum inhæret. pro qua
„equeſtris Ordo ac civitatum delegati, nomine dictorum Ordinum, Regiæ
„Majeſt. ingentes agunt gratias, qui de cætero decreverunt, ſe per novam
„hanc inaugurationem quam Regiæ Majeſt. tanquam altero ſuo Principi
„hæreditario hodie præſtituri ſunt, non conſentire in ullam juriſdictionem
„aut juſtitiæ adminiſtrationem, quam Cancellarius & Conſiliarii antehac
„qualicunque ratione uſurparint. neque ſe in quibuſcunque conſultationi-
„bus quas ſuper reſponſo hoc ſuæ Majeſt. ſcripto comprehenſo, cum dictis,
„Ordinibus haberi contigerit, aut velle aut debere conſentire in ullam juriſ-
„dictionem aut juſtitiæ adminiſtrationem Cancellario & Conſiliariis con-
„cedendam, quæ ullo modo tendat ad infractionem ſuorum jurium, ſed
„perſtituros in avitis ſuis juribus municipalibus, aggerariis, cenſualibus &c.
„ac antiquis juriſdictionibus, conſuetudinibus & uſibus ſibi à Cæſ. & Regia
„Majeſt. confirmatis ac ſtabilitis, juxta tenorem dicti Tractatus. Quumque
„Ordines proceſſus judiciarios intentarint Groningenſibus ac Drentanis,
„tanquam membris ſuæ ditionis, ac dicti Drentani & Groningani nec con-
„vocati ſint nec comparuerint, nec proinde hodierno die una cum dictis
„Ordinibus inaugurationem ſint peracturi, aut præſtituri juramentum,
„dictos Ordines in eo ac omnibus antedictis jus ſuum ſalvum fore ſtipu-
„lari, proteſtatoſque de eo omnes ac ſingulos, & per præſentes proteſtari,
„ut & de inauguratione antehac ab iiſdem peracta, ac inhærere articulis
„ſuper ea ſcripto conſignatis: petere porro ut huic ſuæ proteſtationi Præ-
„fectus manus ſuæ ſignum apponat. In fidem dictorum, nos Ioannes de
„Ligny Comes Arembergius, liber Baro in Barbançon &c. Præfectus
„& Plenipotentiarius qui ſupra rogatu dictorum Ordinum hanc proteſta-
„tionem manu noſtra ſubſignavimus. Anno CIↃIↃLVI. XVI die De-
„cembris.

Hiſce peractis Præfectus una cum Cancellario & Conſiliariis, ad Ordinis equeſtris & civitatum majorum minorumque delegatos in aulam Epiſcopi conceſſit, ibique literas mandati ſui & delegatæ à Cæſare ac Rege poteſtatis per Cancellarium reſignari fecit, ac alta voce prælegi, & literæ quidem delegationis Regis Angliæ & Hiſpaniæ penes Ordines remanſere, Cæſarearum autem literarum apographum, ſive, ut vocant tranſſumtum, ſub ſigillo capituli Daventrienſis accepere.

Dehinc Comes Arembergius primo, tanquam vices gerens Cæſ. Majeſt. eque-

equeſtri Ordini & Civitatibus majoribus minoribuſque, repræſentantibus Ordines ditionis Tranſiſalanæ, juramentum quo Cæſ. Majeſt. obnoxii erant remiſit, juri ejuſdem in ditionem Tranſiſalanam renunciavit, tranſlato eo in filium ejus Angliæ & Hiſpaniæ Regem, cujus nomine equeſtri Ordini & civitatibus majoribus minoribuſque debitum præſtitit juramentum. Ordines autem viciſſim in ſuæ Majeſtatis obſequium jurarunt.

Quo facto univerſus Senatus Daventrienſis, delegatique reliquarum duarum civitatum Campenſis ac Zwollanæ, ſolenni pompa, ad forum majus quod Brinconem vocant, in domum libræ publicæ proceſſére, ubi Præfectus Civitati Daventrienſi ejuſque civibus ſpeciatim ſacramentum dixit, quod viciſſim à Senatu Daventrienſi & civibus factum.

Poſt hæc Præfectus eodem officio defunctus eſt apud Civitates Campenſem ac Zwollanam, & viciſſim earum Civitatum delegati, magiſtratuum ſuorum, communitatum, ac civium incolarumque nomine, in Regis verba jurarunt. Peractis omnibus Ordo equeſtris & delegati Civitatum majorum minorumque, una cum Comite Arembergio œnopolium publicum intrarunt, ubi civitas Daventrienſis eos ſplendido epulo excepit.

Arembergius tribus Civitatibus ſigillatim hac de re literas obſignatas tradidit, quarum hic eſt tenor:

„ Ego Ioannes a Ligny, liber Baro in Barbançon, in Buſſiné, eques „Ordinis aurei velleris, Regiæ Majeſt. Angliæ, Hiſpaniæque &c. nomine „Præfectus & Capitaneus Generalis Friſiæ, Tranſiſalaniæ & Lingæ, tan„quam poteſtate inſtructus ab Illuſtriſſimo, Celſiſſimo, & Potentiſſimo „Principe ac Domino, D. Philippo Rege Hiſpaniæ, Angliæ, utriuſque Si„ciliæ, Hieroſolymæ &c. Comite Habſpurgi, Flandriæ, Hollandiæ, in „qualitate Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ, hæreditario Domino „ditionis ac civitatum Tranſiſalaniæ:

„ Notum facio ac teſtor per haſce noſtras patentes ac ſigillo munitas li„teras; Quandoquidem, tanquam vices gerens Illuſtriſſimi, Celſiſſimi, Po„tentiſſimi, Invictiſſimi Principis ac Domini D. Caroli Dei gratia Roma„norum Imperaroris V. ejus nominis &c. in qualitate Ducis Brabantiæ, „Comitis Hollandiæ, & hæreditarii Domini Tranſiſalaniæ, ejuſdem Tranſi„ſalaniæ ditionem, civitates, ac Dominia, cum omnibus ſuis juribus, celſitu„dinibus, præeminentiis, juriſdictionibus & regalibus, nullo eorum re„ſervato, hodierno die, præſentibus Ordinibus, ceſſimus ac reſignavimus, „cedimus ac reſignamus in manus Cæſ. Majeſt. dilecti filii, ac Domini „D. Philippi Hiſpaniæ & Angliæ Regis, juramentum quoque quo dicta „regio & civitates Cæſar. Majeſtati devinctæ fuerunt, eis remiſimus, ac re„mittimus. Nos conſequenter, tanquam Regiæ Majeſt. vice fungentes, „ejus nomine, ac in ejus animam promiſimus ac juravimus, promittimus

„ac

„ac juramus vigore harum noſtrarum patentium ac ſigillo munitarum literarum, ſuper ſancta Dei Euangelia, nomine Majeſtatis ſuæ ejuſque hæredum ac ſucceſſorum, Ducum Brabantiæ, Comitum Hollandiæ, & Dominorum hæreditariorum regionis ac civitatum Tranſiſalaniæ, protecturam ſuam Majeſt. ſanctam Eccleſiam, viduas & orphanos defenſuram, ac ut defendantur operam daturam, & Coſſ. Scabinos, Conſiliarios, communitates, cives & ſubditos civitatis Campenſis cum ſuis facultatibus conſervaturam in omnibus ſuis juribus municipalibus, urbanis, feudalibus, aggerariis, ac reliquis quibuſcunque privilegiis, poſſeſſionibus & conſuetudinibus, quibus quiſque eorum gaudet, tam quæ Anzam ſpectant, quam cæteris libertatibus, quas habent, & quibus bona fide hactenus uſi fuerunt, ac porro eos defenſuram propugnaturamque, & omnia peracturam juxta tenorem literarum confirmationis datarum 2 Febr. Anno CIↃ IↃXXVII. ſub ſigillo Cæſ. Majeſt. quas penes ſe depoſitas ſervant: denique erga civitatem Campenſem, cives ejus & incolas, ipſorumque facultates ita ſe geſturam, uti bonum Dominum hæreditarium ac Principem ſe gerere æquum eſt. Ita Majeſtatem ſuam Deus adjuvet, & omnes ſancti ejus.

Juramento in dicta forma præſtito, viciſſim à Coſſ. Scabinis & Conſiliariis, communitatibus, civibus & incolis civitatis Campenſis ſolenniter hoc ipſo die obſequium ac jusjurandum accepimus, verbotenus, ut ſequitur conceptum:

„Nos Coſſ. Scabini & Conſiliarii, tribb. pleb. cives ac incolæ civitatis Campenſis, notum facimus ac profitemur vigore harum literarum noſtrarum patentium ac ſigillo munitarum, noſtro ac hæredum noſtrorum ſucceſſorumque nomine: Quandoquidem Illuſtriſſimus, Celſiſſimus, Potentiſſimus, Invictiſſimus Princeps ac Dominus, D. Carolus Dei gratia Romanorum Imperator V. &c. in qualitate Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ, primus Dominus Tranſiſalaniæ hæreditarius, vivus adhuc, in manus S. Majeſt. dilecti filii, Illuſtriſſimi, Celſiſſimi, Potentiſſimi Principis ac Domini D. Philippi, Hiſpaniæ & Angliæ Regis &c. in pari qualitate, tanquam Ducis Brabantiæ & Comitis Hollandiæ, univerſam regionem ac civitates Tranſiſalaniæ, cum omnibus ſuis juribus, celſitudinibus, præeminentiis, juriſdictionibus, & regalibus, nullo eorum reſervato, per Nobilem ac Generoſum D. Ioannem de Ligny, Arembergi Comitem, liberum Baronem in Barbanzon &c. equitem Ordinis aurei velleris, Cæſ. ſuæ Majeſt. nomine Præfectum ac Capitaneum Generalem per Friſiam, Tranſiſalaniam ac Lingam, tanquam Cæſ. Majeſt. vices gerentem, coram nobis, ac nobis omnibus præſentibus cedi ac reſignari fecit, ac conſequenter, nos & regionis Tranſiſalanæ ſubditos univerſos ſolvi curavit omni

„illo

„illo obſequio ac juramento quo nos & dicti ſubditi ſuæ Cæſ. Majeſt. hacte-„nus fuimus obſtricti: Nos quoque viciſſim omni nexu ac juramento quod „Clementiſſ. noſter Dom. Romanorum Imperator nobis olim præſtitit, „ipſum exolvimus, jamque de novo promiſimus & juravimus, noſtro & „hæredum noſtrorum ac ſucceſſorum nomine, vigore harum noſtrarum pa-„tentium literarum, Illuſtriſſimo, Celſiſſimo, & Potentiſſ. Principi ac „Domino, D. Philippo Regi Hiſpaniæ & Angliæ, utriuſque Siciliæ, Hie-„roſolymæ &c. Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ, Brabantiæ, Gel-„riæ &c. Comiti Habſpurgi, Flandriæ, Hollandiæ, & ſecundo noſtro „Domino hæreditario regionis ac civitatum Tranſiſalaniæ, nec non Regiæ „ſuæ Majeſtatis hæredibus in Ducatu Brabantiæ ac Comitatu Hollandiæ, „& Dominio Tranſiſalaniæ, fidos nos fore Regiæ ſuæ Majeſt. ejuſque hæ-„redibus ac ſucceſſoribus, eorum commoda promoturos, ac incommoda „depulſuros, denique omnia facturos quæ bonos ac fideles ſubditos erga na-„turalem ſuum Principem & Dom. hæreditarium facere æquum eſt. Ita nos „Deus adjuvet, & omnes Sancti ejus.

„In fidem horum omnium, nos Ioannes a Ligny, Comes Arembergius, „& liber Baro in Barbanzon, Præfectus & vices gerens ut ſupra, hiſce no-„ſtris literis patentibus manus noſtræ ſignum appoſuimus, & ſigillum no-„ſtrum appendi fecimus.

„Et nos Coſſ. Scabini ac Conſiliarii civitatis Campenſis, noſtræ civi-„tatis ſigillum, juxta Clem. noſtri Præfecti ſigillum hiſce quoque literis „appendimus. Dabantur Anno Domini cIↃIↃLVI. XVI Decem-„bris die.

Ejuſdem argumenti literas duæ reliquæ civitates, Daventria ac Zwolla, tum acceperunt, tum dederunt.

Hoc anno VII Septemb. die, Carolus V. per literas, & legatos, Wilhelmum Arauſionenſem Principem & quoſdam alios, reſignavit Imperium in manus fratris Ferdinandi Romanorum Regis.

Edita Daventriæ *Senecæ Medea.*

Anno cIↃIↃLVII. XXIV Junii, edidit Martinus Carolus Creſvelt (qui Arithmetices in urbe Daventrienſi ludum aperuerat) ſuæ artis opuſculum lingua vulgari, nempe Arithmeticam, cum adjuncto libello, quo omnia juxta menſuram, pondus, & monetam Daventrienſem expendendi & ſupputandi rationem tradidit. dedicavit opus Magiſtratui Daventrienſi. quod primo excuſum Daventriæ a Theodoro Bornio, hoc anno denuo recuſum eſt Reeſſæ Clivorum, apud Theodorum Wylix Xantenſem. In Dedicatione ait ſe in hanc regionem appuliſſe Anno cIↃIↃLV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Extat ejuſdem Creſveldi exigua Charta topographica fluvii Iſalæ cum annexis.

Eodem anno Daventriæ lingua vulgari editus eſt liber Jeſu Siracidæ, item Opuſculum Kempenſis de imitatione Chriſti.

Hunc annum quoque præfert artificioſa tabella in Orphanotrophio Daventrienſi, Ioannis Bredani Conſulis, & ejuſdem ædis primi omnium Præfecti effigiem exhibens, cui ſubſcripti hi verſus:

Ioannis faciem Bredani noſcere ſiquis
Expetit, ad vivum picta tabella dabit.
Si pariter vitam manus ingenioſa dediſſet,
Vidiſſes ſimul & pectoris effigiem.
Corporis ut formam ſcite natura polivit,
Sic animum veris dotibus ingenii.

Anno Domini cIↃIↃLVII. & XLIII.

Eodem, & non paucis aliis annis rem literariam Daventriæ juvit Simon Steenbergius, ſive Saximontanus, inſignis Typographus. à quo, inter alia, hæc edita:

Boëthius de conſolatione Philoſophiæ in Belgicum idioma verſus, cum privilegio Senatus ad quadriennium. Anno cIↃIↃLVII.

Jus Municipale Tranſiſalaniæ Belgica itidem lingua, congeſtum & explicatum à Melchiore Wijnhof. Inſcriptum Comiti Arembergio. Anno cIↃIↃLIX.

Ælii Donati, de octo partibus Orationis libellus, per Erotemata quam commodiſſimè deſcriptus, quibuſdam paulum commutatis, omiſſis etiam, & rurſus additis aliis, quantum prima inſtitutio poſtulare videbatur, in uſum ſcholæ Daventrienſis.

Approbavit eum libellum, ut qui abſque ullo fidei periculo excudi poſſet, Philippus Boeſtius Paſtor Daventrienſis, ex commiſſione Reverendiſſimi Daventrienſis.

Grammaticæ Latinæ compendium M. Gerardi Ruvenii. Anno cIↃIↃLXXIV.

Grammaticæ Latinæ præcepta, collecta ex Donato, Diomede, Priſciano, & aliis vetuſtis ſcriptoribus, atque iis qui poſt illos videntur commodius hanc rem tradidiſſe. Item, *Syntaxis, Proſodia*, &c. *approbata ab Henrico à Dunghen, S. Th. D.* die XXV Martii Anno cIↃIↃLX. Antverpiæ, viſa quoque & admiſſa per Ioannem Goſuinum ab Oerſchot Paſto-

Paſtorem Divi Iacobi apud Antverpienſes, S. Th. L. ſubſignavitque R. D. Arias Montanus Hiſpalenſis, quibus & calculum ſuum adjecit Philippus Bœſtius Paſtor Daventrienſ. Impreſſa vero ſunt Daventriæ ſumtu & opera Simonis Saximontani & Ægidii Bathman, ac vendebantur Daventriæ & Zwollæ in ædibus eorundem. Anno cIↄ Iↄ LXXV.

Carmen Martinianum, ſive commendatio divini timoris, ſcholæ Arnhemienſis, Auctore Sydraco Scoto, ejuſdem ſcholæ Rectore. An. cIↄ Iↄ LXXVI.

Carmen Martinianum, ſive Militis Chriſtiani querimoniæ ad Deum O. M. ſcholæ Arnhemienſis, eodem Auctore. Anno cIↄ Iↄ LXXVII.

Alphabetum Rhytmicum cum precibus Belgicis, Auctore Lud. Sol. Anno cIↄ Iↄ LXXVIII.

Catonis diſticha, & dicta ſeptem ſapientum Græciæ. Ann. cIↄ Iↄ XCI.

Anno cIↄIↄLVIII. D. Franc. Sonnius nomine Regis Romam profectus à Paulo IV. Bullas impetrat ad erigendos in Belgio tres Archiepiſcopatus, Machliniæ videlicet, Cameraci, & Trajecti. Præſul Machlinienſis futurus erat ſummus ac Metropolitanus, cui dignitati deſtinatus erat Cardinalis Granvellanus. Eis Archiepiſcopatibus ſubjiciebantur novi Epiſcopi, in Brabantia Antverpienſis & Sylvæ-Ducenſis, in Flandria Gandavenſis, Brugenſis, Hyprenſis, in Arteſia Sanct-Audomarenſis & Namurcenſis; in Hollandia Harlemenſis; in Seelandia Middelburgenſis; in Friſia Leovardienſis & Groningenſis; in Gelria Ruremundenſis; in Tranſiſalania Daventrienſis. quorum ſinguli in Eccleſiis ſuis Cathedralibus (nam ut urbes ipſas in metropoleis, ita Eccleſias earum in Cathedrales erigebat) IX præbendas conferendi poteſtatem haberent in eos qui muneri Inquiſitorio intereſſent, duo vero ex eis ipſi Inquiſitores eſſe tenerentur. His bona Eccleſiaſtica è ditiſſimis quibuſque Abbatiis attributa, ut Daventrienſi proventus præpoſituræ S. Lebuini. Hæc omnia inſciis Ordinibus, & maxime invito Clero, qui ſe ſuis facultatibus ſpoliari ægrè ferebat. prout & ſe oppoſuerunt Epiſcopi, Leodienſis, Monaſterienſis, aliique, ſuas juriſdictiones imminui, ac in novos homines conferri quiritantes. Thuanus etiam conqueritur Hiſt. l. XXII. p. 425. Cameracenſem, Tornacenſem, & Atrebatenſem diœceſes hoc pacto juriſdictioni Rhemenſi ſubductas, ut & Colonienſis, Oſnabrugenſis, Paderbornenſis, &c. diœceſium partes quæ in Philippi ditione erant, ab illis avulſas, & ſedibus nuper in Belgio ordinatis adjectas.

Hoc anno Egbertus ab Ens creatus eſt Covordiæ Satrapa, ea lege, ut tribus civitatibus, Daventrienſi, Campenſi, Zwollanæ præſtito juramento, & datis vadibus, domum ac arcem Covordianam ſe ſalvam ipſis præſtiturum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

polliceretur. quod factum, & obſignatæ in rei fidem literæ ab eo civitatibus traditæ.

XXVIII Novembris die, Commendatarius Duneburgenſis ex Livonia, Ordinis Teutonici eques, literis fiduciariis Magni Livoniæ Magiſtri instructus, Winſemum, ad cœnobium regularium appulit, ibique delegatos trium civitatum convenit, quibus ſummatim retulit non tolerandam violentiam quam Rutheni in Livoniam effuſi exercerent, ab iiſque ut civitatibus Anzeaticis opem ac auxilia flagitavit. Reſponderunt ei civitatum delegati, ſeſe, ut nunc res earum ſe haberent, nihil illis ſubſidii præſtare poſſe. quod & ad civitatem Colonienſem perſcripſiſſent. quod reſponſum ægre tulit, quumque a delegatis diſceſſurus eſſet, affirmavit ſe mille ducatis redemtum optare ut commodius reſponſum accepiſſet. neſcire quenquam quid aliis in rebus iis evenire poſſet. Olim civitatem Campenſem equitibus Teutonici ordinis in Livonia aliquot tormenta adverſus Ruthenos ſubſidio miſiſſe, quod ipſum in commentariis Ordinis ad perpetuam rei memoriam conſignatum reperiatur.

Floruit hoc anno & aliquot ſequentibus Daventriæ egregius typographus Richardus Pafradus (ab eo quem ante aliquot annos habuerat Daventria proculdubio oriundus) à quo hæc excuſa:

Joannis Ludovici Vivis ad ſapientiam introductio, cum Præfatione Ioannis Noviomagi. Anno cIↃ IↃ LVIII.

Æneidos liber ſextus. eodem.

Etymologia Grammaticæ Latinæ in uſum ſcholæ Daventrienſis, Auctore Io. Noviomago, denuo recognita. Anno cIↃ IↃ LIX.

Syntaxis Philippi Melanchthonis, eodem, ut videtur, anno.

M. T. Ciceronis Officiorum liber tertius. eodem.

Eorundem liber primus. Anno cIↃ IↃ LXII.

Erotemata in univerſam Dialecticam, per Winandum Crucium (ludi moderatorem apud Hardervicenos.) eodem.

Oratio pro Marcello. Anno cIↃ IↃ LXIII.

Progymnaſmata in Latinæ Grammaticæ Etymologiam, per Bernardum Winterinck (ludi moderatorem apud Hardervicenos, ut eſt in Præfatione.) eodem.

Grammatica Theodori Velpii, quam is ad uſum ſcholæ Zutphanienſis collegerat, cum Melanchthon (ut in præfatione ait) *aliquid atri haberet, & Deſpauterium, quem juventuti aliquot annos prælegi curaverat, plerique ob prolixitatem, & verſuum ænigmata improbarent.* Anno cIↃIↃ LXV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃLIX. Rex Hiſpaniarum è Belgio in Hiſpaniam cogitans, omnes Belgicarum regionum Ordines ac inter eos, Ordines Tranſiſalaniæ a. d. ultimum Julii Gandavi adeſſe juſſit, audituros ea quæ ipſis eſſent proponenda.

Qua de cauſa Ordo equeſtris, ac civitatum delegati convenerunt in loco cui nomen Nyerbrugge, ac decreverunt, diem hunc reſpiciendum eſſe. electi ad hoc iter ſunt ex Sallandia Ioannes Reyners, è Tubantia Rodolphus a Langen, è Vollenhovia Balduinus Hagen: è Daventrienſibus Lubbertus à Winſem, è Campenſibus Henricus de Vullis.

In hiſce Comitiis Gandavi celebratis, Rex Ordinibus generalibus proponi fecit petitionem nummariam ad exolutionem æris alieni ab ſeſe in bello Gallico contracti.

Petitione facta, Comes Arembergius delegatos Tranſiſalaniæ ſeorſim ad ſe accerſivit, iiſque ſignificavit, Regiam Majeſtatem hoc tempore eis poſtulatum hoc remittere: monens ut id ſilentio premerent, ne reliquis Ordinibus innoteſceret, ac præ ſe ferrent, ſibi pecunias in ſubſidium Regis eſſe conferendas.

Dehinc Rex Duciſſam Parmenſem ſuo loco regimini harum regionum præfecit, ac Ordines ad extirpationem omnium hæreſium, ac defenſionem religionis Catholicæ hortatus eſt.

Inter Præfectos Provinciarum, Comitem Arembergi, Friſiæ, Tranſiſalaniæ, Groningæ cum Omlandia, & Lingæ præeſſe juſſit.

Ea nocte quæ primum Octobris diem ſecuta eſt prope Daventriam complures frugum, fœni, aliarumque rerum cumuli ab incendiariis exuſti fuere, juxta quos Epiſtola perticæ affixa reperta fuit, qua jubebantur cives certo loco ac tempore magnam pecuniæ ſummam deponere. congregati ſuper hoc negocio Coſſ. Scabini ac Senatores ejus urbis, una cum Tribb. pleb. conſtituerunt, ut quicunque Daventriæ ab Anno cIↃIↃL. ſedem fixiſſent, documenta exhiberent præcedentis ſui domicilii, item morum, ac vitæ generis, quo ſe ſuſtentaſſent. qui hoc facere neglexiſſet, urbe excederet, nunquam eo rediturus.

IV. Decembris die caupo quidam, qui inter Daventriam ac Zutphaniam, eo loco qui vocabatur *het klaphecke* domicilium habebat, nomen autem ei erat Arnoldus a Wallen, ab hiſce latronibus coactus fuit, epiſtolam Daventriam deferre, inſcriptam Conſuli ejus civitatis ſeorſim, non autem reliquo Senatui, quibus ei injungebant, curaret ipſis ante diem trium Regum (quos vocant) exolvi quinquagies mille florenos aureos, ni faceret, ſe Daventrienſibus tam intra quam extra eorum regionem damnum daturos. Operæ pretium erit, rhytmum quem nebulones hi inſcriptioni ſuarum literarum adjecerant hic apponere. eſt autem iſte:

Als de daghen zijn kort, ende dat koren lanck,
Soo maeeken wy na Deventer onſen ganck,
Dat is ons de alderghelegenſte tijdt,
Soo hebben wy Winter noch Somer reſpijt.

Poſtridie, qui erat v. Decemb. veſperi circa horam v. homines hi facinoroſi ſub mœnibus Daventrienſibus juxta geranon minorem, Nicolaum Wijntjes una cum filio ſuo miſere trucidarunt. erat autem honeſtus mercator, civis Arnemienſis, frater Mag. Balthazaris Wijntjes trium civitatum in urbe Daventria monetarii. erectum & mœnibus affixum adhuc viſitur ejus rei monumentum.

Hoc tempore Daventriæ Præpoſitus, & Archidiaconus S. Lebuini fuit Mag. Ioannes Hanneton, J. U. D. Michaël autem a Viſbeke, Canonicus Daventrienſis, ejus Vicarius.

Anno cIↃIↃLX. menſe Februario deceſſit Daventriæ Ioannes Gulielmus inſignis Eccleſiæ Paſtor, reformationis Euangelicæ promotor, cujus hoc Epitaphium reperitur Poëmatum Lamb. Lud. Pithopœi lib. 1. p. 73.

Reverendo viro, pietate, eruditione, & morum ſanctimonia præſtanti, D.M. Ioanni Guilielmo, Eccleſiæ Dei in Republ. Daventrienſi, Paſtori fideliſſimo & optime merito, gratitudinis ergo, certa ſpe reſurrectionis corporum humanorum, ſecuturi judicii, & vitæ æternæ, cives Reipubl. Daventrienſis, monumentum hoc ponendum curarunt.

Continet hic tumulus Iohannis membra Gulelmi,
Qui pius hac Chriſti paſtor in æde fuit.
Protulit hunc terris gelido contermina Flevo
Suolla virum, ſtudiis ſemper amica bonis.
Ingenium juveni linguamque Colonia Muſis
Inclyta, præclaris artibus erudiit.
Hinc Daventurium, Chriſto ducente, vocatus
Commiſſas ſano dogmate pavit oves.
Rejectis operum meritis fallacibus, unum
In Chriſtum docuit ſpem poſuiſſe pios.
Iuſtitiæ Chriſtum noſtræ cauſamque ſalutis,
Qui peccata luit ſanguine noſtra ſuo;
Gratia quid Chriſti diſtent & fulmina Moſis
Quæ prius in denſum miſta fuere chaos;
Solius auxilium Chriſti nomenque vocandum,
Qui noſtri gemitus cordis ubique videt;
Quis ſacræ fructus cœnæ, ſanctique lavacri,
Symbola quo ſint hęc accipienda modo;

Dogmata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Dogmata majorum juſſis contraria Chriſti
Conſtanter cunctis eſſe cavenda piis;
Et mores ſancte nobis juſteque regendos
Ad normam, quam lex pręcipit alma Dei.
Præterea divi mandatis conſona Pauli
Vita fuit, mores cum pietate graves.
Aſſidue ſacris libris precibuſque vacavit;
Tantus oves ardor paſcere rite ſuas.
Sedulus ad Chriſti multos perduxit amorem,
Oſtendens veræ relligionis iter.
Mœrentum ſano lacrymas ſermone levavit,
Nec levis ægrotos viſere cura fuit.
Pauperibus mira promtus bonitate juvandis
Auxilium lęta fronte manuque tulit.
Sobrius, humanus, ſimplexque, modeſtus, & oſor
Spurcitiæ, caſtis moribus uſque fuit.
Illius hanc nunquam poterunt convellere laudem
Livor iners, odio crimina ficta, doli.
Sic ubi, quem dederas curſum, pie Chriſte, peregit,
Hunc rapit, heu! nimium mors violenta virum.
Signiferum nondum bis ſol percurrerat orbem,
Strenuus injunctum dum ſibi munus obit.
Inſidiis famulum ſtructis & ab hoste periclis
Hac Deus eripuit fors ratione ſuum.
Carus dum vixit, poſt mortem carior illis,
Antiquæ curam qui pietatis agunt.
Et nunc ille quidem coram vereque beatus
Conſpectu fruitur colloquiiſque Dei;
Mœſta ſuum lacrymis Daventria deflet acerbis
Paſtorem, tanquam patre ſit orba ſuo.
Iohannis ſimiles nobis largire Gulelmi
Præcones verbi, maxime Chriſte, tui:
Et vera quiſquis gaudes pietate, precare,
Vt ſancti recubent molliter oſſa viri.

Deceſſit Daventriæ, nonis Februar. Anno Chriſti cIↄIↄLX. ætatis ſuæ Anno XXXIII.

Præpoſitus Daventrienſis & Archidiaconus S. Lebuini hoc tempore fuit Ioannes Voerthuſius Zutphanienſis, vir multæ & variæ lectionis atque eru-ditionis,

ditionis, adeo ut vivam ſpirantemque Bibliothecam etiamnum in libris poſſis dicere. edidit Antverpiæ Anno cIↄIↄLXII. typis Sylvij.

Phœnicen, ſive Apotheoſin conſecrationis Auguſtæ, qua Caroli Magni & Caroli V. *Cæſarum res geſtæ, conſilia, eventus, & utriuſque ſeculi hiſtoriæ invicem componuntur.* ſimilis eſt inſtructa à Voerthuſio

Academiæ veteris & novæ legatio, qua Maximiliano II. *Aug. recens inaugurato Doctorum hominum nomine (quos ita cum veteribus committit, ut ſummam inter utroſque συμπάθειαν eſſe doceat) gratulatur.* Francofurti Anno cIↄIↄLXIII.

In Phœnicen ejus hæc fudit Lambertus Hortenſius:

Aurea Canchlæis nuſquam niſi naſcier oris
Proditur una Arabum, & vivax tot ſæcula, Phœnix.
Phœnix Panchaiæ ſimul atque in ſede parentis
Depoſuit nidum, ſacraque locavit in ara,
Vertere ſe magnum ſtellis redeuntibus annum
Fert fama, æternas & fila revolvere Parcas.
Ecce autem Arctoo Phœnix & fulva ſub axe
Edita puniceis (mirum) Voerthuſia pinnis,
Cęruleis cui cauda notis diſtincta niteſcit:
Tam magis illuſtris, quam illa altior evolat ales,
Et moritura minus, nomenque decuſque perenne
Servabit, quam nulla dabit curioſa vetuſtas,
Non triſte, extinctam, crudeli funere buſtum.
Hic canit obſcurum fato infelixque poëma,
Excudit medicas alius ſudoribus artes,
Aut nodoſa parat rigidarum ænigmata legum:
Sed raro æternum produnt fatoque ſuperſtes;
Qui celebrant regum, ceu tu Voerthuſie, laudes,
Æternis mandant nomenque & ſcripta tabellis.

Academiam ejus hiſce celebravit Io. Poſthius:

Hiſtoricos, vates, oratoreſque tulerunt
Secula priſca ſuos, ſecula noſtra ſuos.
Omnibus his meritum tribuit dum magnus honorem
Voerthuſius, Regi mittit eoſque novo,
Ipſius ad nitidi pariter ſe ſidera cœli
Tollit, & in niveis fama triumphat equis.
Dumque tot egregii ſcriptores luce fruentur
Nominis illius gloria ſemper erit.

Vica-

Vicarius ejus generalis in ſpiritualibus & ſecularibus erat Mag. Arnoldus Doirs, Canonicus Eccleſiæ S. Lebuini.

Notarius publicus Iacobus Helm. *Lib. Feudalis Præpoſituræ Daventrienſis.*

Pater domus Domini Florentii erat D. Simon a Doeſburch.

D. Antonius Stake Vicarius Eccleſiæ S. Lebuini.

D. Antonius a Bengevord Pater Conventus ſive domus Domini Gerardi Magni.

VIII Martii die, Bulla altera impetrata fuit à Pio V. Pontifice, in erectionem novorum Epiſcopatuum.

Kalend. Octob. Comes Arembergius, Regiæ Majeſt. vice celſi judicii diem Daventriæ in aula Epiſcopi celebravit. ubi ipſe Comes tanquam judex ſedebat inter duos ſuos Aſſeſſores, Unico Ripperda manum ejus dexteram, Ioannes a Boetzeler lævam claudebat. præterea aſſidebant ei Satrapæ in tribunali, nec non delegati trium civitatum: a tergo autem partim ſedebant, partim conſiſtebant Regiæ Majeſt. in Tranſiſalaniâ Conſiliarii. Sallandiæ Quæſtor erat Cuſtos aggerum, *Dijckwaerder*, & tribunal pandebat nomine Regiæ Majeſtatis, tanquam Tranſiſalaniæ Domini.

IV Octob. Præfectus una cum equeſtri Ordine ac primariarum civitatum delegatis magna comitia judiciaria auſpicatus eſt. ubi primo Graphiarius Tranſiſalaniæ omnia nomina equitum prælegit, ac abſentes annotavit.

Conſiliarii Tranſiſalaniæ qui ſtipabant Præfectum hi erant: Egbertus ab Enſſe Covordiæ Satrapa, Mag. Gerardus ab Ooſtendorp, Mag. Robertus vander Beke Sallandiæ Quæſtor, cuſtos aggerum. Mag. Henricus a Tiel, Franciſcus Walterotti Tranſiſalanæ Graphiarius. horum nulli jus ferendi ſuffragii conceſſum fuit.

Ex Ordine equeſtri aderant iſti: Unico Ripperda Sallandiæ Satrapa, Ioannes Sloot Vollenhoviæ Satrapa, Erneſtus Mulert Prætor Haſſeltanus, Ditericus a Voorſt, Bartholdus Sloot, Bernardus a Bevervoorde, Ioannes Splinter, Adolphus a Twickelo, Rodolphus ab Ooſterwolde, Ioannes a Boetzeler, Ioannes Reyners, Rodolphus a Scheven, Eggardus Ripperda, Ioannes a Laer, Chriſtophorus ab Overhagen, Rodolphus a Langen, Reynoldus a Covorden, Ioannes ab Haerſolte, Henricus ab Oldeniel, Nicolaus a Bevervoorde, Hermannus a Welevelde, Ioannes Mulert, Seyno a Bremen, Gualtherus ab Heyden, Ioachimus Baeck, Henricus ab Itterſum, Hermannus a Weſterholt, Balduinus Hagen, Georgius a Barmetloo. * Bin Bake. Gualtherus a Covorden. * Mey ab Heerde, Gaſparus a Twickel.

E tribus civitatibus, Daventriâ, Ioannes a Doetecum, Gerardus ab Irte, Heſſelus ab Overenck, Petrus Doys; Campis, Nicolaus Igerman, Arnoldus a Bocop. Zwollâ, Wolfgangus ab Itterſum, Ioannes ab Haerſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Omnes porro tam ex equeſtri Ordine, quam è civitatibus, qui regioni Tranſiſalanæ ſacramentum nondum dixerant, ſurrexere, debitumque ac conſuetum juramentum præſtitere.

Durantibus hiſce comitiis non exigua exorta fuit contentio inter Ordinem equeſtrem ac Civitates. res ita geſta eſt:

Accidit proceſſum quendam ad Comitia relatum à Præfecto aperiri, legi, diſceptari. exinde Sallandiæ Quæſtor, cuſtos aggerum, vota collegit. evenit autem omnes equites conſentire, pleroſque autem è civitatum delegatis ab eorum ſuffragiis diſſentire. duobus tamen ex eorum numero equeſtri Ordini accedentibus. hinc nata controverſia, equitibus aſſerentibus pluralitatem votorum prævalere, ac ſecundum illa litem dandam eſſe. Civitatibus contra contendentibus, ab ultima antiquitate moris fuiſſe, ut equeſtris Ordo, non conſiderata ejus multitudine, unicum tantum votum repræſentaret, civitates itidem unum: ita ut, utrinque conſentientibus pluribus, ſententia iret in rem judicatam: diſcordantibus vero pluribus equitum à pluribus ex octo civitatum delegatis, jus eſſet Principi aut ejus Præfecto, huic vel illi parti votum ſuum tertium accommodare, atque ita litem decidere. Quod ſi equites ac civitates conſentirent, nullum Principi ſuffragii jus eſſet. Quod ſi ex pluralitate votorum res eſſet tranſigenda, ſemper prævaliturum equeſtrem Ordinem, ut numero ſuperiorem, delegatis autem civitatum (licet integra corpora Senatuum ſuorum repræſentantibus) nullum revera ſuffragium fore, atque ita nihil illis eſſe quod agant in comitiis. quo admiſſo poſſe civitates ingentes quos faciant ſumtus, compendii facere, & in res magis neceſſarias inſumere. Atque ideo ſiqui è civitatum deputatis in ſuffragio ferendo à majori collegarum ſuorum recederent, equitibus vero accederent, non eſſe eos numerandos, ſed ita ac ſi nulli eſſent habendos, quum major delegatorum pars civitates referat, non autem minor. alioqui principium ſententiæ conſiſtere nequire, nec verum eſſe, quod ita ſonat: *Viſum eſt Clementiſſ. noſtro Præfecto, equeſtri Ordini, ac civitatibus &c.* unde appareat regionem duo habere membra, equeſtrem Ordinem ac civitates. Et illo quidem die nihil ulterius actum eſt. ſed magnæ inde difficultates inter duos illius regionis Ordines pullularunt, ita ut viderentur ſe ab invicem ſeparaturi, nonnullis etiam ſe illi negocio miſcentibus, quorum intererat illis non bene inter ſe convenire.

Anno CIↃIↃLXI. gliſcente indies Ordinum Tranſiſalaniæ diſcordia, equeſtris Ordo Sallandiæ, Tubantiæ, ac Vollenhoviæ crebro conventus agitarunt, ſeorſim à civitatum delegatis, qui agendi modus in Tranſiſalania inſolens erat. valde enim adverſus civitates excanduerant, rati eas ſuis privilegiis inſidiari. ideoque in hæc verba ad eas literas dederunt:

„ Amicam noſtram ſalutationem, & officiorum noſtrorum oblationem

„præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„præmittimus. Honorati, prudentes, benevoli ac amici viri: Quandoqui-„dem è delegatis noſtris intelleximus, diſceptationem & communicationem „novitatis cujuſdam à vobis propoſitam eſſe, qua vobis licet numero tan-„tum octo, & minori etiam, duntaxat quinque ſitis, totidem ſuffragia vin-„dicatis quot habent LX. LXX. aut etiam centum perſonæ Ordinis eque-„ſtris, ac noſtris delegatis ſignificaſtis, vobis animum eſſe in hac opinione „perſiſtendi &c. conſiderato hoc veſtro propoſitò, inutile judicamus dele-„gatos quoſpiam ad vos mittere. Aliud tamen à vobis expectaveramus, qui-„bus pro ſua prudentia expendere promtum erat, novum hoc veſtrum pla-„citum nemini rerum intelligenti probari poſſe. Quum id in judicio ca-„meræ Imperatoriæ, ac præterea in omnibus Collegiis juri dicundo inſtitu-„tis, ad quæ cauſæ litigioſæ per provocationem devolvuntur, minime ſit uſi-„tatum, neque dum à vobis ulla allata ſint documenta, antiquitus ita obſer-„vatum fuiſſe, ut nec inter noſtros ullus eſt, qui ejus rei memoriam ha-„beat, licet nonnulli ex eis abhinc annos XXXII. aut etiam diutius in co-„mitiis judiciariis calculum poſuerint. Denuo igitur peramanter petimus „ac rogamus, ut de nova hac à vobis mota controverſia accuratius velitis „cogitare, quo & vobis & nobis quoque in avita conſuetudine ac libertate „citra impedimentum permanere liceat. Neque enim aliud quærimus, quam „libertatem ad nos à proavis hæreditario devolutam conſervare, vobiſque „omnem benevolentiam ac amicitiam exhibere, prout & veſtri & noſtri „majores eam hactenus inter ſeſe coluerunt, idque ne noſtris temporibus „ulla ruptura inter equeſtrem Ordinem ac civitates, ob novitiam illam ju-„ris adminiſtrandi rationem, eveniat. Proteſtantes nihilo ſecius, ſiquid „præter votum ratione novitatis hujus, ditioni noſtræ impoſterum acci-„derit, nos ejus cauſam haberi non debere, ac apud omnes ac ſingulos de „eo excuſatos eſſe velle: quum omnibus notum exploratumque ſit, regio-„nem hanc ab Ordine equeſtri hactenus detrimentum paſſam non eſſe. „Id quod vobis amice ſignificamus, petentes, ut ſcripto nos certiores fa-„ciatis, quid vobis hac in parte ex æquo & juſto faciendum arbitremini, „idque ad Satrapam Sallandiæ mittere velitis, ut & nos quomodo hac in „parte nos gerere oporteat non ignoremus. Deo O. M. vos commenda-„mus. Datæ in Nyerbrugge, ſub ſigillo Ioannis ab Haerſolte ex Sallandia, „Gualteri a Coverden è Tubantia, Rodolphi ab Oosterwolde è Vollen-„hoviâ, XI Auguſti die, Anno CIↃIↃLXI.

Cum diu hæc inter duos ditionis Tranſiſalaniæ Ordines contentio du-raſſet, multis ſuper ea habitis conventibus, tandem in frequentibus comi-tiis res amice compoſita fuit in hunc modum:

„ Siquando octo delegati trium civitatum, omnes inter ſeſe ejuſdem „ſint opinionis ac uoti, adverſus omnes equeſtris Ordinis eidem inter ſeſe

„concordes, litem voto Principis ejuſdemve Præfecti diremtum iri. Sin „unus aut alter à majori parte diſcrepet, plura ſuffragia prævalitura.

Hoc anno Carolus Gallus, Paſtor Eccleſiæ Daventrienſis, turbata ea per Pontiſiciorum furores, a Clivenſium Duce Wilhelmo Hammonam evocatus fuit. de quo plura dicentur ad annum cIↃIↃLXXXVII.

Anno cIↃIↃLXII. XVII Januarii die, delegàti trium civitatum Daventriæ convenerunt. videlicet, è Daventrienſibus Io. a Dőtichem, Arnoldus ab Oldeniel, Gerardus a Nirte,& M. Lubbertus à Winſem. è Campenſibus Henricus Wolfs, Arnoldus a Bocop. è Zwollanis Wolphgangus ab Itterſum, Ioannes ab Haerſt; ubi inter alia de novis Epiſcopis actum fuit, neque aliud de iis judicatum, quam futuros eos inquiſitores hæreticæ pravitatis, ac proinde ditioni Tranſiſalanæ ſupra modum noxios, ejuſque privilegiis adverſos. unde re mature deliberata, concluſerunt, ac ſibi invicem fidem dederunt (Daventrienſibus præcipue, apud quos futurum erat ut Epiſcopus reſideret, hoc negocium urgentibus) velle ſe omni opera impedire, ne is in novæ hujus dignitatis poſſeſſionem reciperetur.

Anno cIↃIↃLXIII. XXVII Januarii delegati trium civitatum in cœnobio Windeſemenſi congregati fuerunt, ubi delegati Capituli S. Mariæ eodem die queribundi expoſuerunt, agricolas ſuos in Tubantia adverſus jus & æquum ac vetuſtam conſuetudinem a Cancellario & Conſiliariis gravari vehendis lignis è Tubantia uſque ad Regiæ Majeſtatis propugnaculum quoddam, rogantes ut id abrogari poſſet, ipſique in avita ſua libertate permanere. Præter hos & alii adfuere, quiritantes dictos Cancellarium & Conſiliarios, adverſus jura ac patrias conſuetudines, Vicariatus aliaque beneficia ad ſe trahere, eaque aliis pro libitu elargiri. obſecrantes, ut Ordinibus placeret huic negocio ita proſpicere, ut ejuſcemodi novitas quamprimum poſſet aboleri.

Graviter hæc tulerunt civitatum delegati, ut qui in aula obtinuiſſent, ne Cancellario ac Conſiliariis in regione Tranſiſalana ullum jus jubendi aut vetandi permitteretur, antequam ipſi cum Commiſſariis Regiæ Majeſtatis ſuper quibuſdam articulis conveniſſent. quique cenſerent, novitates haſce a Cancellario ac Conſiliariis tentatas, privilegiis ſuis & avitis conſuetudinibus repugnare, ut & tractatui in quem Cæſ. Majeſt. Anno cIↃIↃXXVII. libere conſenſerat, quum ſeſe ei ſubmitterent; quem tractatum Regia Majeſtas confirmarat, unde perperam juriſdictionem in ea regione ſibi arrogent, ubi ea ipſis nullatenus competat &c. quæ in aula Anno cIↃIↃLVI. per delegatos ſuos prolixè demonſtrarant. Quorum partem hic referam, ut liquido appareat, qua fide ac diligentia Ordines Tranſiſalaniæ ſua privilegia defenderint, nec non, quo pacto juſtitia in eàdem ditione tum temporis fuerit adminiſtrata. verba commiſſionis (uti vocant) ita habent:

„Adhæc, delegati Ordinis equeſtris ac civitatum Tranſiſalaniæ, repræ„ſentantium illius ditionis Ordines, Regiæ Majeſtati obſequenter indicabunt,

„ac

,,ac ut ei, tanquam Principi ſuo hæreditario ſequentem relationem clemen-
,,ter intelligere placeat rogabunt: eo fine ut appareat, Cancellario & Conſi-
,,liariis jam recens conſtitutis, in qualitate quam adhuc gerunt, in Tranſiſala-
,,nos nullam permitti oportere juriſdictionem, præſuppoſito, iiſdem Tranſi-
,,ſalanis ea ſervanda eſſe promiſſa quæ iis tam in Tractatu quam alias con-
,,ſtat eſſe facta. Certum ergo eſt, ab omni antiquitate, temporibus præce-
,,dentium Ultrajecti Epiſcoporum, item Anni cIↄ Iↄ xxvII. quo ſe Tranſi-
,,ſalani libere ſubmiſerunt Cæſ. Majeſt. primo ſuo Domino hæreditario,
,,abhinc annis fere xxx. uſque ad diem hodiernum, Conſiliarios Principum
,,nullam unquam juriſdictionem, aut jubendi, vetandive poteſtatem in ditio-
,,nem ac ſubditos Tranſiſalaniæ habuiſſe: neq; unquam in ullis archivis ſcri-
,,ptiſve tale quid viſum, lectum, auditumve fuiſſe. unde novum, magni mo-
,,menti, ac intolerandum onus eſt, novum tribunal, novos judices, novam
,,juriſdictionem invehi, ad enervationem & infractionem omnium reliqua-
,,rum juriſdictionum, tribunalium, jurium municipalium, urbanorum,
,,conſuetudinum ac uſuum in Tranſiſalania ſancitorum ac confirmatorum,
,,ut ſupra indicatum eſt.

,, Ab ultima quoque vetuſtate in Tranſiſalania tam Eccleſiaſticus quam ſe-
,,cularis ordo ſtata ſua tribunalia habent, & ſtatos judices apud quos con-
,,veniri eos oportet, nec uſpiam alibi. prout in veteri jure municipali no-
,,toriè apparet.

,, Quapropter, ut hiſce juribus & legitime ad nos deductis conſuetudi-
,,nibus hæreditario inhærere nobis liceret, neve novæ juriſdictiones, tribu-
,,nalia judiceſve deinceps in regionem Tranſiſalanam inveherentnr, in
,,primo Tractatus articulo, ac ante omnia conventum fuit, ut Cæſarea Maje-
,,ſtas, ejuſq; ſucceſſores & hæredes, (qualis impræſentiarum eſt Regia Maje-
,,ſtas, Clementiſſ. noſter Dominus) Ordini equeſtri ac civitatibus Tranſi-
,,ſalaniæ non ſolum ea continuent, verum conſervent eos in omnibus ſuis
,,juribus municipalibus, urbanis, feudalibus, aggerariis &c. Primum hunc
,,articulum alter excipit: ut unuſquiſque coram competenti judice conve-
,,niatur ac judiciò ſiſtatur, & nuſquam alibi. id quod intelligendum eſt de
,,iis judicibus qui antiquitus fuere, tempore Tractatus adhuc erant, & etiam-
,,num ſunt. Neque ullo modo intelligi poteſt aut debet de Cancellario &
,,Conſiliariis, recens adverſus avitas ac laudabiles conſuetudines invectis.
,,quum eo tantum nomine articulus hic Tractatui inſertus, in eumque con-
,,ſenſum ſit, quo juribus antiquitus receptis nulla fraus fieret, & quilibet iis
,,judiciis, ac non aliis ſubeſſet, ſub quibus domicilium fixiſſet, neque alio vo-
,,cari, ad cauſam dicendam poſſet. idq; diſertis his verbis exprimitur: *& nuſ-*
,,*quam alibi.* per quæ incolas Tranſiſalaniæ exemtos eſſe oporteret a dictę juriſ-
,,dictione Cancellarii & Conſiliariorum, ac ab omnibus aliis judicibus & tri-
,,bunalibus. quod ſi omnino contigerit ſubditorum Tranſiſalaniæ quempiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„citari aut evocari (quod ob rationes recenſitas fieri non debet) coram „Cancellario & Conſiliariis, licitum erit reo forum declinare, vi inſti„tuti, & ſigillo ac juramento ſanciti tractatus, ac dicere: ſubſum Prætori „meo, vi juris municipalis, & appellationis cauſa Regiæ juriſdictioni „Principis mei, equeſtri Ordini ac civitatibus Tranſiſalaniæ. aut vero: „ſubſum juriſdictioni Conſulum meorum. ſic imaginaria juriſdictio Can„cellarii & Conſiliariorum, vigore Tractatus, ceſſaret, ex qua nihil aliud „poſſet emergere, quam ſubditorum per inutiles ſumtus vexatio ac atte„nuatio.

„Equites qui extra urbes ruri commorantur, juriſdictionem habent ſub „Principe, Equeſtri Ordine ac civitatibus, in ſuæ conditionis homines „atque etiam ruſticam plebem, tanquam tribunal inferius, à quo datur ap„pellatio ad comitia judiciaria. ubi, Ordine equeſtri & civitatum dele„gatis in idem ſuffragium conſentientibus, ſententia ab Ordine equeſtri ac „civitatibus, præſente Principe, pronunciata tranſit in rem judicatam: „ſin, ob rei difficultatem, hi ab illis diſſenſerint, cui parti Princeps acceſ„ſerit, penes eam ſtat ſententia. atque hic procedendi modus jure muni„cipali, avitis conſuetudinibus, poſſeſſionibus ac uſibus confirmatus eſt. „Hujus articuli vigore equites ac nobiles in Tranſiſalania cum ſuis uxori„bus ordinarium agnoſcunt judicem, apud quem conveniri debent, ac nuſ„quam alibi, prout Tractatu ac veteri poſſeſſione continetur.

„Cives dictarum civitatum, judicem ordinarium habent proprium Con„ſulem, neque alium quemquam, neque proinde alio ad cauſam dicendam „debent vocari. Coſs. minorum civitatum, poſtquam ſententiam pronun„ciarunt, ejus partis quæ ſe gravatam arbitratur eſt provocatio ad unam è „tribus civitatibus primariis, ad quam antiquitus appellationem inſtituere „conſueverunt. quicquid autem eum in modum à tribus civitatibus pronun„ciatur, tranſit in rem judicatam, neque alio judice indiget, nec ad aliud „tribunal transferri poteſt.

„Agricolæ ruri habitantes, per ſingulas parœcias ordinarios ſuos habent „judices, apud quos ex jure municipali tanquam apud tribunal inferius, ne„que uſpiam alibi conveniri debent. Quod ſi alterutra pars coram tribunali „inferiore ſe gravatam putat, licet ei appellare ab ordinario ſuo judice „ad comitia judiciaria. quicquid autem ibi à Principe, equeſtri Ordine „ac civitatibus, modo ſupra expoſito, judicatum fuerit, valere, nec alio „traduci debet.

„Subditi Eccleſiaſtici Sallandiæ ſubſunt judici ſuo ordinario, præpoſito „ac Archidiacono Daventrienſi: Tubantiæ, præpoſito ac Archidiacono Al„denzalenſi: Vollenhoviæ, plerique Præpoſito ac Archidiacono S. Martini, „Ultrajecti. coram quibus reſpective conveniri debent.

„Cauſæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Cauſæ feudales ac homines feudi, ordinarium ſuum judicem habent, „quiſque Dominum feudi ſui & pares curiæ.

„ Similis ratio eſt juris villarum, cenſuum, reſpectu Dominorum ac „parium cenſualium.

„ Item juris ſaltuum ac limitum, reſpectu judicum ordinariorum, à qui„bus cauſæ ejus cognoſci ac decidi debent, omnibus aliis judicibus ex„cluſis.

„ Unde luce clarius eſt, nullam perſonam ſubditumve, nullam cauſam, „caſum nullum eſſe aut evenire poſſe, cui non ordinarius ac legitimus ju„dex conſtitutus ſit, coram quo diſceptari ac judicari debeat, & nuſquam „alibi. Unde ſuperfluum ac minime neceſſarium eſt, ac inſuper oneroſum „nec ullo modo tolerandum, novam juriſdictionem erigi, vel novos incon„ſuetos judices recipi, idque ob rationes ſequentes:

„ Si Cancellarius ac Conſiliarii in Tranſiſalania juriſdictionem ſecularem „habere ac exercere aggredientur, eam eos uſurpare oportet in Ordinem „equeſtrem, in cives civitatum, in agricolas ruri commorantes. neque enim „alii ſubditi ſeculares Tranſiſalanam ditionem incolunt:

„ Si juriſdictionem & poteſtatem jubendi ac vetandi in Ordinem eque„ſtrem uſurpare velint, id adverſabitur juri municipali. perſonæ enim eque„ſtris Ordinis, judices agnoſcunt Principem, Ordinem equeſtrem, ac ci„vitates conjunctim, ut ſupra, neque quenquam alium. unde ad alium in „Tranſiſalania judicem, juxta jus municipale, avitam conſuetudinem, & „Tractatum eos oportet evocari. Quod ſi Cancellarius & Conſiliarii, qui „ex jure municipali ordinarii judices non ſunt, in tales juriſdictionem „ſibi arrogaturi ſunt, oportebit equeſtris Ordinis perſonas propriam ac na„tivam juriſdictionem deſerere, ſeque Cancellario & Conſiliariis, judici„bus non ſuis, ſubmittere. quod ipſis ſupra modum oneroſum, ac penitus „factu impoſſibile eſt, propria videlicet juriſdictione, libertate ac jure ſeſe „deprivare, in ſuum, & ſuorum hæredum ac ſucceſſorum grave præjudi„cium. quin & tribus civitatibus ante dictis hoc pacto fit injuria, quæ cum „Principe & equeſtri Ordine conjunctim in perſonas equeſtres judiciariam, „eo quo dictum eſt modo, auctoritatem habent:

„ Sin Cancellarius & Conſiliarii in cives ac incolas civitatum ſibi juriſ„dictionem ſumant, id directe adverſabitur juri urbano, articulo Tracta„tus, & vetuſtis ac rite ad nos devolutis conſuetudinibus. Ac verum eſt, „præcedentes noſtros Principes Epiſcopos Ultrajectinos eorumque Conſi„liarios, nunquam vel ſumſiſſe ſibi vel expetiiſſe juriſdictionem in civita„tum incolas, ſed earum cives ſemper judices agnoviſſe & etiamnum „agnoſcere Coſſ. ſuos, neque ullos alios. cujus rei contrarium nunquam vi„ſum, auditum, aut ullis ſcripturarum munimentis comprobatum fuit. quam

„juriſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,juriſdictionem civitatum Rectores legitime ad ſe derivatam, & deceſſores ,,eorum temporibus præteritis, & ipſi uſque in hodiernam diem tranquille ,,ac pacifice, abſque ulla Principis ſui contradictione poſſederunt ac exer- ,,cuerunt, neque ſtatuerunt vel minimum ab ea remittere, quo ea ulla ex ,,parte infirmaretur.

,,Si porro Cancellarius & Conſiliarii vellent uſurpare ac exercere juriſ- ,,dictionem in agricolas ruri agentes, & hoc militaret adverſus jus munici- ,,pale, tractatum ſupra dictum, omnes avitas conſuetudines, cum agricolæ ,,in ſecularibus conveniendi ſint apud Prætorem ſuum, tanquam ordinarium ,,ſuum judicem, ſub quo domicilium fixerunt, neque prima inſtantia uſquam ,,alibi. ubi ſiqua pars ſe gravatam cenſet, appellationem interponere ei li- ,,cet ad comitia judiciaria, in quibus judicium competit Principi, equeſtri ,,Ordini, ac civitatibus conjunctim, eo qui ſupra explicatus eſt modo, ,,neque ad quenquam alium, ſecundum jus municipale.

,, Quin imo, ſi Cancellarius & Conſiliarii ejuſmodi jus ſibi in agricolas ,,ſumerent, vim facturi eſſent celſæ juſtitiæ, quæ Principi, equeſtri Or- ,,dini & civitatibus conjunctim, ut dictum eſt, convenit: id quod Ordini- ,,bus, eorum ſucceſſoribus ac hæredibus prorſus intolerandum eſt, avitam ,,videlicet ſuam juriſdictionem deſerere & in Cancellarium & Conſiliarios ,,aut alios quoſcunque transferre.

,, Ad hæc: quum Satrapæ & Officiarii, Prætores & pedanei judices num- ,,mos ſuos in diſtrictibus ſuis depoſuerint, pro quibus diſtrictus illi, judi- ,,cia, juriſdictiones circa inferius tribunal quodammodo ſunt oppignoratæ, ,,tranſlatis in Cancellarium & Conſiliarios ejuſmodi juriſdictionibus, id ,,perquam grave foret iiſdem Officiariis, Prætoribus ac Judicibus, qui ad ,,adminiſtrationem earundem juriſdictionum provecti ac juramento ob- ,,ſtricti ſunt, & nummos ſuos apud eaſdem depoſuerunt, quos neceſſe foret ,,ſubditos ſuos in quorum diſtrictibus nummi illi eſſent depoſiti, ad Can- ,,cellarium & Conſiliarios convenire, quorum tamen nulla circa jus muni- ,,cipale eſt juriſdictio.

,, Dominus quoque feudi, Dominus cenſus, Præfectus aggerum ejuſ- ,,que Aſſeſſores, judices ſaltuum ac limitum, in priſtina ſua juriſdictione ,,a Cancellario & Conſiliariis turbari ant in arctum cogi non debent, ob ,,multiplices rationes prædictas.

,,In omnibus hiſce recenſitis juribus municipalibus, urbanis, aggerariis, ,,cenſualibus, ac porro in quibuſvis aliis libertatibus, privilegiis, exemtio- ,,nibus, poſſeſſionibus, conſuetudinibus, majores noſtri, equeſtris Ordo ac ,,civitates, & omnes denique ſubditi regionis Tranſiſalanæ primum ſpiri- ,,tum hauſerunt, in iiſdem adoleverunt, iiſdem hactenus pacifice uſi ſunt. ,,in iiſdem Clementiſſ. noſter Dominus Cæſar Romanus eos accepit, ſe non

,,tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„tantum eaſdem iis deinceps conceſſurum, ſed etiam conſervaturum pro-
„miſit. prout Cæſarea Majeſtas hactenus obedientes ſubditos Tranſiſalaniæ
„iiſdem pacifice frui permiſit,eaſque tutatus eſt, quo nomine equeſtris Ordo
„ac civitates, Cæſ. Majeſtati immortales gratias agunt: obſecrantes Cle-
„mentiſſ. noſtrum Dominum Hiſpaniæ ac Angliæ Regem, Principem no-
„ſtrum hæreditarium, ut hujus ſuæ obſequentis petitionis rationem habeat,
„præſumtam recens juriſdictionem,jubendi ac vetandi poteſtatem Cancella-
„rio & Conſiliariis arrogatam,clementer aboleat,& ditionibus ac civitatibus
„Tranſiſalaniæ avitam ſuam libertatem, priſtinas poſſeſſiones ac conſue-
„tudines illibatas permittat, gratioſe defendat ac protegat, prout à Majeſt.
„Cæſarea, atque etiam ipſius, iiſdem ſubditis promiſſum fuit.

Ad hanc querelam Ordines Tranſiſalaniæ in aula ſequens accepere re-
ſponſum:

„Quandoquidem equeſtris Ordo ac civitates Tranſiſalaniæ per delega-
„tos ſuos conqueſti ſunt de commiſſione à Regia Majeſtate Cancellario
„Tranſiſalaniæ, Drentiæ, ac Lingæ, D. Ioanni Mepſe conceſſa, eo quod
„illa contineat clauſulam, de adminiſtrando jure & juſtitia,vigore plenariæ
„commiſſionis, juxta quam clauſulam idem Cancellarius & Conſiliarii præ-
„ſumſerint literas aliquas in dicta Tranſiſalaniæ regione emittere, per quas
„poteſtatem jubendi ac vetandi in ſubditos ejuſdem ditionis uſurparint, id
„quod illis videretur adverſari ſuis privilegiis, tractatui, rite ad ſe deriva-
„tis poſſeſſionibus & conſuetudinibus, rogantes ut ante inaugurationem &
„juramentum quod ab ipſis ratione ceſſionis à Cæſarea Majeſtate peractæ
„exigebatur, id abrogaretur, & Cancellario ac Conſiliariis injungeretur, ne
„ſe ordinariæ juriſdictioni regionis ac civitatum Tranſiſalaniæ immiſce-
„rent, neve in ſubditos earundem ullam exercerent poteſtatem, quo illis in
„avitis juribus, libertatibus, uſibus, & rite ad ſe derivatis conſuetudini-
„bus, juxta Tractatum inter Cæſ. ac Regiam Majeſt. & ipſos juramento
„ſancitum, liceret perſeverare:

„Majeſtas ſua, præhabita deliberatione cum conſilio ſuo, eiſdem dele-
„gatis declarari fecit; non fuiſſe mentem Regiæ Majeſtatis, cum Cancel-
„larium & Conſiliarios in dicta ditione Tranſiſalana inſtitueret, neque ad-
„huc eſſe, iis ullam poteſtatem, auctoritatem aut juriſdictionem conferre,
„per quam ordinaria juriſdictio, privilegia, libertates, uſus & conſue-
„tudines dictæ regionis ullo modo imminuerentur aut in anguſtum cogeren-
„tur, ſed eandem inſtitutionem Cancellarii & Conſiliariorum factam eſſe
„ad bonum & utilitatem dictæ regionis, & adjumentum Præfecti Regiæ
„Majeſt. ibidem, ac meliorem directionem negociorum ejuſdem regio-
„nis, quo Officiarii ac ſubditi ejuſdem abſente eodem Præfecto haberent
„penes ſe ad quos citra magnos ſumtus poſſent confugere:

,, Declarans inſuper: quandoquidem mediante inauguratione ab Ordi-
,,nibus Tranſiſalaniæ præſtanda, omnes commiſſiones Officiariorum ejuſ-
,,dem regionis, ac proinde etiam dicti Cancellarii & Conſiliariorum ex-
,,piraturæ ſint, nec amplius in eorum poteſtate futuræ, non collaturam
,,ſuam Majeſtatem Cancellario & Conſiliariis commiſſionem ullam novam,
,,donec ſua Majeſt. cum Ordinibus communicari fecerit certos articulos
,,adminiſtrationem conſuetudinum dictæ regiones ſpectantes; & inter ſuam
,,Majeſtatem ac ipſos convenerit, quibus in rebus ſua Majeſtas Cancellario
,,& Conſiliariis in dicta regione poterit uti, & quouſque ſe eorum aucto-
,,ritas extenſura ſit.

,, Declarans præterea, ejuſmodi continuationem quæ in ea regione pote-
,,rit fieri omnium commiſſionum Officiariorum veterum, uſque dum ſua
,,Majeſt. circa eos aliud ſtatuerit, non extenſuram ſe in cauſis Cancellarium
,,& Conſiliarios ſpectantibus, ad adminiſtrationem juſtitiæ cum annexis, in-
,,terdicens eis, ne ulla ex parte eam ſibi ſumant, donec, dicta communica-
,,tione ſuper hoc negocio cum Ordinibus habita, de re tota convenerit.

Operæ pretium judico, etiam ipſos articulos quorum aliquoties mentio facta eſt, quique delegatis ad Ordines perferendi fuerunt traditi, ut rem magnæ conſiderationis, hiſce inſerere. ſunt autem iſti:

,, Regia Majeſtas poſtquam curavit viſitari in Senatu apographum in-
,,ſtructionis & commiſſionis Ordinum Tranſiſalaniæ, quas tradiderunt dele-
,,gatis ſuis Ioanni Reyners ex Sallandia, Domino Bernardo de Bever,
,,commendatario Ootmarſenſi è Tubantia, Balduino Hagen è Vollenhovia,
,,Gerardo a Nirte nomine civitatis Daventrienſis, Egberto ten Buſſche
,,Campenſis, Mag. Henrico a Tiel Zwollanæ, ut eas ſuæ Majeſtati exhibe-
,,rent, datas VII Octob. CIƆIƆLVI. iiſdem delegatis declarari fecit, &
,,per præſentes declarat, mentem Cæſ. Majeſt. Domini ac Parentis ſui, in-
,,ſtituentis Cancellarium ac Conſiliarios in dicta regione Tranſiſalana, non
,,fuiſſe, ut nec eſt mens Regiæ Majeſtatis, iis ullam poteſtatem adhibendi
,,conferendive, qua privilegiis, ac juri municipali, urbano, aggerario,
,,aliiſve juribus aut rite ad illos derivatis conſuetudinibus ac uſibus dictæ
,,regionis derogaretur aut obex poneretur, ſed rem totam tetendiſſe ad me-
,,liorem directionem ac juvamen Officiariorum ſuæ Majeſt. in dictis regio-
,,nibus Tranſiſalaniæ, Drentiæ ac Lingæ, ea vel maxime ratione, quod
,,Comiti Arembergio earundem regionum Præfecto ob alia S. Majeſtatis ne-
,,gocia integrum non eſſet ibidem continuo reſidere, utque ea de cauſa,
,,dicti Cancellarius & Conſiliarii, præſenti Comiti aſſiſterent, eo autem
,,abſente incidentes cauſæ, & regionum negocia ab ipſis curarentur, &
,,Officiarii ac ſubditi ad ipſos, fungentes vice Præfecti, ac conſequenter
,,ſuæ Majeſtatis, recurrerent, prout ad Majeſtatem ſuam, ſi adeſſet, aut ad

„ſuæ Majeſt. Præfectum eſſent recurſuri, ad tranquillitatem, utilitatem & „ſumtuum levamen. denique ad juſtitiæ & politici Ordinis in iiſdem re- „gionibns conſervationem.

„ Nihilominus, quandoquidem Ordines Tranſiſalaniæ hac re ſe gravari „exiſtimant, exhibentes eo fine certos articulos, ut ſupra, quos ſua Majeſt. „non ſatis claros deprehendit, ad certi quid ſuper iis, abſque fuſiori infor- „matione, ſtatuendum, ea de cauſa ſua Majeſtas articulos ſequentes ſcripto „conſignari fecit, petens ab Ordinibus perſpicue magis ſuper iis edoceri, „ut, re tota mature deliberata, Ordinibus æquum ac commodum reſponſum „dare poſſit, quo ipſis privilegia ſua, libertates, conſuetudines, & Majeſtati „ſuæ celſitudo ſua, auctoritas, juriſdictio & regalia, tanquam regionis „Principi ſalva eſſe poſſint.

„ 1. Primo, quandoquidem intelligitur, varia comitia judiciaria in „Tranſiſalania eſſe ac celebrari, petit ſua Majeſtas fuſiorem eorum decla- „rationem ac ſpecificationem ſibi exhiberi, nominatim, an non in rege- „ſtis judicialibus tempore Epiſcoporum Ultrajectinorum factis reperiatur, „Conſiliarios Epiſcopi in nonnullis frequentioribus comitiis una cum „equeſtri Ordine ac civitatibus calculum poſuiſſe, non minus quam reli- „quos. quod & conforme eſt diplomati Epiſcopi Florentii, Daventrienſi- „bus ſuper negocio comitiorum judicialium tranſmiſſi VII Julii Anno „CIↃCCCLXXXV. Prout & in omnibus comitiis ad Principis dominia „pertinentibus dicti Conſiliarii ſoli cum nonnullis Aſſeſſoribus cauſas co- „gnoverunt & ſententiam pronunciarunt. cupitque ſua Majeſtas, quantum „ad hoc, celſitudinem ſuam ſibi inviolatam conſervari.

„ 2. Item, quandoquidem Præfecto ſolenne eſt præſidere in comitiis „judiciariis, neque, ob alia Majeſtatis ſuæ negocia, ei integrum eſt in Tranſi- „ſalania commorari, atque etiam, durantibus comitiis, ea occurrere poſ- „ſent, quæ niſi illius ope tranſigi nequirent, annon regioni utile ac optabile „foret, ac juſtitiæ ſtabiliendæ, minuendis vero ſubditorum querelis, qui- „bus inde intolerabile oritur damnum, quod ea comitia non celebrantur „ſtatis temporibus, Præfectum in tali caſu alium virum idoneum, ſive is „eſſet Cancellarius, ſive alius quiſpiam, in ſuum locum ſurrogare poſſe, „quo ſaltem quotannis bis ea comitia recurrerent?

„ 3. An cenſeant, vota totius equeſtris Ordinis, numero XX. aut XXX. „quot in comitiis illis comparent, inter ſeſe conſentientia, nihilo plus valere „oportere, quam conſentanea vota delegatorum è civitatibus numero dun- „taxat VIII. aut VI. ſi ab illis diſſentiant? an diſcordantibus nonnullis, re- „liqui pro Ordine alterutro calculum poſuiſſe cenſendi erunt, ita ut Prin- „ceps ejuſve Præfectus alterutri parti accedens litem dirimat? an vero ſuf- „fragia per capita numerari præſtaret?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, 4. Item, an Comitia judiciaria cognoſcant de cauſis criminalibus, quæ ,,corporis aut membri detrimentum important? aut vero, ad quem ſpectet ,,illa cognitio?

,, 5 Item, cui conveniat cognitio in crimine læſæ Majeſtatis divinæ & ,,humanæ, ſeditione, ac ſimilibus?

,, 6. Ad quem pertineat judicium, de obſervandis Cæſ. Majeſt. diplo- ,,matis, quibus cavetur, ne qui ſectarii, Apoſtatæ & Monachi excucullati ,,in regione commorari, domibus aut hoſpitiis excipi permittantur, aut ,,ſiqui diſpenſationem obtinuerint, nullos paſtoratus aliave beneficia con- ,,cedantur adminiſtrare?

,, 7. Siquis in ipſum corpus regionis actionem haberet, ſive æris alieni ,,cauſa, ſive qua alia, quonam corpus illud evocandum ſit, & per cujuſnam ,,citationem?

,, 8. Similiter de controverſiis adverſus Ordinem equeſtrem ſeorſim?

,, 9. Contra corpus civitatum?

,, 10. Contra civitates minores?

,, 11. Item, ſi quis judicio Satraparum, Prætorum, Officiariorum gra- ,,vatus foret, ubinam ei querela inſtituenda, & quis correctionis eorun- ,,dem jus haberet?

,, 12. Si Satrapæ aut Officiarii militarem manum conſcribere cogitarent, ,,aut re ipſa conſcriberent? ſi milites Imperio ſolutos? ſi cingaros, vaga- ,,bundos, alioſve maleficos, aut ſectarios protegerent, aut per diſſimula- ,,tionem tolerarent, penes quem eſſet, ei rei providere, aut ita delinquen- ,,tes corrigere?

,, 13. Si contingeret Officiarios, penes quos eſt maleficos compeſcere, ,,ea in parte negligentes deprehendi, ac per annum & quod excurrit delicta ,,manere impunita, an non in eo caſu expediret, & regioni utile eſſet, à ,,Præfecto delinquentes coërceri?

,, 14. Item, ſiquis vi facultatibus ſuis exuatur, aut alioqui ſpolietur, pe- ,,nes quem ſit de tali facinore cognoſcere, & violentum invaſorem ad reſti- ,,tutionem adigere?

,, 15. Similiter, in perturbatione poſſeſſionis, ac ſimilibus cauſis moræ ,,impatientibus, ob notabile periculum partium, ne defectu promtæ provi- ,,ſionis ad arma perveniatur?

,, 16. Item, an ſit provocatio à judiciis limitum ac ſaltuum, & ad quem?

,, 17. Si judex limitum aut ſaltuum à diſtrictu officii ſui abeſſet, ubinam ,,is conveniendus eſſet?

,, 18. Penes quem ſit judicare de poſſeſſione beneficiorum?

,, 19. Cenſeantne, illicitum eſſe Præfecto abſenti, Cancellario & Con- ,,ſiliariis permittere, ut, actore id flagitante, partem adverſam coram ,,ſeſe

„ſeſe citent, ad litem quæ inter eos eſt cognoſcendam, amice, ſi poſſit „fieri, componendam, ſin hoc fieri nequeat, ad judices remittendam, „ita tamen ut neminem cogant invitum coram ſe comparere, utque unicui-„que qui nolit cauſam ſuam ita tranſigi, liceat id ſcripto recuſare, & ad jus „municipale eam referre ?

„ 20. Adhæc, penes quem cenſeant eſſe cognitionem in quæſtione de li-„mitibus, dominiis, juriſdictione, inter Officiarios, tribunalia, aut regionis „Comitia ?

„ 21. Penes quem futura ſit cognitio interventionum, remiſſionum ſive „veniarum ? quum utiliſſimum ſane futurum ſit, ad maleficiorum extirpa-„tionem, indagari, an ejuſmodi ſibi factam gratiam, cauſa ſua vel bona vel „mala fide enarrata, rite an ſecus obtinuerint ?

Atque hi quidem ſunt articuli ſuper quibus collatio cum Ordinibus inſti-tuenda erat. quod cum factum nondum eſſet, & nihilominus Cancellarius & Conſiliarii uſurpationes ſuas inſtaurarent, ægre id Ordines tulerunt, ac Comitia totius regionis ſuper eo negocio cenſuerunt conſulenda. ſcriptum ergo Satrapæ Sallandiæ, ut equeſtrem Ordinem ac civitates ante d. 1. April. Daventriam convocaret. quod & factum.

Kalend. Apr. Ordines Tranſiſalaniæ ad convocationem nomine trium ci-vitatum factam Daventriæ convenerunt. ubi trium civitatum delegati Or-dini equeſtri ea quibus à Cancellario & Conſiliariis regio gravaretur expo-ſuerunt. eos judices plura ſibi ſumere, ſubditos regionis Tranſiſalanæ man-datis ac interdictis, adverſus reſponſa aulæ onerare. Tubantiæ agricolas illos qui Prælatis Ultrajectinis inſerviunt, eo adigere, ut trabes è Tubantia alia-que ligna, ad munitionem Gennemudanam eveherent, id quod conſuetu-dini ad ſeſe antiquitus derivatæ adverſaretur.

Poſt hæc Decanus S. Petri Ultrajectenſis, Utenengus nomine, coram Ordinibus comparuit, ac de Cancellario & Conſiliariis multa queſtus eſt, qui colonos ſuos, eo quo dictum eſt modo ſibi ſubjicerent, quod nec factum unquam, nec conſuetum eſſet.

Ordines Tranſiſalaniæ, diſceptatis diligenter hiſce querimoniis, ſummo conſenſu judicarunt hæc minime eſſe toleranda, ſed delegatos ſuos ad aulam ſuper hoc negocio denuo mittendos. quam ad rem ſelegerunt ex Sallandia Ioannem Reyners, ex Tubantia Adolphum a Twickelo, ex Vollenhovia Balduinum Hagen; Daventrienſium nomine Lubbertum a Winſem: Cam-penſium, Arnoldum a Bocop: Zwollanorum, Wolfgangum ab Itterſum. Querelam autem ſcripto conſignari curarunt, quam delegatis tradiderunt, quibus ea omnia continebantur, per quæ à Cancellario ac Conſiliariis ſeſe gravari aſſerebant.

Delegati, ut Bruxellam appulerunt, continuo Comitem Arembergium,

quem ibi commodum offendebant, adiere, quæcunque in mandatis habebant ei tum viva voce tum de ſcripto quod acceperant, expoſuere, una cum literis ad Duciſſam Parmenſem, & reſponſo quod in aula antehac impetrarant, rogantes, hac in parte ope & conſilio ſibi adeſſet, & apud gubernatricem, ut abuſus illi abolerentur, ſecum deprecaretur.

Poſtea Duciſſa Parmenſis delegatis Ordinum Tranſiſalaniæ in aula, præſentibus Cardinali Granvellano & Præſide Viglio Zuichemo, audientiam conceſſit, qui inſtructionem ſuam obſignatam Parmenſi tradiderunt, quam cum illa viſitaſſet, ad Comitem Arembergium & Conſiliarium Corbeil ſe conferre juſſi ſunt.

Ubi poſtquam comparuerunt; quam acerrime de commiſſione Cancellarii ac Conſiliariorum diſputatum fuit, atque ea quibus ſe gravari conquerebantur fuſe enarrata cum omnibus circumſtantiis.

Ad quæ dicti Domini repoſuerunt, Regiæ Majeſt. mentem eſſe Tractatui inhærere, ut & reſponſo dato Bruxellæ Anno CIↃIↃLVI, ideoque commiſſionem Cancellarii Balduini a Roon immutaſſe, omiſſa ex ea clauſula de legibus, juribus, ac juſtitia adminiſtranda, quæ clauſula præcedenti commiſſioni Mag. Ludolphi ab Hattem, & Mepſchii inſerta fuerat, ac petere inſuper ſigillatim quoad reliqua edoceri, ut Cancellarius ſuper iis audiri poſſet, eique ea quæ exhibita querela continebantur exponi. Reſponderunt delegati, ſibi de ſublata clauſula nihil conſtare, eo quod dictus Cancellarius commiſſionem ſuam iis non exhibuiſſet, neque ipſi eam ſibi exhiberi flagitaſſent, quandoquidem promiſſum ipſis fuerat Cancellario & Conſiliariis commiſſionem nullam datum iri, donec ſuper articulis nonnullis cum Ordinibus conventum foret.

Poſt hæc, commiſſio Balduini a Roon prælecta fuit, è qua articulus ſive clauſula de jure & juſtitia adminiſtranda prætermiſſa erat, neque eum alio fine receptum fuiſſe ſignificabatur, quam, ut abſente Præfecto incolæ & Officiarii ſine ſumtibus poſſent juvari. Omnia porro longe lateque fuerunt diſceptata, & de privilegiis, tribunalibus, juriſdictionibus actum. inter alia, non eſſe penes Præfectum quenquam apprehendere vel cuſtodiæ mandare. quo audito Comes Arembergius, veriſſimum hoc, inquit, eſt. Non licet mihi in illa ditione cuiquam manus injicere. ad quæ Conſiliarius Corbeil, quæ, malum, inquit, ſunt iſta privilegia! (*Wat duyvels privilegien zijn dat!*) Quibus dictis, delegatis articulos ſupra deſcriptos prælegit, utque ſuper eos ſecum tranſigerent petiit, qui ſe id in mandatis habere negarunt, velle autem in omnibus ſeſe gerere ut antiquitus eſſet conſuetum. ad quæ repoſuit Corbeil, antiquis conſuetudinibus cereos naſos eſſe, ideoque ſummopere neceſſarium ut tranſigerent. reſponſum à delegatis ut ante, ſe nihil tale in mandatis habere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

XIV Maji die, delegati Tranſiſalaniæ reſponſum cum quo dimittebantur à Duciſſa Parmenſi acceperunt, erat autem tale:

Duciſſæ (ut & ipſius Regis) mentem eſſe, privilegia, Tractatus, reſponſa à ſua Majeſt. conceſſa ac ſtabilita in omnibus ſervanda inviolata. nec percipere poſſe, quicquam commiſſione Cancellario data, iis adverſum contineri, poſtquam in ea omiſſa ac permutata ſint verba, quibus ſe antehac gravari Ordines cenſuerunt. quo facto ſuam Majeſt. poteſtatem juſtitiam in Tranſiſalania adminiſtrandi ei continuare noluiſſe, ut neque commiſſionem præcedentibus ſimilem renovare, donec ſuper articulis hanc materiam concernentibus cum Tranſiſalaniæ Ordinibus fuiſſet conventum. Quod impletum fuiſſe, cum dicto Cancellario commiſſio ſua tradita fuit, quæ tantummodo contineat ea quæ ad Conſiliarium quempiam Principis pertineant &c. Non illicitum eſſe Principi, unum quempiam è Conſiliariis ſuis Cancellarii appellatione inſignire. Celſitudinem ſuam Comiti Arembergio injunxiſſe, ut dictum Cancellarium & Conſiliarios ejus, ſuper querimoniis Ordinum audiret, & cum hiſce, ſuper notis articulis tranſigeret, de quo poſtquam ſua celſitudo certior facta fuerit, eam de tota re decreturam ex æquo & bono, eum in modum quem Ordinibus non diſpliciturum confidat.

Anno CIƆIƆLXIV. In Friſia Leovardienſes & Groningenſes, in Gelria Ruremundani, in Tranſiſalania Daventrienſes monentur ut recipiant Epiſcopos ſuos, ſed in negatione perſiſtunt. *Meteran. Hiſt. lib.* 2.

Anno CIƆIƆLXV. obiit Præpoſitus Daventrienſis Io. Voerthuſius, continuatus autem fuit in ſuo officio à Decano & Capitulo S. Lebuini, Arnoldus Doirs, Canonicus ejuſdem Eccleſiæ, defuncti præpoſiti in ſpiritualibus ac ſecularibus Vicarius generalis. ut in Actis Præpoſituræ feudalibus reperitur.

Occaſione deceſſus hujus præpoſiti, Comes Arembergius Uniconi Ripperda, Sallandiæ, & Euſebio Bentinck Iſſelmudæ Satrapis, datis ad eos literis, Regiæ Majeſt. nomine mandavit, ut in ſuis Satrapiis, omnes reditus ac facultates, ad Præpoſituram Daventrienſem pertinentes ſequeſtrarent, neque cuiquam earum collectionem permitterent, præter illos quibus ipſe per patentes literas ejus rei poteſtatem feciſſet. Talem enim eſſe voluntatem ac placitum Regiæ Majeſt. idque vigore Bullæ Pontificiæ, qua ipſe Pontifex dictam Præpoſituram Daventrienſem uſibus novi Epiſcopi deſtinarat.

Dicti Satrapæ mandato Præfecti paruerunt, ac omnia jam nominata bona ſequeſtrarunt.

Super qua re equeſtris Ordo ac civitates Comitia generalia convocarunt, ubi multa ac varia diſceptatio fuit de novis Epiſcopis, omnes autem in hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

hoc conſenſere, Tranſiſalanæ ditioni ejuſcemodi novi Epiſcopi admiſſionem ſummopere oneroſam fore.

Eodem die comparuerunt delegati Capituli Eccleſiæ Cathedralis S. Lebuini Daventrienſis, & graviter conqueſti ſunt de ſequeſtratione facultatum Præpoſituræ, eam juri municipali Tranſiſalaniæ repugnare aſſerentes, ac nomine dicti Capituli ab Ordinibus flagitantes, ut ea abrogaretur: nulla interim mentione facta novi Epiſcopi.

Ordo equeſtris, & trium majorum civitatum delegati, quæſiverunt è delegatis Capituli, ſi contingeret Regiam Majeſtat. in civitate hac novum Epiſcopum conſtituere, num eum in poſſeſſionem admittere parati forent? reſponderunt delegati, nullius ſe novitatis auctores eſſe velle. Porro de re ipſa nihil ulterius tum concluſum fuit, niſi de ea amplius deliberandum, ac interim, ſiquid novi tentaret Epiſcopus, monendum illum, ut de eo ſuperſederet, donec ab Ordinibus finaliter de toto negocio fuiſſet decretum.

Ordines Tranſiſalaniæ in hoc negocio admodum ſolliciti fuere, itaque avidi erant cognoſcere quo pacto ſe in ea urbes ac regiones vicinæ ſtatuiſſent gerere. Viſumque, Daventrienſibus delegatos ſuos Zutphaniam mittendos, qui in qua ſententia Gelriæ regiones eſſent, ſciſcitarentur, quod & factum. Campenſibus vero & Zwollanis ſuos in Drentiam ablegandos, qui quid Groningenſibus animi eſſet indagarent. quo fine Campentes quidem Arnoldum a Bocop, & Conradum a Vechta, Zwollani autem Wolfgangum ab Itterſum, & Ioannem ab Haerſt Beilam miſerunt, quo ut ſibi occurrerent Groninganos rogarant, qui & ibidem comparuere. Delegati Campenſes prolixe recenſuerunt, quid ſibi à novo Epiſcopo Daventrienſi contigiſſet, petentes, ut ratione habita avitæ conjunctionis, quid & ſibi circa idem negocium obtigiſſet, quidve in eo ſibi faciendum putarent, ſeſe certiores facere ne gravarentur. Reſponderunt Groningani per Syndicum ſuum, nihil ſibi de ea re certi compertum eſſe, licet ad ſe advolaſſet rumor, nec Groninganæ civitati, nec Gelris, nec Tranſiſalanis mentem eſſe novos Epiſcopos recipiendi.

XV Octob. die, Comitia Ordinum Tranſiſalaniæ iterum Daventriæ coacta fuere, ubi de cauſa novi Epiſcopi amplius deliberatum. Sex autem ex eis delecti, qui ſeſe conferrent ad domum Capitularem, ac à Decano & Capitulo finale reſponſum poſtularent, quid tandem de recipiendo novo Epiſcopo ſibi animi eſſet. Sumto conſilio Capitulum Decanum Doys, cum aliis quatuor Canonicis in curiam, ad Conventum Ordinum ablegavit, ubi iidem moniti, ut reſponſo peremtorio, Ordines certiores facerent, num Capituli mens eſſet novum Epiſcopum recipere, eundemque Epiſcopali poſſeſſioni immittere, ac approbare? reſponderunt diſerte, Canonicos & Capitulum quantum in ſe eſſet novi Epiſcopi admiſſioni reſtituros, neque ejus introductionem permiſſuros, niſi mature Ordines ea de re ſcripto monuiſſent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Si tamen eo nomine cenſuris, evocationibus, aliiſve modis eos contingeret vexari, petere Decanum ac Capitulum Daventrienſe ab Equeſtri Ordine ac civitatibus Tranſiſalaniæ auxilium ac ſuppetias. ad quam petitionem Ordines repoſuerunt, nullam ea in re nec moram nec defectum fore.

Hiſce peractis Ordines ad Præfectum ſuum Arembergi Comitem ſcripſere, quo pacto Decanus & Capitulum Daventrienſe, ab ſeſe ſupplici exhibito libello flagitaſſent, ut ſequeſtratio facultatum Præpoſituræ Daventrienſis abrogaretur, utpote adverſa juri municipali Tranſiſalaniæ, licet eas Pontifex per Bullam ſuam Epiſcopis Daventrienſibus aſſignaſſet, & Regiæ quoque Majeſt. ſeria voluntas eſſet, ut ea Bulla in omnibus ſuis punctis & articulis plenariam poteſtatem ac auctoritatem ſortiretur. Quod ipſum ſi executioni mandaretur, id avitæ conſuetudini, nec non privilegiis regionis ac civitatum Tranſiſalaniæ inimicum fore, neque adeo fieri poſſe citra magnum motum ac perturbationem bonorum ſubditorum regionis Tranſiſalanæ, & repugnaturum Tractatui inter Cæſ. Majeſt. & regionem Tranſiſal. ſtabilito. rogantes Clem. ſuam, uti apud Duciſſam Parmenſem ſuo nomine deprecari vellet, ut ejuſcemodi inſtitutio novi Epiſcopi omitteretur &c. datæ erant literæ Daventriæ XV Octob. Anno cIↃIↃLXV.

Hoc anno gymnaſio Daventrienſi præerat Gerardus Rovenius. dictavit is diſcipulis ſuis *Præcipua totius Dialecticæ doctrinæ præcepta, brevibus quibuſdam, & ad popularem captum accommodatis demonſtrationibus obiter illuſtrata.* quorum exemplar MS. penes me eſt.

Anno cIↃIↃLXVI. Duciſſa Parmenſis injungit Ioanni de Brueſſe Canonico Ultrajectino, ut reditus Præpoſituræ Daventrienſis recipiat, & ad uſus novi Epiſcopi convertat. unde conſecutum eſt, ut Capitulum Daventrienſe, omnibus ſuis magnificis promiſſis inſuper habitis, Epiſcopum poſſeſſioni Præpoſituræ Daventrienſi immiſerit.

Duciſſa repetitis literis uſquequaque divulgavit, voluntatem Regiæ Majeſtatis certam ac conſtantem eſſe, ut novi Epiſcopi ſinguli ſuis locis introducerentur.

Diſplicuit hæc res ſupra quam dici poteſt Tranſiſalaniæ Ordinibus. unde comitia generalia Daventriæ in XXX. Martii convocata ſunt. ubi Ordines delegatos Capituli ad ſeſe in curiam vocarunt, ac acribus verbis eos perſtrinxerunt, ut qui promiſſis ſuis, uti oportebat, minime ſtetiſſent. reſponderunt pro ſe Decanus & Capitulum Daventrienſe, verum ita, ut Ordinibus haudquaquam ſatisfacerent, ut quibus ſtabat ſententia, Epiſcopum nullo modo admittere. qua de re tum ad Duciſſam, tum etiam ad Præfectum literas dederunt. ad illam quidem hiſce verbis:

„ Illuſtriſſima, Celſiſſima, Clementiſſima Domina: Non poſſumus illu-
„ſtrem clementiam tuam celare, quo pacto antehac, præterito menſe

 „Octo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„Octobri, ad nobilem, generoſum D. D. Ioannem a Ligny, Comitem „Arembergi, Clement. noſtrum Dominum ac Præfectum, literas dederi-„mus, idque rogatu Decani & Capituli Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſis, „conquerentium ſuper ſequeſtratione facultatum Præpoſituræ Daventrien-„ſis, adverſus jus municipale Tranſiſalaniæ, vi mandati ſuæ Clem. factá, qui „& petitæ earundem relaxationi intercesſit, eo quod ſanctitas Papalis, per „Bullas ea de re conceſſas, omnia bona ſecularia ad eandem Præpoſituram „ſpectantia, novo Epiſcopo Daventriæ inſtituendo applicaſſet, ut &, quod „Regiæ Majeſt. Clementiſſimi noſtri Domini eſſet intentio, curare ut ea-„dem Bulla effectui mandaretur, atque ita in hac regione, adverſus vete-„rem conſuetudinem, novum & inuſitatum Epiſcopum ordinari velle. pe-„tierimuſque,ut idem apud Ill. Tuam Clem. inſtitutionem novi Præſulis de-„precari vellet, quo veterem noſtrum qua ſecularem,qua ſpiritualem Magi-„ſtratum retinere, & in ejus obſequio conſervari poſſemus. prout latius ſcri-„pto illo noſtro continetur. Ad quæ hactenus illuſtris tuæ Clem. mentem, „decretum, ac reſponſum præſtolati, ejus compotes facti nondum ſumus. „Quantumvis autem dicti Decanus & Capitulum apud Satrapam Sallandiæ „Ripperda eam ſequeſtrationem abrogarint, ac ad jus municipale Tranſiſa-„laniæ provocarint, nihilominus ſignificatum nobis eſt, Dom. Præfectum, „Illuſtris Clem. tuæ juſſu ac nomine, dicto Sallandiæ Satrapæ ſcriptis lite-„ris injunxiſſe, ut eaſdem facultates ſequeſtro detineret, non obſtante re-„petita petitione Decani ac Capituli, ut tollatur ſequeſtratio, & res juri „municipali decidenda permittatur, id quod ipſis à Satrapa, adverſus jus „municipale, denegatum fuit. quod factum grandes & graves conſequen-„tias poſt ſe trahere notum eſt, cum juxta jus municipale Tranſiſalaniæ qui-„libet in poſſeſſione confirmandus ac ſtabiliendus ſit, donec via juris ea ex-„ciderit. E quibus omnibus nos quoque animo ſollicito ac mœſto animad-„vertimus, Regiæ Majeſt. mentem etiamnum eſſe, in hanc regionem, no-„vum & inconſuetum Epiſcopum inſtitui atque ordinari curare: id quod „huic regioni ſummopere oneroſum futurum eſt, nec minus adverſus ve-„terem conſuetudinem, ut & laudabilem Tractatum inter celſæ memoriæ „Cæſ. Majeſt. primum noſtrum clementiſſ. Dominum hæreditarium & hanc „ditionem ſtabilitum, & à Regia Majeſt. Domino noſtro hæreditario cle-„mentiſſimo, eidem ditioni gratioſe confirmato, quo inter alia continetur, „Cæſaream Majeſt. cjuſque hæredes ac ſucceſſores, equeſtri Ordini, civi-„tatibus, ac ditioni univerſæ, jura ſua, privilegia, poſſeſſiones, & con-„ſuetudines inviolatas eſſe permiſſuros. Quapropter quam poſſunt demiſſe „ac officioſe rogant ac obſecrant, placeat Illuſtri Tuæ Clem. pro nobis „apud Regiam Majeſt. deprecari, ut veteri noſtro ac ſolito tam ſpirituali „quam ſeculari Magiſtratu, juriſdictione & conſuetudine uti nobis liceat,

„ac

,,ac à novo illo Epiſcopo penitus liberemur. Prout id facturam ſuam
,,Majeſt. confidimus, ſperantes a ſuâ Majeſt. ditionem Tranſiſalanam uſque
,,adeo oneroſa novitate, adverſus Tractatum, non iri gravatum. quando-
,,quidem nos hactenus fideles, promtos & obedientes ſuæ Majeſt. ſubditos
,,præſtitimus, ac in futurum corpore ac facultatibus noſtris omnem fidem,
,,obedientiam & alacritatem Majeſtati ſuæ & Tuæ Illuſtri clementiæ exhi-
,,bere paratiſſimi ſumus. Adhæc, ne deinceps Officiariis ac judicibus per
,,haſce regiones,quenquam adverſus jus municipale aggravandi poteſtas fiat,
,,ſed ut unicuique jus & juſtitia prout æquum eſt, adminiſtretur, &c. Illu-
,,ſtris Tuæ Celſitud.gratioſum ac conſolatorium reſponſum ad haſce noſtras
,,orantes ac expectantes. Id quod nos pro virium noſtrarum exiguitate erga
,,Ill. T. Clem. decet recognoſcere. Teſtis ſit Deus O. M. qui Ill. T. Clem.
,,in celſo ac felici regimine incolumem præſtet. Datæ ſub ſigillo civitatis
,,Daventrienſis, quo pariter hac vice ad præſens negocium utimur. XXX
,,Martii die, Anno CIↃIↃLXVI.

Epiſtola ad Arembergium hiſce verbis concepta erat:

,, Nobilis ac generoſe Domine, Clementiſſ. D. Præfecte, Clementiæ
,,tuæ obſequia noſtra conſtanter promta ac parata ſunt. Clementiſſ. Do-
,,mine, è literis tuis datis XXV Decemb. proxime elapſi, intelleximus, eo-
,,dem illo die Illuſtris ac Celſæ Principis, gratioſæ noſtræ Dominæ lite-
,,ras, quibus ſupplicationi noſtræ, qua ſollicitatio Decani ac Capituli Da-
,,ventrienſis, & noſtra quoque, ſuper gravamine novi Epiſcopi contine-
,,tur, reſpondet, ad Clem. tuam perlatas fuiſſe. iiſque ſignificari, quere-
,,las noſtras a toto Illuſtris ſuæ Clem. conſilio perlectas, eique placuiſſe
,,decretum ſuper ea re differendum eſſe, donec cum delegatis noſtris, qui
,,eo tum temporis venturi putabantur, de ea plenius actum fuiſſet. ut latius
,,in ipſis literis videre eſt. Qua de cauſa Clem. Tuæ, nos tres civitates ſi-
,,gnificandum exiſtimavimus, nihil apud nos de legatione ad Illuſtrem ſuam
,,Clem. decernenda decretum fuiſſe, ideoque ſperaſſe nos, futurum fuiſſe,
,,ut jam pridem gratioſum Ill. ſuæ Clem. placitum ac reſponſum ad queri-
,,monias noſtras accepiſſemus. Interim perfertur ad nos rumor, Clem.
,,tuam, ex mandato Ill. ſuæ Clem. Satrapæ Sallandiæ denuo injunxiſſe, ut
,,facultates Præpoſituræ ſequeſtro detineret, non obſtante provocatione De-
,,cani ac capituli ad jus municipale. cujus edicti vigore is Satrapa iiſdem
,,jus denegavit: quod ſane factum magni præjudicii, & per ulteriorem con-
,,ſequentiam, notabile detrimentum ac infractionem jurium noſtrorum,
,,ſecum trahere natum eſt. Quum ergo, Clementiſſ. Domine, ad ſuperio-
,,res noſtras literas reſponſum conſolatorium hactenus nacti non ſimus, &
,,abunde prævideamus, fore ut novi Epiſcopi in poſſeſſionem mittantur,
,,noſque ſupra modum gravemur, adegit nos inevitabilis neceſſitas, de

 ,,cala-

„calamitate illa noſtra Celſiſ. noſtram Dominam ſcripto edocere. prout
„Clem. T. è ſcriptis quæ hiſce inſeruimus cognoſcet. Petentes ſerio,
„ut Clem. T. tanquam Clementiſſ. noſter Præfectus, pro nobis Clemen-
„tiſſ. noſtram Dominam eo modo interpellare non gravetur, quo novo
„hoc & inſolito Epiſcopo penitus liberari, & veteri noſtro tam ſpiri-
„tuali quam ſeculari Magiſtratui, juriſdictioni ac conſuetudini inhærere
„permittamur, id quod, admiſſo illo Epiſcopo fieri nequaquam poteſt.
„Speramus quoque Regiam Majeſt. nobis dictum novum Epiſcopum, ad-
„verſus avitam ac laudabilem conſuetudinem, & Tractatum, non impoſitu-
„ram. prout antehac in eandem ſententiam ad Clem. T. obſequioſe per-
„ſcripſimus &c. Rogantes ſuper hiſce T. Clem. gratioſum ſcripto com-
„prehenſum reſponſum. quod pro virium noſtrarum exiguitate promto
„animo ſemper recognoſcemus. Deus O. M. tuam Clem. in celſo ac ſa-
„lutari regimine, bono hujus ditionis, diu incolumen præſtet. Datæ ſub ſigillo
„civitatis Daventrienſis, quo pariter hoc tempore utimur.
„XXX Martii CIↃIↃLXVI.

FINIS LIBRI TERTII.

DAVEN-

DAVENTRIAE ILLVSTRATÆ, SIVE HISTORIÆ URBIS DAVENTRIENSIS

LIBER QUARTUS.

EXercitium reformatæ religionis circa hoc tempus per Belgium invaleſcebat. etenim XXIV Julii, qui eam profitebantur Antverpiæ publicas conciones inchoarunt, quos ſecuti Cortracenſes, aliæque urbes Brabantiæ, Zelandiæ, Flandriæ, Gelriæ, Friſiæ, primo inermes, mox armati ad conciones proceſſerunt, quo ſe à vi defenderent.

Hac occaſione Comes Arembergius è Brabantia Zwollam Profectus, Satrapas, Sallandiæ, Vollenhoviæ, Iſſelmudæ, & delegatos trium primariarum civitatum convocavit, eiſque in ædibus Quæſtoris Sallandiæ Egberti ab Enſſe, per Mag. Henricum a Tiel ſignificavit, quantum circa religionem diſſidium, & qui conventus ejus ergo in Brabantia ageretur, ita ut verendum eſſet ne incommoda non exigua inde pullularent. quapropter ſe eos monitos velle, ut diligenter curarent, ne tale quid in hac regione tentaretur, utque mandata adverſus vagabundos emiſſa effectui darent.

Dehinc in haſce regiones ſeveriſſima perlata ſunt diplomata, quibus ut

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

conciones ejuſcemodi impedirentur injungebatur, magnis, niſi fieret pœnis propoſitis. quæ paſſim fuere publicata.

In Tranſiſalaniam, circa Daventriam ac Zwollam Miniſtri reformatæ religionis pervenerunt, ac ruri ſub dio conciones habuere. ne ad illas concurrerent cives & incolæ, Magiſtratus civitatum cum Tribb. pleb. permiſerunt, ſacramentum altaris (ut vocant) ſub utraque ſpecie, privatim, ſi quis id exigeret, adminiſtrari.

Campenſes cum Tribb. pleb. decreverant, nemini è civibus ſuis licitum fore, novorum, ut appellabantur, concionatorum ſacris intereſſe, qui feciſſet, arbitraria correctione, pro qualitate delicti puniendum, neve quis ex eis (quod jam Antverpiæ factum erat) monaſteria aut templa violare auderet, capitis propoſita pœna. idque ad pulſum campanæ publice fecerunt promulgari.

Rebus hoc modo in Tranſiſalania conſtitutis, Egbertus ab Enſſe Covordiæ Satrapa in monaſterium Windeſemenſe ſcriptis literis convocavit Satrapam Sallandiæ Eggardum Ripperda, Goſuinum a Raeſvelt Satrapam Tubantiæ, Ioannem Sloot Satrapam Vollenhoviæ, ut & trium civitatum delegatos. habitus fuit ille conventus pridie Kalend. Septemb. cui è Daventrienſibus interfuere Ioannes a Dōtecum, Mag. Ditericus Scharf Licentiatus. è Campenſibus Ludovicus Voren, Arnoldus a Bocop; è Zwollanis Wolfgangus ab Itterſum, & Ioannes ab Haerſt. Hic Covordiæ Satrapa, dictos Satrapas ac delegatos nomine Comitis Arembergii monuit, ut rationem haberent eorum quæ idem Comes Zwollæ curaverat proponi. ac proinde operam darent ut ſubditi in ordine continerentur, neve è civitatibus ruri confluerent ad audiendas conciones, quandoquidem inde in vicinis regionibus incommoda enata eſſent.

Retulerunt Daventrienſes quid in eo negotio egiſſent. & conceſſiſſe ſe quidem adminiſtrationem ſacramenti ſub utraque ſpecie, ſed cives ſuos ea contentos non eſſe, ac cupere a Magiſtratu ut ſibi unum è templis aperiretur, in quo juxta confeſſionem Auguſtanam ſacris participarent, quo conceſſo, ſperare ſe, inter cives ſuos concordiam facile obtineri poſſe.

Campenſes indicarunt interdictionē ab ſeſe publicatam. Zwollani dixerunt ſe id acturos eſſe quod Daventrienſibus apud ſuos conſultum fuiſſet viſum.

Satrapæ ac delegati, his auditis inter ſeſe expenderunt, an non conſultum foret, ad Duciſſam Parmenſem ſcribi, ab eaque peti, quandoquidem ſubditi tranquillari non viderentur poſſe, niſi eis aliquid concederetur, ut Illuſtri ſuæ clementiæ, nomine Majeſt. Regiæ, placeret eis templum aliquod aperire, in quo ad ritus Confeſſionis Auguſtanæ ſacra celebrarent. concluſum autem, unicuique ad ſuos id referendum, ut die Mercurii proximo quod iis viſum fuiſſet in medio ponerent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Cives Daventrienſes ingenti numero coram Magiſtratu ſuo ſe ſtiterunt, eique libellum ſupplicem exhibuerunt, quo rogabant aperiri ſibi templa Divæ Virginis & fratrum Conventualium, aut ſaltem eorum alterum, ut ibi verbum Dei, juxta doctrinam Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum pure ac incorrupte prædicaretur, & ſacramenta adminiſtrarentur &c. prout in ſacro Imperio fuerat conceſſum. reſponſum iis, inſciis Tribb. pleb. hac in re nihil poſſe ſtatui.

Campis III Septemb. multi cives in Eccleſiá quæ a Spiritu S. nomen habet confluxere, qui quatuor è ſuo numero ad Senatum & utrumque Tribb. pleb. Collegium in curia congregatum ablegarunt, petitum, ut ſibi templum permitteretur, in quo religio juxta confeſſionem Auguſtanam exerceretur. concluſum a Senatu & Tribb. pleb. a Duciſſa Parmenſi vel ſcripto vel per delegatos id petitum iri.

Eundem in modum cives Zwollani templum flagitarunt, ubi decretum, è veſtigio ea de re ad Duciſſam ac Gubernatricem ſcribendum eſſe.

IV Septemb. die dicti Satrapæ & civitatum delegati, prout noviſſime convenerat, denuo Winſemi comparuere, ubi loco Satrapæ Tubantini adfuit Gualterus ab Heyden. prælecti ibi libelli ſupplices, & quid in tribus civitatibus eveniſſet enarratum.

Stiterunt ſe ibidem delegati civitatis Haſſeltanæ, videlicet, Heſſelus Coops & Hermannus Oeffinck, petieruntque, ſi ſcripto petenda eſſet permiſſio Confeſſionis Auguſtanæ, ut ſui quoque in iis literis mentio fieret, & ſuo quoque nomine idem flagitaretur. Id quod eis certis de cauſis fuit denegatum, ac ſi id petere in animo haberent, ipſi literas ſeorſim mitterent moniti fuere.

Statutum, ut tres civitates nomine omnium ad Parmenſem ſcriberent, ſub ſigillo civitatis Daventrienſ. nec non ad Comitem Arembergium. prout ſequitur:

„ Illuſtriſſima, Celſiſſima Princeps, Clementiſs. Domina, Illuſtriſſimæ
„ Tuæ clementiæ obſequia noſtra, & quicquid corpore ac fortunis noſtris
„ valemus ante omnia parata ſunt. Clementiſs. Domina, Non poſſumus
„ celare Illuſtr. T. Clementiam, quo pacto in hiſce civitatibus à civibus &
„ incolis noſtris identidem ac magno fervore tam per ſupplices libellos
„ quam viva voce urgemur, ut in ſingulis civitatibus vel bina, vel ſaltem ſin-
„ gula templa aperiantur, in quibus verbum Dei, & ſancta Sacramenta, nec
„ non reliquæ ceremoniæ ſecundum ordinem Auguſtanæ Confeſſionis à
„ Sacro Rom. Imperio conceſſæ prædicari atque adminiſtrari poſſent. Hac
„ de cauſa Clementiſs. Domina, conſiderato tempore hoc periculoſo, &
„ ſubitaneis motibus obnoxio, quomodo cives noſtros atque incolas in tran-
„ quillo regimine, pace ac concordia contineamus rationem inire non poſſu-

„ mus,

,,mus, niſi eorum petitionibus nonnihil conceſſerimus. Ac prorſus vere-
,,mur, niſi quod petunt obtinuerint, ne eadem incommoda, in fraudem
,,cleri, quæ certus rumor ad nos attulit in aliis Reg. Majeſt. Clementiſſimi
,,noſtri Domini hæreditarii ditionibus eveniſſe, in hac quoque noſtra re-
,,gione experiamur. Ut igitur ejuſmodi pernicioſiſſimæ mutationi, infortu-
,,nio ac motui in tempore prævertamur, ac populum in pace, quiete &
,,obedientia contineamus, rogamus quam poſſumus demiſſe, ut Illuſtris
,,T. Clem. Regiæ etiam Majeſt. nomine, gratioſe nobis permittat, ut ſub-
,,ditis noſtris, ad inſtantiſſimas eorum preces Eccleſiæ nonnullæ aperiantur,
,,in quibus ipſis verbum Dei & ſancta Sacramenta, cum ceremoniis an-
,,nexis, ſecundum prædictam Auguſtanam Confeſſionem adminiſtrentur,
,,idque ad tempus, donec a Regia Majeſt. Clementiſs. noſtro Domino, & Or-
,,dinibus ſuæ Majeſt. ditionum hæreditariarum univerſis, huic negocio per
,,commoda media proſpectum fuerit. cui nos ordini obedienter ſubmiſ-
,,ſuros pollicemur. Idque, ut ea ratione alia monaſteria ac templa veteres ſuas
,,conſuetudines, ritus, aliaque pacifice retinere, omniſque eorum deſtructio
,,aliaque mala (alioquin, ut timemus, ſecutura) præcaveantur, plebſque in
,,ea tranquillitate in qua hactenus vivit, contineri poſſit. Obſecramus ad-
,,hæc quam obſequioſiſſime, ut Illuſtr. T. Clem. per primum veredarium
,,ſuper hiſce clemens, conſolatorium, & cui tuto inniti poſſimus, reſpon-
,,ſum gratioſe nobis impertiat, cujus ſpe ſubditos noſtros hactenus conti-
,,nuimus, & etiamnum magna cum difficultate continemus. formidamus
,,autem, ne ſi id vel differatur, vel denegetur, nulla eos deinceps continen-
,,di ratio a nobis poſſit iniri. Quod ſi interea temporis aliquod incommo-
,,dum emergeret (quod tamen ſperamus non futurum) confidimus, nos
,,coram Majeſt. Regia, Clementiſs. noſtro Domino, & coram Illuſtri Tua
,,Clem. abunde excuſatos fore. Hæc faciens Illuſtr. Clem. tua, recte fece-
,,rit, idque erga eandem pro tenuitate noſtra recognoſcere promti ac parati
,,ſumus. Deus O. M. Ill. Tuam Clem. in celſo ac ſalutari regimine diu
,,ſanam ac ſoſpitem eſſe velit. Actum in cœnobio Winſemenſi, IV Sept.
,,Anno CIↃIↃLXVI, ſub ſigillo Civit. Daventr. quo hoc tempore &
,,ad hoc negocium pariter utimur.

Similia ad Præfectum ſcripſerant civitates, ſed literæ non fuerunt emiſſæ, eo quod Daventriam ipſe venit.

Die IX Septemb. quum Arembergius Daventriam appuliſſet, trium civitatum delegati in curia congregati fuere. videlicet, nomine Daventrienſium Ioannes a Dötecum, Lubbertus a Winſem, Ditericus Scharf Licentiatus, Doctor Stephanus a Remen. Campenſium, Caſparus Schepeler, Arnoldus a Bocop. Zwollanorum Ioannes ab Haerſt, & Iacobus Duyſterbeecke, in commune deliberaturi, quomodo quam commodiſſime & quam inſtantiſſime

templi

templi alicujus apertionem flagitarent, in quo juxta Auguſtanam Confeſſionem ſacra per agerentur.

Poſtridie x. Septemb. dicti delegati Præpoſituram, ubi Arembergius commorabatur, adierunt, ubi Io. a Dötecum nomine trium civitatum, eidem Comiti, præſente Covordiæ Satrapa, deſiderium civium in tribus civitatibus tam ore quam ſcripto prolixe ſignificavit, & libellos ſupplices à civibus Daventrienſibus & Campenſibus, utriuſq; civitatis Senatui exhibitos, prælegi fecit. quibus pro ſe adjecerunt Zwollani, ſuos quoque cives ſimilem libellum ſupplicem exhibuiſſe, ſed eum ab ſeſe huc allatum non eſſe, prælegerunt & Epiſtolam quam ſcripſerant ad Duciſſam Parmenſem, ſuper qua Præfectus nonnullas difficultates movit.

Adjecit autem, dolere ſibi majorem in modum, neque expectaſſe, ut ſuo regiminis tempore ejuſmodi religionis mutatio exoriretur, ac verendum plane eſſe, ne conceſſa Confeſſione Auguſtana, complures aliæ religiones ſequuturæ, & multa incommoda inde pullulatura eſſent. Interim videre ſe quidem undique periculum eſſe, & timendos civium motus, dictæ Confeſſionis libertate ipſis denegata, conceſſa autem, indignationem Regis formidandam, qui non modo potens Dominus ſit, ſed & magnas fœderationes habeat cum Cæſ. Majeſt. Rege Galliæ, aliiſque Principibus: verendum ergo, ne ejuſmodi diſſidio Regia Majeſtas ſeſe interponeret. Memores quoque ſe arbitrari civitates moniti ac præcepti à Regia Majeſt. tum alias, tum Gandavi ante ſuum diſceſſum facti. prout & civitates ſemper rogaſſent ſua ſibi privilegia ac veteres conſuetudines continuari, neque ullas admitti novitates: ad quæ privilegia conſervanda, ſæpe ſe affirmaſſe tum apud civitatum delegatos, tum apud Præſidem Viglium alioſque, ceſſurum ſe potius dignitate ſua, quam ut ſibi à Regia Majeſtat. quicquam privilegiis ac vetuſtis conſuetudinibus ditionis Tranſiſalanæ adverſum injungeretur. Itaque mirum ſibi videri, nunc mutationem in negocio religionis, quæ magna procul dubio novitas ſit, ab iis expetitum iri. neque ſibi ulla ratione conſultum videri, ſuper ea re ad Principiſſam Parmenſem perſcribi. certo enim ſibi conſtare quale reſponſum accepturi eſſent, neque poſſe ab Illuſtri ejus clementia, citra diſerta Regis mandata vel minimum hac in parte obtineri, ſed facti invidiâ ditionem duntaxat gravatum iri.

Regerentibus delegatis, neſcire ſe ergo qua ratione cives tranquillari & in quiete contineri poſſent, adjecit Comes, Duciſſam & nobiles in id conſenſiſſe, ut depoſitis armis conciones deinceps frequentari fas eſſet, iis locis quibus id fuerat inchoatum, donec Regia Majeſt. aliter huic negocio providiſſet, templorum expilationem non eſſe admittendam, neque conciones aliis quam quibus eæ jam locis fuiſſent introductæ &c. retulit etiam, mercatores peregrinos Antverpiæ commorantes, libello ſupplice à Parmenſi

Duciſſa Auguſtanam Confeſſionem flagitaſſe, qui ſupplex libellus ad Regiam Majeſt. miſſus eſſet.

Tandem duo media conſideranda propoſuit Comes, ſuper quibus ſingulæ civitates cum Magiſtratu ſuo deliberarent: Utrum videlicet ipſæ ad Parmenſem ſcribere vellent, quo in caſu ſuas literas civitatum literis ſe adjuncturum recipiebat: an vero ſibi negocium mallent committere, ita enim ſe apud Duciſſam interventurum, ut concederetur civitatibus id quod aliis ditionibus aut civitatibus in religionis negocio permitteretur. Neque ſe hanc oblationem de ſe divulgari velle, ut cujus nullum haberet mandatum. Hiſce auditis diſceſſum, ut quiſque de iis ad ſuos referret, & de iis quæ concluſa forent, proximo Jovis die ſuam Clem. certiorem faceret.

Delegatis reducibus ad ſuos convenerunt ſuper hac re civitatum Magiſtratus, qui vocatis ad ſe ſuis Communitatibus rem totam cum omnibus circumſtantiis ſignificarunt. & re deliberata, cum factum fuiſſet decretum, delegati in eo referendo difficultatem moverunt, ac petierunt ſibi id ſcripto conſignatum tradi. quod factum, eo qui ſequitur modo:

„ Super relatione delegatorum Senatus civitatis Campenſis, qui proxime „elapſo die Martis, Senatus juſſu, Clementiſs. noſtrum D. Præfectum Da„ventriæ cum reliquis convenerunt, a Senatu & ejus majori ac minori com„munitate concluſum, iiſdemque delegatis injunctum fuit, ut Clementiſs. „noſtrum D. Præfectum, impræſentiarum Zwollæ commorantem, reveren„ter adhuc ac demiſſe rogent, & ſedulo ab eo petant, ut benevole ei pla„ceat pro tribus ditionis Tranſiſalanæ civitatibus eum in modum apud Il„luſtr. & Celſiſs. Principem Duciſſam Parmenſem Gubernatricem, Cle„mentiſs. noſtram Dominam deprecari, ut Illuſtri ejus Celſitudini, nomine „Regiæ Majeſt. Clementiſs. Domini noſtri hæreditarii placeat atque in id „gratioſe conſentiat, ut ad conſervationem pacis ac concordiæ civilis in„ter civitatum incolas, ad fervens eorum deſiderium, templa aliquot ordi„nari ac permitti poſſint, in quibus verbum Dei, ſacramenta aliique ritus, „juxta Auguſtanam Confeſſionem prædicari, adminiſtrari ac obſervari li„ceat: aut vero, ſi Clem. ſua id facere gravetur, pro tribus civitatibus „apud dictam Dominam noſtram gratioſam, quamprimum id fieri poterit „intervenire velit, ut ab Illuſtri ejus Clem. nomine Celſiſs. Regiæ Majeſt. „permittatur quantum aliis regionibus aut civitatibus in negocio religionis „permiſſum jam eſt, aut deinceps poterit permitti. utque ſua Clem. ejuſ„modi conſenſum & expeditum reſponſum apud Illuſtrem Clem. ſuam pro „virili urgeat, quo populus in pace ac tranquillitate contineri, & calamitas „Eccleſiarum ac monaſteriorum, aliaque incommoda evitari poſſint.

XIII Septemb. trium civitatum delegati, videlicet Daventrienſium nomine Ioannes a Dötecum, Mag. Ditericus Scharf: Campenſium, Mag.

Mag. Caſparus Schepeler, Arnoldus a Bocop: Zwollanorum, Ioannes ab Haerſt, Iacobus Duyſterbeecke, Ioannes Loſe, Thomas Knoppert ad Arembergium contenderunt, relaturi ad eum de ſuperiorum ſuorum ſuper propoſitis ab eo ſententia: Campenſium & Zwollanorum delegati in ædibus Satrapæ Covordiani diu Daventrienſes expectarunt, qui circa horam primam pomeridianam advenerunt. atque ita pariter ad Arembergium ſe contulerunt. Cui Ioannes a Dõtecum, præſentibus Satrapa Covordiano Egberto ab Enſſe, Mag. Roberto vander Beke Sallandiæ Quæſtore, Mag. Henrico a Tiel, & Gerardo ab Ooſtendorp, Regiæ Majeſt. in Tranſiſalania Conſiliariis, narravit, quo pacto præſtantiſſimi Daventriæ cives, denuo Senatui Daventrienſi ac Tribb. plebis ejuſdem civitatis ſupplicem exhibuiſſent libellum, quo petebant ſibi templum aperiri, ubi Confeſſionem Auguſtanam exercerent, ac numeroſum inſuper populum ex inferiori plebe ad templum Divæ Virginis confluxiſſe, animo deturbandi imagines & altaria, niſi Senatus ac Tribb. pleb. Daventrienſ. quamprimum commodum ipſis reſponſum daret. Quapropter Senatum Daventrienſ. una cum Tribb. pleb. (ad Eccleſiarum violationem, quæ procul dubio imminebat, aliaque incommoda prævortenda) decreviſſe ac promulgaſſe, civibus templum Divæ Virginis permittendum eſſe, ut ibi Auguſtana Confeſſio exerceretur, ita tamen ut veteres ac conſueti ritus ibidem & ipſi permanerent, per proviſionem, & ad tempus, donec aliter ea in re ſtatutum foret. ea tamen lege, nequis ulli vel templo vel cœnobio vim inferret, neque diverſos ac veteres ritus impediret: denique ne alter alterum religionis ergo injuria afficeret, neve alii concionatores miniſterio admoverentur, quam ii qui a Senatu & proviſoribus ad id fuiſſent ordinati. ſub pœna vel capitis vel fortunarum, pro qualitate delicti &c. prælecta fuit hæc publicatio Comiti Arembergio, quem rogarunt delegati Daventrienſes, ut permiſſionem adeo neceſſariam, ad evitanda incommoda factam, in bonam partem interpretaretur, ac apud Illuſtriſſimam Ducem Parmenſem gratioſe excuſare vellet.

Dehinc delegati Campenſes ea quæ in mandatis habebant viva voce recenſuerunt, & inſtructionem ſuam ſcripto, ut retulimus, comprehenſam ei prælegi fecerunt.

Conſequenter Zwollani dixere, ſibi quoque eadem injuncta eſſe quæ Campenſibus, rogantes Clem. ſuam, ne in ſequiorem partem acciperet, ſiqua mutatio eveniret, neque enim diutius cives ſuos poſſe cohiberi.

Comes Arembergius ſuper hiſce ſeorſim a civitatum delegatis cum Conſiliariis Regiæ Majeſt. in ditione Tranſiſalana collocutus eſt, & re deliberata reſponſum illis dedit, dolere ſibi illam mutationem, ac vereri ut Regia Majeſtas eam boni conſuleret. animadvertere ſe tamen Daventrienſes neceſſitate urgente eam admiſiſſe, quod ipſum Ducіſſæ Parmenſi, adjuncta

eorum excuſatione, quam poſſet commodiſſime ſignificaturus eſſet, ac petitionem civitatum ad eam perſcripturum, literis à ſe ipſo dictandis, quas civitatibus etiam prælecturus eſſet. ut noſſent quantum ipſorum commodis ſtuderet. Sed expendendum civitatibus quam in partem hæc mutatio ab equeſtri Ordine eſſet accipienda, quo inconſulta ea cœpta eſſet, quiq; civitatibus imputare poſſet, ſiqua templa aut monaſtaria contingeret ſpoliari.

Ad quæ reſponſum eſt, cum Satrapis in cœnobio Windeſemenſi hac de re actum fuiſſe, qua videlicet ratione violatio templorum ac monaſteriorum ruri eſſet prævenienda. quod Præfectus ad Parmenſem ſe ſcripturum recepit.

XIV Septemb. Campos appulit concionator peregrinus religionis reformatæ, qui antea vietor fuerat, nomine Ioannes Aertſen, qui eodem die ibibem in cœmeterio fratrum Cellariorum concionem habuit. ſuper eo facto Senatus Campenſis utramq; communitatem in curiam vocari fecit, & capto conſilio, utrumque Conſulem, Arnoldum Brantium, & Bernardum Wiſſelinck, apparitoribus ſtipatos miſerunt, ut concionatorem hunc ad ſe in curiam accerſerent, qui eo eum venire juſſerunt, ac concionem intermittere: ille ergo inter utrumque Conſulem medius Senatui & utrique Tribb. pleb. collegio ſe ſiſtit. à quibus interrogatus, qua fiducia auſus fuiſſet Campos venire, ibique concionandi munus ſibi ſumere, reſpondit, ſe à civibus eo ut concionaretur vocatum fuiſſe. Senatus è veſtigio urbe & agro Campenſi cedere juſſit, & per apparitores eum uſque ad pontem fluvii deduci fecit. Hic Ioannes Aertſen poſtmodum Miniſter Eccleſiæ reformatæ Amſtelodamenſis factus eſt, ibique remanſit quamdiu conciones in ea urbe permittebantur.

Reformatæ religioni addicti in urbe Zwollana, primo templo Divæ Virginis contenti non erant, ſed templum S. Michaëlis, quod in ea urbe præcipuum eſt, ſibi concedi poſtulabant, ut in eo ad ſuæ religionis ritum ſacra facerent.

XIX Sept. die, trium civitatum delegati Windeſemi congregati fuerunt, ubi multis de diſſidiis in religionis negocio diſceptatum fuit, quum multi è civibus ac nobilitate Confeſſioni Auguſtanæ eſſent addicti. viſum fuit conſultum eſſe, ut Satrapa Sallandiæ Eggartus Ripperda generalia Ordinum Comitia convocaret, die Septemb. XXVI. celebranda, ad quæ ante horam decimam unusquiſque ſe conferret, prout à Satrapa factum eſt.

Dicto die Ordines Tranſiſalaniæ Daventriæ convenerunt, quibus & intererat Arembergi Comes, qui omnes ſerio monuit, vigilanter providerent nequa in ditione Tranſiſalana iconoclaſia, templorumve ac monaſteriorum deprædatio committeretur. qua de re variæ fuerunt agitatæ rationes per quas hujuſmodi motus poſſent impediri. tandem placuit à Magiſtratu in civitatibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tibus majoribus, à Satrapis vero in minoribus, ac ruri etiam, propoſitis magnis pœnis hæc eſſe vetanda. qua de re ſequens mandatum, mutatis mutandis paſſim fuit promulgatum:

„Coſs. Scabini ac Conſiliarii civitatis N. notum faciunt, ac interdicunt „nomine Regiæ Majeſt. Clementiſs. noſtri Domini, primò, nequis, cujuſ„cunque conditionis, ulla templa, monaſteria, aliaſve ædes ſacras, vel in ur„bibus, vel ruri exiſtentes, deprædari, ſpoliare aut violare auſit, directe aut „indirecte, neque ad id ullum auxilium, aut ſubſidium, ſive per ſe ſive per „alium ſe conſcio, præſtet, neve quicquam ex iis aſportet, ſub pœna capitis. „Declarant etiam nomine ejuſdem Regiæ Majeſt. ejuſmodi homines ſe ha„bere pro ſacrilegis, prædonibus, publicis furibus, & inimicis Dei, Regiæ „Majeſt. & hujus urbis, ac decernunt omnes qui vel generatim vel particu„latim cuiquam moleſtiam exhibuerint aut vim intulerint, ſimili pœna, aut „alias pro qualitate delicti afficiendos eſſe.

XXVI Sept. die, Ordo equeſtris, & trium civitatum delegati, convocante eos Sallandiæ Satrapa, in loco qui dicitur Nyerbrugge convenerunt. ex equitibus aderant ſequentes: Eggartus Ripperda Satrapa Sallandiæ, Ioannes Sloot Satrapa Vollenhoviæ. Euſebius Bentinck Satrapa Iſſelmudæ, Dominus Bernardus de Bever Commendatarius Ootmarſenſis, Ditericus a Vooiſt, Ioannes a Boetzeler, Ioannes a Laer, Henricus Mulert, Gerardus a Laer, Erneſtus Mulert, Henricus a Laer, Ioannes Mulert, Balduinus Hagen, Ioannes ab Haerſolte, Rodolphus ab Ooſterwolde, Gualterus ab Heyde, Rodolphus a Langen, Ioannes a Rechteren, Adolphus a Ruytenborch, Bartholdus Sloot, Robertus ab Itterſum, Goſuinus a Coverden, Gualterus a Coverden, N. a Raeſvelt, filius Satrapæ Tubantini, Ioannes ab Echten, duo fratres Keppelii, N. Bake, & alii nonnulli. Nomine civitatis Daventrienſis M. Lubbertus a Winſem, M. Ditericus Scharf Licentiatus Juris. nomine civitatis Campenſis Mag. Caſparus Schepeler, Arnoldus a Bocop. nomine civitatis Zwollanæ Ioannes ab Haerſt, Iacobus Duyſterbeecke.

Licentiatus Winſem Conſul Daventrienſis, rogatu Satrapæ Sallandiæ, Ordinibus ditionis Tranſiſalanæ ſignificavit, qua de cauſa ibi conveniſſent; videlicet Generoſum Dominum Ioannem de Ligny Comitem Arembergium, Præfectum Friſiæ, Tranſiſalaniæ, ac Groningæ, XIII Sept. die, Zwollæ trium civitatum delegatos monuiſſe, ut de commodis mediis diſpicerent, per quæ ſpoliatio monaſteriorum extra urbes ſitorum præcaveri ac impediri poſſet. quod cum ſeorſim ab equeſtri Ordine fieri nequiret, ſtatuiſſe eum cum iis omnibus hac de re communicare. quo audito equites ſeorſim inter ſe deliberarunt, ac ſcire voluerunt, num civitates de Auguſtana Confeſſione exercenda ad Gubernatricem ſcripſiſſent, & quid reſponſi ab ea accepiſſent.

Civitates prolixe narrarunt, quid à ſe circa illam rem actum eſſet, & quid una cum Comite Arembergio concluſiſſent.

Cumque multis ſermonibus hoc negocium in longum protraheretur, dixerunt tandem equites, utile ac optandum fore, ut confeſſio Auguſtana permitteretur, quum niſi hoc fieret, neſcirent quod aliud rebus remedium inveniretur. Decretum ergo ab Ordine equeſtri ac civitatibus, ad Duciſſam Parmenſem, Belgii Gubernatricem, pro impetranda permiſſione Auguſtanæ Confeſſionis ſcribendum eſſe in ſequentem modum, literæ autem omnibus prælectæ fuerunt, ac ab omnibus approbatæ. Niſi quod Commendatarius Ootmarſenſis ab Ordinibus petiit, ne ſubſignatione aut ſigillatione earum ſeſe gravarent, aliam enim ſui quam reliquorum rationem eſſe.

,,Illuſtriſſima, Celſiſſima Princeps, Clementiſſima Domina. Illuſtriſ.
,,T. Clementiæ obſequia noſtra, & quæcunque vel corpore vel facultati-
,,bus noſtris valemus ſemper ac ante omnia parata ſunt. Clementiſ. Do-
,,mina: Illuſtr. tuam Clem. celare non poſſumus, quo pacto indies magis ma-
,,giſque animadvertimus, majorem ſubditorum noſtrorum partem, tam ruri,
,,quam in majoribus minoribuſque civitatibus, urgenti ac fervido affectu de-
,,ſiderare incorruptum ac vere Chriſtianum Eccleſiaſticum ordinem, nomi-
,,natim eum qui Auguſtanæ conformis ſit confeſſioni. utque ejus vigore,
,,verbum Dei & Sancta Sacramenta paſſim in hac ditione doceri ac admi-
,,niſtrari poſſint: quod ſi, Clem. Tua eundem Ordinem in ditione ac civi-
,,tatibus Tranſiſalaniæ permittere gravetur, omnis generis incommoda,
,,motus, & perturbationem publicæ pacis in Politicis & Eccleſiaſticis inde
,,ſequuturam eſſe. Innotuit & nobis amicos noſtros Daventrienſes, ad con-
,,ſervationem pacis ac concordiæ in ſua civitate, atque ad evitationem vaſta-
,,tionis templorum & monaſteriorum, civibus ſuis ad tempus Auguſtanæ
,,Confeſſioni exercendæ, templum aperire adactos fuiſſe. amicos item no-
,,ſtros Campenſes & Zwollanos cives ſuos blandis pollicitationibus hacte-
,,nus ægre cohibuiſſe, hac ſpe nixos, Illuſtr. Clem. tuam iis templum in ſuis
,,urbibus, Auguſtanæ Confeſſioni dicatum, gratioſe conceſſuram. reſci-
,,vimus autem ex iiſdem Ill. Tuam Clem. in eam rem hactenus gravatam
,,fuiſſe conſentire, imo quæ jam facta ſunt aboleri velle. Rebus ergo,
,,Clem. Domina, in hac regione & civitatibus eo pacto ſe habentibus, ut
,,temporis ratione habita, populo aliquid ſit permittendem, quo denegato
,,omnigena rerum turbatio, ut dictum eſt, expectanda ſit, rogamus per-
,,quam demiſſe & obſequenter, placeat Ill. Tuæ Clem. tam ruri quam in
,,utraque urbe Campenſi ac Zwollana, templum Confeſſioni Aug. exer-
,,cendæ dicatum permittere, & quæ hac in parte a civitate Daventrienſi, ne-
,,ceſſitate urgente ſunt acta, in meliorem partem interpretari, quo omnis
,,ἀταξία ſpoliandi templa ac monaſteria impediri poſſet. quam ad rem
nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„nos quoque omnem requiſitam diligentiam, lubentes adhibebimus. Obſecrantes Ill. tuam Clem. ut ad hæc gratioſo reſponſo nos conſolari velit. „quo facto T. Clem. quod æquum eſt fecerit, noſque ad tantum beneficium „pro tenuitate noſtra recognoſcendum devinctos habebit. Deus Te Illuſt. „Domina in celſo ac felici regimine tuo ſoſpitare velit. Datæ in Nyerbrugge, ſub ſigillo Ioannis a Laer, Rodolphi a Lange, & Bartoldi Sloot, „quo nos equites; & civitatis Campenſis quo nos tres civitates hoc tempore pariter ad hanc rem utimur. XXVI Sept. die, Anno CIƆ IƆ LXVI. „ſubſcriptum erat: Ill. Tuæ Clem. obſequentiſſimi, Ordo equeſtris Sallandiæ, Tubantiæ, ac Vollenhoviæ, & delegati trium civitatum Daventrienſis, Campenſis, Zwollanæ, repræſentantes Ordines ditionis Tranſiſalanæ, in Nyerbrugge congregati.

Decretum præterea ab Ordinibus fuit, ad impediendam deprædationem templorum ac monaſteriorum, ut Satrapæ ditionis Tranſiſalanæ ſinguli in ſuo diſtrictu, quartum quemque virum armarent, qui parati eſſent ad pulſum campanæ, ſi forte contingeret templa aliqua, aut domos agricolarum ſpoliari, ad ſontes perſequendos, & cuſtodiæ mandandos. Inſuper ut iidem Satrapæ proximæ civitati, in cujus vicinia hæc gererentur, id ipſum indicarent, quæ ipſis aliquot equites ſubſidio mitteret. Nec non, ut equitum quiſque pro virili ſua parte operam daret, quo qui ejuſmodi rapinas & violentias commiſiſſent puniri, & facinora hæc præveniri poſſent. Hæc ad Præfectum tranſcripſere, ſimul rogantes ut pro ſeſe deprecari vellet, ut obtinerent templum ubi juxta Auguſtanæ Confeſſionis normam ſacra facere ſibi liceret. ut ſequitur:

„Nobilis, Generoſe, Clementiſs. Domine, Clementiam Tuam celare „non poſſumus, nos hodierno die in Nyerbrugge congregatos fuiſſe, ibique „trium civitatum delegatos nobis equitibus indicaſſe ea quæ ſibi à T. Clem. „Zwollæ ſint præpoſita, videlicet, ſi contingeret in hac ditione, ab incolis aut exteris templa aliqua aut monaſteria ſpoliari, quo pacto id impediri poſſit &c. ſuper qua re ſimul deliberavimus, ac tandem, ſalvâ T. „Clem. ſententia, decrevimus, tam extra quam intra urbes ejuſmodi promulgationem (cujus hiſce adjunctum T. Clem. apographum mittimus) „quamprimum, ac eodem tempore faciendam. Ad hæc Satraparum, unicuiq; „in diſtrictu ſuo, municipia & parœcias mandato conſtringendas, ut quartum quemque virum deligant, qui neceſſariis armis probe inſtructi, quocunque tempore in templis & monaſteriis hujus ditionis, ab incolis aut „exteris ſpolium, rapina, aut vaſtatio ulla contigiſſet, aut alioqui domiciliis agricolarum aliorumve ruri commorantium vis fuiſſet illata, præſto „eſſent ad ejuſmodi templorum, ac monaſteriorum violatores ac graſſatores perſequendos ac cuſtodiæ mandandos. Iiſdem inſuper Satrapis injun-

„gendum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„gendum, ut neceſſitate exigente, à proxima urbe juxta quam ejuſmodi vis „ac inſolentia accideret, auxilia peterent, quæ è veſtigio equitum aliquam „manum eis ſubſidio mitteret. Præterea, voluimus nos qui equeſtris Or- „dinis ſumus, auxilia noſtra illis adjungere, ut ita templorum & monaſte- „riorum evaſtatio, ac omnis vis violenta in hac regione evitetur, & pax ac „tranquillitas conſervetur. Porro Clementiſs. Domine, ne hoc quidem „T. Clementiam celatam volumus, nos hic omnes in Nyerbrugge congre- „gatos, de hujus temporis eventis invicem communicaſſe, & urgente neceſ- „ſitate decreviſſe, Illuſtriſs. ac Celſiſſimam Principem Duciſſam Parmen- „ſem, Gubernatricem, Clementiſſimam noſtram Dominam, ſcripto rogare, „ut nomine Regiæ Majeſt. Clementiſs. noſtri Domini, tam extra quam intra „civitates permittat exercitium Auguſtanæ Confeſſionis, utque ſecundum „eam templa aliquot reformari poſſint: prout T. Clem. id ipſum, & qui- „bus verbis id ab Illuſtr. ſua celſitudine petierimus, ex adjuncto his apogra- „pho cognoſcet. Obſecramus ergo quam poſſumus demiſſe, ut Clem. tua, „ad provectionem operis adeo pii ac ſalutaris, pro nobis apud Celſiſſimam „Principem deprecari ne gravetur, quo ab Ill. ſua celſit. petitionum noſtra- „rum compotes fieri valeamus. Quæcunque autem T. Clementiæ ſuper iis „quæ à nobis in anteceſſum concluſa ſunt ad impediendas templorum ac „monaſteriorum violationes videbuntur eſſe conſulta, rogamus ut de iis gra- „tioſum reſponſum ad nos mittere velit, quo ea de qua egimus promulgatio „& agricolarum delectus quam primum executioni poſſit mandari &c. Datæ „in Nyerbrugge, ſub ſecreto ſigillo civitatis Campenſis, quo pariter ad hanc „rem hoc tempore utimur. XXVI Septemb. Anno CIƆIƆLXVI.

Comes Arembergi literas ad Duciſſam Parmenſem exaratas penes ſe de- tinuit, neque protinus ad eam tranſmiſit, quod in animo haberet prius quam id fieret cum Ordinibus ſuper ea re agere. Commodum enim eos Haſſel- tam convocarat præfixo VIII Octobris die, ratione controverſiæ cujuſ- dam inter parœciam Zwollanam & Sallicanos; ubi cum delegatis civitatum locutus eſt, ſignificans eis, mutatum eſſe mandatum Regiæ Majeſt. Item, in Epiſtola ad Duciſſam Parmenſem mentionem factam de confeſſione Augu- ſtana tam ruri, quam in urbibus majoribus ac minoribus concedenda. ſuper qua re quum interrogaſſet Satrapas, reſpondiſſe, ſe ad hoc non fuiſſe requiſi- tos, quapropter non poſſe ſe ſcripto apud Duciſſam pro ipſis intercedere. addebat autem: Facile animadvertere ſe, quinam hujus rei auctores eſſent, quive Epiſtolam dictaſſent, quos & nominibus ſuis indicare, imo digito monſtrare ſibi proclive eſſet. (intelligebat autem delegatos Daventrienſes, M. Lubbertum a Winſem, & M. Ditericum Scharf, qui tamen hac in parte prorſus extra noxam erant) nota enim ſibi eſſe non modo quæ in civitatibus ac Magiſtratuum conventibus, ſed & quæ in privatis ædibus gererentur,

probe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

probe expendenda eſſe Daventrienſibus ea quæ facere aggreſſi erant, ac cavendum, ne non ſe ſolum ſed & reliquas civitates ac regionem univerſam in magnas calamitates conjicerent. bis terve repetens: Dico hæc vobis, & dicam, ſi vel lapidaturi me eſſetis, ut divo Stephano accidit. exitium veſtrum propius abeſt quam credatis. dicebat &, ſe inaudiſſe, cives quoſdam Daventrienſes jactaſſe, ſe concionatores auxilio trecentorum ſclopetariorum Zutphaniam introducturos, quos & ipſos nominibus deſignare poſſet ac vellet, ſi eos punire parati eſſent. caverent autem, ne ab iis quos caſtigare recuſarent, ipſi caſtigarentur. Neque id novum eſſe, ſed & tempore Paſtoris Galli in animo habuiſſe, cum virum bonum Oldenelium Senatu moviſſent, quod religionem eorum amplecti gravaretur. Cæterum, venturum ſe aliquando Daventriam, & cum civibus acturum, ibique indicaturum eos qui hanc telam orſi eſſent.

Ad hæc delegati hunc in modum reſponderunt:

Clementiſs. Domine, nullo unquam tempore res aliter ſe habere deprehendetur, quam Epiſtolam in Nyerbrugge communibus votis conceptam, & conſenſum fuiſſe, ut ea qualis eſt conſcripta ad Duciſſam mitteretur, neque ipſos id ab equeſtri Ordine vel requiſiviſſe, vel id eis ſuaſiſſe, ut nec reliquas duas civitates. Quod autem in ſua urbe factum eſſet, id Daventrienſes ad tempus, ad evitanda majora incommoda, coactos fuiſſe permittere. Neque ſibi quicquam de eo conſtare, quod inter ſuos aliqui jactaſſent, ſe concionatores Zutphaniam introducere velle. Quod ad Oldenelium, electionem penes Tribb. pleb. ac Magiſtratum eſſe. Atque hic de hoc negocio tum temporis loquendi finis fuit.

XIV Octob. die, Comes Arembergius Haſſeltæ matutino tempore Ordinibus propoſuit ea quæ epiſtolâ in Nyerbrugge ab Ordinibus ſcriptâ ac ad ſeſe tranſmiſſa continebantur, petere nempe eos ut pro ſeſe apud Duciſſam Parmenſem deprecaretur, quo in hac ditione Confeſſio Auguſtana permitteretur. Detinuiſſe ſe hactenus eam Epiſtolam, neque ab ſeſe impetrare poſſe, ut pro iis hac in re ſeſe interponeret, cum ſciret Illuſtr. ſuam Clem. id citra Regiæ Majeſt. conſenſum (cui id haud dubie diſpliciturum eſſet) non eſſe conceſſuram: petere ſe ab Ordinibus, ut ita ſe gererent uti hactenus ſe geſſiſſent, neque ullam in religione mutationem admitterent. Neque enim deprehendere ſe poſſe, plebem promiſcuam cupidam eſſe confeſſionis Auguſtanæ, neque opus eſſe ut aliquot annos uſque ad celebrationem Concilii ſe continerent, ſed tantummodo unum aut alterum menſem, cum non modo adventus Majeſt. ſuæ, verum etiam optatus ordo circa religionis negotium propediem expectaretur. quo tempore, ſiquid aliis ditionibus à Majeſt. ſua concederetur, id etiam ditioni Tranſiſalanæ non negatum iri. & alia multa in illam ſententiam.

Ordines ſumto conſilio, Comiti Arembergio per Satrapam Diepene-menſem Hermannum a Weſterholt reſponderi fecerunt, Tranſiſalanos S. Clem. pro oblatione gratioſa gratias agere: quod autem iidem ad Ill. Duciſſam ac ipſum quoque ſuper Confeſſione Auguſtana ſcripſiſſent, id ea conditione factum, ſi id avertendo majori malo inſervire poſſet, alioqui mentem Ordinum eſſe, ſeſe gerere prout bonos ac obſequentes ſubditos ſe gerere par eſſet, quod & hactenus feciſſent.

Placuit mirum in modum Arembergio hoc reſponſum, qui & dixit, ſe de eo ad Duciſam ſcripturum eſſe, nec dubitare, quin id & Regiæ Majeſt. & illi futurum eſſet quam gratiſſimum.

Hoc Anno Petrus Werneri Typographus Campenſis libellum excuderat, cujus inſcriptio erat, De fraudibus Eccleſiaſticorum, ſive de tribus Papis. in quo inter alia Dominus a Barlaymont dicebatur injuria affectus. libellum hunc circumforaneus bibliopola ei excudendum dederat, qui ejus exemplaria diſtrahebat per Friſiam, eumque à Petro Wernero typis excuſum eſſe non diffitebatur. ſuper hac re Comes Arembergius Mag. Henricum a Tiel, Regiæ Majeſt. in Tranſiſalania a Conſiliis, Campos ablegavit, qui illius juſſu rem manifeſtavit. accerſitur ilico Petrus Werneri, qui præſente Conſiliario ſe libellum excudiſſe agnoſcit. dies ei dicitur, fidejuſſores exhibet de judicio ſiſti, & judicatum ſolvi. Comes Arembergius ſupra modum in eum excanduerat, ratus eum illius libelli auctorem eſſe. ſororem autem Comitis in matrimonio habebat Barlaymontius, unde & Campenſibus ſe infenſum oſtendebat, quod eum acceptis vadibus dimiſiſſent, ac non in carcerem conjeciſſent, & capitis ſupplicio affeciſſent.

Campenſes Mag. Caſparum Schepeler, & Arnoldum a Bocop Coſs. Haſſeltam ad Comitem, negociorum quorundam expediendorum cauſa ablegarant; eos, præſentibus Balduino a Roon Cancellario, & Engberto ab Enſſe Covordiæ Satrapa, allocutus, monuit, ut eum in modum de Petro Werneri ſupplicium ſumerent, quomodo id coram Regia Majeſt. ſe defendere poſſe ſperarent. Regem enim ipſum id negocii præ manibus ſumturum, ſi vel decies mille coronatis id ipſi conſtiturum eſſet. ſeque ea pollere auctoritate, ut poſſet eundem ex omnibus Reg. Majeſt. ditionibus proſcribere, mille coronatis pro præmio propoſitis, qui eum in iis latitantem deprehendiſſet.

XXVIII Novemb. Senatus Campenſis lata ſententia conſtituit, Petro Werneri portam quam Haganam vocant pro cuſtodia aſſignandam. Conſanguinei ejus ac patroni (erat enim civis in re ſatis lauta) ſeſe vades ſtiterunt, propoſita quantacunque multâ, ſi è diſtrictu Campenſi abiiſſet. Cum ut nonnihil ſecederet juſſus eſſet, & apparitoribus ut eum cuſtodirent injunctum, complures ad curiam cives confluxerunt. Magiſtratus percepto ſtrepitu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Secretarium miſit, quæſitum quid rei ageretur. cui conſanguinei & civium reliqui ſignificarunt, ſe Magiſtratum conventum velle: quod ipſis conceſſum eſt. Itaque magno numero comparuerunt, poſtulantes ut ſibi pro Petro vadimonium obire permitteretur. quod ſi cives duo ad id non ſufficerent, ſe XL. vel L. eorum exhibituros, qui ſponderent pro VIII. virorum capitibus. multi è civibus, Petro nulla juncti neceſſitate, hic ſeſe ſiſtebant, quod arbitrarentur Petrum religionis cauſa incarcerandum. Senatus hiſce viſis, cum turbas majores vereretur, juſſis nonnihil ſecedere civibus, poſtquam de re tota deliberaſſet, Henricum Dye Wolphium, & Arnoldum a Bocop emiſit, cum civibus acturos. hi amanter eos monuerunt, ut ſententiæ ſatisfacerent, Senatum facturum quicquid ſalvo honore & juramento in ſua poteſtate eſſet. Cives hiſce non acquieſcentes, vadimonium pro eo denuo offerebant, quod ſi tamen non acciperetur, petierunt, ut honoris ergo permitteretur domum abire, quod ſi fieret, ſe eum ſub veſperam ad portam Haganam perducturos, aut vero ejus cauſam in ſeſe ſuſcepturos. qua de re multum diuque cum civibus diſceptatum eſt. retulerunt hæc ad Senatum delegati, qui cum à Sententia quam ſemel tulerat dimoveri non poſſet, id a dictis delegatis civibus ſignificatum fuit. quibus & ipſis in poſtulato ſuo pertendentibus, cenſuit Senatus eos denuo audiendos. cum comparuiſſent, Conſul eis palam indicavit, Petro Werneri pronunciatæ ſententiæ obtemperandum eſſe, monuitque ſingulos, ut juramenti ſui ratione habita, caverent ab ejuſmodi actionibus per quas ſibi periculum creare poſsent. ita dimiſſi fuerunt, & apparitoribus injunctum, Petrum Werneri obſervarent. Cum ad inferius cœnaculum deſcendiſsent, conſanguinei Petri Werneri eum circumdederunt, & curia exactum, extra urbem deduxerunt.

XXVIII Novemb. Magiſtratus Campenſis Henricum Dye Wolphium & Arnoldum a Bocop Lingam ad Comitem Arembergium miſit, qui ei negocium Petri Werneri fuſe enarrarunt, rogantes ne ſua Clem. Campenſibus eo nomine male vellet, cum id impedire non potuiſsent. feciſse eos quicquid in ſua erat poteſtate. Quibus auditis Præfectus vehementer excanduit, ac multa cum delegatis ſuper eo diſputavit, quæ hic ordine referentur, ea maxime de cauſa, quod hac occaſione puncti confiſcationis in Civitate Campenſi mentio fuerit injecta.

Reſpondit ergo Comes Arembergi Campenſium delegatis, idque ut ad ſuos referrent mandavit: ſe cum animi dolore ea quæ ſibi propoſuiſsent audiſse. eaque è veſtigio Duciſsæ Parmenſi transſcripturum, quam & ipſam rem hanc ægerrime laturam eſse non de nihilo auguraretur. ſperaſse ſe, fore ut res hæc pro eo ac deceret, ſerio ageretur, neque in quartum uſque menſem protolleretur. nihil tamen ſibi obſtiturum quin proceſsum verbalem coram aulâ ſuper hac re inſtitueret. Ad quæ repoſuerunt delegati, ſe quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſuarum virium eſset feciſse. At Comes: ſemper, inquit, à me petiiſtis, ut in juribus veſtris ac privilegiis defenderemini, quæ & Regia Majeſt. vobis hactenus inviolata ſervavit: jam vero apparet quale ſit veſtrum jus urbanum, poſtquam Petrus Werneri è manibus veſtris evaſit. quærens ulterius, an non juxta idem jus urbanum relegari & confiſcari mereretur? reſponſum eſt à delegatis, in urbe ac territorio Campenſi confiſcationem locum non habere.

Ad quæ Comes: pulcrum commentum! elapſo reo, facultates ejus ſalvæ ſunt. addebat: quandoquidem in hac ditione ſupplicium corporale & confiſcatio bonorum ſimul non haberent locum, ſaltem alterutrum fieri oportere, ut videlicet vel corpore, vel bonis maleficium lueretur. Adjecit multa acerbius dicta. verbi gratia; ſi Hiſpanis hæc innoteſcerent, civitati impune non fore. item nominibus deſignandos eſſe qui huic actioni interfuiſsent. ac eis ſimilia. & ſcripto comprehenſum eorum reſponſum poſtulabat. id quod ſe in mandatis habere negabant, promittentes interim ſe Clem. ſuam de omnibus certiorem redditurus, ac in ſontes animadverſuros.

Petrus Werneri Embricam Clivorum domicilium tranſtulit, uxor autem ejus Campis manſit. confiſcationis actio adverſus eum nulla fuit inſtituta, nedum ut ea effectui data ſit. Defuncta non multo poſt uxore, hæreditatem, per mandatarios, cum liberis ſuis crevit, neque quominus partem ſuam quo libitum erat aſportaret, à quoquam fuit impeditus.

Cæterum conſanguineorum nonnulli quorum ope judicum manus evaſerat, noctu in cubilibus ſuis quæſiti fuere, ſed non inventi. neque ulterius quicquam adverſus eos actum.

Senatus Campenſis proceſsum ſuum judicialem adverſus Petrum, de termino in terminum, Comiti Arembergio tranſmiſit, & ſufficienter demonſtravit, nullam hic ſuam ſubeſse negligentiam. quibus tandem Comes acquievit.

Zwollani templum Divæ Virginis vi effregerunt, eique Eccleſiaſten impoſuerunt, qui reformatæ religionis cultum exerceret. vehementer id commovit Arembergium, qui præfixo XXVIII Decembr. die, Zwollam Ordines Tranſiſalaniæ convocavit: ubi in ædibus Satrapæ Covordiani comparuerunt Eggartus Ripperda Satrapa Sallandiæ, Goſuinus a Raeſvelt, nomine Patris ſui Satrapæ Tubantini. Ioannes Sloot Satrapa Vollenhoviæ, Euſebius Bentinck Satrapa Iſelmudæ. Hermannus a Weſterholt Satrapa Diepenemi. Dom. Bernardus de Bever Commendatarius Ootmarſenſis. Gualterus ab Heyden, Adolphus a Twickel, Ditericus a Voorſt, Henricus Mulert, Balduinus Hagen, Rodolphus ab Ooſterwolde, Arnoldus Sloot, Bartholdus Sloot, Ioannes a Bootzeler, Rodolphus a Scheven, Ioannes a Twickel, Reynaldus a Covorden, Goſuinus a Covorden, Macarius ab Oldeniel, Ioannes a Wermelo, Ioannes a Rechteren, Adolphus a Rutenborch, Ioannes ab Enſchede, Wilckius Entes, Erneſtus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Mulert, Ioannes Mulert, Vincentius ab Wterwijck, Ioannes ab Wterwijck, Robertus ab Itterſum, Caſparus a Scheel, Henricus Schaep, Ditericus a Dorth, Henricus a Laer, Hermannus a Voorſt, Georgius a Barmentlo, Lubbertus a Blanckevoort, Georgius a Marck, Rodolphus ab Hövel, Palingus ab Heerde, Ioannes ab Echten, Splinterus Brubake, Goſuinus Vake.

Delegati civitatum, Daventrienſis Lubbertus a Winſem, Doctor Stephanus a Remen; Campenſis Henricus Dye Wolphius, Arnoldus a Bocop; Zwollanæ Wolphgangus ab Itterſum, Ioannes ab Haerſt, Iacobus Duyſterbeecke, Ioannes Lueſſe. quibus adjunxerant Zwollani Bitterum ter Mars, & Doct. Splijtlof.

Hic Arembergi Comes Ordinibus prælegi fecit id quod Haſselti XXIV Octobr. die concluſum fuerat, nempe Ordines ea mente non eſſe, ut quicquam circa religionem mutarent, ſed veteri religioni inhærere velle, donec ei negocio aliter proſpectum foret. interrogans porro, an ſtaret ſententia, huic concluſioni (quam pro immota ipſe habebat) ſatisfacere, nec ne? referens motum qui Zwollæ in aperiendo Divæ Virginis templo fuerat excitatus, ac concionatorem quem ei impoſuiſſent, furem ac homicidam eſse. quod ſi de rebellibus ſupplicium ſumere nollent, quo fine equeſtres ac pedeſtres copias conſcripſerat, ſibi in animo eſse ab iis ſecedere. Innotuit &, Arembergium Satrapis Vollenhoviæ & Iſelmudæ ut & Prætori Haſseltano in mandatis dediſſe, ut niſi mutationem religionis Zwollani abrogaſsent, Aquas nigras, quas vocant, clauſas ſervarent, ne neceſsaria ad victum Zwollam poſsent inferri.

Audita Comitis propoſitione, Ordo equeſtris, & civitatum delegati, in curiam ſe contulerunt. ubi cum civibus Zwollanis multis ſuper hac re egerunt. qui templum de quo lis erat deſerere detrectabant. civitatum tamen delegatis periculum quod ea in re eſset exaggerantibus, eo tandem permoti ſunt, ut reciperent in templo illo ab omni ſe religionis innovatione deſtituros uſq; ad menſem Maji proximum, ea lege, ut idem templum interea temporis clauſum remaneret, neque ſacra ceremoniæve in eo peragerentur: menſe autem Majo ineunte, ea ſibi permitterentur, quæ aliis regionibus ac civitatibus tum temporis conceſsa forent. utque vel unum vel duos concionatores (ex iis qui publice in aliis urbibus verbum Dei annunciarant) ſibi eligere liceret, ἀμνηστίαν porro omnium eorum fore quæ adverſus decretum Haſseltanum cenſerentur commiſiſſe.

Hæc in chartam conjecta Ordines Arembergio prælegi curarunt: qui quæſivit, num Regiæ Majeſtati tempus præfigere in animo haberent? item, an civitas Zwollana gregi ſcholaſticorum, aliorumque ſeditioſorum hominum, ſe regendam præberet, qui olim non fuerant veriti Duci Gelrorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſeſe opponere? Quod ſi ſuam opem deſiderarent, eam ipſis non defuturam, facile ſibi eſſe equitum ac peditum manum urbi immittere, non poſſe ſe eorum petitioni aſſentiri, neque eis poteſtatem eſſe talia decernendi. Quod ſi ditioni aliquod damnum eveniret, Daventrienſibus id merito imputari poſſe. ſuccinctum ſe reſponſum poſtulare, num Haſſeltano decreto parere cogitarent, nec ne. quibus dictis diſceſſit.

Verum, multis ultro citroque diſputatis, tandem Comes Arenbergi ac Ordines cum Zwollanis in ſequentes conditiones convenerunt:

,, Quandoquidem Clementiſs. Dominus Præfectus noſter, generoſus
,,Comes Arembergius &c. Ordinibus Tranſiſalaniæ Zwollam convocatis,
,,propoſuit Decretum XIII Octobr. præteriti Haſſeltæ conditum, videli-
,,cet, non eſſe ipſis animum quicquam circa veterem religionem innovan-
,,di, ſed ei adhærendi, donec ab Rege Clementiſs. noſtro Domino ei rei
,,proſpectum foret &c. ac inſuper Clem. D. Præfectus ab Ordinibus quæ-
,,ſivit, num decreto illi parere conſtituiſſent: quod ſi nollent, decreviſſe ſe
,,in hac regione non amplius juſtitiam adminiſtrare, neque quenquam qui
,,id requiſiturus eſſet audire: recenſens ea occaſione motum Zwollæ nuper
,,excitatum, in apertione templi Divæ Virginis, & concionibus ibi habitis,
,,citra Senatus auctoritatem; Iccirco dicti Ordines, re inter ſeſe deliberata,
,,eidem generoſo Domino, Clementiſs. noſtro Præfecto reſponderi fece-
,,runt, ſe etiamnum promtos ac paratos eſſe, decreto Haſſeltano parere,
,,eique inhærere, gratias agentes Clem. Præfecto ſuo pro ſincero affectu
,,quo regionem hanc ſemper complexus eſt & adhuc complectitur, ac ro-
,,gantes, ut motum Zwollæ excitatum clementer ignoſcere ac remittere
,,velit. utque apud Regiam Majeſt. operam dare non gravetur, quo quic-
,,quid ea ulli ſuarum regionum ac civitatum, in communi aut particulari
,,circa religionis negocium conceſſura eſſet, idem regioni ac civitatibus
,,Tranſiſalaniæ quoque concedi poſſit. obſecrantes etiam, ut quoniam A. Se-
,,natus Daventrienſis, inevitabili coactus neceſſitate, atque ad prævenien-
,,dam majorem jacturam Regiæ Majeſt. Clementiſs. noſtri Domini hæ-
,,reditarii, exercitium aliquod reformatæ religionis ad tempus permiſiſ-
,,ſet, ut Clem. D. Præfectus, ejus facti nomine, apud Duciſſam Parmen-
,,ſem pro civibus Daventrienſibus deprecari velit &c. Ad quæ dictus noſter
,,Clem. Præfectus, univerſæ regionis delegatis reſponderi curavit, ſibi quæ
,,propoſita eſſent quam gratiſſima eſſe, eaque non modo ceſſura ad pacem
,,& tranquillitatem hujus ditionis, verum etiam Regiæ Majeſtati & Duciſſæ
,,Parmenſi accepta fore. ſe civibus Zwollanis turbas excitatas hac vice con-
,,donare, ac polliceri, quicquid Regia Majeſt. ullis ſuis ditionibus civitati-
,,buſve, ſive generatim, ſive ſpeciatim circa religionis negocium permiſ-
,,ſura eſſet, idem & Tranſiſalanæ regioni permiſſum iri. promtum quoque,
,,ſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ſe eſse ditioni ac civitatibus Tranſiſalaniæ patrocinari, eaſque adverſus „quævis infortunia tueri, prout quam libentiſſime hactenus feciſſet. Hujus „reſponſi nomine Ordines nomine totius ditionis Comiti quam poterant „demiſse gratias egerunt, rogantes ut res tota à graphiario ſcripto com- „prehenſa, regeſtis judicialibus inſereretur. Actum Zwollæ XXIX Decemb. „Anno cIↃIↃLXVI.

Nunc quædam Daventrienſibus peculiaria paulo plenius recenſeamus. Hoc anno XVI Octobris die, Gabriel Burnelius Archidiaconus Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis, à Capitularibus Eccleſiæ S. Lebuini Daventrienſis Electus, realem poſſeſſionem Præpoſituræ Daventrienſis accepit. *Lib. feudalis Præpoſituræ.*

Hoc quoque anno, ut ſupra viſum, cœptum eſt Euangelium libere prædicari Daventriæ. ubi inter alios ejus miniſterium obibat Caſp. Coolhaſius (qui tamen poſtmodum magnarum in Eccleſia turbarum auctor fuit) idque magno ardore ac zelo tam concionatorum quam auditorum. quippe per ſeptimanam quotidie duæ, diebus Dominicis tres conciones habebantur. duravit hoc XXXIV hebdomadas. nec plebs modo eo alacriter confluebat, ſed & Magiſtratus aliique opulenti cives, nec indocti modo ſed & literati, Doctores, Licentiati, Magiſtri, nominatim Noviomagus Rector, ac Præceptores Gymnaſii omnes. ſumma univerſorum concordia, non, ut multis aliis locis, tres quatuorve diverſæ religiones prædicabantur, ſed unanimiter verbum Dei annunciabatur, ac a maxima civium parte audiebatur. concedebantur tamen adhuc Pontificiis ſua exercitia, quos miniſtri aliique vera religione imbuti hortamentis ac inſtitutionibus ad viam ſalutis adducere ſatagebant, fructu non exiguo, qui indies major ſperabatur, ſi Deo placuiſset diutius oſtium Euangelio apertum conſervare. beatam urbem, de qua merito illud Paulinum uſurpari potuiſſet, fidem eorum concordiam, dilectionem in toto orbe innotuiſſe. hæc ex ipſo Coolhaſio Dedic. Apologiæ editæ Anno cIↃIↃLXXX. ac Senatui Daventrienſ. inſcriptæ. Plenius autem qui ejus vitam noſse voluerint, hæc ſuperioribus adjiciant:

Natus eſt Coolhaſius Coloniæ Ubiorum Anno cIↃIↃXXXVI. in Vigilia confeſſionis Chriſti, ubi poſtea, ut & Duſseldorpii, ſub Rectore Io. Monhemio in bonis literis inque religione majorum inſtitutus fuit. In hac igitur ad annum uſque XXIV. ipſe perſeveravit. quo tempore purioris doctrinæ cognitionem adeptus, regno Pontificio, cui militare cœperat, palam renunciavit. Itaque varia aliquamdiu fortuna jactatus, tandem Anno cIↃIↃLX. Trarbachii in Ducatu Bipontino ad Eccleſiæ reformatæ miniſterium vocatur. Hinc exacto fere anno in Comitatum Naſsovicum profectus, partim Beilſteinæ, partim Sigenæ, eandem provinciam circiter quinquennium adminiſtravit. Anno deinde cIↃIↃLXVI. Daventriam acceſitus, paulo ultra

ſemeſtre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſemeſtre Eccleſiam ejus loci collegit,& primus ibidem repurgatam doctrinam publice in templo tradidit. Sed hinc violentia hoſtium expulſus, cum privatam ad breve tempus vitam egiſset, mox Anno ↀIↃIↃLXVI. Eſsendiæ ſub ditione Principis Clivenſ.ſacrum docendi munus repetiit: & triennium cum ſemeſtri in eodem iſtic conſumſit. Inde in Palatinatum remigrans, Monſsenhemii ferme biennium in hac ipſa adminiſtratione continuavit uſq; ad annum CIↃIↃLXXIII. quo tempore ab Eccleſia Gornichomenſi vocatus, cum familia in Hollandiam pervenit. Sed Gornichomii vix ſemeſtri exacto a Leydenſibus vocatur. quibus cum operam ſuam Anno CIↃIↃLXXIV. promiſiſset, obſidione interim urbis graviſſima durante, quæ aditum ipſi omnem præcludebat, partim Delphis, partim Dordraci, ubi Synodus generalis tunc habebatur ad tempus ſubſtitit. verum ipſo die liberationis urbem Leidam ingreſsus, dictum Eccleſiæ miniſterium circiter octennium, nempe ad annum uſque CIↃIↃLXXXII. in eadem exercuit. In qua ſtatione dum verſatur, Academiæ ibidem fundamenta Anno CIↃIↃLXXV. ineunte Februario jacta fuerunt. In cujus fundationis ſolenni actu primus ipſe Orationem inauguralem habuit: & Profeſſionem Theologicam, ex ſuperiorum voluntate auſpicatus, Epiſtolam Pauli ad Galatas publice ad tempus explicuit. Poſtea ſucceſsorem non incommodum nactus, in ſolo Eccleſiæ miniſterio labores ſuos continuavit. Interea Anno CIↃIↃLXXIX. controverſia inter ipſum & collegas oborta, cum aliæ difficultates ex aliis naſcerentur, docendi munere ceſſit, & privatus poſtea vixit, multis tamen editis vernacula lingua libellis, quibus cauſam ſuam, à reformatis Eccleſiis merito reprobatam, utcumque defendere, & adverſariis negocium faceſsere ſatagebat, quos hic recenſeri nullum eſt operæpretium. obiit Amſtelodami. V. *Deſcript. Acad. Leyd. editam Anno* CIↃIↃCXIV.

Rector Scholæ Daventrienſis, ut ex Coolhaſii Præfatione apparet, hoc anno erat Ioannes Brouchorſtius Noviomagus, J. U. Licentiatus, & antea Matheſeos in Academia Roſtochienſi Profeſsor; Philoſophiæ is & Hiſtoriarum ſingularem ſcientiam publicis monumentis teſtatam ſeculo fecit. Nam & Bedæ Preſbyteri Angloſaxonis opus de natura rerum, itemque Georgii Trapezuntii Dialecticam doctiſſimis ſcholiis illuſtravit. Adjecto Gyberti Poretani libello de principiis, interprete Hermolao Barbaro, & ſuis ad eum ſcholiis. Colon. apud Io. Soterum, Anno CIↃIↃXXXVI. Arithmetices libros duos compoſuit, qui & Coloniæ & Pariſiis apud Wechelum excuſi ſunt. Adhæc Claudii Ptolemæi Geographiam Latinè vertit, addito regionum & urbium ab eo memoratum Indice. Et in Ariſtotelis aliquot libros quædam ſcripſit quæ ſupra plebem interpretum ſunt. Mortuus eſt Coloniæ Anno CIↃIↃLXX. relicto filio Everardo celebri J. C. de quo poſtea erit dicendi locus. *Deſſel. Cunæus. V. in Rich. Paſrad.*

Ante

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ante & poſt Io. Noviomagum, vel cum ipſo, aliquot Rectores ac ſcholæ Præceptores Daventrienſ. nominat Dan. Toſſanus Præfat. Orationum ſuarum his verbis: *Habuit enim ſchola veſtra longa annorum ſerie Rectores & Præceptores doctrina & eloquentia conſpicuos. interque alios multos, Lubbertum Meppenſem, Ludolphum Helmium Pithopœum, Ioannem Reidanum, & inſignem Clariſſimumque virum, Ioannem illum Noviomagum Bronckorſt, I. V. Licentiatum, nec non & Ludolphi filios Baſilium & Lambertum Helmios Pithopœos fratres, quorum hic annis jam* XXXII *in celebri hac & vetuſta Acad. Heidelbergenſi Oratores & Poëtas magna cum laude interpretatur.* hos cum quomodo in annos ſuos redigerem non invenirem, malui Toſſani verbis hic apponere, quam prorſus omittere.

Sub finem anni, (ſoluto jam Concilio Tridentino) voluit Majeſtas Regia, id ab omnibus ſuis recipi, & ſecundum illud ab unoquolibet res ac rationes ſuas inſtitui: Promulgatum hoc fuit per ditiones ac civitates univerſi Belgii. Inſuper Duciſsa Parmenſis ad omnes Præſides, Satrapas, ac civitates literas dedit, eiſque Regiæ Majeſt. nomine præcepit, operam darent, ut Cæſ. & Reg. Majeſt. diplomatis circa religionem, & extirpationem hæreſium obtemperaretur, ac conſequenter Inquiſitio quaquaverſum inveheretur, Inquiſitoribus omni auxilio ad muneris ſui functionem præſtito. Datæ erant literæ XVIII Decemb. CIↃIↃLXVI.

Anno CIↃIↃLXVII. Duciſsa Parmenſis inter alia Majeſt. Regiæ mandata, juſſit omnem mutationem religionis Catholicæ, cum omnibus concionibus ac exercitiis religionis diverſæ aboleri, ac Comiti Arembergio, ut ejus rei curam gereret injunxit. quo accepto mandato in Friſiam diſceſſit, atque ibi omnia in priſtinam formam reſtituit.

Daventriæ permiſſum fuerat civibus ut in templo Divæ Virginis conciones haberent, & Sacramenta ceremoniaſque adminiſtrarent, juxta normam Confeſſionis Auguſtanæ. intellecto autem Duciſsæ mandato in contrarium, anxius erat Senatus, abrogandi quidem illius exercitii cupidus, ſed quomodo id perficeret non inveniens, metu majoris incommodi. Ne tamen in Regis indignationem inciderent, concionatores a concionibus habendis deſiſtere juſserunt. quod & factum. Cumque cives juſto numero hora locoque ſolitis convenifsent, & concionator ſibi prohibitum eſſe dixiſset ne ſermonem haberet, ea commotione animi id exceperunt, ut Senatus ſeditionis metu, ei injungeret in concionando progredi. quo facto cives pacati fuere.

Menſe Februario, Duciſsa Parmenſis literas dedit ad tres primarias civitates ditionis Tranſiſalanæ, quibus nomine Regiæ Majeſt. præcepit, nequa alia religio præter Catholicam Romanam ibi exerceretur, & quæcunque in contrarium acta eſsent, abolerentur. Hac de cauſa Civitatum delegati VI Febr. Zwollæ in curia convenere, ac literas ſimul perluſtrarunt, quæ omnes eodem erant argumento, licet Campis nulla mutatio facta eſset.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Dehinc iidem civitatum delegati, denuo in monaſterio Windeſemenſi congregati fuerunt, deliberaturi qua ratione innovationi in negocio religionis citra motum obex poni poſſet. Ubi Daventrienſes a duarum reliquarum civitatum delegatis ſuperiorum ſuorum nomine moniti fuerunt, ita rationes ſuas inſtituerent, ne non ipſi modo, verum ne propter ipſos reliquæ civitates ac tota ditio in mala ineluctabilia inciderent.

Ad quæ delegati civitatis Daventrienſis reſponderunt, Senatum Daventrienſem una cum Tribb. pleb. decreviſſe concionatores dimittere, quibus & injunctum fuerat ut a concionibus habendis deſiſterent: verum cives hora ac loco ſolito magno numero congregatos, audito Senatus decreto, quam ferQvidiſſime, ut ſibi liceret ſermonem audire poſtulaſſe, unde periculoſi motus metu Senatum eo tempore eis concionem permiſiſſe. nec videre quomodo, ut nunc ſe res haberent, id impediri poſſit, facturos tamen quod in ſe ſit, ut procedente tempore Regio diplomati ſatisfiat.

Scripſerant & ad Daventrienſes Tubantini, conſiderarent in quæ mala ditio Tranſiſalana ratione hujus mutationis incidere poſſet, ac de mediis cogitarent, per quæ majori periculo occurreretur.

Daventrienſes hac in re non parum ſolliciti, Campenſes ac Zwollanos rogarunt, ut ſuis delegatis, & ipſi ſuos adjungere vellent, qui pariter ad Arembergium ſuper hoc negocio acturi proficiſcerentur. id quod libenter ab ipſis factum eſt. Delegati ergo trium civitatum XXVIII Aprilis Vollenhoviæ convenerunt, videlicet, nomine Daventrienſium Ioannes a Dötecum, Henricus a Markel, Bernardus a Winſem Licentiatus, &, Doctor Stephanus a Remen. Campenſium, Henricus Dye Wolphius Dominus a Poitegum, Arnoldus a Bocop. Zwollanorum Wolphgangus ab Itterſum, & Ioannes ab Haerſt. Hi Amſtelodami Comitem Arembergium convenerunt, ubi Licentiatus Winſemius prolixe ei propoſuit, qua ratione Senatus Daventrienſis decreviſset novos concionatores, ex mandato Duciſsæ Parmenſis ac ſuæ Clem. dimittere, ſed id ob rationes jam dictas effectum dare nequiviſſe. rogantes ut id in bonam partem accipere vellet.

Quibus reſpondit Præfectus, conſtitiſse Daventrienſibus è ſcriptis ſuæ Majeſtatis, Duciſsæ Parmenſis, ac ſuis quoque, hanc religionis mutationem Regiæ Majeſt. voluntati adverſari: cumque narrarent tantummodo quid Daventriæ contigiſset, nulla ulteriori adjecta concluſione, non poſſe ſe eos hac in parte juvare, viderent autem quid ſibi deinceps agendum reſtaret. fore ut intra octavum aut decimum diem alia ad aures eorum pervenirent. Hiſce interfati Campenſes ac Zwollani, rogarunt ne permitteret Comes in hanc ditionem gravius quid ſtatui, omne ſe adhibituros ſtudium, ut novitas hæc aboleretur. quibus dictis nonnihil a Comite diverterunt, ad ſumendum conſilium. quo facto Daventrienſes Comiti ſignificarunt, ſe quanta

poſsent

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

poſſent diligentia operam daturos, quo omnia in priſtinum ſtatum reſtituerentur, ea fiducia fretos, rem ex voto ſibi ſucceſſuram. utque eo melius pertingerent, equeſtris Ordinis & reliquarum duarum civitatum (ſi id neceſſitas exigeret) auxilio uſuros. rogantes ut hæc ad Illuſtr. Ducisſam Parmenſem in bonam partem transſcribere vellet. ut ſiquid admiſſum eſſet oblivioni traderetur.

Ad quæ reſpondit Comes, nolle ſe ad Ducisſam ſcribere, priuſquam comperiſſet quid in hoc negocio effectum dediſſent. neque penes Ducisſam eſſe quicquam condonare, ſed id totum Regiæ Majeſt. reſervari. Quibus auditis delegati ad ſuos quique ſunt reverſi.

XXI Maji Ordines congregati deliberarunt, quidnam commodiſſime in Daventrienſium negocio agendum videretur. conſultum ergo viſum eſt, delegatos mittere Harlingam Friſiorum ubi tunc agebat Comes, cum ſequenti inſtructione:

„Inſtructio quam equeſtris Ordo, & tres civitates, Daventria, Campi, „Zwolla, repræſentantes Ordines ditionis Tranſiſalanæ, delegatis ſuis ex „Sallandia Ioanni a Boetzeler, & Ioanni a Laer; è Tubantiâ Dom. Ioanni „a Beveren Commendatario Ootmarſenſi, & Rodolpho a Lange; è Vollenhovia Rodolpho ab Oosterwolde & Bartholdo Sloot; è civitatibus, „Daventrienſi Heſſelo ab Overenck, Henrico a Markel, Lubberto a Win„ſem, & Doctori Remen; Campenſi Henrico Dye Wolphio, Arnoldo „a Bocop; Zwollanâ Wolphgango ab Itterſum, Ioanni ab Haerſt, ad Clem. „D. noſtrum Præfectum, Generoſum Comitem Arembergium &c. miſſis „tradiderunt.

„Primo, dicti delegati Clem. noſtro D. Præfecto, nomine regionis „univerſæ, promta ſua obſequia, & quicquid honoris aut facultatum ra„tione pollent demiſſe oblaturi ſunt. ac præterea Clem. S. ſignificabunt, „Ordinem equeſtrem, ac tres civitates Daventrienſem, Campenſem, Zwol„lanam ſeſe erga celſæ memoriæ Majeſtatem Cæſaream, primum ſuum gra„tioſiſſimum hæreditarium Dominum, omni tempore obſequenter geſſiſſe „ac exhibuiſſe: prout & erga Majeſt. Regiam, alterum ſuum Clementiſſ. „Dominum hæreditarium omni obedientia, tam corpore quam facultati„bus præſtanda, ut bonos ac fideles ſubditos erga nativum ſuum Principem „decet, ſeſe gerere ſint paratiſſimi. Seſe quoque, obedientium ſubditorum „inſtar, ab initio horum turbulentorum temporum, omni diligentia ac ſol„licitudine impediviſſe, quo minus vel ruri, vel in urbibus, templa, mo„naſteria, ullæve ſpirituales congregationes, ſpoliatæ, deſtructæ, aut vel „minimo damno affectæ ſint, quod tamen in locis aliis multimodis per„actum fuit. Seſe autem qua potuerunt ſedulitate operam dediſſe, ut ea quæ „Haſſeltæ XV Octob. die, & Zwollæ XXIV Decembris, anni proxime

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„elapſi à Clem. noſtro D. Præfecto & Ordinibus circa religionis nego-
„cium decreta fuerant, hactenus tam ruri quam in urbibus ſint obſervata,
„ita ut nulla circa religionem mutatio ſive innovatio fuerit admiſſa. Novi-
„tatem vero qualis Zwollæ à privatis quibuſdam fuit inchoata, quolibet
„tempore aboleviſſe ac correxiſſe, ac in poſterum eiſdem ſtatutis ſumma
„fide ac obedientia inhærere promtos ac paratos eſſe.

„Conſequenter, quandoquidem Senatus Daventrienſis in urbe ſua ve-
„teris religionis exercitium in uno è templis ſuis intermiſit, & ad normam
„Confeſſionis Auguſtanæ mutationem aliquam, licet ad tempus tantum,
„donec à Majeſt. Regia huic negocio ulterius proſpectum fuerit, permiſit,
„idcirco Clem. ſuæ demiſſe ob oculos ponent, dictum Magiſtratum muta-
„tionem illam, ut tunc erant res, cogente neceſſitate permittere adactum
„fuiſſe, ut eo modo cives ac incolas ejuſdem urbis, turbulento hoc ac ſe-
„ditioſo tempore, in tranquillitate, concordia, & erga Regiam Majeſt.
„obedientia contineret, neve in civitate Daventrienſi ulla templa vel mo-
„naſteria expilarentur, aut perſonis Eccleſiaſticis vis inferretur: id quod
„procul omni dubio contigiſſet, niſi dicto medio fuiſſet præventum, non
„tam à civitatis incolis, quam à peregrinis, mercatoribus, nautis, aliiſque
„id genus, qui (quod tempus nundinarum eſſet) magno numero in tem-
„plum confluxerant. Poſtquam autem Senatus menſe Februario proxime
„elapſo ab Illuſtriſſima Principe Parmenſi Gubernatrice, Clem. noſtra Do-
„mina, atque etiam à Clem. D. Præfecto monitus fuiſſet, ut ejuſmodi ex-
„ercitium abrogaret, idque quam commodiſſimis mediis, ſummam adhi-
„bitam fuiſſe diligentiam, & omnes opportunitates captatas fuiſſe, quibus
„Illuſtr. ſuæ Clem. mandato obtemperari, & dicta exercitia tranquille ac
„pacifice aboleri poſſent, prout & exinde penitus fuerunt abolita, concio-
„natores dimiſſi, & priſtini cultus inſtaurati. Quum ergo Senatus Daven-
„trienſis, tam tempore permiſſionis illius, quam alias, perpetuo ſe geſſerit
„ut obedientes ſuæ Majeſt. ſubditos decet, ac deinceps in eo ſe continua-
„turum receperit, neque ſtatuerit ullam innovationem aut mutationem poſt-
„hac ſeorſim ab aliis inchoare, verum obſequenter præſtolari quid in reli-
„gionis negocio clementer ſtatuendum ſit: prout & dictus Senatus cum ſuis
„Tribb. pleb. quibuſcum repræſentat corpus illius civitatis, per præſen-
„tes firmiter pollicetur ſe facturum: neque ex vero deprehendi poſſit, ullum
„ex Ordine equeſtri ditionis Tranſiſalanæ, ut nec corpora civitatum, aut
„quenquam honoratorum civium ſeſe adverſus Regiam Majeſt. ullis confe-
„derationibus cum Dominis aut Principibus extraneis implicuiſſe, ſed aſſi-
„duo in obſequio ac obedientia ſuæ Majeſt. perſeveraſſe, juxta tractatus cum
„celſæ memoriæ Cæſarea Majeſtate initos, ea propter quam poterunt demiſſe
„à ſua Clem. nomine univerſæ ditionis petituri ſunt, ut placeat S. Clem.

„pro

„pro dicta civitate, civibus ac incolis Daventrienſibus apud Regiam Majeſt. „& Illuſtr. Dominam Duciſsam gratioſe deprecari, ut ipſis ſiquid in hiſce „peccaverint, clementer indulgeatur ac condonetur, utque ab omni onere „(quod ipſis ab Ill. Duciſsa, ſive per immiſſionem equeſtrium aut pedeſtrium „copiarum, ſive alio quocunque modo poſset imponi) clementer eximan- „tur. utque ſua Clem. impoſterum, prout hactenus factum, huic ditioni ſe „gratioſum Dominum dignetur præſtare, ipſoſque nomine Majeſt. Regiæ „in iis quæ tractatu illo comprehenduntur clementer protegere, neque ad- „verſus illum gravare velit. prout ipſi viciſſim juxta normam ejuſdem tracta- „tus ſe geſſerunt, ac deinceps geſturos pollicentur. Quod ſi fecerit, erga S. „Clem. dicti Ordines alacri animo recogní turi ſunt. In fidem dictorum, nos „Ditericus a Voorſt, Georgius a Barmentloo, & Balduinus Hagen, nomine „Ordinis equeſtris, trium ditionum, Sallandiæ, Tubantiæ, ac Vollenhoviæ; „noſque Coſs. Scabini & Conſiliarii trium civitatum, Daventrienſis, Cam- „penſis, Zwollanæ, ſigilla civitatum noſtrarum ſpatio harum literarum im- „primi fecimus. Datæ Zwollæ XXI Maji die, Anno CIƆIƆLXVI.

XXVI Maji die dicti delegati Ordinum, cum hac commiſſione Harlingam Friſiorum appulere, ubi Secretarium ſuum ad Arembergi Comitem miſerunt, cui adventum ſuum ſignificaret, peteretque, ut tempus ſibi præfigeret quo ab ipſo audiri poſſent. injunxit ergo Comes Secretario, ut Dominis ſuis diceret, poſtridie hora VIII. ad domum Regiæ Majeſt. (*het Blockhuys* vocari ſolet) ſe conferrent. quod factum. Non autem poterant ad ejus cubiculum pervenire, niſi cœnaculum pertranſirent, in quo prælonga menſa erat, eique impoſita multa aulæa aliaque ornamenta, Dominis Batenburgiis ac aliis (ut vocabant) geuſiis, qui ibidem captivi detinebantur, in mari ablata. Menſam hanc prætererierunt delegati, donec in cubiculum Comitis pervení ſſent, neque ad ornamenta ei impoſita reſpexerunt, ut nec Dominos qui in cœnaculo iis aſtabant alloquuti ſunt. Ad Comitem ubi pervenerunt, non admodum firma valetudine eum viderunt eſſe. Cui imprimis Licentiatus Winſemius, poſt oblationem obſequiorum urbis Daventrienſis, prolixe retulit, quo pacto S. Clem. delegatis Daventrienſibus nuper Amſtelodami propoſuiſſet, ſeſe in animo habere equitum peditumve aliquem numerum Daventriam immittere, ad ſecuritatem & impedimentum ulterioris innovationis. Adjiciebat autem, Senatum Daventrienſem ad evitandam majorem Regiæ Majeſt. indignationem, exercitium Confeſſionis Auguſtanæ, cui templum unum, ad tempus, & donec aliter ei rei debitè proſpectum foret, permiſerant, cum animadverteret id Regiæ Majeſt. & ſuæ Clem. minus gratum eſſe, omnia, quæſita opportunitate, qua id tranquille fieri poſſet, abrogaſſe, Miniſtros verbi dimiſiſſe, veteres ritus inſtauraſſe, ac decreviſſe, & una cum ſuis Tribb. pleb. firmiter polli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ceri, nullam religionis mutationem deinceps proprio motu ſe admiſſuros, ſed expectaturos quid ea in re à Regia Majeſt. ſit conſtituendum. Ideoque rogare, ut S. Clem. pro Daventrienſibus apud Regiam Majeſt. deprecari velit, ut ſiquid circa hoc negotium ab eis peccatum eſſet, id ipſis condonare ac indulgere velit, utque à militibus & ſimilibus oneribus immunes permanere poſſint. Quumque civitas Daventrienſis cum equeſtri Ordine ac reliquis duabus civitatibus unum corpus conſtitueret, Senatum Daventrienſem ea quæ S. Clem. ipſi propoſuiſſet, per delegatos ſuos, primo vicinis ac amicis ſuis Campenſibus & Zwollanis Windeſemi congregatis, ac mox ipſis Ordinibus in urbe Zwollana communicaſſe, quo facto Ordines quoque ſuos delegatos hic præſentes ad Clem. ſuam miſerint.

Hiſce dictis, Henricus Dye Wolphius Dominus in Poetigem, delegatus urbis Campenſis, univerſæ ditionis obſequia S. Clem. demiſſe obtulit. quæque Ordines delegatis ſuis hic præſentibus in mandatis dediſsent aperuit. rogans eorundem nomine, ut pro civitate Daventrienſi (quæ cum equeſtri Ordine ac civitatibus unum corpus conſtitueret) eo modo apud Regiam Majeſt. & Duciſsam Parmenſem intervenire vellet, quo ei, ſiquid non ex ordine geſtum eſſet, ignoſceretur, neve milite aut ſimili onere gravaretur, ob rationes nunc aliquoties relatas. quibus addebat, æquum eſſe ut S. Clem. conſideret, nec ditionem ipſam, nec corpora civitatum, aut viros ullos in dignitate conſtitutos, ſive ii cives eſſent, ſive ruri commorantes, adverſus Regiam Majeſt. ulli confederationi cum externis Principibus ſeſe immiſcuiſſe &c.

Reſpondit ad hæc Comes: Percepiſſe ſe quæ Licentiatus Winſemius nomine civitatis Daventrienſis, & D. Henricus Dye Wolphius nomine Ordinum propoſuiſſent ac petiiſſent. Verum neſcire ſe qua ratione pro civitate Daventrienſi apud Regiam Majeſt. aut Duciſsam Parmenſem interventurus eſſet, quum res illas tamdiu apud ſeſe tenuiſsent, quamdiu ullo modo potuiſsent, ac ultimi eſſent in eis abrogandis, quin & Paſtorem ſuum etiamnum apud ſe detinerent, qui hujus mutationis auctor eſſet. Verum, inquit, veſtram ego vicem non doleo, ſed bonorum illorum virorum qui vobis hic aſſiſtunt. vos enim Hiſpanos in has oras attrahitis. quos quando nacti fuerimus, quo pacto ab ipſis poſtmodum liberabimur? Atque ita vos, ego, & nos omnes funditus periimus. Cumque omnis diligentia fuiſſet adhibenda ad harum rerum abrogationem, omnia in contrarium geri apparet, vel ex eo, quod è Senatu tum ſui, tum aliorum locorum aliquot aſſiduo concionibus interfuerunt. Jam ergo ſi vel maxime ad Duciſsam Parmenſem ipſe ſcriberet, vereri ſe ut vel minimum impetraret, quandoquidem contraria mandata haberet. Quod ad medium attineret quod nuper Amſtelodami Daventrienſibus propoſuiſſet, ut videlicet vades darent, qui pro ulteriori mutatione

tione fidejuberent, id Ill. Duciſsam nuperis ſuis litteris (eas delegatis Præfectus exhibebat) repudiaſſe, neque ut nunc res erat ita expediens eſſe, ut antea fuiſſet.

Quum porro quæreretur, quem ad modum præſidii acceptio peragenda foret, reſpondit, inquiri poſſe quo pacto Antverpiæ in ſimili re eſſet actum. ad quæ delegati, non eo uſque exerraſſe Daventrienſes, aqud quos nec templi cujuſquam expilatio, nec adverſus Regiam Majeſtatem federatio contigiſſet: verendum quoque eſſe, ne ad immiſſionem præſidii civitatis ſolitudo ſequeretur, idque metu Inquiſitionis eam ſequuturæ: reſpondit Præfectus, non habere ditionem quod queratur de impoſito ſibi Inquiſitionis onere, præſidium autem nullo alio fine adhibitum iri, quam ut Regia Majeſtas de regionibus ſuis ac civitatibus, maxime in limite poſitis ſecura eſſe poſſit, neve deinceps ſeditio aliqua aut innovatio oriatur. Jam enim rumorem increbuiſſe, Condæum Valencenas occupaſſe, & Bremæ novum confluxum copiarum militarium eſſe. cui ſecuritati procurandæ etiam aliæ urbes, in quibus tamen nullæ mutationes acciderant, præſidium recepiſsent.

Super hiſce omnibus delegati ſeorſim primo collocuti, mox ad Præfectum regreſſi ſunt: quem Henricus Dye Wolphius, nomine quo ſupra, abſentibus Daventrienſium delegatis, denuo obteſtatus eſt, ut apud Duciſsam Parmenſem pro Daventrienſibus deprecari vellet, ſi poſset fieri: quod ſi id non poſset obtineri, ut ſaltem Daventrienſes quam minimum gravari pateretur, & quoad ejus fieri poſset, ruri habitantibus ut parceretur operam daret.

Reſpondit ad hæc Præfectus, ſeſe etiamnum ad Ill. Duciſsam ſuper hoc literas daturum, ſi quid forte adhuc impetraret: ſin minus, ſe id temperamentum adhibiturum quod in ſua poteſtate foret. Neque equites eo ſed tantum pedites mittendos, qui iter ſuum per Velaviam inſtituerent, aut vero navibus trajicerent, eos ſeſe ſub tribunis diviſurum, quibus deinde Senatus de rebus neceſsariis provideret. ita tamen, ne unus magis quam alius gravaretur. neque tamen id futurum priuſquam Groningenſes ſuos recepiſsent. Quod ſi Daventriæ imponendi forent equites, cohortem ſuam ſe ad hoc ipſis miſsurum eſse, pro qua ſpondere velit, eam nemini fore moleſtam. futuram quoque hanc præſidii impoſitionem ſumtibus Regiæ Majeſt. unde ſperaret, eam in civitatis Daventrienſis detrimentum non ceſsuram. Senatum porro Campenſem ac Zwollanum (qui ſe ut decet hac in parte geſserint) poſtmodum non neceſse habituros incolas ſuos rogare ut à cœptis ſuis deſiſtant, quod Zwollæ acciderat, ſed integrum eis fore velle ac jubere quæ deinceps cenſerent eſse peragenda. Tandem obtulit Præfectus, ſi qua in re ditioni Tranſiſalanæ, ſive in communi, ſive in particulari favore ſuo ac benevolentia uſui eſſe poſſet, ſeſe id perlibenter facturum. quibus dictis diſceſſus veniam ab eo civitatum delegati petiere.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Abeuntes, cœnaculum in quo menſa cum ornamentis erat iis non inſpectis tranſire volebant, aſtabat autem ei Procurator Generalis Leouardienſis, cum aliis nonnullis Senatoribus Friſicis. is delegatos Tranſiſalaniæ compellans: En, inquit, Domini mei, quantas penes ſe opes habuerint cum caperentur, ſcelesti illi homines qui hic detinentur captivi, quas è monaſteriis, templis, locisque aliis cultui divino conſecratis rapuerant. Acceſſerunt ergo ad menſam Tranſiſalani, & omnia oculis perluſtrarunt. Erant autem quam præſtantiſſima tapetia ex aureo panno aliave materia contexta, veſtes item ſacræ è ſerico & auro, calices, & ciboriorum, quæ vocant, fragmenta, pretioſiſſimæ omnia materiæ, & operis artificioſiſſimi. inter præcipua narrat Bocopius, aulæum auro & ſerico contextum, in quo hiſtoria cœnæ Dominicæ expreſſa erat, opere ita abſoluto & veluti ſpirante, ut arbitraretur, vix quicquam ſimile penicillo pectoris effectum dari poſſe.

Dum delegati Tranſiſalaniæ una cum Senatoribus Leovardienſibus in hiſce ſpectandis occupantur, intrat in cœnaculum juvencula virgo, ſoluto & pexo capillitio, corollam ex rore marino in vertice geſtans, ſponſæ inſtar adornata, inter duas puellas incedens, petebat autem ad Comitem Arembergium admitti, ejuſque pedibus advolvi, rogatura, ut ſigniferum quendam cum Dominis Batenburgi in cuſtodiam conjectum (erat autem nobilis Norimbergenſis) ſibi in matrimonium vellet collocare, quo à morte liberari poſſet. nam capitis ſupplicium omnibus eſſe paratum Harlingâ rumor allatus erat: & Comes novum patibulum erigi curarat, à quo omnes ſuſpendendi dicebantur, quod aſſidue eorum oculis obverſabatur. Verum procurator generalis impedivit mulierem ne Comitem accederet, qui ne quid tale fieret prohibuerat. Cumque, ſpe conveniendi Comitem, ita in cœnaculo obambularet, ut à ſignifero poſſet conſpici, auditum ex eo fuit, mortem ſe malle quam tam humile matrimonium. ſin mortem evaderet, ſe munere eam aliquo proſequuturum. Tandem omnes dimiſſi ſunt, quicunque Regiæ Majeſt. ſubditi non erant. Batenburgi autem Domini cum aliis compluribus, Bruxellam abducti, poſtquam ad tempus in cuſtodiam detenti fuiſſent, capite luerunt.

Daventrienſes, cum graviter ferrent præſidium ſuæ urbi imponendum, nec operæ nec ſumtui parcendum arbitrati ſunt, quo ab illo onere ſe expedirent. quo fine delegatos ſuos Bruxellam ad Arembergium denuo miſerunt, qui euſque perſuaſit Duciſſam, ut, ſi Daventrienſes in ſequentes articulos conſentirent, præſidio eximerentur. articuli habebant ut ſequitur: mulctæ autem & alia nonnulla mutata fuerunt, Duciſſæ indulgentiâ:

„ Quandoquidem ſuperiore anno, novitas quædam in concionibus ha-
„bendis, & mutatio veteris Chriſtianæ & Catholicæ religionis in urbem
„Daventrienſem introducta, ibidemque ad tempus retenta ac continuata

„fuit,

„fuit, ad cujus abolitionem, nec non conſervationem ejuſdem urbis Illuſtr.
„ac celſa Princeps Duciſſa Parmenſis Belgii Gubernatrix militarem manum
„præſidii vice eidem urbi imponi juſſerat, verum precibus ac rogatu Se-
„natus ejuſdem urbis permota, ut ab eo ſuperſederetur acquievit, tenebun-
„tur Daventrienſes, è veſtigio, ac ſublata omni mora ejuſcemodi novita-
„tatem ac mutationem abrogare, ſi id nondum ſit factum, omniaque ad
„veterem, Chriſtianam ac Catholicam religionem ſpectantia, ad priſtinum
„ſtatum reducere, eandem inviolatam cum cultibus ac ceremoniis antiqui-
„tus receptis tueri, nulla nova religione ejuſve exercitio deinceps conceſſo
„aut admiſſo: Idque ut rite fiat, proſpicient ſibi de idoneis Paſtoribus, re-
„ligione Catholicis, & Preſbyteris ad docendum aptis ac vita inculpatis.
„Nemini porro intra urbem, cujuſcunque qualitatis aut conditionis, licebit
„ulla conventicula aut clandeſtinos publicoſve cœtus, concionandi, aut
„ſimilia peragendi cauſa habere, aut opem auxiliumve quo id fiat imper-
„tiri, cui rei exequendæ Senatus ejuſdem civitatis ſedulo ac rigide invi-
„vigilabit, neque ex ſua parte ulla diſſimulatione, favore, dilatione uſu-
„rus, aut ut quiſquam utatur permiſſurus eſt, ſed actiones ejuſmodi, & per-
„ſonas de iis ſuſpectas impediet, compeſcet, puniet, neque ulla ratione cum
„tranſgreſſoribus hujus mandati connivebit, ſub pœna ac multâ infra ſpe-
„cificatis, ſi contingeret Senatum hac in parte negligentem deprehendi.

„Adhæc Daventrienſes in creatione Magiſtratus eligent viros præſtantiſſi-
„mos, & veteri ac Catholicæ religioni addictos, operamque dabunt, ne
„ſub juriſdictione ſua ullæ ſcholæ aut ludimagiſtri permittantur, novam re-
„ligionem ſive ſectam profeſſi. Nec Rectores aut hypodidaſcalos recipient,
„antequam ii à Paſtoribus & aliquot è Senatu examinati fuerint, iiſque ſa-
„tisfecerint. Atque hæc uſque ad adventum ſuæ Majeſt. & donec ab ea ne-
„gocio religionis aliter fuerit proſpectum.

„Urbs porro ejuſque portæ ſemper patebunt ſuæ Majeſt. ut præſidiarium
„militem ei immittat, quandocunque vel Regiæ Majeſt. vel Ill. Duciſſæ
„viſum fuerit. Denique gerent ſe in poſterum Daventrienſes pro eo ac decet
„obſequentes & fideles ſuæ Majeſt. ſubditos, juxta Tractatum inter celſæ
„memoriæ Cæſaream Majeſt. & ditionem Tranſiſalanam ſancitum.

„Omnia ſub pœna amiſſionis ſuorum privilegiorum, & mulctâ centies
„mille coronatorum, ſi Senatus illius civitatis in hiſce ſuo Officio defue-
„rit. In quorum fidem debitas literas urbis ſigillo munitas quibus jam dicta
„inſerta erunt, in meliori forma expedient ac tranſmittent. Actum Antver-
„piæ XVII Julii, Anno CIↃIↃLXVII.

Delegati Daventrienſes gravamina ſua Comiti Arembergio tradiderunt.
quæ magno erant numero, ea vero Comes ad Duciſſam Antwerpiâ miſit.
Ipſe autem cum Antwerpiæ diutius hæreret, cum venia ejus Delegati ad ſuos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

reverſi ſunt, pollicebatur autem ſe eos de omnibus facturum certiores. prout fecit XXVIII Julii in hæc verba:

„ Honorati, prudentes, ſingulariter dilecti. pervenit ad nos hodie de-
„cretum Illuſtriſs. Celſiſſimæque Principis, Duciſſæ Gubernatricis, & ſuper
„articulis qui delegatis veſtris hic fuerunt traditi, & gravaminibus quæ ſingu-
„lis eorum oppoſuerunt, juxta quæ in mutationes & additiones veſtras, ro-
„gatu eorundem veſtrorum delegatorum, Ill. ſua Clem. conſenſit. exceptis eis
„quæ ſpectant amiſſionem privilegiorum, & mulctam centies M. corona-
„torum, in caſu defectus aut tranſgreſſionis eorundem articulorum, in qui-
„bus Ill. ſua Clem. perſiſtit, neque ullo modo conſentit in alternativam à
„delegatis veſtris motam. quanquam multa cum difficultate eo negocium
„perduxi, ut mulcta de qua dixi ad triginta M. florenorum aureorum fue-
„rit imminuta. prout plenius ex adjuncto hiſce conceptu articulorum per-
„cipere licebit: quem ocyus ad vos tranſmittere viſum eſt, ut ſuper eo cum
„Tribb. pleb. aut aliter, prout conſultius judicabitis, deliberetis ac decerna-
„tis, noſque ſine mora de veſtra ſententia faciatis certiores. Quod ſi ejuſce-
„modi articulos accipere eiſque parere vobis ſit conſtitutum (quâ quidem
„lege a recipiendo præſidio eximendi eſtis) neceſſe erit, debitas literas
„obligatorias ſub civitatum ſigillis in optima forma exaratas ad nos tranſ-
„mitti. Sin minus, non videmus quibus mediis aut modis vos a præſidio
„recipiendo liberare poſſimus. Quapropter, protinus finale veſtrum reſpon-
„ſum ad nos expedite, id enim unice expectantes hic commorabimur.
„Datæ Bruxellæ XXVIII Julii Anno CIↃIↃLXVII. Subſcriptæ erant:
„*Ioannes de Ligny.*

Valde ſollicitos Daventrienſes habuit hoc negocium, qui proinde ſuper hiſce articulis cum civitatibus ſociis Campenſi ac Zwollana conſilium cepere, tolerabilius enim judicabant accipere præſidium, quam in ejuſmodi articulos per litteras obſignatas conſentire. Tandem viſum eſt, ad articulos per epiſtolam modeſte reſpondere, & æquas conditiones offerre, ſiqua forte precibus adhuc nonnihil obtineri poſſet: quæ ſi ſpes decollaret, patienter ferendum eſſe quod Illuſtr. ſuæ Clem. ſuper immittendo aliquot militum præſidio placeret ſtatuere.

Hiſce peractis Senatus Daventrienſis Tribb. pleb. convocavit, ac de articulis hiſce conſilia cum eis contulit, ac multis ultro citroque diſceptatis, concluſum eſt, ad articulos illos reſponſum ad Aremb. Comitem mittendum, & ſingulis eorum tolerabilem ſubjungendam oblationem. cui ſi non acquieſceretur, patienter quod de immittendo milite ſtatueretur expectandum eſſe. Confectæ ſunt hæ literæ a Senatu ac Tribb. pleb. civitatis Daventr. ad Arembergi Comitem, in hæc verba:

„ Nobilis, Generoſe, Clementiſs. Domine: Clem. tuæ obſequia noſtra,

„ & quæ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„& quæcunque corporibus ac facultatibus noſtris poſſumus, quam para-
„tiſſima ſunt. Clem. Domine: Literas tuas datas XVIII. hujus menſis
„Julii, una cum incluſis articulis accepimus, legimus, ac inſuper audi-
„vimus ea quæ inter Clem. T. & noſtros delegatos acta, quæ noſtra grava-
„mina, quaſve ſolutiones ad exhibitos ſibi Bruxellæ à Clem. T. articulos
„repoſuerint. omnibus autem debite conſideratis, quo ſæpius ea expendi-
„mus, eo plures ac majores in eis deprehendimus difficultates. quarum hæc
„vel maxima eſt, quod civitatis noſtræ privilegia obſtringere, mulctis ſub-
„jicere, & poſteros noſtros ac necdum natos in periculum conjicere jube-
„mur. quod non ita dictum volumus, ac ſi vel minimum cogitemus, ne-
„dum ſtatuerimus nos aliter gerere quam fideles ac obedientes ſubditos de-
„cet. Novit enim Clem. Tua, quod ad reliquos obedientiæ actus,
„ab eo tempore quo hujus ditionis Præfectum egit, nos aſſidue tum erga
„Cæſ. Majeſt. tum deinde erga Regem præſentem noſtrum Clementiſs. Do-
„minum, tum erga tuam Clem. ea obſequii, promtitudinis & alacritatis
„ſigna edidiſſe, ut confidamus, neminem eſſe qui nos ullius inobedientiæ
„accuſare valeat, aut vel minima occaſione ſequioris ſuſpicionis nos gra-
„vare. quod vero ad negocium quod nunc urgetur, eo tempore, quo
„præter omnem noſtram expectationem, extra hanc urbem prima habita
„fuit concio, T. clementiæ immediate poſt hoc factum ad nos venienti
„demonſtravimus, & inconſultum, & penitus in poteſtate noſtra non fuiſſe,
„tantam hominum, qua incolarum, qua peregrinorum turbam tum tem-
„poris profligare. quod & T. Cl. tunc pro eximia ſua prudentia ita ſe ha-
„bere agnoſcere potuit. Exinde etiam non ſemel per delegatos noſtros ſigni-
„ficavimus, quam urgentibus & neceſſariis de cauſis, mutationem religionis
„ex formula Confeſſionis Auguſtanæ in uno tantum templo, idque ad tem-
„pus, donec à Reg. Majeſt. aliter ſtatutum foret, permiſerimus, ut videlicet
„ea ratione impediremus, ne templa expilarentur, aut imagines confringe-
„rentur, quod in aliis non paucis ſuæ Majeſt. ditionibus contigerat, & hic
„quoque futurum timebatur, licet non tam per incolas quam per peregrinos,
„qui eo tempore, utpote liberarum nundinarum, magno numero huc con-
„fluxerant: utque cives & incolæ hujus urbis in pace ac tranquillitate, &
„affectu ac obedientia ſuæ Majeſt. debitis continerentur. prout &, laus ſit
„Deo, dictæ inſolentiæ hic neutiquam contigerunt, & incolæ tranquille
„& pacifice pariter hactenus vixerunt, neque adverſus ſe mutuo, atque ita
„adverſus Regiam quoque Majeſt. arma unquam ſumſerunt. Adhæc Clem.
„T. ex rei veritate affirmavimus, neque factum mutamus, ne unum quidem
„è Senatu aut privatis etiam civibus, quod quidem ad noſtram notitiam per-
„venerit, ulli confederationi cum extraneis Principibus aut Dominis ſeſe
„illigaſſe: neque in hac urbe vel Conſiſtorii vel ſimilis conventus celebrati

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„nos conſcios eſſe. Præterea Cl. T. reminiſci poteſt, ſimulac ab Ill. Cel-
„ſiſs. Principe Duciſsa Parmenſi, Gubernatrice, Clem. noſtra Domina ſcri-
„pto fuimus moniti & requiſiti, ut bonis ac commodis mediis factam mu-
„tationem pacifice abrogaremus, nos hortante T. Clem. omnes rationes
„tentaſſe, quibus abſque motu ea innovatio aboleretur. quod ipſum tandem
„ſalva civium noſtrorum concordiâ effectum dedimus, & veteres conſuetu-
„dines, ritus ac ceremonias poſtliminio inſtauravimus. Quibus de cauſis, &
„ob alias rationes T. Clem. antehac coram ſæpius à nobis recenſitas, non
„potuimus in animum inducere articulos ejuſcemodi, etiam ſub conſenſu in
„pœnas ita graves, nobis impoſitum iri. Ut autem Illuſtriſſimæ Principi, &
„T. quoque Clem. ſatisfiat, noſq; a receptione præſidii immunes eſſe quea-
„mus, ſuper tranſmiſſis ad nos a T. Clem. articulis, de quibus cum Tribb.
„pleb. noſtræ civitatis conſilium cepimus, ac quid agendum videretur unâ
„ſtatuimus, oblationes noſtras ac promiſſa quam poſſumus demiſſe propone-
„mus. Primo tamen & ante omnia rogantes ac obſecrantes Ill. Duciſsam,
„ut conſideratis rationibus hactenus enarratis ac nativæ ſuæ bonitatis ac cle-
mentiæ ductu, nomine Majeſt. Regiæ ignoſcat ac indulgeat, quod citra ſuæ
„Majeſt. & Ill. ſuæ Clem. expreſſum aſſenſum dictam mutationem, habita
„temporis ratione, hujus civitatis incolis in uno duntaxat templo conceſſeri-
„mus. Deinde, quum mutatio illa & innovatio in eodem templo penitus
„ſit abolita, & antiquitus conſueti ritus ac ceremoniæ reſtitutæ, ut & iidem
„ritus ac ceremoniæ in reliquis templis ac monaſteriis inviolatæ ſemper
„remanſere, neque cuiquam è clero injuria ulla aut damnum illatum, offe-
„rimus nos tanquam fidos ac obſequentes ſuæ Majeſt. ſubditos, & firmiter
„hoc noſtro ſcripto pollicemur, eoſdem veteres ac conſuetos ritus ac ce-
„remonias in eodem & reliquis templis, imperturbatas deinceps retinen-
„das ac obſervandas eſſe: noſque impoſterum neque in hac urbe, neque in
„ejus juriſdictione, ullius innovationis auctores fore, neque ullius novæ
„religionis exercitium recepturos aut permiſſuros eſſe, ſed obedienter ex-
„pectaturos quod Reg. Majeſtati de ea gratioſe ſtatuere fuerit viſum. Noſ-
„que eo fine, de docto aliquo, & neceſſariis animi dotibus inſtructo, at-
„que ex præſcripto Bullæ Pontificiæ qualitatibus ad hoc requiſitis ornato
„Paſtore, Eccleſiæ Divæ Virginis proſpecturos eſſe. quem Dominis capi-
„tularibus (juxta antiquitus receptum morem) præſentabimus, ut Paſtora-
„tus in eum conferatur, Eccleſiæ ipſe præficiatur. ac recipimus, nos pro
„virili operam daturos, ne in hac urbe a quoquam cujuſcunque Ordinis
„aut conditionis clandeſtini cœtus aut conventicula, ſive concionibus ha-
„bendis, ſive aliis religionis exercitiis clam palamve habeantur, noſque id
„ipſum impedituros & ad impediendum omnem diligentiam adhibituros.
„ac ſiquis in ejuſmodi actu deprehenſus fuerit, pro delicti qualitate in eum
„animad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„animadverſuros. Quod ad innovationem Magiſtratus attinet, quæ in civi-
„tate noſtra penes Tribb. pleb. eſt, pollicentur iidem, ſe in innovatione Ma-
„giſtratus tales eſſe electuros, quos pro poſſe ac noſſe, aptiſſimos & utiliſſi-
„mos bono publico procurando fore compererint, vigore juramenti, quod
„ab ipſis quotannis præſtatur hac formulâ: Confirmamus ac juramus, nos
„in numerum Scabinorum ac Conſiliariorum, nec non Tribb. pleb. allectu-
„ros, prudentiſſimos, optimos, & utiliſſimos bono noſtræ civitatis, ita nos
„Deus adjuvet & omnes Sancti ejus. Inſuper, nonnullos è Senatu, ad eam
„rem maxime idoneos delegabimus, ad præcavendum, ne in hac urbe aut
„juriſdictione ulli ludi literarii aut ludimagiſtri novam religionem aut ullas
„ſectas profeſſi admittantur, neve ulli Rectores aut hypodidaſcali reci-
„piantur, niſi a Paſtore & Senatus delegatis antea examinati & muneribus
„illis obeundis ſufficere judicati fuerint. Omnia uſque ad adventum Re-
„giæ Majeſt. ejuſque circa negotium religionis ſancienda decreta. Poſtre-
„mo, deinceps quoque inhærere parati ſumus Tractatui inter Cæſ. Majeſt.
„celſæ memoriæ, & hanc ditionem Tranſiſalaniæ ſancito, & ab Regia Majeſt.
„confirmato, in omnibus agentes noſque gerentes prout fideles ac obe-
„dientes ſubditos decet, ſemperque portas hujus civitatis apertas habebi-
„mus; ad uſum & arbitrium ſuæ Majeſt. & Illuſtriſ. Principis. prout ad id
„faciendum nos teneri agnoſcimus, noſq; & noſtri majores hactenus quam
„libentiſſime fecimus. Quod ſi nos Coſ. Scabini & Conſiliarii cum no-
„ſtris Tribb. pleb. adverſus hæc ullam mutationem religionis in hac urbe
„ejuſve juriſdictione iterum permiſerimus, neque nos ita obſequenter erga
„Regiam Majeſt. & Illuſt. Principem geſſerimus, ut fidis ſubditis eſt con-
„ſentaneum, id quod, volente Deo, non eveniet, coram Regia Majeſt.
„damnates erimus triginta M. florenorum aureorum, ſimulac deliquerimus
„perſolvendorum. Quod autem, Clem. Domine hic omiſerimus pœnam
„amiſſionis privilegiorum & jurium civitatis noſtræ, quæ majores noſtri
„a variis Imperatoribus, Regibus ac Principibus, antequam hæc Regio ad
„Cæſaream Majeſt. ſolenni Tractatu tranſiit, obtinuerunt, & hactenus
„conſervarunt, quæque nobis à ſua Majeſt. in dicto tractatu ſtabilita ſunt,
„facile ſummæ tuæ prudentiæ conſtare poteſt, id nullo periculoſo conſilio,
„ſed ea tantum ratione factum, quia noſtro judicio id minime ſit neceſſa-
„rium, cum Regia Majeſtas Clement. noſter Dominus, quotieſcunque pro-
„miſſis noſtris non ſteterimus, nos in ſua poteſtate habeat, nobis autem
„non conveniat, ea, quæ noſtro tempore non ſumus nacti, in præjudi-
„cium noſtræ poſteritatis pœnæ aut multæ nomine alligare, aut ulli adeo pe-
„riculo ſubjicere, maxime cum privilegiorum illorum nonnulla aliqua ex
„parte tum ſocias duas civitates, tum totam ditionem concernant. Spera-
„mus autem, nos eum in modum nos geſturos, ut Regiæ Majeſtati appareat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„nullam ejuſmodi obligationem fuiſſe neceſſariam, neve Clem. Tuæ noſtra „cauſa eo nomine quicquam imputetur. Secundum hæc omnia, Clem. „Domine, ea ſpe nos ſolamur, fore ut Ill. noſtra Princeps & T. Clem. hiſce „noſtris oblationibus ac promiſſis gratioſe acquieſcant, & a præſidiario mi„lite nos immunes præſtent. rogamus etiam Clem. T. tanquam clementiſ„ſimum noſtrum Præfectum quam officioſiſſime, ne nos in hac noſtra ca„lamitate deſerat, ſed gratioſe apud Illuſtriſſimam Principem pro nobis in„terveniat ac deprecetur, quo noſtris oblationibus ac promiſſis acquieſcat, „neque præſidio nos gravet. Quod ſi tamen denegatum fuerit (id quod „minime ſperamus, quando, ut dictum eſt, obtulimus nos omnia conſtanter „eſſe facturos quæ fidorum ſunt ſubditorum, pro virili noſtra parte) patien„ter nobis ferendum erit (licet id perquam grave nobis accidet, & hujus „urbis perniciem, ac exigui mercimonii interitum ſecum trahet) quod ſuæ „Ill. Clem. circa immittendum præſidiarium militem de nobis gratioſe „placuerit decernere. ea interim ſpe freti, fore ut privilegia ac jura hujus „civitatis ſalva & intemerata nobis remaneant. Deus Te Clem. Domine in „diuturno ac felici regimine ſoſpitem eſſe velit. Datæ Daventriæ ult. Julii „CIↃIↃLXVII.

Hanc porro ſchedulam huic epiſtolæ inſeruerunt Daventrienſes:

„ Poſt ſcripta: Nobilis & Generoſe, Clem. Domine. Quod paulo tar„dius quam ſperaveramus ad T. Clem. literas & tranſmiſſos articulos re„ſpondemus, rogamus, quam officioſiſſime, ne in ſequiorem partem T. „Clem. accipiat, dilata enim res fuit, ob difficultates in artt. repertas, ſu„per quibus maturo conſilio cum noſtris Tribb. pleb. communicandum ac „decernendum fuit, quod non ita propere potuit abſolvi. rogamus etiam „Clem. T. quam poſſumus demiſſe, tanquam benevolum noſtrum Præfe„ctum, de quo quam optimam ſpem ac fiduciam ſemper habuimus, ut apud „Ill. Duciſſam gratioſe pro nobis deprecari velit, ut oblationes ac promiſſa „noſtra clementer admittat, noſque a præſidiario milite accipiendo liberos „eſſe patiatur. quod ſi non fuerit impetratum (quod tamen confidimus „futurum) ut in tali caſu Clem. T. reminiſcatur gratioſæ promiſſionis de„legatis noſtris factæ, ac pro nobis obtineat, ut decenter & ordinate præſi„dium ad nos veniat. Quo nomine ad debitam grati animi ſignificationem „nos T. Clem. devinctos agnoſcemus. Datum ut in literis.

Comes Arembergius haſce literas Daventrienſium Duciſſæ Parmenſi communicavit, & eo rem deduxit, ut hac vice Daventrienſes à recipiendo præſidio fuerint excuſati. Id quod Comes eis notum fecit per literas, ut ſequitur:

„ Honorati, prudentes, ſingulares amici: Literas veſtras ultimi præteriti „menſis ſcriptas accepimus, quibus reſponſum continetur ad noſtras præce-

„daneas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„daneas, & iis adjunctos articulos, ſub quorum acceptatione ac obſerva-
„tione à recipiendo præſidio militari eſſetis eximendi. Poſtquam autem
„illud veſtrum reſponſum Ill. Principi Duciſsæ Parmenſi Gubernatrici ex-
„hibuimus ac communicavimus, quo ulteriorem ejus ſuper eis ſententiam
„reſciſceremus, præſertim in iis quæ attinent ad reſponſum ad nonnullos
„è dictis articulis, & gravamina eo nomine allegata;

„Significatum fuit nobis, ea ſpe fuiſſe Ill. ſuam Clem. quod tam æquos
„& juſtos articulos, conſiderata rei ac temporis ratione, abſque ulla diffi-
„cultate aut ulteriori diſceptatione fuiſſetis admiſſuri. Nihilominus, quan-
„doquidem pœnam jacturæ privilegiorum veſtræ civitatis prorſus omiſiſtis,
„mulctam autem triginta M. florenorum aureorum duntaxat in vos recipi-
„tis, nec non ſilentio involvitis quod attinet ad electionem Magiſtratus ejuſ-
„dem civitatis, obſtrictos vos fore ad ei accenſendos ac delegandos anti-
„quæ Catholicæ religioni addictos, quod articulo illo continebatur, ſub
„involucro generalis juramenti quod quotannis ab electuris præſtatur, &
„oblatione ac promiſſo vos gerendi ut bonos ac obſequentes Regiæ Majeſt.
„ſubditos decet, ac omne adhibendi ſtudium ac diligentiam ad reliquorum
„articulorum obſervationem procurandam, Illuſtriſs. ejus Clem. conceſſit
„ut hac vice præſidio non gravemini, & quantum ad pœnas, permiſit etiam
„eas ex articulis expungi, ne triginta quidem M. florenorum aureorum
„exceptis. Interim ſibi reſervat, in caſu tranſgreſſionis eorundem articulo-
„rum, aut officii veſtri in iis obſervandis neglecti, ſeſe in integro remanere
„velle, & nomine Regiæ Majeſtatis adverſus vos ejuſcemodi pœnis ac
„mulctis procedere, prout ex jure & juſtitia requiretur. ac inſuper teneri
„vos in creatione Magiſtratus eos nominare ac delegare, qui & honoratiſſi-
„mi, & veteri Catholicæ religioni addictiſſimi eſſe noſcentur. quum hæc
„ſit ſuæ Majeſt. extrema & immota voluntas. neque hac in parte ullum in-
„tervenire defectum fas erit. Si enim ſuæ Majeſt. innoteſceret vos hac in
„parte minus obſequentes eſſe, & in Senatum allegere eos qui diverſæ eſſent
„religionis, poſſetis vos in periculum conjicere, jus electionis omne amit-
„tendi. Atque hæc omnia ſalvo ſuæ Majeſtatis aſſenſu, & donec ab ea aliter
„de tota hac re proſpectum fuerit. Quamvis autem bona ſpe freti ſimus
„vos perfecte huic Ill. ſuæ Clem. voluntati obſequuturos, (à quo quies ve-
„ſtra, pax, & res ſecundæ dependent, quod & nos movit ut rem hanc ſummo
„ſtudio apud Ill. ſuam Clem. promoveremus ac ad optatum exitum dedu-
„ceremus) volumus vos iterato monitos, ac nomine & loco Regiæ Majeſt.
„vobis ſerio præcipimus, hoc negocium ita ad animum revocare, inque eo
„tales vos ipſo opere exhibere, ne anſa detur ſuæ Majeſt. de alio remedio
„cogitandi, ac in nos peccati veſtri opprobrium ac invidia redundet.
„E veſtigio autem per tabellionem veredarium de eo quod decreveritis
„nos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„nos facietis certiores. Valete. Datæ Bruxellæ v. Auguſt. Anno c I ɔ
„I ɔ LXVII.

Dux Albanus cum circa hoc tempus ſucceſſiſſet in Gubernationem Ducisſæ Parmenſis, ad regionem Tranſiſalanam, ut ad reliquas omnes Majeſt. Regiæ literas quibus mandata ei provincia continebatur tranſmiſit, quibus & ſuas adjunxit. quæ, quia omnes unius argumenti erant, hic præteribuntur.

Diomedes Cornarius Hiſtoriarum admirandarum Hiſt. XIV. & Paulus Eberus Kalendario hiſtorico, referunt, hoc anno XIV die Junii inter Zutphaniam & Daventriam, a militibus Hiſpanis, maritum cum ſua uxore ſuſpenſum fuiſſe, uxor cum pependiſſet per horas IV. diuque mortua eſſet, gemellos vivos peperit. *Greg. Nymanus Diſſert. de vita fœtus in utero p.* 28.

Ioannes Dorrius Daventrienſis, ſcripſit Carmine Elegiaco, *Encomium Ducatus Gelrici*, Coloniæ hoc anno excuſum, & annexum compendio Chronici Geldrici Henrici Aquilii.

Hoc anno Daventriæ ſtructa fuit porta concinni operis, quam vocant *de Duympoorte*. forte, de *Dompoorte*, quod ſit prope Eccleſiam Cathedralem S. Lebuini.

Anno c I ɔ I ɔ LXVIII. XIII Januarii Segerus a Groeſbeke Præfecti Friſiæ ac Tranſiſalaniæ vices gerens, ad monaſterium dictum Ter Hönnepe prope Daventriam venit, ac a Senatu Daventrienſi ſcriptis literis petiit ut eo delegatos ſuos mitterent, quod & factum eſt. quibus ille dixit, ſe civitati Daventrienſi animo benevolo ſuadere, rogarent Albanum, ut militum manum in urbem mitteret, ad ejuſdem cuſtodiam, id enim ei pergratum fore, & quicquid hactenus ab eis commiſſum eſſet, obliteraturum. reſponderunt delegati, ſe de ea re ad Senatum relaturos, ac poſtridie quod decretum eſſet ei renunciaturos. die inſequenti ad Groeſbekium reverſi, indicarunt ei, ob multas rationes id non expedire. Qui tamen non quievit, ſed paulo poſt Arnhemio Daventriam profectus denuo de petendo præſidio cum Senatu egit, ſed idem reſponſum accepit.

XXV Febr. Groeſbekius cum Cancellario & Conſiliariis Tranſiſalaniæ videlicet Balduino a Roon Cancellario, Roberto vander Beke Quæſtore Sallandiæ, M. Godefrido ab Ooſtendorp, & M. Henrico a Tiel Campos venerunt, ubi Senatui ſignificarunt, ſe ab Albano in mandatis habere, ut ad civitates Daventrienſem, Campenſem, Zwollanam profecti, eas ſerio monerent, uti operam darent quo viri Catholicæ religioni addicti in Senatum allegerentur, idque præveniendis ulterioribus incommodis, quæ, ſi ſecus fieret, eſſent metuenda. idemque in reliquis urbibus fecere, quibus apographa literarum quas ab Albano acceperant communicarunt. In hanc autem ſententiam eæ ſcriptæ erant.

„ Strenui,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Strenui, honorati, probi, ac ſingulariter dilecti: Quandoquidem in-„dicium nobis factum fuit eorum quæ annis hiſce præteritis varie in Belgi-„cis regionibus contigere, deprehendimus in multis civitatibus penes Ma-„giſtratus rerum ſecus ac oportebat geſtarum non levem culpam fuiſſe. quæ „res magna ex parte in cauſa fuit cur in iiſdem civitatibus innovationes circa „religionem, ſeditiones, perturbationes publicæ quietis, ac ſimilia mala & „facilius fuerint exorta, neque ea ſedulitate quam adhibitam oportuerat, „fuerint averruncata. Quod ut impoſterum præcaveatur, volumus mature „conſervationi publicæ quietis & felicitatis earum civitatum, civiumque ac „incolarum in iis commorantium proſpici. Quapropter nomine & vice „Majeſt. Regiæ Clem. noſtri Domini vobis præcipimus, ut ante innovatio-„nem Magiſtratuum in urbibus Daventrienſi, Campenſi, Zwollana, vos ad „eas conferatis, & noſtris verbis earundem Magiſtratibus ſerio annuncietis „ac mandetis, ne ullos alios in Senatum aſciſcant, quam qui publice noti ſunt „ex animo ac ſincere Catholicæ religioni eſſe addicti, ſub pœna ut, ſi hac in „re defectus inciderit, deinceps jus creandi Magiſtratus ad Majeſt. Regiam „devolutum iri intelligant. Volumus autem ut omni ſtudio invigiletis, quo „huic mandato obſequium præſtetur, nobiſque ſcripto tranſmittatis nomina „& cognomina eorum qui in Magiſtratum recens fuerint allecti, quique in „eo gerendo fuerint continuati, quo conſtare nobis poſſit, an eorum electioni „merito poſſit intercedi. Quod ſi de quopiam eorum contingeret dubitari, „curabitis receptionem eorum tantiſper differri, dum nos de re tota certiores „facti, ulteriorem noſtram de ea ſententiam manifeſtaverimus. Denique ut „ea quæ ipſi circa hanc rem geſſeritis, & quæ vobis eo nomine obvenerint, „nobis quamprimum ſignificetis. Nolumus autem vos neſcire, quum Co-„mes Arembergius ſuperiori æſtate ageret cum civitatis Daventrienſis dele-„gatis, eos, præterquam quod ex officio ad id tenebantur, inſuper (ut in-„audivimus) diſerte promiſiſſe ac recepiſſe, nullos ſe alios in Senatum „allecturos, quam Catholicos ut ſupra. unde tanto magis eos decet in hac „re fidem ac diligentiam ſuam comprobare. Benevolè autem vobis affecti „ſumus. Datæ Bruxellæ ult. Januar. CIↃIↃLXVII. ſtylo Brabantico. (*ita apud Bocopium ſcriptum inveni. certum autem eſt hæc geſta eſſe Anno* CIↃIↃLXVIII. ſimile habebimus ad annum CIↃIↃLXIX.)

Die converſioni S. Pauli conſecrato, cum ex veteri more Zwollæ creandus eſſet Magiſtratus, Tribb. pleb. XII Electores ſorte ducta conſtituerunt, hi Ditericum a Twenhuyſen, virum, ſiquis alius, Pontificiorum partium, in electione præterierunt, ejus autem loco Doctorem Mommium, Rectorem ludi literarii elegerunt, is autem dicebatur a Confeſſione Auguſtana non alienus eſſe.

IX Martii ſequente, Groeſbekius Zwollam venit, & nonnullos è Senatu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

quibuſcum loqueretur popoſcit: octo ad eam rem delegati fuere, quibus dixit, non dubitare ſe, quin adhuc ſint memores, ſeſe cum Cancellario & Conſiliariis Tranſiſalaniæ, nomine Ducis Albani ſerio ipſos monuiſſe, exhibito etiam apographo ſui mandati, nequem in Senatum allegerent qui non religionem Catholicam profiteretur, jam vero, hiſce non obſtantibus, eos præteriſſe virum Catholicum Ditericum a Twenhuyſen, elegiſſe autem hominem circa fidem ſuſpectum, videlicet Doct. Mommium. addebat, ſe Ducis Albani nomine ejus injungere, ut eundem Mommium Magiſtratu moverent, ac alium ejus loco ſubſtituerent.

Ad quæ Senatus delegati dixere: Veterem & ante omnem hominum memoriam uſitatum Zwollæ morem fuiſſe, ut in die converſionis Pauli duodecim è Tribb. plebis ſorte deligerentur, qui Senatum vigore præſtiti ab ſeſe juramenti crearent. eos juramento ſuo hac in parte ſatisfeciſſe, neque ſuæ poteſtatis eſſe quicquam in eo innovare. Carolum V. primum ſuum Dominum hæreditarium hanc ipſorum conſuetudinem ſtabiliviſſe, ac pollicitum fuiſſe ſeſe eam ipſis ſartam tectam præſtiturum. petere ergo ſeſe ut electioni factæ acquieſceretur. Quibus reſpondit Groeſbekius, ſe aliud in mandatis habere, & ſi Mommium dimittere detrectarent, ſibi injunctum eſſe ut XIV ſigna peditum Zwollæ immitteret. ſimulque exhibuit literas Ducis Albani, quibus prohibebat ne ludimagiſtri aliive ſuſpecti eligerentur.

Doct. Mommius hiſce intellectis coram Senatu & Tribb. plebis comparuit, quibus indicavit, diſpliciturum ſibi ex animo, ſi civitas ſua cauſa in lites aut moleſtias incideret, petiitque ut ſeſe præſtito juramento & impoſito munere exolverent, quod & factum. Id Groeſbekio cum indicatum fuiſſet, dixit Doct. Mommium prudenter egiſſe. atque ita in Germaniam diſceſſit.

x. Maji, Comite Arembergio è Gallia quo conceſſerat, reduce, & Vollenhoviam Profecto, Senatus Campenſis poſtridie ejus diei Henricum Dye Wolphium, & Arnoldum a Bocop ad eum delegavit, qui ei reverenter reditum gratulati ſunt, quod officium Comes benevole accepit, decumbebat autem è podagrâ & vehementi dolore torquebatur. Ac inter alia eis retulit, ea ſe ſpe fuiſſe, fore ut poſt ſuam in Galliam profectionem deinceps aliis laboribus ac moleſtiis exolveretur: verum quum jam militares quædam manus Dammæ & Weddæ tractum infeſtum redderent, juſſum ſe ab Albano eo confeſtim advolare, id quod recuſare ſibi difficile eſſet, quum res in ſuâ præfectura gereretur. ſtatuiſſe tamen parcere huic ditioni quantum in ſe eſſet, ac procuraſſe, ut milites ſui Gennemudâ & Sluſâ ſolventes navibus ad deſtinatum locum veherentur.

Dehinc cum Arnoldo a Bocop ſeorſim, lecto ſuo aſtante, de multis variiſque rebus collocutus eſt; inter alias, inaudiſſe ſe, multos ex Hollandia, Groninga & agro Groningano, exules Campis domicilium poſuiſſe, auctorem

rem ſe eis eſſe ut illis ſeſe exonerarent, alioqui fieri poſſe ut civitati infortunium crearetur. reſpondit Bocopius, exules illos honeſte ſe gerere, neque quenquam lædere, nec videre ſe ubinam hi tales tandem receptum inventuri eſſent, aliaque illi tempori accommodata diſſeruit. cui regerebat Comes: Ah! Hiſpanos ignoratis. ad me reſpicitis, à me adjumentum ſperatis, qui nihil poſſum. nulla illis fides eſt, neque vel minimum eis tuto credi poteſt. ego eos novi, ut qui conſiliis eorum interſim. Obteſtor te ut de hoc negotio ſollicitus eſſe velis. Poſt hæc petita à Præfecto venia, delegati ad ſuos diſceſſerunt.

XIII Maji Arembergius Vollenhoviâ Groningam petiit, podagra adhuc vehementer vexatus. XXII ejuſdem menſis adiit eum Curtius Martinengus Hiſpanus, dixitque, conſultum ſibi videri ut in hoſtem moveretur: cum Comiti magis placeret, habita valetudinis ſuæ ratione, expectari Comitem Meganum cum ſuis copiis, id in eam partem ſe accipere ſignificavit Hiſpanus, ac ſi Comes, præ timiditate, negocium differri vellet. quo ille intellecto armavit ſe ac equo conſcenſo una cum Curtio hoſtem quæſivit. cum ſe præ foribus domicilii ſui equo imponeret, idque ægre præ dolore quo tenebatur, nonne, inquiebat, præclarus eques ſum?

XXIII Maji contigit prælium ad monaſterium cui nomen Heyligerlæa, in quo occubuit ab altera parte Adolphus Naſſoviæ Comes, ipſo exitu ſymbolum vexillorum ſuorum comprobans: *Recuperare aut mori*, ex altera Comes Arembergius. equus ejus primo ſub eo ſclopo trajectus fuit, cum quo in foveam præceps actus, à milite quodam ſclopetario interfectus eſt. Multum in eo deceſſit regioni Tranſiſalanæ, quam ex animo diligebat, & conſervandis ejus privilegiis magno ſtudio invigilabat. unde ejus incolæ eum communis parentis inſtar lugebant.

Tranſiſalaniæ Ordines viduam ſcripta Epiſtola in hunc modum conſolati fuere:

„Nobilis, Generoſa, Clementiſs. Domina, Clementiæ Tuæ obſequia „noſtra debita, & quæcunque ſunt virium noſtrarum ſemper quam para„tiſſima ſunt. Clementiſs. Domina, Quandoquidem, proh dolor, reſci„vimus, placuiſſe omnipotenti Deo Nobilem ac Generoſum Comitem „Arembergium Clementiſs. quondam noſtrum Præfectum ex hac ærum„noſa vita evocare, obitus ejus nos vehementer anxit & ſollicitos habuit. „idque eo magis, quod idem piæ memoriæ noſter Præfectus, nomine Regiæ Majeſt. Clementiſs. noſtri Domini, ditioni ac civitatibus Tranſiſalaniæ „magna cum prudentia tranquille ac pacifice multos annos præfuit, privi„legia noſtra gratioſe defendit ac tutatus eſt. Quamvis autem Clementiſs. „Domina, pro eximia tua ſapientia communi hominum ſorte, qua eis divi„nitus impoſitum eſt ſemel mori, ad animum revocata, tibi ipſi ſolatium

„poteris afferre, nihilominus ex animo fideli & obſequente, & ſincero af-
„fectu quo (Deus novit) piæ memoriæ noſtrum quondam Præfectum, ac
„Tuam Clem. ſemper fuimus venerati, intermittere non potuimus, offi-
„cium T. Clem. in tanto mœrore, noſtro alloquio qualecumque ſolamen
„afferendi, ſimulque debita noſtra obſequia præſtandi offerendique, in qui-
„bus perpetuo fideliter nos continuaturos ſpondemus. Deum precamur ut
„T. Clem. una cum ſuis liberis diu ſanam ac incolumem eſſe velit. Actum
„ſub ſigillo civitatis Daventrienſis, IV Junii, Anno CIƆ IƆ LXVIII.

Ineunte illo menſe Dux Albanus ad Zwollanos ſcripſit, præcepitque ut ſacellanum ſuum Stickerum nomine in vincula conjicerent, qui blaſphemias è ſuggeſtu prædicaſſet, ut pro delicti qualitate in eum poſſet animadverti. Senatus Zwollanus eum comprehendi & cuſtodiæ mandari curavit. Dehinc Segerus a Groeſbeeck & ipſe Zwollanis per literas injunxit, ut captivum quæſtioni admoverent, & poſtquam plene eum convicíſſent, laqueo el gulam rumpi curarent. VII Junii idem ſacellanus effracto carcere evaſit, id quod Zwollani Duci Albano per literas ſignificarunt,ut ſeſe in ea re excuſatos haberet rogantes. Adjunxit eorum literis etiam ſuas Ægidius de Monte Epiſcopus Daventrienſis,quibus apud Albanum,Zwollanos in ſacellani fugâ extra culpam eſſe teſtabatur.

Defuncto Arembergio, Albanus Megenſem Comitem Præfectum Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ Regiæ Majeſtatis nomine ejus locum ſubire voluit. ſcripſitq; ad tres civitates, Daventrienſem, Campenſem, Zwollanam, ſeſe eum loco defuncti Præfectum Friſiæ, Tranſiſalaniæ, Groningæ, ac Lingæ creaſſe, qui proinde ut talis ab ipſis eſſet recipiendus. mandabat inſuper, ut Daventrienſes præſidium a Megenſi eo mittendum acciperent, eique de hoſpitiis atque ad victum neceſſariis providerent. In eandem ſententiam ad Daventrienſes literas dedit Megenſis, quæſivitque, an ſi contingeret ac neceſſitas exigeret, ut militarem manum Daventriam immitteret, ad eam recipiendam eſſent parati? Daventrienſes acceptis hiſce literis, è veſtigio ablegant duos è ſuis Senatoribus, Gerardum a Nirte, & Licentiatum Winſemium, qui Groningæ Megenſem convenirent, periculum facturi, an præſidium deprecari poſſent. Hi Megenſi ſignificarunt, cujuſmodi contractus inter ipſos & Parmenſem Duciſſam, nec non Comitem Arembergium conſtitutus eſſet, una cum articulis ad eum ſpectantibus. ſed nullo effectu, adacti enim fuerunt militares copias ſub Mondragonio recipere & accommodare.

Albanus porro, Arembergii loco, Chiappinum Vitellium ſummum caſtrorum Præfectum, Groningam miſit, & cum eo VI Germanorum cohortes ex Megenſis legione, & IV ex legione Ioannis Beuchi; equites item IƆC Germanos, ductore Erico Brunſvico, qui Daventriæ convenire juſſi erant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

erant. mandatum & peditibus, qui in Atrebatibus & Flandris ab Hiergio conſcribebantur, & ſex cohortibus aliis, Duce Caſpare Robleſio Billio, ut cum Brunſvico ſe conjungerent.

Cum vero in Friſiam proficiſci ſtatuiſſet, præmiſſus Daventriam Franciſcus Ibarra, qui annonæ proſpiceret, conquiſitis undique navigiis, quibus eodem tempore peditatus Iſalam, Moſam, Vahalim, & Rheni brachium ſuperius tranſmittere tuto poſſet, quod ſumma felicitate & celeritate factum, quantumvis imbrium frequentia aquæ ultra modum excreviſſent. tandem VI Eidus quintiles Daventriam incolumis pervenit.

Senatus Daventrienſis Albanum in ponte Iſalæ impoſito præſtolatus eſt, ac adventum ei ibidem eſt gratulatus, inde eum deducunt ad domum Præpoſituræ, ubi ei obſequia ſua nomine Regiæ Majeſt. repræſentant, & claves urbis tradunt, ut ejuſdem urbis vigilias ipſe diſponeret rogantes, pingui quoque eum bove, & vini ac avenæ non exigua quantitate donarunt. Albanus Daventrienſibus dixit, ſe ipſis gratias agere, ac munus ipſorum ſibi acceptum eſſe, ſeque apud Regiam Majeſt. tantæ benevolentiæ ad ipſorum decus memorem futurum, claves quoque ipſis reddidit, utque eas, prout hactenus factum eſſet, cuſtodirent monuit. portas porro urbis ea nocte apertas relinqui voluit.

Venerat cum Duce Albano Daventriam filius ejus naturalis, magnus Prior Maltæ. & huic ergo vini cadum donarunt, qui viciſſim ſiquid eorum cauſâ poſſet humaniter obtulit.

Dux Albanus Daventriæ obvium habuit Ioannem Bàrner CCC Germanorum equitum ductorem. hic negocium dat Ioanni Baptiſtæ Montano, & Aurelio Panormitano, Georgio item Macucæ, ut Italorum & Epirotarum quiſque alam, ex iis qui nuper in Gallia dimiſſi erant, conſcriberent. Lupo Acuneæ, ut Hiſpanorum equitum levis armaturæ alam ſcriberet.

Poſtridie cum ſuis, & ala ſclopetariorum equitum cui Monterus præerat, Daventriâ Hammenſe oppidum tendit, ac die ſequenti Covordiam, unde XIV Julii in caſtra juxta Groningam poſita pervenit. Sed nonnulla quæ huc ſpectant paulo diſtinctius è MS. Everardi Hemmingii, qui tum temporis Daventriæ Magiſtratum gerebat, recenſebimus:

In feſto encæniorum S. Spiritus Daventrienſes primos milites acceperunt, videlicet equites Ioannis Barner, qui ibi hæſerunt per tres hebdomadas, & encæniis majoribus inde diſceſſerunt.

Encæniorum majorum profeſto, ipſe Albanus cum VI. Hiſpanorum cohortibus ac pluribus aliis Daventriam intravit, ac poſtridie cum omnibus copiis movit in Friſiam, ita ut urbs à militibus penitus vacua relinqueretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Eodem die ſub veſperam eorum loco Daventriam intrarunt duæ Italorum cohortes, qui poſtquam ibi pernoctaſſent, poſtridie qui erat dies Lunæ ſummo mane diſceſſerunt.

Die Martis ſequente, quatuor cohortes è ſuperiori Burgundia eo advectæ ſunt, quæ per tres hebdomadas ibi permanſere.

Ipſo die quo diſceſſerunt Burgundi, quatuor vexilla Gallo-Belgarum Daventriam intrarunt, ac per XIV dies ibi commorata ſunt.

Digreſſis Gallo-Belgis, receperunt Daventrienſes IV. ſigna Germanorum è legione Comitis Oberſtenii, qui ibi hæſerunt per IV hebdomadas aut præter propter.

Hiſce alio profectis ſucceſſerunt tria Belgarum ſigna, è legione Comitis Arembergii, Ducibus Molardo, Splintero, & Foxio Haſſeltano, quæ Daventriam appulere in nundinis S. Lebuini, & menſes circiter V. ibi fuere. Et hi Daventriæ tumultum periculoſum excitarunt, ob non ſoluta ſtipendia, ita ut Commiſſarium & Tribb. militares comprehenderent. Quibus Groeſbekium (de quo mox) adjungere ſatagebant, ſed is in manus eorum non pervenit. Tandem doliolis quibus pecunia aſſervabatur, effractis, quantum ſatis erat inde ſuſtulerunt. oppreſſa ſeditione duo è militibus per infeſtas haſtas currere adacti occubuerunt, pars quoque laqueo vitam finivit, & nonnulli in vincula conjecti. Hi Belgæ, ipſo feſto Purificationis, erat autem dies Lunæ, urbe exceſſerunt.

Quod antequam fieret, immiſſa fuit Daventriam equitum manus quibus Schenckius imperabat, qui quatuor plus minus ſeptimanis ibi ſtationem habuere.

Dux Albanus tribunum Hiſpanum una cum ſuo optione capite plecti fecit, ac totam ejus cohortem exauctoravit, quia mortis Arembergii & cladis eam inſecutæ cauſa fuiſſe convinceretur.

Poſthæc Albanus, Groninga & agro Groningano relictis, in Brabantiam reditum adornans, V. Auguſt. die cum filio Friderico magno Maltenſium Commendatario, Domino a Noircarmes, & Marchione Vitellio, ac compluribus aliis magnatibus urbem Campos intravit. ubi civitatis delegati eum in aggere ponti Iſalano oppoſito expectarunt, videlicet Arnoldus Brantius Conſul, Henricus Dye Wolphius, Dominus a Petegum, Mag. Caſparus Schepeler, Arnoldus a Bocop, Simon Glauwe Ioannis, & Conradus a Vechta. è quibus Wolphius, omnium nomine, mandato Senatus, Ducem allocutus eſt in hæc verba:

,, Illuſtris generoſe Princeps, Domine Clementiſſime, Coſs. Scabini & ,,Conſiliarii civitatis Campenſis Deum Opt. Max. venerantur, ut Ill. T. ,,Clem. innumera bona & vitam longam largiatur, ac ſupra modum lætan- ,,tur ſuper adventu Ill. Tuæ Clem. in hanc urbem, & Excellentiæ tuæ quam

,,poſſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„poſſunt obſequenter adventum gratulantur. Simulque offerunt Ill. Tuæ „Clem. nomine ac vice Regiæ Majeſt. Hiſpanicæ, Clementiſs. noſtri Do„mini omnem humilem reverentiam, ſubmiſſionem, & obſequium, quale „promti, alacres ac fideles ſubditi naturali ſuo Domino debent. quo fine „tuæ Excellentiæ claves urbis Campenſis tradunt, ut in ea diſponas ad uti„litatem ſuæ Majeſt. prout Tuæ Ill. Clem. fuerit viſum.

Aſſonvilius Duci à Secretis aſtabat Campenſium delegatis, juxta currum cui Albanus inſidebat, eique Orationem Wolphii Hiſpanè interpretatus eſt, tantiſper autem Dux claves manu tenebat. ut autem loquendi finem fecit, per eundem Secretarium ſuum delegatis claves reſtitui curavit, iiſque per eundem ſignificavit, ſe votum, gratulationem, & oblationem eorum nomine Regiæ Majeſt. benevole accipere, ac velle, uti claves & urbem ipſam ad obſequium ſuæ Majeſt. prout hactenus feciſſent, cuſtodirent. Introducto in urbem Albano, in platea quam novam vocant, apud viduam Cruſii cujuſdam hoſpitium aſſignatum fuit.

Præcedente veſpera circa horam IV. IV Aug. die Campos intrarunt Dominus a Barlaymont, & Dom. a Noircarmes. hi apud Enſium quendam diverterunt, ad quos Senatus delegavit Henricum Dye Wolphium, Caſparum Schepeler, Arnoldum a Bocop, & Conradum a Vechta, iis adventum gratulaturos, vino donaturos, & quicquid inſumerent exoluturos.

Cum jam appropinquarent hoſpitio delegati, commodum egreſſi erant illi ad templum beatæ Virginis, quo intellecto Campenſes gradum nonnihil promoventes eos aſſecuti ſunt. Ut ad cœmeterium pervenerunt, crucem cum nuda Chriſti imagine inviolata conſpicati ſunt. cumque peſtis ibi vehementer graſſaretur, metu contagionis reverſi per plateam novam ad cœmeterium Divi Nicolai ambulando pervenerunt. cumque per poſticum in templum intrarent, obtulit ſe illis imaguncula quædam lapidea D. Gregorii, quam pueri aſtragalis confregerant. ea viſa Dom. a Noircarmes, ad Barlaymontium converſus, ecce, inquit, Domine, etiam hic ſcelerati illi fuerunt. ad quæ verba Campenſes, poteſt fieri, inquiebant, Domine, ut pueri aſtragalis aliterve hoc quicquid eſt damni dederint, cæterum in hac urbe ne minima quidem imago attrectata, neque ullæ miſſæ pro defunctis, vigiliæ, aliave ſacra ſuſpenſa aut impedita fuere, nec ulla concio ad ritum reformatæ religionis durantibus hiſce turbis habita. quibus auditis Domini templum intrarunt, quod cum viderent pleno ſuo ornatu inſtructum, rem ita ut dictum erat habere conſpicati ſunt, idque magnopere commendarunt.

Delegati Campenſes, qui Duci Albano adventum gratulati fuerant, Senatus juſſu eum in hoſpitio ſuo convenerunt, ubi audientiam eis conceſſit. apud eum vero offenderunt utrumque ejus filium, nec non Dominum a Barlaymont, Dom. a Boſſu, D. a Noircarmes ac plures alios magnates. ac quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

quam poterant officioſiſſime, nomine civitatis ei vini cadum, bovem pinguem, & avenæ vecturam dono dederunt, rogantes ut hæc æqui bonique conſuleret.

Dux Albanus delegatis per Secretarium d'Aſſonville reſponderi curavit, & obſequii ſignificationem, & donum civitatis Campenſis à ſe animo benevolo accipi, ſeque Regiæ Majeſt. vice benignum ejus Gubernatorem ac protectorem fore; modo deinceps ita agerent ac ſe gererent, ut hactenus feciſſent. pro quibus delegati ei prolixe gratias egerunt.

Dehinc è Duce quæſiverunt, quid Ill. ſua Clem. ea nocte circa urbis excubias & claves portarum agendum cenſeret? qui reſpondit, placere ſibi, ut excubias ſuas ipſi, pro more, conſtituerent, & ſimulac currus intraſſent, nihil cauſæ eſſe quin portas clauderent. quibus intellectis delegati veniam diſcedendi ab Duce petierunt, is vero ſingulis porrecta manu, ita eos dimiſit. Cum autem ſuperiori cœnaculo per cochleam deſcenſuri eſſent, acceſſit eos Barlaymontius, dixitque: O, vos Campenſes in flagranti Ducis gratia eſtis! pro quo indicio ei gratias egerunt, ſeque ita ſeſe geſſiſſe reſponderunt, ut optima quæque ab eo ſibi pollicerentur.

Adhæc Senatus per eoſdem delegatos, hoſce ſequentes Dominos vino donarunt: videlicet magnum Maltæ commendatarium. huic ſemiſſem vini & avenæ dederunt, ejus menſuræ quæ ad Patrem ipſius pervenerat, civitatem Campenſem ea occaſione ei commendantes, roganteſq; ut apud Parentem interveniret, quo à ſigno peditum Germanorum quod Campenſibus immiſerat, ſub Duce Fredericmanno exonerari poſſent. reſpondit is per interpretem, civitatem Campenſem apud Regiam Majeſt. à Domino ac parente ſuo de optima nota commendatam fuiſſe, eo quod durantibus hiſce turbis tam fideliter ſe geſſiſſent, porro pro munere ſe maximas eis gratias agere, ac ſiquid haberent nomine Civitatis Parenti ſignificandum, operam ſuam ipſis non defuturam. quibus dictis gratias ei viciſſim egerunt, & petita venia diſceſſerunt.

Præter hunc, etiam Domino Friderico vinum & avenam donarunt, eique, ut & cæteris Dominis civitatem commendatam eſſe optarunt.

Domino de Noircames & ipſi, portio aliqua vini miſſa, item Marchioni Vitellio, qui & gratias peramanter egit, & addebat, meritam eſſe civitatem Campenſem ut pro commendatiſſima haberetur, de quo paſſim apud omnes fama pervagata eſſet, Ducem porro civitati maximas agere gratias pro benevolentia, ac ubicunque ei auxilio eſſe poſſet, quam libentiſſime eſſe facturum.

Venerunt & Campos delegati Ordinum Tranſiſalaniæ, Albano partam victoriam gratulaturi, videlicet Eckhardus Ripperda Satrapa Sallandiæ, Goſuinus a Raeſvelt Satrapa Tubantiæ, Ioannes Sloot Satrapa Vollenhoviæ, Euſebius Bentinck Satrapa Iſelmudæ, & cum iis Adolphus a Rutenborch, Seino

a Dort,

a Dort. Rodolphus a Lange, Balduinus Hagen, Bartholdus Sloot nomine equeſtris Ordinis; civitatum autem delegati Daventrienſis, Lubbertus a Winſem Licentiatus, Stephanus a Remen J. U. D. Campenſis, Henricus Dye Wolphius, Arnoldus a Bocop, Simon Glauwe, Conradus a Vechta: Zwollanæ, Wolphgangus ab Itterſum & Ioannes ab Haerſt. Hi Albanum in hoſpitio ſuo acceſſerunt, ac in ſuperiori cœnaculo audientiam habuerunt: ibi Licentiatus Winſemius nomine Ordinum, Duci adventum gratulatus, ac omnia proſpera & felicia precatus eſt, nec non victoriæ ab ipſo adverſus Regiæ Majeſt. hoſtes obtentæ cauſa ſeſe omnes ſummopere gaudere teſtatus, rogans ut ditioni huic ac civitatibus clementer præeſſe, ac benevolus Dominus eſſe vellet, quæ viciſſim ei omne obſequium polliceantur.

Reſpondit per Aſſonvillium Dux, ſe ſalutationem ac gratulationem, ſimulque promiſſa benevolo animo accipere, ditionem hanc ejuſque civitates protecturum &c. prout & à Regia Majeſt. in mandatis haberet. quibus dictis delegatorum ſingulis dexteram porrexit.

Acceſſerunt deinde ad Ducem delegati Campenſium, quibus in ipſis gradibus Aſſonvillius obviam factus, ea quæ ipſis de Ducis erga ipſos affectu dixerat, repetiit. Delegati ut ad Ducem pervenerunt, demiſſe rogarunt, ut paupertatis ſuorum civium ratione clementer habita, ſeſe exoneraret ſigno peditum quod præſidii cauſa accipere fuerant adacti. reſpondit Dux, ſe ea de re cogitaturum. digreſſis iis & cœnaculum inferius intrantibus occurrit Fredericmannus Tribunus: Cum enim delegati à Duce juſſi eſſent illi ſignificare, ſi quando mane aut veſperi portæ aperiendæ claudendæve eſſent, id non futurum niſi ipſo prius compellato, qui deinde aliquem è ſuis ipſis adjungendi poteſtatem haberet: id in eam partem acceperat Tribunus, ac ſi portæ claudendæ & aperiendæ forent per milites excubitores; delegatis autem civitatis alio ac veriori ſenſu Ducis verba interpretantibus, ad Ducem reditum eſt, qui intellecta controverſia, reſpondit, penes urbis Senatum fore cuſtodiam clavium, ad bonum ſuæ Majeſt. prout hactenus eis in uſu fuiſſet.

Qua occaſione quæſiverunt ex Duce Zwollani, an non idem de ſua quoque civitate cenſeret? quibus reſpondit Dux, cuicunque urbi præſidium ipſe imponeret, in ea penes illud ipſum præſidium eſſe claves cuſtodire. Campenſibus quoad hoc ſe nonnihil indulſiſſe, ita tamen, ne ipſis, portas vel, claudere vel aperire liceret, niſi vel tribuno vel ejus optione prius compellato. & ad Campenſium delegatos converſus, idiomate Gallico eis dixit, ſe eos propediem a præſidiario milite liberaturum eſſe.

Dominus de Noircarmes apud viduam Ioannis a Vechta, matrem Conradi a Vechta hoſpitium habebat, qui Conradus cum ab illo ad prandium vocatus eſſet, eundem rogavit, ut Ducem illius promiſſi data occaſione commonefaceret. id quod ſe facturum promiſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

VII Aug. Dux Albanus ſummo mane ad templum fratrum conventualium ſe contulit, equitatu ejus in platæa quam novam vocant ipſum præſtolante. peracto ſacro, equum conſcendit, & urbe egreſſus, Elburgum ſe contulit, ubi eum ſolenni pompa cum crucibus ac vexillis intromiſerunt. inde Hardervicum tendit. Elburgo ad tribunum Frericmannum eodem die quo eo advenit literas dedit, quibus ei injunxit Campis cum ſua cohorte diſcedere, ac Elburgum ſe conferre, quod & factum.

Literis Ducis Albani adjunctæ erant literæ Domini a Noircarmes ad Conradum a Vechta, Gallicè ſcriptæ, in hanc ſententiam:

,, Domine Conſul: ſuper eo quod à me petiiſti, ut proponerem Domino ,,meo Duci onus cohortis Germanorum quæ urbi Campenſi præſidii loco ,,impoſita eſt, Excellentiam ejus conveni, cui placuit tribuno injungere ut ,,cum ſuis huc ſe conferat. qua in re libenter operam meam vobis impendi, ,,cum ſciam qua prudentia ac fide durantibus hiſce turbis uſi fueritis, ad im-,,dienda pericula deſtructionis templorum, ac deinceps eodem erga vos ,,animo ob eandem rationem futurus ſum, idque, quantum in me erit, ,,quocunque tempore ſeſe occaſiones obtulerint, voſque id à me petieritis, ,,ipſo facto oſtendam. Deum precor ut te clementer cuſtodiat, VII Aug. ,,Subſcriptæ erant: Amicus tuus omni officio. *P. de Noircarmes.*

XX Aug. per totam ditionem Tranſiſalanam tam ruri quam in majoribus minoribuſque urbibus ac oppidis celebratæ fuerunt exequiæ Comitis Arembergii.

Anno CIↃIↃLXIX. ineunte Cancellarius & Conſiliarii Tranſiſalaniæ, adverſus jus urbanum & municipale, viduam Ioannis Doys dum viveret Sallandiæ Quæſtoris, ex urbe Daventria coram ſe citarunt, licet ibidem civis nata eſſet, ac domicilium & poſſeſſiones haberet, nec iidem Cancellarius & Conſiliarii ullum mandati vel interdicti ibidem jus haberent, ut ſupra viſum. Sed cum Dux Albanus crudele ſuum imperium uſquequaque exerceret, etiam hi ipſi operam ſedulam navarunt, quo ditiones ac civitates ſuis privilegiis privarentur. viduæ ergo illi per apparitorem ſcripto hæc ſequentia ſignificarunt:

,, Nos Præfectus, Cancellarius, & Conſiliarii, Clementiſs. noſtri Do-,,mini Regis per Tranſiſalaniam, Drentiam & Lingam in cauſis ſequentibus ,,Commiſarii, primo Prætori, apparitori, aut exactori ſuæ Majeſt. ad hoc ,,requiſito ſalutem. Magiſter Ioannes Ooſtendorp Commiſſarius apud ,,Tranſiſalanos, procuratione & poteſtate à Regia Majeſt. inſtructus, ſigni-,,ficavit nobis, defunctum Ioannem Doys, ab anno CIↃIↃLVIII. ſuæ ,,Majeſt. Quæſtorem in Sallandia fuiſse. & Ordines Tranſiſalaniæ Majeſt. ,,ſuæ permiſiſſe petitionem ſive impoſitionem XXXI M. Carolinorum, cer-,,tis portionibus ac ſtatutis aliquot annorum terminis exolvendorum, quo-

,,rum

„rum cum primo termino qui fuit die Jacobi Anno cIↃ IↃLVIII.
„VIIM. VIIc. Carolini deberentur, ex eis manſiſſe inſolutos MCCCCVI
„Carolinos, XVI aſses, IX denarios aut præter propter. Ioannem porro
„Doys dum viveret, tempus aliquod in adminiſtratione ac regimine, quæ-
„ſturæ primi termini accipiendis nummis præfuiſſe, &c. (enarrabatur in
„ſequentibus tota actio) Hac de cauſa nos te per præſentes ad dictum ne-
„gotium committimus, ut ad petitionem requirentis, de quo ſupra, te con-
„feras Daventriam ad defuncti Ioannis Doys viduam, & relictos ab eo li-
„beros, tutores, aut eorum curam habentes, eiſque ſerio mandes ac in-
„jungas, ut antedictos cIↃCCCCVI Carolinos, XVI aſſes, IX denarios
„aut præter propter tibi annumerent, ac in caſu oppoſitionis diem dicas
„ac præfigas opponenti aut opponentibus, quo coram nobis Vollenhoviæ
„compareant, ad cauſam oppoſitionis ſuæ dilationiſve dicendam, audien-
„dumque ejuſmodi poſtulatum ac concluſionem, qualem requirenti eodem
„die proponere viſum fuerit, referentes nos de cætero ad ea quæ abs te
„acta fuerint, tibique evenerint. In fidem dictorum ſigillum hujus aulæ
„hiſce appendi curavimus. XXIX Januarii cIↃ IↃLXIX.

Tres civitates, Daventria, Campi, Zwolla ſuper hac re Windeſemi in monaſterio convenerunt, ac ægre tulerunt Cancellarium & Conſiliarios hunc in modum in privilegia ſua involare. cumque negocium pertineret ad regionem univerſam, frequentia Ordinum Comitia IX Martii die habenda ſuper eo convocarunt.

Meganus Comes Tranſiſalaniæ Præfectus ſub finem Januarii, juſſu Ducis Albani Daventrienſes per literas monuit, ut viros Catholicæ religioni ſerio addictos in Senatum allegerent.

II Febr. in feſto Purificationis Mariæ, loco præſidii Belgici, quod diſceſſerat, Daventriam intrarunt quinque vexillationes Walonum ſive Gallo-Belgarum ſub Mondragonio, qui, ob oculorum alterum, impoſito emplaſtro fœdum, vulgo *lap-ooghe* vocabatur.

XXIII Februarii, Dux Albanus ſcripto mandavit Daventrienſibus, ne Senatum mutarent, ſed eos qui anno præterito ei præfuerant continuarent, donec aliter ab ſeſe fuiſſet ordinatum.

Mondragonius, qui præerat præſidio Gallo-Belgico Daventriæ impoſito, ludi-magiſtrum quendam curavit apprehendi, penes quem libros aliquos ſuſpectos invenerat, quos diſcipulis ſuis prælegebat, idque Duci Albano per literas ſignificavit, ad quas Albanus reſpondit. è cujus literis excerpſit articulum de ludi-magiſtro & Senatui communicavit, in hæc verba, è Gallico, quo idiomate ſcriptæ erant literæ, tranſlatum:

„Quod attinet ad ludi-magiſtrum, cujus in literis tuis eſt mentio, ejus
„cauſam per Senatum Daventrienſem ſummarie & de plano diſceptari cu-

„rabis, uſque ad ſententiam definitivam excluſive: poſtquam autem eo uſque „progreſſum fuerit, proceſſum univerſum Regio Conſilio tranſmittes, id- „que conſenſu Daventrienſium, ut quod jus & ratio poſtularint de eo ſta- „tuatur. Præterea nomina & cognomina eorum quorum liberi ejus ludum „frequentant eidem Conſilio ut innoteſcant facies.

Daventriæ Mag. Ditericus Scherfius U. J. Licentiatus in morbum incidit, cumque dies aliquot decubuiſſet, vitam cum morte commutavit, non accepto ſacramento (ut vocant) altaris, aut extrema unctione, ſive mors eum repente occuparit, ſive diverſæ in religione eſſet ſententiæ, mihi (inquit Bocopius) non conſtat, hoc vere affirmare poſſum, fuiſſe bonum, prudentem, rerum peritum ac eruditum virum, omnibus gratum, erga omnes officioſum, & veritatis amantem, in negociis civitatis & regionis, quibus expediendis frequenter admovebatur, perquam diligentem, ac pacis ſemper ſtudioſum &c.

Quum jam vidua & conſanguinei, ejus corpus in templo Daventrienſi ſepulcro parentum ejus pro more inferre vellent, prohibuit id Mondragonius, utque id alibi loco profano ſepeliretur mandavit. Doluit ſupra modum viduæ & agnatis, tam pudendam mercedem defuncto retribui, quod funeri ipſius humus conſecrata in urbe Daventrienſi negaretur, cujus civibus tanta cum fide inſervierat, & cujus gratia tot & tam gravia ac periculoſa itinera fuerat emenſus. capto autem conſilio Borculoam funus tranſportarunt, extra ditionem Regiæ Majeſt. erat autem id oppidum Comitis Bronchorſtii, qui & ipſe diem ſuum obierat, vidua autem ejuſdem Comitis uſufructuariæ titulo id poſſidebat. Et hæc quidem Scherfium dum viveret in magno pretio habuerat, utpote cujus opera in omnibus ſuis negotiis fuerat uſa, eratque addicta Confeſſioni Auguſtanæ, quam & publice exerceri permittebat. Huc ut appulerunt, funus ibi terræ mandaturi, intelligens Comitiſſa inhibuiſſe Mondragonium ne id terræ conſecratæ imponeretur, ne ipſa quidem auſa fuit concedere ut iſtic ſepeliretur. unde conſanguinei intempeſta nocte Daventriam verſus reverſi, in fundo quem non procul urbe habebat, cui hortus annexus erat, funus tumularunt.

Dux Albanus menſe Martio tribus primariis civitatibus per literas injunxit, ut breviculum fieri curarent, cui inſcriberent nomina & cognomina eorum omnium ad quos reditus annui à civitatibus pervenirent, ſummis eorum accurate ſcripto conſignatis, utque breviculum illum ſive catalogum authentice deſcriptum ac ſubſignatum ad Conſilium Majeſt. ſuæ, & ſeſe, tranſmitterent, ejus enim ſibi uſum eſſe &c. Civitates hoc in negocio fuerunt ſollicitæ, cum novitas eſſet, in fraudem privilegiorum ſuorum ac avitarum conſuetudinum excogitata: cum tamen id recuſare non auderent, ſingulæ ejuſmodi breviculos concinnarunt & Duci tranſmiſerunt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

IX Martii Ordinum delegati Windeſemi in cœnobio, ſuper negotiô Cancellarii ac Conſiliariorum convenerunt, ubi citationem qua illi viduam Ioannis Doys ad ſuum tribunal evocarant præ manibus ſumſerunt, qua ultro citroque expenſa, ægerrime tulerunt, Cancellarium ac Conſiliarios eo modo in poſſeſſionem mandati ac interdicti, adverſus veteres ac laudabiles conſuetudines ditionis Tranſiſalanæ ſeſe ingerere conari, quod & adverſaretur reſponſo in aulâ à Principe Sabaudiæ, tum temporis generali Præfecto & Gubernatore totius Belgii nomine Regiæ Majeſt. obtento. Quapropter ad eoſdem Cancellarium ac Conſiliarios in hanc ſententiam ſcripſerunt:

„Nobilibus, ſtrenuis, eruditione præſtantibus, Balduino a Roon „Equiti, Cancellario, nec non Conſiliariis Regiæ Majeſt. Hiſpanicæ, ſin„gularibus noſtris amicis; amicam ſalutem, & quicquid boni eſt in noſtra „poteſtate. Nobiles, ſtrenui, eruditi, intelleximus vos partes litigantium ex „hac ditione ad vos evocare, actus judiciarios celebrare, etiam cives è ci„vitatibus citare, & judicaturam cauſarum vobis arrogare, omnia ad gra„vem infractionem & imminutionem hujus regionis privilegiorum, vete„rum conſuetudinum, jurium urbanorum & municipalium, item Tracta„tus, ac receſſuum Anno CIↃIↃLXIII. & LXVI. in aula obtentorum, „quibus ſingulis, ac nominatim à Duciſsa Parmenſi &c. noſtra tunc tem„poris, nomine Regiæ Majeſt. Gubernatrice, expreſſe declaratur, dictæ „Regiæ Majeſt. mentem eſſe, ut privilegia, tractatus, receſsus noſtræ re„gionis à ſua Majeſt. confirmati quoad omnes ſuas partes ubique inviolabi„liter obſerventur: Quod ſi Cancellarius & Conſiliarii mandati aut inter„dicti auctoritatem uſurparint, non fuiſse id eis à ſua celſitudine permiſ„ſum. Quapropter exiſtimationis noſtræ ac juramenti ratione habita, non „poſsumus non vos monere & amice à vobis petere ut operam detis quo „prædicta putativa juriſdictio, novitates, ac infractiones ceſsent, & par„tes litigantium coram ordinario judice (cui vigore juris vel municipalis „vel urbani ſubſunt) remittatis, ac impoſterum huic regioni ſua privile„gia, jura municipalia, feudalia, urbana aliaque ſalva & inviolata relin„quatis. Quamvis autem ea ſpe freti ſimus, fore ut noſtræ hac in parte „petitioni acquieſcatis, petimus nihilominus per præſentium latorem „æquum ad hæc noſtra reſponſum, quod niſi fuerimus nacti, cauſam ha„bebimus rem hanc cum univerſæ hujus ditionis Ordinibus communicandi. „Deus veſtras ſtrenuitates ac dignitates incolumes ſervet. Datæ in Con„ventu Windeſemenſi, ſub ſigillo Secretiori civitatis Campenſis, quo hac „vice ad præſens negotium pariter utimur. IX Martii CIↃIↃLXIX.

Subſcriptum erat:

Delegati Ordinum Tranſiſalaniæ, Windeſemi congregati.

Ad haſce reſponderunt Cancellarius & Conſiliarii in hunc ſenſum: primo, verbotenus fere haſce literas repetivere: deinde negarunt ſe unquam in animo habuiſſe, nec etiamnum habere, regionem civitateſve Tranſiſalanas, imminutione privilegiorum, jurium urbanorum, municipalium, feudalium, tractatuumve damno aut injuria afficere, viciſſim autem ſe confidere, Tranſiſalaniæ Ordines ſecum paria facturos, nec Regiæ Majeſtati, Principi ſuo damnum illaturos, neque juriſdictionem ſuam plus æquo extenſuros. Neque eſſe ſe à Regia Majeſt. in hac regione conſtitutos abſque expreſſo mandato & inſtructione, juxta quam munus ſuum adminiſtrare tenerentur. cujus inſtructionis jam annis aliquot elapſis apographum accepiſſent. Neque ſe ſibi conſcios eſſe ullius actus celebrati, aut judicaturæ ſibi arrogatæ, quæ non ad commodum ſuæ Majeſt. ſpectarit, quave regionis privilegia ullo pacto ſint imminuta. Non tamen ſe negare, juſſu Regiæ Majeſt. ejuſve Præfecti partes litigantium in cauſa poſseſſionis bonorum feudalium Doornebuſſchii, in ditione ſuæ Majeſt. Sallandiæ ſitorum (quorum cognitio, utpote in quæſtione ſuper momentanea poſſeſſione, ad ſolum Regem, ejuſve vices gerentem ac Officiarios ſpectare poteſt) ſe convocaſse, ut vel hanc vel illam in poſſeſſionem mitterent, idque ne partes variis proceſſibus & irreparabili ſumtu circumagerentur. Cui rei non eſſe quod civitas Daventrienſis ſe interponat, utpote cui in agrum Tranſiſalanum nulla ſit juriſdictio: Fateri ſe quoque juſsu & particulari commiſſione Regiæ Majeſt. viduam Ioannis Doys Quæſtoris, dum viveret, Sallandiæ, ejuſque hæredes, coram ſeſe comparere ſe juſſiſse, rationem reddituros, cur cIↃ cccc Carolinos quos maritus viduæ ejuſve apparitor acceperat, ac ſuæ Majeſtati debebat, perſolvere aut nollent, aut non tenerentur. Cumque ea quæſtio ad Principem pertineret, cui integrum eſset eam ſummam parata executione exigere, prout aliis Quæſtoribus tempore Epiſcoporum contigiſset, ac inſuper in rationibus ab ſeſe prolatis pateret, modum ab ſe quæri quo viduæ ejuſque liberis ſubveniretur, quæ omnia fruſtra fuerint, adactos ſe tandem eis quæ ſibi mandata erant obſecundare, quæ non repugnent civitatis privilegiis, cum nummi de quibus lis eſt, ad agrum Tranſiſalaniæ pertineant, ad eoſque recipiendos Comes Arembergius aſſignationem habuerit. Quod vero ad duos receſsus Anno cIↃ IↃLXIII. & LXVI. in aula impetratos, per quos jus mandati & interdicti in Tranſiſalania uſurpandi ſibi ſit prohibitum, reſpondent, non delectari ſe moleſtia ac onere ſuperfluo, nihilque ſibi acceptius fore, quam ſi, quod hactenus factum, ſibi quietis eſse liceret, modo talis eſset voluntas Regiæ Majeſt. cæterum Albanum Ducem ſerio ſibi mandaſse, ut ſibi transſcriberent, num inſtructioni ſuæ in omnibus feciſsent ſatis. quod ſi aliqua in parte id omiſiſsent, deinceps, metu indignationis Regiæ ſuæque, dictæ ſuæ inſtructioni inhærere ne negligerent &c.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

unde nihil quicquam egerint, aut adhuc agant, niſi quod coram Deo, Rege, ac quibuſvis defendere parati eſſent. prout ex inſerto excerpto ex Ill. ſuæ Clem. literis ipſis facile eſſet obſervare. ſperare ſe proinde, nihil ab ſe factum, aut deinceps faciendum cujus non coram ſua Majeſt. aliiſque rationem poſſint reddere. neque ullo modo in animo habere, hujus ditionis civitatumve (quarum ipſi magna ex parte domeſtici ſint) privilegiis fraudem facere, ſed omnia acturos per quæ Regiæ Majeſt. juri ac celſitudini, ad conſervationem bonæ politiæ, religionis ac juſtitiæ conſulatur. Ad quod ſinguli in ſuis, tanquam Reg. Majeſt. vaſalli ac ſubditi pro virili præſtandum teneantur. Optandum autem eſſe, hanc regionem non ab aliis majus quam ab ipſis pati detrimentum. Quod ſi ditioni aut civitatibus ulla in re poſſent obſequi, id promte futurum &c. Datæ Vollenhoviæ die XII Anno CIↃ IↃLXIX.

Excerptum è literis Albani, cujus mentionem faciunt, tale erat:

„ Noſque diſtincte certiores faciatis, an ejuſmodi mandatum ac inſtructio „rite ſit obſervata in omnibus ſuis punctis: in quibus autem non, ſi forte „talia ſint, rationes cur id non ſit factum exprimatis, cum omnibus circum„ſtantiis ac documentis eo ſpectantibus. Simul præcipientes, ut deinceps di„ctum mandatum ac inſtructionem ita ſequamini, quemadmodum coram „ſua Majeſt. ac nobis id vos defendere poſſe arbitramini. Singulariter di„lecti, Deus vobiſcum ſit. Datæ Bruxellæ XX Januar. Anno CIↃ IↃLXVIII.
Nota iterum ſtyli Brabantici anachroniſmum.

XXVIII Martii die ſuper literis Cancellarii & Conſiliariorum congregati ſunt in cœnobio Windeſemenſi delegati Ordinum Tranſiſalaniæ, ac inter ſeſe deliberarunt, quid in eo negocio factu eſſet optimum. norant quippe univerſum Comitiorum conventum Albano non admodum gratum eſſe, ad quæ tamen res hæc proprie ſpectabat. Decreverunt ergo, ut delegati ex equitibus, reliquis ſui Ordinis rem communicarent: quumque tam multa regioni Tranſiſalanæ in fraudem privilegiorum ſuorum evenirent, ut in tempus commodius de eis mature cogitarent.

VI Junii Daventriam appulit Commiſſarius Quarræus, ſub veſperam, ac eadem ſtatim veſpera nomina omnium eorum qui Anno CIↃIↃLXVI. Magiſtratum geſſiſſent flagitavit. Poſtridie horis matutinis apparitorem ſibi concedi petivit, per quem è Senatu nonnullos nec non è Tribb. pleb. coram ſe comparere juſſit.

Oppoſuit ſe huic conatui Senatus Daventrienſis, negans Daventriæ cuiquam in cives juriſdictionem eſſe præter Coſs. Scabinos, & Conſiliarios, ejuſmodi porro informationem nullo unquam tempore ibi eſſe viſam. ad quæ reſpondit Commiſſiarius, ſuum non eſſe de privilegiis civitatis Daventrienſis diſputare, commiſſionem ſuam à Regia Majeſt. præſto eſſe, cujus vi ſcire

ſcire ſe velle quem ad modum turbæ uſquequaque contigiſſent. quod cum Daventrienſes conarentur impedire, non invitum ſe domum reverſurum ait, ipſi autem proſpicerent quid inde eſſet ſequuturum. ad quæ Daventrienſes, non ſe eos eſſe dixerunt, qui executioni eorum quæ in mandatis haberet vellent intercedere, aut quicquam Regiæ voluntati adverſum tentare, interim ratione præſtiti juramenti non potuiſſe intermittere, quin ei privilegiorum ſuorum, jurium, ac veterum conſuetudinum tenorem ſignificarent.

VII Junii Commiſſarius Quarræus Roberto vander Beke Sallandiæ Quæſtore & optione Mondragonii comitatus, intravit ædes Mag. Diterici Scherfii, ejus ſupellectilis ac bonorum inventarium conſcripturus. quod ut innotuit Senatui, miſit eo è ſuo Ordine Arnoldum ab Oldeniel, Ioannem Snellium, Henricum Honradum, cum Bernardo Luninck qui civitati à ſecretis erat; hi contra inventarii confectionem in hunc modum proteſtati ſunt:

„ In nomine Dei, Amen. Notum & manifeſtum ſit omnibus præſens „ inſtrumentum viſuris & legi audituris, Anno cIↃIↃLXIX. die Jovis, qui eſt „ ſeptimus menſis Junii, inter octavam & nonam horas ante meridiem, in„ dictione Romana XII. ſub Imperio Illuſtriſſimi Domini Maximiliani ejus „ nominis II. electi Imperatoris ſemper Auguſti, Clementiſſimi noſtri Do„ mini, Cæſarei ejus regiminis anno V. me Notarium publicum cum fide di„ gnis teſtibus infraſcriptis, peculiariter ad hoc vocatis ac petitis, nomine „ Honoratorum Dominorum Coſs. Scabinorum & Conſiliariorum civitatis „ Daventr. requiſitum fuiſſe, ad intrandum ædes viduæ defuncti Mag. Dite„ rici Scherfii, ubi poſtquam comparuiſſem, coram me præſentes inveni, ſtre„ nui Domini Mondragonii optionem, cui Harro nomen, Mag. Robertum „ vander Beke Sallandiæ Quæſtorem, Mag. Thomam Quarræum, a dicto D. „ Mondragonio eo miſſos, a Senatu vero delegatos DD. Coſs. Arnoldum ab „ Oldeniel, Ioannem Snellium, & Henricum Honradum, comitante eos „ Secretario Bernardo Luninck. qui Domini Senatus Daventrienſis nomine „ ibi comparentes palam ibidem me præſente indicarunt ac notum fecerunt, „ ſibi vi mandati D. Mondragonii ad illas ædes accedendum fuiſſe, ut ibi „ ſimul facultates D. Licentiati Scherfii deſcriberent: Seque nomine totius „ Senatus civitatis Daventrienſis coram me Notario & teſtibus ſupra dictis, „ teſtatum velle, ejuſmodi deſcriptionis modum alioſque ſimiles adverſari „ hujus civitatis privilegiis, juribus ac juriſdictioni, nec non avitis conſue„ tudinibus, a celſæ memoriæ Cæſarea Majeſt. & Rege Domino noſtro Cle„ mentiſs. huic civitati Daventrienſi gratioſe per obſignata diplomata con„ firmatis. Coſs. porro, Scabinos, & Conſiliarios, exiſtimationis ſuæ ac „ juramenti habita ratione, in deſcriptione horum bonorum aliiſve quibuſ„ cunque quæ circa hoc negocium, in fraudem privilegiorum, jurium ac

„ vete-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„veterum conſuetudinum geri poſſent, nec conſentire poſſe, nec reapſe „conſentire. Verum, quandoquidem D. Legioni præfectus (*Colonnel*, vid. „Mondragonius) omnino ita fieri vult ac mandat, patienter id ſibi ferendum eſſe, nec minus tamen adverſus id ipſum, ad defenſionem dictæ civitatis privilegiorum, jurium, juriſdictionis, veterum conſuetudinum, „ut ſupra, debito tempore, in forma maxime valida, prout id fieri jus & „æquum eſt, proteſtari voluiſſe, & proteſtari de facto, bonorum illorum „deſcriptionem neutiquam fieri conſentiente dicto Magiſtratu, neque poſſe „aut debere civitati Daventrienſi ullum præjudicium ex ea creari, neque „ejus privilegiis, juribus, antiquis conſuetudinibus labem inferre. Quæ „proteſtatio D. optioni Domini Legionis præfecti per D. Quæſtorem „interpretata fuit: qui Senatus delegatis ad eam juſſit reſponderi, Quicquid faceret fieri juſſu Ducis Albani, & voluntate Legionis præfecti, qui „& peteret, ut Senatus delegati ei actioni præſentiam ſuam accommodarent. quod & factum, idque ob recenſitas cauſas, & ſub proteſtatione „jam facta. Super quibus omnibus ac ſingulis DD. Senatus delegati me „ratione officii requiſiverunt, rogarunt, ac à me petierunt, ut ſibi inſtrumentum aut inſtrumenta conficerem traderemque. Id quod impoſiti muneris ratione eis denegare nec potui nec debui. Suntque hæc geſta Daventriæ, menſe, die, hora, Romana indictione, Imperio Cæſaris, & „loco ſupra recenſitis. præſentibus honoratis viris, Wilhelmo Backer, „Michaële Kiſtemaker, ambobus civibus Daventrienſibus. Subſcriptum „erat: D. P. *Patere, & abſtine*. Et ego Dionyſius Proelinck, Diœceſeos „Colonienſis Clericus, poteſtate & auctoritate Majeſt. Cæſareæ Notarius „publicus, qui huic proteſtationi interfui, & omnia hiſce contenta una „cum teſtibus hic præſentibus ita eveniſſe vidi ac audivi, inſtrumentum hoc „ipſe confeci, ſcripſi, & hac publica forma comprehendi, nec non nomine meo Chriſtiano, & conſueto ſymbolo ſignavi, in teſtimonium „omnium & ſingulorum de quibus ſupra, nominatim ad id vocatus & requiſitus.

Optio & Commiſſarius, proteſtationem nihil morati in deſcriptione facultatum perrexerunt.

Tres civitates primariæ, Ordinem equeſtrem ditionis Tranſiſalanæ, ſuper iis quæ Daventrienſibus contigerant Zwollam convocarunt, a d. XV Julii eo comparituros. quod & factum. Atque ibi rem totam à Daventrienſibus explicatam mœſtis omnes animis acceperunt. Conſultum autem cenſuerunt, nomine Ordinum delegatos mitti ad Comitem Megenſem novum ſuum Præfectum, gratulaturos ipſi præfecturæ dignitatem, eique dictas difficultates, & pericula quæ inde metuenda eſſent, enarraturos, ac Conſilium cum illo capturos, quid in eo negocio optimum factu videretur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ad hanc legationem delecti fuere è Sallandia Ioannes a Laer, è Tubantiâ Io. Ripperda, è Vollenhoviâ Bartholdus Sloot, Daventriâ Lubbertus a Winſem, Stephanus a Rhemen Doctor: Campis Henricus Dye Wolphius, Arnoldus a Bocop; Zwollâ Wolphgangus ab Itterſum, Ioannes ab Haerſt.

Hi delegati XIX Julii die Arnemiæ Comitem Megenſem convenerunt, cui poſtquam præfecturæ honorem eſſent gratulati, per Licentiatum Winſemium ei ob oculos poſuerunt, quemadmodum ditio Tranſiſalana antehac libero motu Cæſar. Majeſt. ſeſe ſubmiſiſſet, intercedente certo Tractatu, quo pollicetur Imperator, ſe dictam ditionem in privilegiorum ſuorum, jurium ac conſuetudinum uſu conſervaturum, id quod & Majeſtas Regia in ſe receperit. Quamvis porro horum vigore civitas Daventrienſis juriſdictionem hactenus in cives & incolas unice poſſederit, nihilominus Quarræum Regiæ Majeſt. Commiſſarium eo veniſſe, ac per apparitorem nonnullos ejus urbis cives ad ſe vocaſſe, & ſub jurisjurandi religione de quibuſdam rebus examinaſſe.

Adhæc, bona defuncti Licentiati Scherfii aliorumque (quod nunquam ante factum eſſet) ibidem deſcripta fuiſſe. Præfectum quoque legioni Gallo-Belgicæ ludi-magiſtrum quendam Daventriæ apprehendi curaſſe, ac in manus Senatus tradidiſſe, eidemque Senatui non multo poſt exhibuiſſe excerptum quoddam literarum, quibus mandabatur, ut Magiſtratus Daventrienſis ludi-magiſtri proceſſum ſummarie & de plano inſtitueret, uſque ad ſententiam definitivam excluſive, ſimulatque autem eſſet in ſtatu pronunciandæ ſententiæ, ad Reg. Majeſt. Conſiliarios tranſmitteret, qui re cum Senatu expenſa, quod juris eſſet concluderent. Quæ omnia cum tenderent ad imminutionem privilegiorum, veterum conſuetudinum, & juriſdictionis tum ditionis univerſæ, tum civitatum, rogarunt, S. Clem. ne gravaretur ſuo ipſis Conſilio adeſſe, ac quid facto opus eſſet ſignificare.

Ad quæ Comes reſpondit, quod attineret ad difficultates à delegatis motas, ſuper quibus ſuum conſilium flagitarent, vereri ſe, ut in aula quicquam impetraretur, quandoquidem & aliæ civitates in eundem modum ſua privilegia allegaſſent, neque vel minimum obtinuiſſent. In aulâ ſiquidem pro indubitato defendi, omnia privilegia in crimine læſæ Majeſtatis ceſſare.

Quod ad ludi-magiſtrum, ajebat, eorum qui juventuti erudiendæ præficerentur merito curam geri. ac arbitrari ſe, quandoquidem nomine Ducis Albani apprehenſus eſſet, eundem negocii illius cognitionem à ſe quoque non alienam eſſe judicare. Nihilominus (ſi ipſis ita videretur, quanquam vereretur eos nullum operæ pretium facturos) non intercedere ſe quominus omnia ſua gravamina in modum ſupplicis libelli ſcripto mandarent, quæ ipſe deinde una cum ſuis literis ad Ducem mitteret, periculum facturus quid poſſet impetrari. ad quod delegati ſpatium temporis petierunt, ad referendum, & libellum ſupplicem concinnandum.

Hiſce

Hiſce peractis delegati, Comiti pro benevolo acceſſu gratias egerunt, & nomine ditionis, ſe debita gratitudine id recognituros ſpoponderunt.

Commiſſarius Quarræus Daventriâ Zwollam contendit, & ibi quoque cives examinavit, adverſus quam actionem etiam Zwollani ſua privilegia allegarunt, ſed nihil obtinuerunt.

XXVIII Julii Quarræus Campos intravit, ubi ſimulac appuliſſet, peti fecit, ut aliqui è Senatu delecti ſe convenirent. ad quod negotium Senatus elegit Henricum Kiſtemaker, Hugonem a Gruythuyſen pro tempore Coſs. Henricum Dye Wolphium, Arnoldum a Bocop Senatus membra, qui eum adierunt, & Senatus nomine adventum ei gratulati ſunt. petieruntque, ne dedignaretur ſub meridiem in monaſterium fratrum conventualium venire, ubi miniſtrum fratrum minorum reperturus eſſet, & Magiſtratus ipſum prandio excipere, & cum eo ſeſe exhilarare conſtituiſſet. id quod ſe facturum recepit, petens interim ut ſibi apparitor concederetur, qui ſibi præſto eſſet, & cujus opera hunc aut illum ad ſe vocare poſſet. cumque delegatis nonnihil difficultatis ea res habere videretur, peterentque ut rem eam uſque in craſtinum diem protolleret, reſpondit, non eſſe in Senatus poteſtate id impedire, à prandio ſibi rei illius expediendæ initium faciendum eſſe, cum domum quamprimum reverti averet. Retulerunt hæc delegati ad Senatum, qui habita deliberatione, cenſuit, denuo hominem miſſis ad eum delegatis de privilegiis & conſuetudinibus civitatis monendum eſſe, ac rogandum nequid adverſus eas ſibi agendum putaret: cui petitioni ſi non acquieſceret, ut commiſſionem ſuam ſi fieri poſſet, exhiberet poſtulandum: quod ſi hanc eſſe voluntatem Regiæ Majeſt. liqueret, non eſſe civitatis Campenſis vel ſuæ Majeſtatis placito, vel D. Quarræi commiſſioni contraire, ſed ſalva juramenti ſui religione, in eam conſentire non poſſe.

Exinde Senatus è ſuo numero rurſum ablegarunt Henricum Kiſtemaker, Hugonem a Gruythuyſen pro tempore Coſs. Henricum Dye Wolphium, Mag. Caſparum Schepeler, Arnoldum a Bocop, Conradum a Vechta, qui Commiſſario nomine Senatus propoſuerunt, intellexiſſe è relatione delegatorum ſuorum Magiſtratum, ſtrenuitatem ſuam fortaſſis conſtituiſſe (prout in aliis civitatibus factum erat) cives ad ſe evocare, ac interpoſito juramento examinare, quapropter ſcire eum velit, hanc ditionem ejuſque civitates antehac legitimo Tractatu Cæſareæ Majeſt. animo libenti ac minime coacto ſe ſubmiſiſſe, eo tempore quo Cæſ. Majeſtas actionem nullam in ditionem ac civitates haberet, aut etiam prætenderet. unde eadem Cæſ. Majeſtas receperit, ſe ditionem ac civitates in privilegiis ſuis, juribus & avitis conſuetudinibus protecturam. quod & ipſum Majeſtas Regia, Dominus noſter Clementiſs. ſtabilierit. Ita porro rem ſe habere, ut in hac civitate juriſdictio in cives ad ſolum Senatum ſpectaret, coram quo, tanquam ordi-

ordinario judice ad perhibendum teſtimonium citari, ac ſuper quibuſcunque cauſis conveniri deberent, prout hactenus obſervatum fuiſſet, quod ſi quando antehac ab aliis (ut Præſide Ultrajectino Adriano Vander-Burchio, ac pluribus aliis) contrarium fuiſſet tentatum, eos eum in modum fuiſſe edoctos, ut ab incœpto deſtiterint. rogare itaque delegatos, ut civitati in hiſce perſiſtere liceret, quod ni fieret, ceſſurum id ad imminutionem ſuorum privilegiorum.

Reſpondit ad hæc Commiſſarius, eadem ſibi a Zwollanis ac Daventrienſibus fuiſſe propoſita, veruntamen nullam per hæc ſuis privilegiis fraudem fieri. quærens inſuper, an nefas foret, ſciſcitari ſuam Majeſt. quiſnam præteritis annis rerum ſtatus fuiſſet? diverſam hic rationem eſſe, quam in aliis Commiſſariis fuiſſet. ipſam civitatem hic partem adverſam eſſe. ipſum Conſulem ſe conventum cupere regerentibus autem non ſemel delegatis, omnino ſibi videri hæc privilegiis repugnare, identidem reſpondit ſibi aliter videri. nihilominus, ſi civitati certum eſſet ſibi obſiſtere, domum ſe reverti paratum eſſe, verum id in literis mandati ſui ſe non habere, quas libenti animo afferri, ac delegatis prælegi curaturus eſset.

Ad quæ dixerunt delegati, ut iis a quibus miſſi eſent ſatisfacere poſsent, gratum ſibi fore ſi commiſſionis inſpectio ſibi permitteretur. ſperaſse ſe quidem, fore ut Majeſtas ſua hanc civitatem ea non gravaret, verum ſi ejus voluntatem & mandatum tale eſse appareret, nolle ſe rebellare, neque Commiſsario impedimentum objicere. Non potuiſse autem committere, exiſtimatione ſua & juramenti religione ſalvis, quo minus ſuæ ſtrenuitati privilegia, conſuetudines, & jura civitatis demonſtrarent, quum juraſsent civitatem in privilegiis ſuis ſe defenſuros, neque hoc intermiſsuros, etiam corporum ſuorum ingruente periculo. Unde dicti juramenti ratione habita, ſe in hanc actionem conſentire non poſse.

Poſt hæc Commiſsarius commiſſionem ſuam afferri curavit, & delegatis perlegendam exhibuit. in qua præter alia contineri deprehenſum eſt, ſtrenuitatem ſuam in mandatis habere, ut informationem (uti vocant) inſtitueret in ditione ac civitatibus Tranſiſalaniæ. Quapropter Senatum, alioſque tam ſpirituales quam ſeculares coram ſe comparere juſſit, & juramento interpoſito examinavit.

Nonnullo poſt tempore idem Quarræus ad civitatem Daventrienſem mandatum Regis Hiſpaniarum nomine miſit, datum XI Aug. Anno CIↃIↃLXIX. continens iteratam quorundam citationem, in hæc verba:

„Philippus Dei gratia Rex Caſtellæ &c. primo noſtro apparitori, armato
„ſatelleti, aut alii Officiario &c. in regione noſtra Tranſiſalana, ad hoc re-
„quiſito, ſalutem. Nomine dilecti & fidelis noſtri Conſiliarii & Procuratoris
„generalis, remonſtratum nobis fuit, quemadmodum per Commiſſarium

„con-

„conſtitutum in dicta noſtra regione Tranſiſalana, ſuper negocio præterita-
„rum turbarum, ab admodum dilecto noſtro ac fideli cognato, equiti Ordinis
„noſtri, Præfecto, Gubernatore, & Capitaneo generali regionum hujus diſtri-
„ctus, Duce Alvæ, Marchione Coriæ &c. citati fuerint ex urbe Daventrienſi,
„Ioan. Sales, (*poſtea:* à Sals) Doct. Regnerus Sandius, Doct. Andreas Schu-
„rinius, (Arnoldus Schrinius) Gothardus a Weſicke junior, Ioan. Iacobi alias
„Crament, (*in ſeqq. vocatur* Sacrament) Andreas Conradi, Ditericus Warne-
„rus, Ioan. Geck, Gerardus Schoelapper, Borchardus, & Ioan. ab Aken,
„Winoldus Sticker publicanus, ejuſque frater Ditericus Sticker, uti compa-
„rerent coram noſtro Conſilio, aut ejus delegatis, certo ac ſtatuto die, pur-
„gaturi ſe in cauſa fugæ ſuæ, abſentiæ, aut latitationis, prout & citati fuerunt
„quicunq; cuperent patrocinari memoriæ Wilhelmi Bruyn ab Elven, & con-
„fiſcationi bonorum ejus, ab eodem remonſtrante factæ contradicere. quo
„die nemo citatorum in propria perſona comparuerit, neque procurationem
„pro eodem defuncto, licet debite evocato & accuſato, exhibuerit. ſed perſi-
„ſtant dicti Ioan. a Sals, Doct. Regnerus Sandius, Doct. Arnoldus Schrinius,
„Gothardus a Weſicke, Andreas Conradi, Borchardus & Ioan. ab Aken in
„abſentia ſua ac latitatione, ut qui fuerint præcipui fautores ſive capita eorum
„qui negocia ſectariorum promoverunt, & improbos Miniſtros protexerunt,
„adverſus ordinem ac ſtatuta Magiſtratus dictæ noſtræ civitatis, prout & di-
„ctus Ioan. Iacobi confractarum imaginum, & Winoldus ac Ditericus Stic-
„ker, domi ſuæ exceptorum miniſtrorum rei ſint. Ditericus autem Warner,
„Ioannes Geck, Gerardus Schoelapper, & Wilh. Bruyn ab Elven, milita-
„rint Comiti Ludoico tempore noviſſimæ ejus impreſſionis in noſtras re-
„giones hujus diſtrictus, quo facto ſe declararint rebelles ac hoſtes. Adhæc
„defunctus, qui ſupra, mortuus ſit in hæreſi obſtinatus, neque ſe matri no-
„ſtræ S. Eccleſiæ reconciliarit, qua ratione inciderit in pœnam criminis læſæ
„Majeſt. divinæ & humanæ, præcipue poſt mortem ſuam condemnationis
„memoriæ ſuæ, prout idem remonſtrans affirmat, requirens ea de cauſa de-
„terminationem expediri circa actionem principalem adverſus hoſce fugi-
„tivos; itemque hæredes, conſanguineos & agnatos proximos defuncti, &
„ipſos citari ad comparendum primo quoq; tempore, ſive in propria perſo-
„na, ſive per procurationem, ſi ita eis videatur, ad defendendam memoriam,
„& contradicendum confiſcationi bonorum ejus, offerente eis ad hoc dicto
„Remonſtrante terminum trium octiduorum, cum clauſula auctorizationis.
„Quamobrem nos, hiſce conſideratis, tibi mandamus, teque harum vigore
„committimus, ut ad petitionem dicti noſtri Conſiliarii & Procuratoris ge-
„neralis, edicto & publica promulgatione cites eoſdem fugitivos, ad com-
„parendum in propriis perſonis, ſub pœna exilii perpetui, & confiſcatio-
„nis bonorum, intra octiduum proximum pro primo, ſecundum pro ſecundo,

„& tertium pro ultimo & peremtorio judicii die, poſt quem alium ex-
„pectare non habeant, coram dicto noſtro conſilio una cum dicto noſtro
„cognato Duce Albano ad hanc rem commiſſo & ordinato: ut in hac no-
„ſtra urbe Bruxellenſi, aut ejuſmodi alio loco intra diſtrictum harum regio-
„num, in quo tunc temporis idem Conſilium commorabitur, reſpondeant ad
„poſtulatum & concluſionem qualem dictus Procurator generalis adverſus
„ipſos ſibi eligendam putabit, ad cognitionem dictæ cauſæ, aliaſque quas
„præfixo die latius ad eos accuſandos proponet, ac porro procedet, dedu-
„cet & ordinabit ut jura præſcribunt. Significans eis, niſi venerint ac com-
„paruerint intra primum, ſecundum, tertium, & ultimum octiduum,
„ipſis abſentibus procedendum eſſe, prout in ejuſmodi cauſis debet fieri.
„Utque eodem modo hæredes & proximos agnatos dicti Wilhelmi Bruyn
„ab Elven ante domicilia ſua cites ad comparendum in propriis perſonis,
„aut per procurationem, intra ſimilia tria octidua, coram dicto noſtro
„Conſilio, ut defendant memoriam dicti Wilhelmi Bruyn, & contradi-
„cant confiſcationi bonorum ab eo relictorum, ab eodem noſtro Conſilia-
„rio & Procuratore generali prætenſæ, ſi ita ipſis videtur, reſpondeantque
„ad ejuſmodi poſtulatum & concluſionem qualem idem noſter Procurator
„adverſus eos eligere volet, ac porro procedere ac ordinare ex juris for-
„mula. Significans eis, elapſo trium octiduorum termino procedendum
„eſſe ad condemnationem memoriæ defuncti, & relictas ab eo facultates
„uſibus noſtris adjudicandas, prout de jure requiretur: ac transſcribens
„eodem die dicto noſtro Conſilio quænam abs te in hoc negotio fuerint
„acta. Cui noſtro Conſilio mandamus, & ſpecialem damus poteſtatem,
„ut partibus auditis, eiſdem expeditam ac compendiariam juſtitiam admi-
„niſtret, prout in ejuſcemodi cauſis fieri oportet. Et in caſu defectus ac
„contumaciæ citatorum, procedant ad condemnationem memoriæ defuncti,
„& declarationem dictæ confiſcationis, aliterve, prout invenerint in ejuſ-
„modi cauſis juſtum & rationabile eſſe. Quoniam ita nobis placet.

„Cumque intellexerimus dictas perſonas è ditionibus noſtris diſceſſiſſe
„atque ita abeſſe, aut vero in iiſdem latitare, volumus in tali caſu, ejuſmodi
„citationes à te faciendas, edicto & publico præconio peragi, ac inſuper
„valvis præcipuæ Eccleſiæ affigi, una cum apographo hujus noſtri edicti,
„nec non prælegi præ foribus poſtremi eorum domicilii, intra hanc no-
„ſtram urbem Daventrienſem, ne ullo modo ignorantiam prætendere va-
„leant. Id quod eandem vim ac valorem habebit, ac ſi coram propriis eorum
„perſonis factum fuiſſet. Ac pro tali eandem citationem auctoritate noſtra per
„præſentes munivimus. Dabantur in civitate noſtra Bruxellana XI Aug. die,
„Ann. Dom. noſtri CIↃ IↃ LXIX. regnorum noſtrorum, videlicet Hiſpaniæ &
„Siciliæ &c. XIV. Neapolis XVI. ita ſubſcriptæ: *per Regem*. & ſignatæ: *Vlierden*.

Ordines

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ordines Tranſiſalaniæ de hiſce edocti, ſequentem libellum ſupplicem ad Comitem Megenſem miſerunt, Albano ipſius opera tranſmittendum:

„Nobilis, Generoſe, Clementiſs. Domine, remonſtrant, ac dolenter „repræſentant T. Clem. equeſtris Ordo ac tres civitates Tranſiſalaniæ, Da„ventria, Campi, Zwolla, quemadmodum paucos abhinc dies nobilis ac „ſtrenuus D. Carolus Quarræus eques, Conſiliarius, & Commiſſarius Re„giæ Majeſt. Clement. noſtri Domini in ditione ac civitatibus Tranſiſalaniæ, „quo ſe contulerat, nonnullos ad ſeſe evocaverit, examinaverit, ac quæ vo„lebat interrogatoria iis propoſuerit. quamquam civitatum Magiſtratus per „ſuos delegatos dictum D. Commiſſarium de civitatum privilegiis, juriſ„dictionibus, ac avitis conſuetudinibus edoceri curarent, eique ſignificari, „penes ſe ſolos omnem juriſdictionem eſſe, coram quibus, tanquam judici„bus ordinariis, civibus & incolis teſtimonium denunciari, iidemque „ſuper quavis alia re conveniri deberent, prout id hactenus citra infractio„nem ſervatum ſit. Quamvis porro antehac ſimiles civium examinationes „à quibuſdam Commiſſariis fuerint tentatæ, iidem tamen Commiſſarii „de jure & conſuetudine civitatum edocti ab eis ſuperſedere. quibus non „obſtantibus dictus D. Commiſſarius Quarræus examinando progreſſus „fuit. cui civitates, ut obedientes ac demiſſos Regiæ Majeſt. ſubditos de„cet (cum talis eſſet ſuæ Majeſt. voluntas, taleque mandatum) ſe oppo„nere noluerunt, neque D. Commiſſario impedimentum objicere. Præter „hæc, Clem. Domine, contigit, tam ruri quam in urbibus nonnullorum „facultates deſcribi, & cives aliquos palam citari & evocari, ut ante cer„tum diem coram Illuſtriſ. Celſiſ. Principe ac Domino Duce Albano „Clementiſ. ſuo Principe ac Domino, aut vero coram dictis Commiſſariis „ſe ſiſterent, defenſuri ſe adverſus ejuſmodi actionem ac accuſationem quæ „eis foret intendenda. Placuit & D. Mondragonio, Daventriæ præſidium „habenti, in eadem urbe captivum ſiſtere ludi-magiſtrum quendam ibi„dem habitantem, ac Magiſtratus cuſtodiæ tradere, & nuper Senatui ex„hibere excerptum cujuſdam Epiſtolæ, in qua mandabatur, ut Senatus „Daventrienſis ejuſdem ludi-magiſtri proceſſum, ſummarie & de plano in„ſtitueret, uſque ad ſententiam definitivam excluſive, & ſimulac ad ſtatum „pronunciandæ ſententiæ eſſet perductus, ad Regiæ Majeſt. Conſilium tranſ„mitteret, qui ex jure & æquo de eo ſtatuerent. Quæ omnia cenſent Or„dines directè contravenire ordinariæ juriſdictioni, & antiquis conſuetu„dinibus ditionis Tranſiſalanæ, reliquiſque articulis confirmati ſui Tracta„tus, expreſſe, verbis ſignificantibus continentis, unicuique coram debito „judice, non alio diem eſſe dicendum; uſitato quoque jure in ditione ac „civitatibus Tranſiſalaniæ obtinente, ut ſi quis vel ruri vel in civitatibus de„liquiſſet, tam in religionis negocio, quam in aliis cauſis criminalibus, is

„perpe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„perpetuo coram ordinario ſuo judice (qui eſt ruri quidem Officiarius „ſive Satrapa, in civitatibus autem Conſulum, Scabinorum ac Conſiliario„rum collegium) & ſi qualitas delicti ac perſonæ exigent, præſente iis Cle„mentiſs. D. Præfecto, nuſquam autem alibi conveniatur, ac reus peraga„tur, & pro ratione criminis, corpore aut facultatibus multetur. In qua „conſuetudine Ordines etiam ante tempus voluntariæ ſuæ ſubmiſſionis nati „ac reperti fuere. neque in contrarium deprehendetur, vel à præcedentibus „Dominis Epiſcopis Ultrajectinis, vel poſtmodum à Regia Majeſt. uſque „ad hoc tempus unquam ullam juriſdictionem in cives urbium incolas uſur„patam fuiſſe, nedum ut ejuſmodi evocatio in regione Tranſiſalana tentata „aut facta fuerit. quod autem attinet deſcriptionem bonorum, quam fortaſſe „confiſcatio videtur ſequutura, firmiter credunt Ordines (quod cum debita „reverentia dictum ſit) ſalvis ſuæ Majeſt. celſitudine ac jure, nec Cæſaream „celſæ memoriæ, nec Regiam Majeſtatem, nec præcedaneos Dominos Epi„ſcopos unquam in cives ac incolas urbium ullam confiſcationem bonorum „habuiſſe, aut ſibi vindicaſſe. quod & ipſum, ſiquando ſuæ Majeſtati placuit „Cancellarium ad ditionem civitateſve ablegare, ſemper ejus mandatis in„ſeri fecit: *ubicunque confiſcatio aliqua locum habet.* Quum ergo, Clementiſs. „Domine, Majeſtati Cæſareæ celſæ memoriæ, hujus ditionis primo Do„mino hæreditario, ſubmittente ſe ei per certum contractum voluntarie hac „regione, placuerit, Ordini equeſtri ac civitatibus ſarta tecta eſſe omnia „ſua jura municipalia, urbana, feudalia, aggeraria, cunctaque alia privi„legia, libertates, poſſeſſiones & conſuetudines, quas habuerunt quibuſque „bono titulo gaviſæ ſunt, Regia quoque Majeſtas Præſens noſter Clemen„tiſs. Dominus hæreditarius, eundem Tractatum huic ditioni confirmarit, „& inviolatum præſtiterit, quo nomine, ut obſequentes ſubditos decet, „ſummas Regiæ Majeſt. agunt gratias, ac prædicti agendi modi quibus ſe „gravari indicarunt tendant ad imminutionem priſtinorum & ſubinde con„firmatorum ditionis ac civitatum Tranſiſalaniæ privilegiorum, ordinariæ „juriſdictionis, & legitime ad ſe derivatarum conſuetudinum, quantumvis „Ordinibus neutiquam in animo ſit hac ſua humili ſupplicatione, vel mi„nimum intercedere, ne Regiæ Majeſt. celſitudo & juriſdictio in pleno vi„gore ſit, verum multo magis, quicunque adverſus eam deliquerit, pro „impoſiti muneris ratione ut fidos ſuæ Majeſt. ſubditos decet, parati ſint „punire; hoc tamen unicum a Clem. tua, ut benevolo ſuo Domino ac Præ„fecto quam poſſunt demiſſe flagitant, ne gravetur apud Ducem Albanum, „Clement. ſuum Principem ac Dominum, ſuo nomine deprecari, ut dictæ „novitates gratioſe amoveantur, incolæ ditionis, & urbium cives, ad ordi„narium & antiquitus conſuetum tribunal ſiſtantur, neque evocationibus, „aliiſve novis inſolitis agendi modis graventur, ſed clementer ab iis libe-

„rentur.

„rentur. Quo facto recte fecerit T. Clem. & ſupplices ſe debitores ſen-
„tient, erga Regiam Majeſt. & Tuam Clem. facultatibus ac corporibus ſuis
„tantum beneficium recognoſcendi, ſeque in perpetuum ut humiles ac ob-
„ſequentes ſuæ Majeſt. ſubditos gerendi, tuæque Clem. ſe gratos præ-
„ſtandi.

Huic ſupplici libello adjunctæ erant Ordinum literæ ad Præfectum. in hæc verba:

„Nobilis, Generoſe, Clementiſs. Domine: Tuæ Clem. demiſſa noſtra
„obſequia, & quicquid poſſumus boni, imprimis paratiſſima ſunt. Clem.
„Domine: Quandoquidem T. Clementiæ nuper a delegatis noſtris novita-
„tes quædam, quæ in hac regione ac civitatibus adverſus veteres conſuetu-
„dines & ordinariam juriſdictionem contigerunt, obedienter viva voce
„fuerunt indicatæ, quibus benevola a T. Clem. audientia fuit conceſſa (id
„quod gratis animis agnoſcimus) viſum nobis fuit (è Clem. Tuæ conſilio)
„gravamina hæc noſtra libello ſupplice comprehenſa T. Clem. tranſmitte-
„re; petimuſque quam po ſſumus obſequenter, ut Clem. Tua, tanquam be-
„nevolus noſter Præfectus ac Dominus, nobis & ditioni huic gratioſe pa-
„trocinetur, ac pro ea deprecetur, quo difficultatibus hiſce liberemur, eæ-
„que aboleantur. prout id plenius in ipſo ſupplice libello obedienter peti-
„vimus. Quod ſi a Clem. T. obtinuerimus, non ingratos nos aut beneficii
„immemores comperiet. teſtis ſit Deus, quem rogamus Clem. T. in celſo ac
„felici regimine diu ſoſpitem eſſe velit. Datæ in Nyerbrugge, ſub ſigillo
„civitatis Daventrienſis, quo pariter hac vice in hoc negocio utimur.
„XVI Aug. Anno CIↃIↃLXIX.

Comes Megenſis ſuper hiſce rebus ad Ducem Albanum literas dedit, & Ordinum Tranſiſalaniæ ſupplicem libellum ei tranſmiſit. nullo eventu, ut liquet è publicatione citationis III Septemb. Daventriæ per ordinarium civitatis apparitorem in hunc modum facta:

„Scabini & Conſiliarii notum faciunt, mandato Regiæ Majeſt. Clemen-
„tiſs. noſtri Domini iterum de novo citatos eſſe Ioannem a Sals, Doct. Re-
„gnerum Sandium, Doct. Arnoldum Schuringium, Gothardum a Weſicke,
„Ioannem Iacobi, *alias* Sacrament, Andream Conradi, Ditericum Wyſſer,
„(*antea vocatur* Warner) Ioannem Geck, Gerardum Schoelapper, Ioan-
„nem ab Aken, Winoldum Sticker, & Ditericum Sticker, ſimulque eos
„qui defendere volent memoriam defuncti Brunonis ab Elven, ac confiſca-
„tioni bonorum ejus contradicere, ut in propria perſona aut per procura-
„tionem compareant Bruxellæ coram Conſilio aut iis qui ex eodem à
„Duce Albano Clementiſs. noſtro Principe ac Domino ad hanc cauſam
„ſunt delegati, aut loco alio in quo dictum conſilium commorabitur intra
„ditiones Regiæ Majeſtatis hujus diſtrictus, reſponſuri ad ejuſmodi conclu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ſionem quam Procurator generalis adverſus ipſos propoſiturus eſt, prout „latius mandato ac citatione ſuper hoc negocio continetur, quæ valvis Ec- „cleſiæ affigetur. quem in finem dictis partibus præfixus eſt primo dies ter- „tius proximi menſis Octobris, ſecundo qui poſt octiduum ſequetur, tertio „& peremtorie XVI. ejuſdem menſis Octobr. Coſs. tum temporis erant „Oldeniel & Huerninck.

Idem apparitor eodem die, citatorum ædes adiit, in quibus nuper habitarant, iiſque quos inibi offendebat inſinuavit ac notum fecit, ſignificandum iis eſſe ſuis principalibus, eſſe eos de novo peremtorie citatos, ad comparendum Bruxellis, pro ſeſe reſponſuros, Nihilominus ſalvis hac in re Civitatis Daventrienſis juribus ac privilegiis: de quo Scabini ac Conſiliarii per haſce expreſſe proteſtentur.

In tergo hujus diplomatis Scabini ac Conſiliarii Daventrienſes ſignari fecerunt ut ſequitur:

„ Præſens citatio ſecundum tenorem ſuum promulgata fuit per Adrianum „Numan juratum apparitorem, & ad domicilia partium, quæ noviſſime „inhabitarunt inſinuata, præfixo iis primo quidem III die Octobr. deinde „eo qui poſt octiduum ſequuturus eſt, tertio ac peremtorie XVI ejuſdem „menſis. Nihilominus civitatis Daventrienſis juribus ac privilegiis ſalvis, „de quo Scabinis ac Conſiliariis expreſſe per præſentes viſum eſt pro- „teſtari.

„ Ut autem conſtet Regiæ Majeſtatis prudentiſſimis Conſiliariis ad hoc „negocium delegatis, qua de cauſa Scabini ac Conſiliarii honoris ſui ac „juramenti habita ratione, quo ſecundum Reg. Majeſt. etiam huic civitati ob- „ſtricti ſunt, non potuerint omittere, quo minus hanc citationem ſub debita „proteſtatione promulgari fecerint, rogant iidem quam poſſunt officioſe, ut „Domini Conſiliarii Regii gratioſe intelligant, hanc citationem & evocatio- „nem directe adverſari privilegiis, juribus, juriſdictioni ac conſuetudini „hujus ditionis, ac civitatum Tranſiſalaniæ. Quandoquidem hæc ditio ac „civitates ab antiquo ea ratione privilegiatæ fuerunt, & adhuc ſunt, primo, „ut earum incolæ in omnibus cauſis, tam religionis quam aliis quibuſcun- „que, tam civilibus quam criminalibus, citra ullum diſcrimen, coram com- „petenti ſuo judice, videlicet ii qui ruri commorantur coram Officiariis, „cives urbium coram Scabinis & Conſiliariis, aut alioqui pro ratione „cauſarum & perſonarum coram Regiæ Majeſt. per Tranſiſalaniam Præ- „fecto una cum equeſtri Ordine ac civitatibus conveniendi ſint, neque „uſquam alio poſſint evocari.

„ Secundo, ut in omnibus cauſis, qualeſcunque eæ ſint, Senatus urbium „cum civibus & incolis mulctas ſiquas contingeret deberi ſoli ſemper ha- „buerint ſibique vindicarint.

„Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Quæ privilegia, jura, conſuetudines Cæſarea Majeſtas, primus ipſo-„rum Clementiſs. Dominus hæreditarius, & poſt eum Majeſtas Regia certo „Tractatu promiſſis ac juramentis ſancito ipſis confirmarunt, & hactenus „gratioſe inviolatas præſtiterunt. unde & confidunt deinceps quoque ſuam „Majeſt. ditionem hanc & civitates in earundem uſu clementer conſerva-„turam. Quæ omnia plenius Ordines Ill. ſuæ Clem. XVI Aug. currentis „anni dolenter exhibuerunt. Petuntque iterato dicti Scabini & Conſiliarii, „ut prudentiſſimum ſuæ Majeſt. Conſilium, auctoritate ad hoc negotium „expediendum inſtructum, exiguam hanc deductionem gratioſe quoque & „faventer conſiderare dignetur. Actum XII die Septembr. Anno CIↃ „IↃLXIX.

Ludi-magiſter quem Mondragonius Senatui Daventrienſi captivum tradiderat, effracto carcere evaſit. quam ob rem Mondragonius vehementer excanduit, ratus Senatum ejus facti non omnino inſcium fuiſſe, idque ad Albanum perſcripſit. Conſules eo tempore erant Arnoldus ab Oldeniel, & Wilhelmus Huerninck.

XVII Septemb. idem Mondragonius utrumque Conſulem ſecum pranſuros in ædibus Præpoſituræ, invitari fecit. venerunt illi, finito autem prandio miſit ad Licentiatum Winſemium, Camerarium Henricum a Markel, ac plures è Senatu alios, quibus ſignificari fecit, accepiſſe ſe literas mandati ab Albano Duce, quibus ſibi injunctum ſit, ut ambos Conſules captivos detineret, & viginti ſclopetariis comitatos Bruxellam mitteret, quapropter petere ſe ut Senatus Daventrienſis pecuniam ad iter hoc neceſſariam pro Coſs. & ſclopetariis ad ſe deferri curaret. Apparitorem quoque, cujus cuſtodiæ ludi-magiſter fuerat creditus apprehendi curavit Mondragonius.

Hiſce intellectis Markelius & Winſemius ilico Senatum convocari fecerunt, omnes autem è curia ad ædes Præpoſituræ ſeſe contulerunt, ubi poſtquam Mondragonium conveniſſent, reſciverunt ab eo, ludi-magiſtrum è cuſtodia elapſum huic rei cauſam dediſſe. rogarunt ergo peramanter ut Coſs. demitteret ſub ſufficienti cautione, aut vero permitteret eis legatorum inſtar Bruxellam tendere, ſe interim omnes & ſingulos pro iis ſpondere paratos eſſe, fore ut judicio ſe ſiſterent; ſed conſenſum ejus hac in parte impetrare nequiverunt: cumque inſuper rogarent, liceret apparitori cujus in cuſtodia captivus fuerat una cum eis in viam ſe dare, eo quod Senatus per illum ſeſe defendere certus eſſet, reſpondit, per ſe licere ut idem apparitor in Dominorum ſuorum comitatu permaneret.

Poſtridie horis antemeridianis ambo Coſs. cum duobus curribus Daventriâ evecti fuerunt, quorum alteri qui vehendis perſonis Senatoriæ dignitatis inſervire ſolebat, ipſi, alteri qui ſequebatur milites erant impoſiti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Bruxellam ut appulerunt, in carcerem quem *Treurenborch* appellant fuerunt miſſi, ſed poſtea abſoluti domum redierunt.

Dux Albanus ad libellum ſupplicem Ordinum Tranſiſalaniæ reſponſum ſuum ad Comitem Megenſem perſcripſit, qui idem die XIX Sept. Ordinibus notum fecit, ut ſequitur:

,, Carolus &c. Comes Megenſis &c. eques Ordinis velleris aurei, Præ-
,,fectus & Capitaneus generalis Ducatus Gelriæ, Comitatus Zutphaniæ,
,,Friſiæ, Tranſiſalaniæ, Groningæ, & Lingæ:

,, Honorati, prudentes, probi, dilecti amici: Illuſtris Clementiſſimus
,,noſter Princeps ac Dominus Dux Albanus Gubernator, commodum nobis
,,ſcripſit, ſe ſupplicem libellum, à Tranſiſalaniæ Ordinibus, nobis traditum,
,,ſuper difficultatibus quæ ſpectant eorum privilegia, & à nobis deinde Ill.
,,ſuæ Clem. tranſmiſſum, in Conſilio viſitari curaſſe, ubi omnibus conſidera-
,,tis, reſponſum fuerit, privilegia, uſus ac conſuetudines ab iiſdem Ordini-
,,bus prætenſas, nec poſſe nec debere locum ſortiri in crimine læſæ Majeſt.
,,divinæ & humanæ, quæque circa hoc negocium facta ſunt, ita fieri opor-
,,tuiſſe ad obſequium Dei & Regis, & publicum provinciarum bonum, quæ
,,ſimilem inſtantiam & petitionem exhibuerint, ac ſimile reſponſum accepe-
,,rint. Adjiciebat tamen Illuſtr. ſua Clem. in omnibus aliis cauſis rationem
,,habendam eſſe conſervationis bonarum conſuetudinum, uſuum ac privile-
,,giorum, quantum quidem ex æquo & bono requiretur aut permittetur. Id
,,quod vobis ſignificandum duximus, ut de eo illos ſupplicis libelli exhibito-
,,res, quos id ſcire neceſſe judicabitis, faciatis certiores. Valete. Leovardiæ,
,,XIX Sept. Anno CIƆIƆLXIX.

X. Octob. die, Mondragonius Senatum Daventrienſem totum ad ſe vocari fecit, eique ſignificavit, accepiſſe ſe à Duce Albano literas, quibus indicabat, filium ſuum Don Fridericum in itinere eſſe, & poſtridie ejus diei Daventriam venturum, ubi diu hærere non poſſet. Sibi ergo injunctum fuiſſe, Senatui Daventrienſi indicaret, voluntatem Regiæ Majeſt. eſſe, uti arx in urbe Daventrienſi extrueretur, idque ſumtibus illius civitatis &c. qua de re articulos ſcripto conſignatos Senatui tradidit, in hanc formam:

,, Intentio Regiæ Majeſt. eſt, arcem extruere in urbe Daventrienſi, ad
,,majorem ditionis ſecuritatem, tranquillitatem ac pacem civitatis Daven-
,,trienſis, utque in ea juſtitiæ adminiſtratio ſtabiliatur, & ipſa quidem urbs
,,præſidio, Majeſtas vero Regia ſumtu quo illud alit exoneretur.

,, Cupit autem Regia Majeſt. à civitate ſuppeditari ſumtus expendendos
,,in ejuſcemodi arcis extructionem.

,, Cumque Don Friderico integrum non ſit hic commorando tempus
,,extrahere, petit idem ut Coſs. ac Senatores ilico ſuper hiſce propoſitioni-
,,bus deliberent ac concludant.

Poſtri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Poſtridie XI Octob. Don Fredericus advenit, quem quatuor è Senatu in ponte Iſalæ inſtrato exceperunt, eique adventum gratulati ſunt, quos diſceſſurus, ut ſeſe ad diverſorium ſuum ſequerentur monuit.

Senatus Daventrienſis, è cervis quos alebat, unum ſclopo trajici fecerat, quem cum vini dolio ei dono miſit. viciſſim Senatui ſignificari fecit Fridericus, ut reſponſum ſuum ſub veſperam paratum haberent. poſtea tamen ut res ea in ſequentem diem protolleretur permiſit.

Sub veſperam Don Fridericus cum Mondragonio, Hiſpanis aliquot comitato, & Petro ten Holte Prætori in Dalffen, Daventriæ habitante, ejuſque duabus filiabus, & duabus tribuſve aliis virginibus publicum œnopolium intravit, ibique epulatus eſt, nemine è Senatu aliiſve honoratis civibus eodem invitato.

Poſtridie, qui erat XII Octobr. Senatus cum ſuis Tribb. pleb. reſponſum ſuum concepit, idque ſcripto, in modum libelli ſupplicis conſignavit, ac Don Friderico tradidit, qui petiit, ſenſus illius ſcripti ſibi exponi. reſponſum eſt, rogare ſe ut S. Excellentia reſponſionem ipſam viſitaret. atque eo dicto diſceſſum, ita autem habebat:

» Quandoquidem nobilis ac ſtrenuus Dominus, Dom. Mondragonius, nomine Excellentiæ Illuſtris ac generoſi Domini Ferdinandi Ducis Alvæ &c. Conſulibus ac Senatoribus hujus civitatis Daventrienſibus ſignificavit, Regiæ Majeſt. Clementiſſ. noſtri Domini intentionem eſſe, intra hanc urbem, ac ejuſdem ſumtu arcem extrui curare, quo ſua Majeſt. gravi ſumtu alendi ibidem præſidii, & hæc urbs ab ipſo illo præſidio exonerari poſſit, petens à Senatu ut ſuper hoc negocio deliberaret ac decerneret:

» Hac de cauſa ſuæ Excell. Coſs. ac Senatores nomine totius communitatis hujus urbis obedienter ſignificant, ſeſe, qui ſemper ut obſequentes ac fideles ſubditos erga ſuam Majeſt. ſuamq; Excell. ſe geſſerunt, ea ſpe eſſe, non futurum ut ſuæ Majeſt. ſuæque Excell. placeat bonam hanc urbem ejuſque cives in extremam miſeriam conjicere, extructa in ea arce: prout nullo modo ſibi ſint conſcii, ſe ad eam rem vel minimam cauſam dediſſe, quibus nihil fuerit & etiamnum ſit antiquius quam in obedientia ſuæ Majeſtatis ſuæque Excell. perſeverare, vivere, ac mori.

» Quamvis autem præteritis annis hic nonnihil rationi turbulenti temporis, ad evitanda majora incommoda, velificari neceſſum fuerit, quod & poſtmodum ad nutum ſuæ Majeſt. fuit abrogatum, Senatus nihilominus & Tribb. pleb. univerſim in officio & obedientia ſuæ Majeſt. debita ſemper continuarunt ac perſtiterunt. quamobrem perquam obſequenter obſecrant ſuam Majeſt. nequem adverſus hanc urbem ejuſq; cives ſequiorem affectum concipiat, ſed ex naturali bonitate, benignitate, ac gratia neceſſitati temporis quicquid tale contigit condonare velit, & urbi ac civibus clementer indulgere.

 »Con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Conſideret autem gratioſe ſua Excell. extructionem arcis in hac urbe „(quæ & paucorum civium, & anguſte à noſtris majoribus ædificata eſt) „viam munituram ad omnimodum interitum exiguæ negociationis quæ in „ea viget, & perpetuam ac irreparabilem perniciem miſerorum civium. „Ita ut regiones circumvicinæ, quæ mercimonia ſua huc advehere, & vi- „ciſſim omnigenas merces hinc exportare fuerunt ſolitæ, inde anſam ſum- „turæ ſint, alias urbes quærendi, & aliovorſum negociationem ſuam diri- „gendi. Prout etiam nunc deprehenditur, & indies deprehendetur, quanto- „pere exigua noſtra commercia, diuturni præſidii ergo, fuerint imminuta, „& cives plerique ad egeſtatem perducti. Ne jam dicamus, urbis exiguita- „tis & ædificiorum perquam anguſte cohærentium ratione habita, multo- „rum tenuiorum domos diruendas fore, ad ſuam liberorumque ſuorum per- „petuam ruinam.

„ Quapropter Senatus & univerſa civium communitas quam poſſunt de- „miſſe ac obſequenter rogant, ut ſua Excell. nomine Majeſt. Regiæ gratioſe „conſideret calamitatem & egeſtatem civium hujus urbis, nec modo eam „ab extructione arcis immunem eſſe velit, verum etiam à diuturno & im- „portabili onere militis præſidiarii ac ſtipendii eidem procurandi ſublevet. „Pollicentes, ſe deinceps quoque ita ſe geſturos, ut obedientes, fideles, „ac afflictos ſuæ Majeſt. ſuæque Excell. ſubditos decet, ſeque ad nutum ſuæ „Majeſt. ſuæque Excell. Ducis Albani urbem ſemper apertam habituros, „prout & ex eo tempore quo Anno cIↃIↃxxvii. valido ac ſolenni Tracta- „tu ſe Cæſ. Majeſtati volentes ſubmiſerunt, aſſiduo obedienter & alacriter „fecerunt.

„ Quod ſi autem ſuæ Majeſt. ſuæque Excell. nihilominus placeret in hac „urbe arcem extrui curare (quod non futurum ſperant) Senatui ac civibus „incumbit patienter ferre quodcunque ſuæ Majeſt. ſuæque Excell. ſuper hoc „ſtatuere viſum fuerit: verum impoſſibile eſt civitati ad eam rem ſumtus „conferre, quandoquidem urbs ejuſque cives per multiplices equitum pedi- „tumque tranſitus, graviſſimum æs alienum contraxerunt, prout & ratione „eorum quæ expenderunt in equites Germanos haud exigua eis adhuc ſum- „ma debetur. Diuturnum præterea ac oneroſum præſidium urbis commer- „cia ac commoda vehementer attrivit, & civium facultates attenuavit. „Ac præter exceſſivos ſumtus quos proxime elapſis annis annonæ, panis, „aliorumque neceſſariorum advectione diverſis legionibus facta, tolera- „runt, etiam pro ſtipendiorum per eoſdem annos, & hunc etiam, eroga- „tione, aliquot aureorum millia eis refundenda ſunt; Ita ut urbs hæc ejuſ- „que cives ad eam penuriam ſint redacti, ut ulteriores ſumtus facere nullo „modo poſſint.

„ Unde iterato quam poſſunt demiſſe obſecrant, ut ſua Excell. nomine

„ſuæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ſuæ Majeſt. hæc omnia clementer conſideret, neque inſuper hanc urbem „ac cives gravare velit. quod ſi fecerit, &c.

Daventrienſes hiſce exhibitis, egreſſi nonnihil, denuo intrare juſſi ſunt. quibus Don Fridericus ait prorſus inexpectatum ſibi accidere hoc reſponſum, quum id quod propoſuerat ad bonum & utilitatem civitatis Daventrienſis tenderet: aliud ergo ſe reſponſum petere, eo quod Regiæ Majeſt. ad ditionum ſuarum ſecuritatem arcem ibi extruere decretum eſſet. unde hortari ſe eos, ut mature ſuper ea re deliberarent, quod niſi fieret, præſidium ſumtu civitatis ibidem remanſurum eſſe.

Quibus intellectis Senatus una cum Tribb. pleb. iterato rem in deliberationem adduxit, ac denuo ſententiam ſuam ſcripto comprehenſam tradidere, viva quoque voce ejus tenore explicato. ita autem habebat:

„ Coſs. Scabini & Senatores una cum Tribb. pleb. urbis Daventrienſis, te„nues & afflicti ſubditi ſuæ Majeſt. ſuæque Excell. denuo ac de novo quam „humillime precantur, ut Ill. ſuæ Clem. gratioſe placeat in hoc conſentire, „ne extructio arcis, ad interitum ac vaſtationem bonæ hujus civitatis effectui „mandetur. id quod clementer conſideratum iri non diffidunt.

„ Quod ſi tamen Regiæ Majeſt. ſuæque Excell. omnino ſtet ſententia, arcem „hic extruendam eſſe, agnoſcunt, prout obſequentes ac fideles ſuæ Majeſt. „ſuæque Excell. ſubditos decet, ſibi hoc ferendum eſſe. Verum impoſſibile „eſt urbi ac civibus ad id ſumtus conferre, ut qui ſuperiori tempore ita fun„ditus exhauſti ſint, & indies adhuc exhauriantur, ut nulla eis ſuperſit facultas „ullas amplius pecunias contribuendi. prout Ill. ſuæ Clem. hodierno mane „prolixe, ea qua par eſt ſubmiſſione demonſtrarunt. Idque deinceps eo mi„nus fieri poterit, quum per arcis extructionem hæc urbs ad extremam ege„ſtatem ſit redigenda. Interim ſi ſuæ Majeſt. ſuæque Excell. commodo tem„pore placeret ſuper ſublevatione graviſſimorum ſumtuum à ſua Majeſt. in „hoc bello toleratorum, ditionem Tranſiſalanam (cujus hæc civitas mem„brum eſt) interpellare, Senatus Daventrienſis una cum aliis promte, quan„tum exiguæ hujus urbis facultates patiuntur, præſtiturus eſt.

Poſt hæc Fridericus ſerio civitatis delegatos admoneri fecit, ut melius ac commodius reſponſum ad ſe referrent. ac diſceſſurus, juſſit eos reſponſum aliud ad ſe tranſmittere. quo dicto, Daventria diſceſſit.

Daventrienſes ſuper hoc negocio conſilium Ordinum flagitarunt. qui quod eis ſuaderent non reperiebant.

Magiſter Gothardus ab Ooſtendorp Regiæ Majeſt. per ditionem Tranſiſalanam conſtitutus Conſiliarius, accepta à Duce Albano commiſſione, ac mandato certas perſonas ex urbe Daventrienſi coram ſe citandi, ad teſtimonium veritati perhibendum, licet id juri urbano ac municipali aperte repugnaret, nihilominus XVI Novemb. die ad monaſterium in Diepenveen ſe contu-

contulit, unde cives aliquot Daventrienſes in ditionem alienam evocavit, qui coram ipſo (cui nulla revera in eos juriſdictio erat) comparere ſunt adacti, eique ad interrogatoria ſua reſpondere.

Balduinus a Roon Cæſar. Majeſt. nomine Cancellarius Tranſiſalaniæ, Drentiæ & Lingæ, à Duce Albano in mandatis habebat, ut inquireret, quo pacto in ditione Tranſiſalana ac tribus civitatibus in cauſis criminalibus procederetur. Is ergo XXIII Novemb. Campos devenit, ubi nonnullos à Senatu delegatos ſibi conveniendos eſſe ſignificavit. ſelecti ergo ſunt ad eam rem Henricus Dye Wolphius & Arnoldus a Bocop; quibus propoſuit, ſcriptum ſibi fuiſſe à Duce Albano, quemadmodum in Belgio varii procedendi modi in uſu eſſent, ideoque injungi ſibi ut ea de re per ditionem ac civitates inquireret, ſibique tranſcriberet. Petere ergo ſe, ut civitas Campenſis conſuetudines ac privilegia quibus uteretur circa cauſas criminales, præter diſpoſitionem juris communis, ſecum communicaret. Quam petitionem cum delegati ad Senatum retuliſſent, placuit ei deductionem quandam de ſuæ civitatis procedendi modo ac conſuetudine in cauſis criminalibus in chartam conjicere, quam XXVI Novemb. die dicto Cancellario Zwollam tranſmiſit. eam vero ob prolixitatem hic omittam.

XVII Novemb. idem Cancellarius civitati Campenſi miſit aliquot articulos, ſuper quorum judicatura edoceri optabat, erant autem iſti:

„ 1. Penes quem eſſet ſumtus executionis erogare? prætoremne, an civitatem?

„ 2. An captivo id petenti procurator eſſet concedendus?

„ 3. An confiſcatio in crimine hæreſeos & læſæ Majeſtatis locum habeat, juxta jus commune, & tenorem conſtitutionis edicti æterni Celſiſs. memoriæ Caroli V. quo derogatur omnibus privilegiis & conſuetudinibus in contrarium? & cuinam in tali caſu bona applicentur?

„ 4. An Senatus Campenſis privilegia aut conſuetudines habeat dandi remiſſionem, etiam inconſulto Principe aut ejus Vicario?

„ 5. An idem in dubiis Principem aut ejus Vicariam conſulat, quo omnibus expenſis, juxta ejuſdem commiſſionem res peragatur?

Ad hæc Senatus Campenſis ut ſequitur reſpondit, idque XXIX Novemb. ad Cancellarium tranſmiſit:

„ Quandoquidem nobilis ac ſtrenuus D. Balduinus a Roon Cancellarius ſcripto a Senatu Campenſi petivit edoceri ſuper certis quinque articulis infra enumerandis, ea propter dictus Senatus ad eos articulos ſequens reſponſum delineavit, ad pleniorem declarationem proceſſuum in cauſis criminalibus in hac urbe obſervatorum, idque ſuæ ſtrenuitati ſcripto comprehenſum tradidit:

„ Ac primo quidem, quod attinet ad ſumtus executionum, penes quem „ſit

„ſit eos tolerare, Prætoremne an civitatem? declarat Senatus, civitatem „tolerare ac exolvere omnes ſumtus qui in apprehenſione delinquentis & „durante quoque ejus captivitate fieri aſſolent, nec non pro victu ejus ne„ceſſario, item pro informatione ſumenda ſuper commiſſis facinoribus, & „rei confeſſione ac ſimilibus. Verum eo die quo criminalis capite plecti„tur, uſitatum eſt, Prætorem, facta executione, commentarienſes & con„feſſorem prandio excipere, & lictorum quidem ſingulis, ſeſqui nummum „(quem latam placcam vocant) carnifici vero (qui à civitate ſtatum ſtipen„dium habet) ſex latas placcas exolvere. lata porro placca valet VII deutas „(quas appellant) Hollandicas. Quod ſi Civitati illo tempore proprius „carnifex non eſſet, in eo caſu Senatus alium, ſumtu civitatis accerſit. „neque quum hoc fit Prætor aſſuevit peregrino carnifici quicquam dare. „prout idem Prætor nullos quoque ſumtus facit, quando Senatus maleficos „extra urbis pomœria, intra ſpatium milliaris (juxta ſua privilegia) ap„prehendit, aut vero, quando quiſpiam Lutheraniſmi nomine ſupplicio „afficitur. Quicquid autem ad executionem ulterius requiritur, ſive appre„henſionis, ſive commentarienſium, lictorum, urbani carnificis nomine, „præter id quod impendit Prætor, id omne ex antiqua conſuetudine civi„tati luendum venit.

„Quod ad alterum articulum; an videlicet captivo, id petenti, permitta„tur Procurator? dicit Senatus, non eſſe uſitatum, ut delinquentes (poſt„quam apprehenſi & cuſtodiæ mandati ſunt) Senatus tribunali denuo ſiſtan„tur, aut coram eo accuſentur, utve ſecundum formam juris communis „ſolenniter adverſus eos procedatur, ſed ut Senatus informatione facta, & „rei confeſſione audita, ſuper re tota decernat, prout vi præſtiti jura„menti deprehendit ex jure, ratione, rei circumſtantiis fieri oportere. „Ita ut captivo quoad hoc procuratore non ſit opus, Interim reo non de„negatur, quo minus ſive per amicos, ſive procuratores, alioſve exhibito „Senatui ſupplice libello poteſtatem purgandi ſe roget, ſi ita ſibi videa„tur, aut etiam viva voce eam petitionem ad Senatum perferri curet. Civi „etiam aut incolæ, qui vadem conſtituit, licet in propria perſona, aut per „ſubſtitutum procuratoremve, conſcio Magiſtratu coram judicio ſe de„fendere.

„Quod ad tertium articulum; An videlicet confiſcatio in crimine hæreſeos „aut læſæ Majeſt. locum habeat, ſecundum jus commune, & tenorem conſti„tutionis ac edicti perpetui celſæ memoriæ Imperat. Caroli V. & cuinam „bona applicentur? reſpondet ac declarat Senatus, prout & aliqua ex parte „in nupera ejus deductione factum: ſi quando contigerit civem aut inco„lam civitatis Campenſis, ob malefacta ſua, flagitia, ſectas, hæreſes, aut „crimen aliud quodcunque & quantumcunque capitali ſupplicio affici, aut

„eam ob cauſam in exilium abire aut ejici, facultates ejuſdem nunquam ab „ullo è judicibus invaſas aut confiſcatas fuiſſe, ſed ſemper eas penes in„teremti hæredes, ejectum vero ipſum aut fugitivum remanſiſſe. Ita ut „nunquam ulla confiſcatio adverſus cives incolaſve civitatis Campenſis fue„rit exercita aut etiam tentata. Quod ſi nummi aliqui apud peregrinos ſup„plicio affectos fuerint inventi (quod olim anabaptiſtis exteris hic capite „plexis contigit) reperiuntur iidem nummi à Senatu ad ſumtuum in ejuſ„modi actionibus requiſitarum refuſionem applicati fuiſſe. Quemadmo„dum & omnes mulctæ in quas quiſpiam in civitate Campenſi ejuſve po„mœriis incurrerit, ob quamcunque cauſam, & quantæcunque eæ ſint, „perpetuo ad uſum ejuſdem civitates applicatæ fuerunt.

„Ad quartum articulum, quo quæritur, An Senatui Campenſi privi„legia aut conſuetudines ſint, remittendi pœnas etiam inconſulto Principe „aut ejus Vicario, reſpondet Senatus, ab omni retro antiquitate in more „fuiſſe, ut civitas Campenſis, pro ratione delicti aut facinoris reos capti„vos gratia affecerit ac dimiſerit, Principe ſuo, ejus Vicario Prætoreve „nullatenus conſcio, prout & nonnullis abhinc annis aliquoties contigit, „Senatum Campenſem ad gratioſam interceſſionem Clementiſs. ſui Præ„fecti, varios maleficos vita donaſſe ac dimiſiſſe.

„Quod ad v. & ultimum articulum, An Senatus in dubiis Principem „ejuſve Vicarios conſulat? reſpondet Senatus, nunquam ſe obſtrictum fuiſſe, „ad Principem ſuum ejuſve Vicarium in dubiis conſulendum. non tamen „ſibi inſuetum eſſe, edoceri ſe curare ab iis quorum ſuper aliquo negocio „ſententiam inquirere ipſi conſultum putent.

Senatus Campenſis hoc ſuum reſponſum ad Cancellarium transmiſit, qui id una cum deductione privilegiorum ac conſuetudinum ejus circa cauſas criminales, ad Ducem Albanum curavit perferri. Idem & à reliquis civitatibus factum, non tamen ut in omnibus eorum ſcripta conſentirent, cum & mos procedendi in criminalibus, & privilegia quoque harum civitatum varient.

Anno cIↄIↄLXX. Civitas Haſſeltana per libellum ſupplicem à Duce Albano petiit, liceret ſibi pontem Aquæ quam nigram vocant imponere, id quod ante non ſemel, opponentibus ſe perpetuo Zwollanis, tentarant. qui & hoc tempore ſe eorum conatibus objecerunt, miſſis Bruxellam ſuis delegatis, per quos cauſam ſuam apud Ducem ita egerunt, ut Haſſeltanorum petitio fuerit rejecta.

Eodem anno Albanus Regiæ Majeſt. nomine edictum publicavit, quo vetabatur, ne quis ex hiſce provinciis ad ſcholas aut univerſitates extra eaſdem ſitas liberos ſuos mitteret aut peregrinari ſineret, excepta unica urbe Româ. Similiter ne qui adoleſcentes infra vigeſimum ætatis annum peregre

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

peregre proficiſci, ad linguas, aut opificia, aut mercaturam diſcendam audeerent.

Incolis provinciarum edictum hoc valde onerosum accidit, & nominatim Tranſiſalani id ægre tulerunt. quapropter trium civitatum delegati convenerunt, ac ſuper eo deliberarunt, quandoquidem eæ jus præbendarum in variis qua Academiis qua Scholis trivialibus habebant, quarum ſubſidio civium liberi citra ullos ſumtus ſtudiis inibi operam dare poterant. Item, quod liberos ſuos ante viceſimum ætatis annum eo quo dictum eſt fine, extra ſuæ Majeſt. ditiones mittere prohiberentur, qui tamen à teneris edoceri neceſſe haberent, alioqui ad honeſtum vitæ genus inepti futuri. Decreverunt ergo, difficultates ſuas circa hoc negotium ad Præfectum ſuum Comitem Megenſem ſcripto tranſmittere, rogareque ut ſuo nomine apud Albanum deprecari vellet, ne edicto illo gravarentur. quod fecerunt in hæc verba:

„ Nobilis, Generoſe, Clem. Domine: Clementiæ tuæ obſequia noſtra, „& quicquid boni poſſumus, in primis parata ſunt. Clem. Domine, Clem. „tuam, urgente adacti neceſſitate, celare non poſſumus, ſtrenuum Dominum „Segerum a Groesbeke, Præfecturæ Clem. tuæ per Friſiam & Tranſiſala„niam &c. Vicarium, paucis abhinc diebus nobis miſiſſe apographum „certorum edictorum Regiæ Majeſt. Clementiſſimi noſtri Domini, quibus „Regia Majeſtas prohibet, nequis ſubditorum ſuæ Majeſt. per haſce regio„nes deinceps ſtudiorum cauſa ſe conferat ad alias Univerſitates aut Scho„las, quam quæ intra ſuæ Majeſt. ditiones ſunt ſitæ, excepta unica univer„ſitate urbis Romæ, neque uſpiam alio. ſtatuitur autem, ut qui impræſen„tiarum extra ſuæ Majeſt. ditiones commorantur, ante certum tempus in „eas reverti per literas moneantur, ſub pœna ipſis edictis comprehenſa. „Utque idem locum habeat circa alios adoleſcentes, viginti annis mino„res, qui alias regiones frequentant, ad linguas, mercaturam aut manua„rias artes diſcendas &c. adjuncto mandato, ut edictum illud intra juriſ„dictionem harum civitatum faciamus promulgari, & procedamus adver„ſus ejus tranſgreſſores per exequutionem pœnarum in eo conſtitutarum. „Quum ergo, Clem. Domine, in variis univerſitatibus, ut Peruſiæ, Co„loniæ alibique in burſis aut collegiis certis locis gaudeamus, in quibus „ſtudioſi noſtri, civium liberi, vi fundationum præſtantium quorundam „virorum, literis operam poſſunt dare; nec non, ut Hanſæ Teutonicæ „federati, in urbibus Hanſaticis ac variis regnis & regionibus aliis ſimile „circa alios adoleſcentes jus habeamus, quapropter edictum illud promul„gare gravamur, quumque antehac, Anno CIↃIↃLIX. XXVI Aprilis „die, Regia Majeſt. ditioni Tranſiſalanæ gratioſe conceſſerit promiſerit„que, ſiquando impoſterum nova quæpiam edicta dictæ regioni Tranſiſala„næ miſſurus eſſet, ibidem promulganda, in anteceſſum ſeſe de ea re Præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ fectum ejuſdem regionis certiorem facturum, qui ſi difficultates aliquas „ momentoſas adverſus eorundem publicationem opponi deprehenderet, „ omni diligentia Majeſt. ſuam de iis edoceret, ac in eo caſu ab eorum pu„ blicatione tantiſper ſuperſederet, donec à ſua Majeſt. aliter ſtatutum foret: „ prout Clem. tuæ ex inſerto Regiæ conceſſionis apographo licet deprehen„ dere: Iccirco XXV Aprilis die, delegatos noſtros Senatores ablegavimus, „ ut cum Clem. tua Arnhemiæ (quod fore ſperabamus) noſtro nomine offi„ cioſe agerent, eique difficultates noſtras circa dictam promulgationem in„ dicarent, verum delegati noſtri, ut Appeldornam venerunt, intellexeruntq; „ Clem. T. Arnhemia Bruxellam tum temporis eſſe profectam, domum ſunt „ reverſi. Porro, quum urbium harum, earumque civium tantopere interſit „ huic negotio recte proſpici, rogamus demiſſe ac obſequioſe, placeat Clem. „ T. tanquam conſtituto nobis gratioſo Domino ac Præfecto, diem nobis ac „ locum ejuſmodi præfigere, quibus delegati noſtri T. Cl. convenire poſſint, „ eique difficultates noſtras ac curas viva voce indicare. utque Clem. tuæ pla„ ceat, vigore dicti Reg. Majeſt. promiſſi, nobis gratioſe indulgere, ut interea „ temporis à publicatione memorati edicti ſuperſedere liceat, prout à Clem. „ noſtro Præfecto piæ memoriæ, generoſo Domino Comite Arembergio non „ ſemel nobis permiſſum fuit. Id gratis animis noſtrum erit recognoſcere. „ Deus T. Cl. diu incolumen ſervet. Datæ ſub ſigillo civitatis Daventrienſis, „ quo impræſentiarum ad hoc negotium utimur XXIX Apr. die, Ann. CIↃ IↃ LXX.

Megenſis Comes abſque ulla mora difficultates à tribus civitatibus motas Duci Albano indicavit, ac demiſſe earum nomine petiit, ut à promulgatione decreti excuſari poſſent. in quam petitionem conſentire noluit, ſententiam autem ſuam, ejus rogatu V. Maji die Comiti ſcripto tranſmiſit, qui Epiſtolam Ducis ad Ordines perferri curavit. erat autem talis:

„ Generoſe Comes, Quandoquidem è tradito nobis ſcripto ad te miſſo „ a Coſſ. Scabinis ac Senatoribus trium civitatum Daventrienſis, Campenſis, „ Zwollanæ, percepimus difficultates ab ipſis motas circa publicationem „ edicti quo Regis Clementiſſ. noſtri Domini ſubditi prohibentur ſtudiorum „ cauſa ſe conferre ad alias Univerſitates ſcholaſve quam eas quæ ſuæ Maje„ ſtatis ditionibus continentur, quo & cavetur ne adoleſcentes viginti annis „ minores peregre mittantur ad diſcendas linguas, mercaturam aut opificia „ manuaria: Tuum erit eis reſponſi loco ſignificare, Nos, ratione man„ dati quod habemus a Regia Majeſt. difficultatibus illis nullum penitus lo„ cum dare poſſe: prout & nullius ponderis eſſe comperiuntur, quum in „ ditionibus dictæ Reg. Majeſt. non deſint bonæ Univerſitates, in quibus „ non ſcientiæ ac facultates duntaxat, verum & variæ linguæ addiſci poſſunt. „ Quod vero ad ea attinet loca, in quibus eædem Civitates ajunt civium ſuo„ rum liberos in burſis quibuſdam aut collegiis reſidendi jus habere, indicari

„ tibi

„tibi petas ubinam illa loca ac burſæ ſint ſitæ, & quantum in illas ſumtuum „ſoleat erogari, eaque de re nos è veſtigio certiores facias, quo de ea „ulterius poſſit ſtatui. Qumque adoleſcentes viginti annis minores in exte- „ras & hæreſibus infectas regiones miſſi, de facili ea ibi jaciant fundamenta, „quæ domum reverſi retineant, ac difficulter deponant, prudenter Reg. Majeſt. „decrevit interdicere ne tales peregre mittantur, antequam ad maturiorem, „pervenerint ætatem, qua ſibi ab eis melius cavere poſſint. Atq; huic ſuæ Ma- „jeſt. ſententię civitates ſibi obſequendum ſciant, & memoratum edictum ſibi „nulla interpoſita mora promulgandum, Clementer porro in te affecti ſumus. „Datæ Antverp. v. Maji, Ann. cIↄ Iↄ LXX. ſignatæ autem erant: *F.A.D.Alvæ.*

Haſce literas Megenſis Civitatibus tranſmiſit, adjunctis etiam ſuis, quibus publicatio decreti eis injungebatur. quibus non ſine magna difficultate paruerunt.

XXI Junii Comes Megenſis Ordines Tranſiſaſalaniæ ad Comitia Zwollæ celebranda convocavit, In quibus (eo quod longo tempore Comes abfuiſſet, ideoque conventus illi Ordinum, ut & Comitia judiciaria fuerant intermiſſa) multi tam ex equeſtri Ordine quam è civitatibus ſolenne juramentum præſtiterunt: erant autem iſti: Ex equitibus quidem Ioannes a Ripperda, Henricus ab Eſſen, Goſuinus a Covorden, Gothardus a Laer, Bernardus a Bevervoorde, Ioannes a Steenwijck, Georgius vander Marck, & Gerardus ten Nuys. è civitatibus, Henricus a Markel, Ioannes Lueſſen.

Quamvis autem Ordines edictum de non mittendis adoleſcentibus ad Academias exteras publicaſſent, multum tamen operæ poſuerunt ad ejus deprecandam exequutionem, omneſque ſuas difficultates fuſius ſcripto complexi, eas Comiti Megenſi tradiderunt, ut ad Albanum ejus interventu pervenirent. erat autem ipſum ſcriptum tale.:

„Nobilis, Generoſe, Clementiſſ. Domine, oblatione obedientis ac debiti „obſequii prævia, remonſtrant ac ſignificant T. Cl. Ordo equeſtris ac tres „Civitates, Daventria, Campi, Zwolla, repræſentantes Ordines ditionis „Tranſiſalanæ, ea qua par eſt animi ſubmiſſione, perveniſſe ad ſeſe certum „edictum Reg. Majeſt. Clem. noſtri Domini, quo cavetur, nequis ſtudioſo- „rum ad exteras Academias aut ſcholas, ſtudiorum cauſa, neve quis aliorum „adoleſcentum viginti annis minor, linguas, mercaturam aut artes manuarias „addiſcendi gratia extra ſuæ Majeſt. ditiones proficiſcatur &c. ſuper quo de- „creto tres dictæ civitates difficultates ſuas Clem. tuæ ſcripto tranſmiſerunt, „ad quas benignum reſponſum expectabant: Verum enimvero, quum Illuſtris „Dux Albanus, ac tua Clem. dictis civitatibus injunxerint, eo non obſtante, „ut dictum mandatum publicarent, ideo poſtpoſita omni mora huic mandato „paruerunt, & edictum promulgari fecerunt. Quamvis dicti ſupplices confi- „dant, Illuſtrem ſuam dominationem, de re in particulari plenius edoctam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„quantopere videlicet incolæ ditionis Tranſiſalanæ per memoratum edi„ctum ſint gravandi, id ipſum gratioſe mitigaturum eſſe.

„ Utque ſupplices eo citius ac facilius hoc obtinere poſſint, rogant Illuſtr. „ſuam Clem. quam poſſunt obſequentiſſime, ne gravetur difficultatibus ab „ſeſe motis aurem accommodare, ac tanquam clemens ipſorum Dominus „ac Præfectus, apud Majeſt. ſuam gratioſe circa hoc negocium pro ſeſe „deprecari. quum etiam ſupplicibus antehac in aula ſcripto ſignificatum ſit, „ſiquando ipſis edicta mandatave eſſent mittenda, in quibus ſeſe judicarent „gravari, ipſorum eſſe difficultates ſuas Præfecto ſuo indicare, ut iis con„veniens remedium poſſet adhiberi.

„ Primo, igitur, Clementiſſime Domine, certum eſt, ab omni re„tro memoria civitati Daventrienſi liberalitate ſummatum virorum in „variis urbibus, extra limites ditionum ſuæ Majeſt. proſpectum eſſe, de „jure liberos ſuorum civium in certis collegiis præſentandi. verbi gratia, „primo Herwerdæ in Weſtphalia in ſchola particulari. deinde in Univerſi„tate Colonienſi, in burſa trium coronarum, ubi præſentare eis licet tres „civium liberos, qui in eadem burſa quinquennio toto liberæ menſæ, & „abſque ullo ſuo ſumtu ſtudendi licentiam habent. quo quinquennio elapſo, „tres alios nominat Senatus Daventrienſis qui illis ſuccedunt. Præterea, „quondam magnificæ memoriæ D. Fulvium Corneum Cardinalem, & „Epiſcopum Peruſinum, admodum venerando Domino Epiſcopo, ac ca„thedrali capitulo Vltrajectino indulſiſſe jus præſentandi in urbe Peruſina, „collegio veteris Sapientiæ, duos idoneos ſtudioſos, alterum Ultrajecti„num, Daventrienſem alterum, quibus toto ſeptennio in eodem collegio „victus ac neceſſaria ſuppeditentur, adjecto, ſi intra illud tempus Juris„prudentiæ aut Medicinæ lauream conſequantur, viginti & unius floreno„rum honorario.

„ Similiter, civitates Campenſis & Zwollana, ſingulæ locum habent „in Univerſitate Colonienſi, in burſa dicta Laurentiana. quas præſentatio„nes, quæque loca tres civitates bona fide hactenus poſſederunt, tam Colo„niæ quam Peruſii, liberis civium ſuorum in dictis collegiis reſidentibus, „ac eorum commoda percipientibus.

„ Uſitatum quoque eſt, Colonienſes aliarumque urbium cives inter ſeſe „permutationem inſtituere, ita ut Colonienſes liberos ſuos harum trium „urbium civibus, & hi viciſſim ſuos Colonienſibus, nullis expenſis, eo„rum convictu uſuros tranſmittant, atque ita ſumtu perexiguo liberos utrim„que in ſtudiis poſſint alere.

„ Quæ omnia ſupplices non exiguo in lucro ponunt, ac neceſſaria tenui „vulgo, ad liberos ſuos levi impenſa in literarum ſtudiis enutriendos, quo „in viros honoratos & reipubl. utiles poſſint evadere. quæ utique media &

„emo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„emolumenta ſibi (ſi contingeret edictum in pleno ſuo vigore permanere) „penitus adimerentur, ipſique, qui abſque illis mediis & emolumentis „deſtituuntur facultate (ratione annonæ & aliorum neceſſariorum caritatis „in Univerſitate Lovanienſi & Duacena) liberos ſuos ſtudiorum cauſa emit- „tendi, eos ob rei anguſtias domi retinere adigentur, notabili cum juven- „tutis damno, quæ hoc modo ad deſidiam & omnis generis improbitatem „delabi poſſet, prout Clem. T. eximia ſua prudentia rem totam expendenti „obſcurum eſſe nequit.

„ Quod porro, Clem. Domine, alterum articulum edicti attinet, pla- „cere videlicet ſuæ Majeſt. ut idem locum quoque obtineat in aliis adole- „ſcentibus, quotquot viginti annis minores ſunt, qui in diſſitas regiones lin- „guis, mercaturæ, opificiis addiſcendis emittuntur: Eo ſupplices haud pa- „rum ſe gravari profitentur, idque ob rationes ſequentes:

„ Quia civitates membra ſunt ſocietatis Hanſæ Teutonicæ, quæ ſocietas „compluria loca conventibus ſuis ac rationibus ineundis deſtinata habet, ut „in Brabantiâ Antverpiæ, qui locus Brugis quondam erat, Londini in An- „glia, in Ruſſia Nouwerdæ, & aliis regnis ac ditionibus, ac multas variaſ- „que immunitates, privilegia, & prærogativas à variis regibus, Principi- „bus ac magnatibus magno ſuo ſumtu conſequuta eſt, quorum privilegio- „rum ac immunitatum vigore cives iis in locis, præſertim, ut nunc ſe res „habent, in Norvagia utiliter negociantur, prout & neceſſarium eis eſt em- „poria habere ad quæ ſuos liberos prima ætate emittant, ut inibi in praxi „mercatoria erudiantur, parentibus ſuis in eadem adjumento ſint, ac in vi- „ros bonæ frugi evadant. Prout & multiplex commercium per Boruſſiam, „Rutheniam, Livoniam, Daniam, Sweciam, & alias regiones antiqui- „tus exercere conſueverunt, & etiamnum exercent, quorum commercio- „rum beneficio negotiatio per Regiæ Majeſt. ditiones haud leviter promo- „vetur. Eiſdem autem, incolas ditionis noſtræ ac civitatum penitus con- „tingeret deſtitui, niſi liberos ſuos viginti annis minores eo ad tyrocinium „ſub aliis mercatoribus, opificibus, linguarum peritis explendum emittere „eis liceret. quandoquidem nec utiles ad iſta forent adoleſcentes, nec iis „in locis admitterentur, niſi aliis mercatoribus prima ætate ibidem mini- „ſtraſſent, & peregrina idiomata, ut Polonicum, Ruthenicum, Lithuani- „cum, aliaque ſibi familiaria reddidiſſent, regionum quoque ad negociatio- „nem idonearum rationem callerent. quas ad res ſe in V. VI. VII. plus minus „annos obligare tenentur, cautione etiam ſufficienti interpoſita. Qua ratione „hoc quoque tempore multi honeſtorum virorum filii peregre habitant & „hoſpitibus ſuis obſtricti ſunt, quibus citra magnos ſumtus, controverſias, „& detrimenta, miniſteriis ſuis excedere non liceret, neque ab iis quibus „inſerviunt miſſionem poſſent impetrare.

„ Qua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Quapropter, ſi dictis incolis libertas filios ſuos viginti annis minores „peregre ablegandi adimeretur, & ipſis & liberis ſuis ea res haud parum „damnoſa, aliis vero exteris regionibus ac civitatibus, quæ illorum negocia„tiones occuparent, ſumme lucroſa futura eſſet.

„ Quibus omnibus conſideratis, rogant Supplices perquam humiliter & „obſequenter, uti Clem. T. dictas difficultates cordi habeat, ac apud Ill. „ſuam Clem. ea ratione pro ſeſe deprecetur, ut priſtinam libertatem filios „ſuos ad univerſitates & burſas ſupra recenſitas mittendi, aliove ad linguas, „mercaturas & opificia addiſcenda ablegandi retinere poſſint, ac deinceps „gratioſe in uſu, privilegiis ac juribus ſuis, (quibus beneficio Societatis „Hanſaticæ in variis regnis gaudent) uti frui permittantur: prout Cæſ. „Majeſt. celſiſſimæ memoriæ ipſis in ſpontanea ſua ſubmiſſione ſolenni „Tractatu Anno cIↃIↃxxvIII. pollicita fuit, nec non Majeſt. Regia, „præſens noſter Clementiſſ. Dominus hæreditarius hactenus ipſos in iis „protexit ac conſervavit. Supplices, quod in ſe eſt, omnem operam da„bunt, ut liberos ſuos ad honeſtos ejuſmodi viros mittant, per quos ſpes „ſit, fore ut in obedientia Eccleſiæ Catholicæ perſiſtant, neque ullis pravis „opinionibus aut hæreſibus inficiantur.

Hunc libellum ſupplicem Ordines Comiti Megenſi tradiderunt, quem & viva voce obſecrarunt, ut pro ſeſe apud Ducem Albanum in hac cauſa interveniret, cum ditio ac civitates per eam vehementer gravatas ſe ſentirent. quibus reſpondit Comes, ſe quod ſuarum virium eſſet ipſorum cauſa apud Ducem gnaviter facturum, vereri tamen, ut vel minimum ea in re mutaret: multas enim ditiones ac civitates ſimiles querelas aulæ exhibuiſſe, ſed nihil profeciſſe.

Eodem die, videlicet xxI Junii, Megenſis Comes juſſu Albani, Ordines Zwollæ congregatos in curia acceſſit, Comitantibus eum Cancellario Balduino a Roon, Roberto vander Beke Quæſtore Sallandiæ, Mag. Gerardo ab Ooſtendorp, & Mag. Henrico a Tiel. ubi per dictum Cancellarium proponi fecit, Ducem Albanum Gubernatorem nomine Majeſt. Regiæ multos labores ac moleſtias exantlaſſe, quo turbas penitus ſupprimeret compeſceretque, & priſtinam quietem ac tranquillitatem ſubditis reſtitueret. unde Ordinibus conſtare haud difficulter poſſe, fieri id nequiviſſe abſque magna pecuniarum profuſione ac ſumtu, quibus ſupplendis, & redimendis Regis dominiis, & ærario etiam nonnullo ad inopinatos in futurum caſus colligendo, non potuiſſe ſuam Majeſt. aptius medium comminiſci, quam contributionem centeſimæ omnium bonorum qua mobilium qua immobilium, viceſimæ inſuper omnium immobilium, & decimæ omnium mercimoniorum. petere ergo, ut hæc ditio Tranſiſalana Majeſt. ſuæ in ejuſcemodi centeſimam, viceſimam, & decimam conferendam conſentiat.

quibus dictis Comes una cum Cancellario & Conſiliariis in Secretarii conclave ſeceſſit. Ordines vero poſtquam nonnihil ſuper ejus petitione contuliſſent, eo ad ſeſe revocato, per Doctorem Rhemen', Conſulem Daventrienſem, petierunt ſpatium unius menſis ſibi concedi ad deliberandum, rem enim magni momenti eſſe, qualis nunquam ante Ordinibus accidiſſet, unde maturo conſilio ad eam opus eſſe. Megenſis ergo, ut uſque ad XIV Julii negotium protolleretur permiſit.

Quo die equeſtris Ordo ac delegati trium civitatum, denuo Zwollæ in curia congregati fuerunt, ad petitionem Ducis Albani reſponſum daturi. qui illi intererant conventui hic merentur aſſcribi. erant autem nominatim iſti: Eggartus Ripperda Satrapa Sallandiæ, Goſuinus a Raeſvelt Satrapa Tubantiæ, Ioannes Sloot Satrapa Vollenhoviæ, Euſebius Bentinck Satrapa Iſſelmudæ, Hermannus a Weſterholt Satrapa Diepenemi, Dominus Bernardus de Bever Commendatarius Ootmarſiæ, Henricus Mulert, Ioannes a Laer, Gualtherus ab Heyden, Robertus ab Itterſum, Adolphus a Twickelo, Seino a Brenen, Adolphus a Rutenborch, Balduinus Hagen, Bartholdus Sloot, Rodolphus ab Ooſterwolde, Ioannes a Rechteren Brubake, Goſuinus Bake Schaep in Hellendoorn, Gualtherus a Scheven, Georgius a Marck, Bernardus a Bevervoorde, N. Scheel, Henricus a Laer, Goſuinus a Covorden, Ioannes a Bochorſt, Ioannes a Voorſt, Capitaneus Splinter, Hermannus Ripperda, Iudex Barmentloo, Ioannes a Warmeloo, Ioannes Ripperda, Ioannes Mulert, Ioannes ab Uyterwijck, Ioannes ab Echten, Macarius ab Oldeniel, Ioannes Blanckevoort, Ioannes ab Itterſum, Ioannes Eſchede Keppel, Ioannes a Steenwijck, Ioannes ab Iſelmuden, Ioannes Rammelman. Delegati Daventrienſium, Henricus a Marckel, Stephanus a Rhemen Doctor. Campenſium, Henricus Dye Wolphius, Arnoldus a Bocop. Zwollanorum, Wolphgangus ab Itterſum, Ionnnes ab Haerſt, Ioannes Lueſſe, Bitterus tho Mars. Inter hos Io. ab Iſelmude, & Io. Rammelman nunquam comitiis antea interfuerant, neque ditioni coram Præfecto debitum juramentum præſtiterant. unde ſtipulata manu Satrapæ Sallandiæ promiſerunt, ſe quod è republica eſſet omni ope promoturos, ac poſtea juramentum equeſtri Ordini conſuetum coram Præfecto præſtiterunt.

Eodem die, Comes Megenſis, comitatus Cancellario & Conſiliariis, congregatos in Curia Zwollana Ordines acceſſit: cui Sallandiæ Satrapa reſponſum Ordinum Tranſiſalaniæ ad petitionem centeſimæ, viceſimæ, ac decimæ ſcripto comprehenſum tradidit. Quo præcipuè citabant Tractatum ſpontaneæ ſuæ ſubmiſſionis, Anno CIↃIↃXXVIII. quo ſe Cæſari ſubjecerunt, promiſſa & juramenta inauguralia Cæſaris ac Regis, nec non quopacto ſe ſemper erga Cæſaream ac Regiam Majeſtatem geſſiſſent, adhæc impo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

impotentiam regionis Tranſiſalanæ, oneroſos equeſtrium pedeſtriumque cohortium per eam tranſitus, irruptionibus aggerum factum eſſe ut agri Tranſiſalani arenâ opplerentur, eaque de cauſa elocationum pretia colonis magna ex parte fuiſſe remittenda. unde inauditum onus centeſimæ, viceſimæ ac decimæ facultatum ſuarum & fundorum à ſe tolerari nullo modo poſſe, niſi deſerere eos & regione excedere præeligerent, quod pleriſque bonæ frugi incolis eveniret. rogare iccirco, ut a centeſima, viceſima, decima perſolvendis excuſari poſſent, quarum vice offerant quadriennii ſpatio XXVIII millia Carolinorum, & Duci Albano VI millia, quæ poſtmodum uſque ad VII M. auxerunt.

Prælecto hoc reſponſo, digreſſus eſt Comes Megenſis, ut ſuper eo deliberaret. qui deinde replicam ſuam & ipſe ſcripto complexus eſt, ut ſequitur:

„ Clementiſſ. D. Præfectus Comes a Megen, percepto reſponſo ab Or„dinibus Tranſiſalaniæ ſibi vice Regiæ Majeſt. exhibito, ſuper petitione ab „ſeſe XXI ſuperioris menſis iiſdem Ordinibus, circa centeſimam, viceſi„mam & decimam propoſita: dolet imprimis de iis quæ ſuper infortuniis „& egeſtate hujus ditionis in eo relata ſunt. Conſiderandum tamen arbi„tratur, regiones alias, ut Brabantiam ac limitaneas integros duos exerci„tus, Regiæ videlicet Majeſt. & Arauſionenſium Principis ad tempus non „exiguum in ſuis territoriis perferre coactas, per quos magna agri earum „portio incendiis hauſta ac deformata ſit, quæ nihilominus duplicem cen„teſimam intra ſexennium perſolvendam in ſe receperint, utque a decima „& viceſima liberari poſſent, CCCC M. florenorum annuorum, ſexennio toto „ſe promiſerint exoluturas: neque tamen certas eſſe, num Ill. ſua Clem. „huic oblationi conſenſura ſit. prout & reliquæ omnes regiones, quæ pa„riter contribuere ſolent, pro rata portione id ipſum fecerint. Nec minus „expendendum eis, regioni Gelricæ magna quoque detrimenta per tranſi„tus copiarum militarium, & aquarum illuviem illata eſſe, qui quidem „Gelri & ipſi a pendendo tributo ſeſe ſubducere ſatagunt, ſed tamen in tri„plum eorum quæ hactenus contulerunt, videlicet VI C. millia florenorum „quadriennio luenda, conſenſerunt. Quibus ſimilia Friſia aliæque regiones „præſtitere. Ob has aliaſque rationes vident haud dubie Ordines ſibi de toto „hoc negocio penitius cogitandum. Ac mirum videtur S. Clem. ſi hæc regio „a centeſima, viceſima, & decima ſolvenda eximi optaret, eam non ut mini„mum centum thalerorum millia, quadriennio ſolvenda in ſe recipere, quum „citra omne dubium integra hæc ditio tantum poſſit, quantum unus quadrans „Gelriæ. Ut autem hæc ſumma conficiatur, ſtatuit Ill. Dux Albanus, civita„tes, quas cauſa hujus exactionis præcipuas tangit, ab ea eximi non oportere. „quemadmodum nec Friſiæ civitates ab ea fuerunt excuſatæ.

„ Rogat

„ Rogat ergo S. Clem. Ordines, ut rem hanc maturius ſecum expendant, „conſideratis oneribus & difficultatibus quibus Regia Majeſtas impræſentia- „rum premitur, in quas a propriis ſuis ſubditis eam præcipitatam eſſe con- „ſtat. unde & æquum eſt ut tolerandis iis ipſi quoque participent. utque „in ejuſmodi oblationes conveniant, quæ ipſis honorem ac gratiam conci- „liare queant, terminoſque ſolutionum quantum poſſunt abbrevient, quum „notum ſit S. Clem. in aula id ipſum impendio gratum fore.

Ad hæc Ordines xv Julii ſcripto reſponderunt in ſequentem modum:

„ Ad repetitum reſponſum Nobilis ac Generoſi Domini noſtri ac Præ- „fecti Comitis Megenſis &c. humiliter ſignificant, ea ſpe ſe eſſe, fore ut „Regia Majeſtas & Excell. Ducis Albani exiguam hanc regionem Tranſiſa- „lanam (ratione habita ſpontaneæ ejuſdem ſubmiſſionis) eo loco quo Bra- „bantiam aliaſve ſuæ Majeſt. ditiones hæreditarias, in negotio petitionum „aut contributionum minime cenſeant habendam, conſideraturos etiam, „onera quæ ſuam Majeſt. premunt, nullo modo huic regioni imputari poſſe, „quæ eis cauſam non præbuit, ſed perpetuo in S. Majeſt. obedientia perſe- „veravit, contra quam nec arma ſumſit, nec federa inivit, nec turbis ſe ad- „miſcuit, prout & Cæſarea Majeſt. primo, deinde regia quoque (habita „procul dubio ratione dictæ ſubmiſſionis) nunquam eam aliis S. Majeſt. „ditionibus hæreditariis in negocio contributionis æquandam cenſuere, ſed „præteritis temporibus, magnis ac gravibus oneribus preſſæ, tolerabili con- „tributioni, pro regionis modulo, gratioſe acquieverunt.

„ Quod porro Ill. ſua Clem. cenſet, etiam civitatibus in partem hujus „oneris veniendum eſſe, uſitatum eſſe norit, ut cives qui ruri fundos ha- „bent, una cum aliis ibi commorantibus contribuant, utque equeſtris Ordo „ac civitates, utpote unum corpus conſtituentes, in petitiones S. Majeſt. pa- „riter conſentiant, eiſque pariter ſatisfaciant. quemadmodum & nunc uter- „que ordo, pro veteri ſuo more, de rationibus ac mediis, quibus nummi „ſuæ Majeſtati promiſſi exolvantur cogitabit.

„ Quum porro Ordinibus tantam ſummam, quantam T. Clem. ipſis pro- „poſuit exolvere, conquirere penitus ſit impoſſibile, rogant ut conſiderata re- „gionis hujus exiguitate, & rationibus ab eis allatis, ut & quod ita nuper „contribuerunt, quod non fecerunt ditiones reliquæ, ſeſe à tam gravi exactio- „ne clementer excuſare velit. Nihilominus, & licet hæc Regio Cæſareæ „ac Regiæ Majeſtat. per Gallica hæc & alia graviſſima bella ad ſummam „XXXII M. Carolinorum contulerit, offerunt tamen hac etiam vice ſuæ Majeſt. „L. Carolinorum M. quadriennii ſpatio ſolvenda, petentes quam poſſunt „demiſſe, placeat Clem. T. ejuſcemodi oblationem ſuæ Majeſt. ac ſuæ Ex- „cell. vice acceptare, neque ulterius ditionem hanc gravare. nec diſpli- „ceat Clement. T. ad præcedaneam ſuam demiſſam petitionem gratioſe

reſpondere, & hunc ditionis conſenſum in futurum in conſequentiam non eſſe trahendam eidem polliceri.

Ad hæc Præfectus ſcripto iterum reſpondit, quo ſe hac oblatione contentum eſſe negavit, ac velle ſe ut C. thalerorum M. conferrent, aut tam prope ad eam accederent ſummam, quam ullo modo poſſent. alioqui certum ſe eſſe, Ducem Albanum non acquieturum. perduxerunt ergo ſummam ad LVI M. florenos, quibus addebantur pro Albano VII M. & pro Comite Megenſi III M. ſed nec oblatione contentus fuit Albanus, nec honorarium accipere voluit, unde tandem LXX M. quadriennio ſolvendis ſe adſtrinxerunt, quibus Albanus acquievit.

XV Auguſti die Cæſaris Maximiliani filia Maria, deſponſata Hiſpaniarum Regi, è Germania navi Neomagium advecta eſt intra II. & III. horam pomeridianam. quo & multi nobiles è ditione Tranſiſalana, & è ſingulis civitatibus ſinguli Senatores, ad petitionem Comitis Megani ſe contulerunt, eam ſalutaturi. prout & ex reliquo Belgio eo delegati convenerant ac S. Majeſtatem præſtolabantur.

XVII Auguſti delegati Ordinum Tranſiſalaniæ, loco quem vocant *den Valckhof* Reginam adiere, qua eis audientiam permittente, Doctor Stephanus a Rhemen Conſul Daventrienſis, reliquorum nomine eam hunc in modum affatus eſt:

,,Illuſtriſſima, Celſiſſ. Clementiſſima Domina: Comparent coram Majeſt. ,,tua delegati equeſtris Ordinis ac civitatum ditionis Tranſiſalaniæ, repræ- ,,ſentantium Ordines ejuſdem regionis, ſeſeque T. Majeſtati quam obedien- ,,tiſſimos ſiſtunt offeruntque. Quumque reſciverint, Majeſt. tuam, Illuſtriſſi- ,,mo, Potentiſſimoque Hiſpaniarum Regi, Clementiſſimo noſtro Domino, ,,toto Chriſtiano orbe eminentiſſimo Principi deſponſatam eſſe, eo nomi- ,,ne ſummopere lætati ſunt, præſertim quia Celſiſſimæ memoriæ Cæſar Ca- ,,rolus V. dictæ regionis Tranſiſalanæ primus Dominus hæreditarius, Maje- ,,ſtatis T. Magnus avunculus fuerit; quapropter ſperant Majeſt. tuam erga ,,eandem regionem tanto benevolentiori animo futuram. ac gratulantur ,,Majeſt. tuæ adeo celſum ac præclarum matrimonium, quam obſequentiſſi- ,,me optantes, ut id ope Omnipotentis Dei, tuæ Majeſtatis ſaluti, ejuſque ,,ditionum ac populorum felicitati inſerviat.

,,Ut autem tua Majeſtas, hoc ſuo primo adventu dictæ regionis Tranſiſa- ,,lanæ & ſubditorum obedientem voluntatem ac animum quadantenus co- ,,gnoſcat, offerunt iidem T. Majeſtati pro ſua tenuitate malluvium ac pelvim ,,ex auro puro, pretio IV M. Carolinorum, quæ quod illico confici non ,,potuerint, tuæ Majeſt. afferentur, aut, ſi prius ex hiſce regionibus eam ,,diſcedere contigerit, per certum hominem ad id ablegandum mittentur ,,tradenturque. Rogantque impræſentiarum delegati, ut Majeſt. T. donum

,,hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„hoc exiguum ditionis Tranſiſalanæ, gratioſe acceptare, ſimulque ejuſdem „incolas apud Regiam Majeſt. Clementiſſ. noſtrum Dominum eum in modum commendare velit, quo in avitis ſuis conſuetudinibus juribuſque clementiſſime protegi ac conſervari poſſint. Ipſi viciſſim Tranſiſalani ea „ratione ſe geſturi ſunt, ut fideles ſuæ Majeſt. ſubditos facere æquum eſt.

Regina, (comitata Comite Megenſi, Domino a Barlaymont, Dom. de Noircarmes, aliiſque magnatibus) delegatis Tranſiſalaniæ per Conſiliarium Bruxelles reſponderi fecit; Majeſt. ſuam ditioni Tranſiſalanæ pro gratulatione ac munere benevole gratias agere, eamque apud Majeſt. Regiam laudaturam, commendaturam & quacunque poſſet in re ei adjumento futuram; confidere autem viciſſim, dictam regionem, Regiæ Majeſtatis votis, ut hactenus factum ſit, obſecundaturam. nec diſpliciturum ſuæ Majeſtati, ut delegati manus ipſi oſcularentur, quod & factum eſt.

XXI Auguſt. die qui erat dies Lunæ ante Bartholomæi Gallo-Belgæ qui eatenus ſub Mondragonio Daventriæ præſidium habuerant, inde exceſſerunt. quorum loco intraverunt IV Hiſpanorum vexilla, ductore Pacieco, ſingula CXXV capitum aut præter propter.

Die omnium Sanctorum hujus anni repentina admodum tempeſtas & inundatio marina haſce regiones afflixit, per quam Hollandia, Zelandia & Tranſiſalania miſerrimum in modum fuerunt vaſtatæ, cum non modo ruri homines ac jumenta magno numero perirent, ſed & ad urbes ipſas malum pervaderet. intra mœnia civitatis Campenſis, præter pecora nonnulla quinque aut ſex homines ſubmerſi fuere. integræ alicubi domus & excelſæ quercus ſedibus ſuis revulſæ, aliis locis conſederunt, cujus rei exemplum quoddam non ab re erit recenſeri. Domus cujuſdam villici in territorio Vollenhoviano, diœceſi Geethoorn ſita, præcingebatur aliquot arboribus, neque longe ab ea furnus erat pani excoquendo. hæc domus, cum ipſis fundamentis & villa cum arboribus, furno, hominibus ac beſtiis aquis ſublata portabatur. & dimidio, à loco ubi conſtiterat, miliari abrepta, in agro alterius coloni conſedit, inſciis hominibus qui ei inerant, qui tempeſtate ſedata, è domo proſpicientes, quo terrarum delati eſſent primitus ignorabant.

Similiter fœni meta, cui duo homines incumbebant à loco quem vocant *den Somerdijck* uſque ad pagum *ter Wolde* delata fuit, ubi terræ iterum hæſit ac erecta manſit, homineſque in ejus ſummitate remanſerunt, donec tempeſtas conquieviſſet.

XXXI Nov. Dux Albanus Ordinibus Ordinem rerum criminalium tranſmiſit, utque eum promulgarent & juxta eum judicia ſua inſtituerent præcepit. cui rei non potuerunt aſſentiri, cum privilegiis ſuis repugnaret. hinc difficultates

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

cultates ſuas circa hoc negocium Comiti Megenſi ſcripto ſignificarunt, rogantes, ut promulgationem inhiberi permitteret, his verbis:

,, Nobilis, generoſe Domine, oblatione debiti ac promti obſequii præ-
,,miſſa, remonſtrant & obſequenter ſignificant T. Cl. equeſtris Ordo & tres
,,civitates, Daventrienſis, Campenſis, Zwollana, repræſentantes Ordines
,,ditionis Tranſiſalaniæ: Quandoquidem T. Cl. Officiariis ac civitatibus
,,ejuſdem ditionis nuper curavit mitti literas patentes continentes ordinem
,,ac edictum Regiæ Majeſt. Clementiſſ. noſtri Domini ſuper negotio juſti-
,,tiæ criminalis, una cum eo pertinentibus eique conſentaneis appendici-
,,bus, qui quidem ordo deinceps obſervandus eſſet in proceſſibus circa cau-
,,ſas & materias criminales, Ordines vero, poſtquam eundem perlegerunt
,,ac viſitarunt, manifeſto deprehendunt, eum in totum militare non modo
,,adverſus Tractatum inter Celſiſſ. memoriæ Carolum V. Anno cIↃIↃ
,,XXVIII, tempore ſpontaneæ ſuæ ſubmiſſionis, & ipſos ſancitum, obſi-
,,gnatum confirmatumque, quo promittitur, Cæſaream Majeſt. ejuſque hæ-
,,redes ac ſucceſſores, equeſtrem Ordinem, civitates ac agrum Tranſiſa-
,,laniæ protecturos in omnibus ſuis juribus, municipalibus, urbanis, ag-
,,gerariis, aliiſque libertatibus, poſſeſſionibus, privilegiis, tam quibus gau-
,,dent Hanſæ nomine, quam reliquis poſſeſſionibus ac conſuetudinibus,
,,verum etiam adverſari ſolennibus promiſſis ac juramentis, à Georgio
,,Schenckio, nomine primum Cæſareæ, mox etiam Reg. Majeſt. Præfecto,
,,& ejuſdem Regiæ Majeſt. vice à generoſo Arembergi Comite ab una, &
,,dictis Ordinibus ab altera parte reciproce præſtitis, prout ipſi Supplices
,,oſtenderunt, & adjuncta eorum apographa à Regia Majeſt. ejuſque Præfecto
,,Zwollanis ſuper hac re tradita teſtantur, quibus ſimilia reliquæ civitates,
,,Daventrienſes & Campenſes & ipſæ acceperunt, quæ ob brevitatem tem-
,,poris T. Clem. non potuerunt exhiberi: Qua de cauſa dicti Ordines vi ju-
,,ramenti ſui, quo poſt Regiam Majeſt. huic quoque regioni ac civitatibus
,,reſpective obſtricti ſunt, cuique Præſens Ordo criminalis adverſatur, non
,,potuerunt intermittere quin haſce ſuas difficultates Clem. T. obedienter
,,indicarent, ea ſpe freti, fore ut Ill. Celſiſſ. Princeps Dux Albanus, Regiæ
,,Majeſt. vice Gubernator &c. Dominus noſter Clementiſſimus de iis cer-
,,tior redditus, Ordines ſupra ſancitum ac confirmatum Tractatum &c.
,,non permiſſurus ſit gravari. Rogant ergo iidem Ordines demiſſe Cl. T.
,,tanquam conſtitutum ipſis Præfectum, ut ratione jam dictorum, atque
,,etiam quod ita nuper, anno videlicet cIↃIↃXXVIII. dicti Ordines Cæ-
,,ſareæ Majeſt. primo ſuo Domino hæreditario ſeſe ſubmiſerint, ei obſe-
,,quium ac juramentum præſtiterint, quum antea ſua Majeſtas nullum in
,,hanc ditionem jus habuerit, prætenderitve, gratioſe pro ipſis Supplici-
,,bus apud Ducem Albanum, Clementiſſ. ſuum Principem ac Dominum

,,eum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„eum in modum deprecari velit, ut dicta ditio ac civitates in omnibus
„ſuis juribus municipalibus, aggerariis, aliiſque quibuſcumque privilegiis,
„libertatibus, poſſeſſionibus & conſuetudinibus, in quibus natæ ac edu-
„catæ ſunt, atque etiam à Celſiſſ. memoriæ Cæſarea Majeſt. inventæ & aſ-
„ſumtæ fuerunt, deinceps a Regia Majeſt. relinquantur & conſerventur, &
„conſequenter a promulgatione ac obſervatione novi ac oneroſi Ordinis
„criminalis, aliiſque inconſuetis novitatibus, dicto Tractatui adverſis, excu-
„ſentur. Profitentes interim, teneri ſe, atque etiam paratos eſſe, in eos qui
„quoquo modo deliquerint juxta antiqua jura municipalia & urbana, aliave
„debite animadvertere. Quod ſi forte iniquum quiddam in ditionis hujus
„juribus ac conſuetudinibus deprehendatur, uti id a T. Clem. ut conſtituto
„Præfecto, de Conſilio & ſententia Ordinum in meliorem ordinem redi-
„gatur ac reformetur, ea ratione qua prima jura municipalia, & ea ſequutæ
„novæ reformationes inſtitutæ ac receptæ fuerunt. Denique ſi contingeret
„Ordines per informationem hanc a dicto criminali ordine non excuſari,
„rogant & obſecrant iidem quam poſſunt obſequenter, concedi ſibi proro-
„gationem unius menſis, quo interim Excell. ſuam viva voce plenius edo-
„cere poſſint, miſſis ad aulam eum in finem delegatis. Id gratis animis dicti
„Ordines ergo T. Clem. recognoſcent.

Megenſis Comes difficultates haſce & hanc petitionem ad Albanum miſit, qui nullo modo in eam conſentire voluit, ſed illico Ordinem criminalem juſſit promulgari, quod ſiqua adverſus eum haberent gravamina, ea facta promulgatione proponi. quod ad Tranſiſalaniæ Ordines Megenſis perſcripſit.

Ii vero, cum publicationem diutius differre non auderent, ſub hac proteſtatione eum proclamari fecerunt:

„Notum vobis faciunt ditio ac Civitates Tranſiſalaniæ, accepiſſe ſe
„certam Regiæ Majeſt. conſtitutionem circa cauſas criminales, quam con-
„ſtitutionem, obediendo ſuæ Majeſtati, ad ſerium mandatum Excellentiæ
„Ducis Albani, vice Majeſt. ſuæ Gubernatoris &c. publicari faciunt, non
„derogantes tamen hoc facto Tractatui ſuo, privilegiis, juribus munici-
„palibus & urbanis hujus ditionis, ac ſperantes ſe de iiſdem Regiam Majeſt.
„eo modo edocturos, ut ditionem hanc & civitates, prout hactenus factum,
„impoſterum quoque in iiſdem tueatur & conſervet.

Satrapæ & civitates hanc conſtitutionem Dominicâ poſt Luciæ promulgari curarunt, ac de eo Præfectum certiorem fecerunt, ſimul ſignificantes ſe ſuper hac re delegatos ad Ducem Albanum mittere decreviſſe.

xxx Novemb. die S. Andreæ ſacro Ægidius de Monte, Dei (ita inſcribebatur) & S. Apoſtolicæ gratia primus Epiſcopus Daventrienſis, ibidemque Præpoſitus, cum numeroſo equitatu, tam è Præſidio illius urbis, quam aliunde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

aliunde coacervato, honorifice eodem invectus fuit, primumque ad fratres Minores deductus, unde amburbica pompa (quam & Senatus Daventrienſis ſequebatur) magnifice in Eccleſiam S. Lebuini ſuit accerſitus.

Erat hic Ordinis Minorum de obſervantia, conventus Lovanienſis, ejuſdem prius Guardianus, ac Infer. Germ. Miniſter Provincialis, & concionator. Ante eum deſignatus & confirmatus fuerat Ioannes Mahuſius, ejuſdem Ordinis, qui tamen conſecratus non fuit, ſed ob debilitatem & morbum Epiſcopatui renunciavit.

Ægidius de Monte alter, Epiſcopi conſanguineus, Canonicus S. Lebuini, factus fuit ejus generalis Vicarius.

Pater domus Dom. Florentii tum temporis erat D. Antonius Bengevoirt.

Pater domus Brandanæ D. Theodorus Apeldoorn.

XIII Decembr. Ordines iterum Zwollæ ſuper cauſa criminalis Ordinis convenerunt, ubi ſelecti fuerunt qui ad Albanum proficiſcerentur, eumque de re tota accurate edocerent, data iiſdem inſtructione juxta quam actiones ſuas dirigerent, cujus hoc eſt apographum:

„ Inſtructio & commiſſio, quam Ordo equeſtris è Sallandia, Tubantia, „Vollenhovia, & tres civitates, Daventria, Campi, Zwolla delegatis ſuis, „videlicet è Sallandia Roberto ab Itterſum, è Tubantia Ioanni Ripperda, „è Vollenhovia Bartholdo Sloot: nec non nomine civitatis Daventrienſis „Stephano à Rhemen Doctori, Campenſis Arnoldo a Bocop, Zwollanæ „Ioanni ab Haerſt tradiderunt, Profecturis ad Ill. Generoſiſſ. Principem „ac Dominum Ducem Albanum, Clementiſſ. ſuum Dominum, per Belgium Gubernatorem & Capitaneum generalem, & ſuo omnium nomine „eam ei exhibituris, rogaturiſque ea quæ ſequuntur:

„ Primo dicti Ordines Majeſtati Regiæ & Excellentiæ Ducis Albani ſeſe „quam obſequioſiſſime commendant, promti ac alacres ad perpetuo ſe ge„rendum ác demonſtrandum prout bonos, fidos, & obedientes ſuæ Maje„ſtatis ſubditos decet.

„ Deinde Illuſtri ſuæ Clem. ſignificabunt, accepiſſe nuper Officiarios „& tres civitates dictæ regionis literas patentes edicti & mandati nomine „Regiæ Majeſt. ſuper negotio criminalis juſtitiæ cum ejus appendicibus, & „ſtylum generalem qui deinceps obſervandus foret in proceſſibus circa cau„ſas ac materias criminales.

„ Dictos porro Ordines conſtitutionem illam examinaſſe, ac deprehen„diſſe eam directe militare adverſus Tractatum, privilegia, jura munici„palia & urbana ditionis Tranſiſalanæ, quapropter querelas ſuas in urbe „Zwollana conſtituto ſibi Domino Præfecto generoſo Comiti Megenſi ſcri„pto tradiderint, eo fine, ut pro ipſis apud Illuſt. Ducem ea ratione inter„veniret,

„veniret, quo à publicatione ac obſervatione dictæ conſtitutionis circa cau-
„ſas criminales excuſari, aut ſaltem tantiſper ea differri poſſet, donec dele-
„gatos ſuos ad Ill. S. Clem. miſiſſent.

„ Quandoquidem vero Ordines è dicto ſuo Præfecto reſciverunt, ab Ill.
„ſua Clem. hanc petitionem rejectam fuiſſe, ac ſerio injunctum, ut dicta
„conſtitutio è veſtigio promulgaretur, & quia ſe ea gravatos aſſerant, dele-
„gatos ſuos in aulam ad ipſum mitterent, qui eos clementer auditurus eſſet,
„& querela eorum intellecta, quod æquum eſſet facturus, quam de cætero
„audire renueret antequam publicatio peracta foret:

„ Hinc dicti Ordines obedienter conſtitutionem Regiæ Majeſt. locis
„conſuetis palam promulgarunt, ſperantes nihilominus, ac plane confi-
„dentes, eam publicationem juribus ſuis fraudi non futuram, ſed Ill. ſuam
„Clem. gratioſe intellecta præſenti informatione dictorum Ordinum, ab
„obſervatione ac exercitio ejuſdem conſtitutionis eos gratioſe excuſaturam
„ac exemturam eſſe.

„ Quandoquidem Celſiſſ. memoriæ Majeſtas Cæſarea, certo Tractatu
„inter ſeſe, tanquam Brabantiæ Ducem & Comitem Hollandiæ ab una, &
„ditionem ac civitates Tranſiſalaniæ ab altera parte inito ac conſtituto,
„promiſit, & obſignato diplomate confirmavit, ditionem ſeſe, civitates,
„munitiones Tranſiſalaniæ conſervaturum in omnibus ſuis privilegiis, juri-
„bus urbanis, feudalibus, aggerariis, ac quibuſvis aliis privilegiis, liber-
„tatibus, poſſeſſionibus, & conſuetudinibus &c. quem Tractatum per
„defunctum D. Georgium Schenckium Præfectum Tranſiſalaniæ Anno
„cIɔIɔxxviii. ſolenniter juramento ſanciri fecit, ut patet per copiam
„authenticam ſub litera A. hiſce ſubjectam;

„ Poſt quæ, Regina Domina Maria, Gubernatrix &c. Anno cIɔIɔxLv.
„ad certam ditionis Tranſiſalanæ querelam declaravit, Cæſ. Majeſtatem
„eundem Tractatum velle obſervare & obſervari curare, neque quicquam
„in contrarium facturam aut fieri permiſſuram ullo modo, prout ex apo-
„grapho reſponſi cujuſdam, deſignati literâ C. videre eſt:

„ Prout & conſequenter Regia Majeſt. Anno cIɔIɔxLix. II Octob.
„die in propria perſona, & poſtea Anno cIɔIɔLxv. xvi Decembr.
„per piæ memoriæ generoſum Comitem Arembergium, tunc temporis
„Præfectum, eundem Tractatum juramento confirmavit, ut patet per apo-
„graphum authenticum, & diplomata obſignata, ſub literis D. & E. hiſce
„annexa, quibus ſimilia ditio & civitates duæ reliquæ acceperunt. In obſer-
„vationem porro jurium municipalium & urbanorum, Satrapæ initio ſui re-
„giminis, tribus civitatibus ſolenne juramentum præſtant, ejuſque juramenti
„vigore perpetuo in quibuſlibet proceſſibus actiones ſuas dirigere tenentur,
„juxta tenorem jurium municipalium, conſuetudinum ac uſuum regionis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Coſſ. autem, Scabini ac Senatores trium civitatum, electionis ac renovationis Senatus ſui die promittere ac jurare tenentur, ſeſe durante ſuo „ſtatu & officio, ad normam conſueti ſibi juris urbani omnia geſturos.

„ Præterquam, quod civitatibus id privilegii ſit, quod, ſiquid, interpoſita „jurisjurandi religione, affirmarint aviti ſui juris ac conſuetudinis eſſe, Principis eſt eas in hoc ipſo tueri ac protegere. ut è ſigillatis ea de re diplomatis certum eſt ac evidens.

„ Adhæc, quod Princeps una cum Ordinibus in celſa juriſdictione novas „leges aut jura in regione Tranſiſalana ſtatuendi, conjunctim indiſtractam „habeant poteſtatem, ideoque aliquot abhinc ſeculis ipſi una cum Principe, „de communi conſenſu jura ordinarint, reformarint, auxerint, minuerint, „prout vetera diplomata Epiſcoporum Ultrajectinorum, eaque quæ poſtmodum tempore Cæſareæ Majeſt. à D. Georgio Schenckio, & D. Maximiliano Comite Bureno ſancita fuerunt, clare evincunt. quod ex eorum excerptis in cauſa reformationis, hiſce ſub litera ..... annexis videre eſt.

„ Quod utique civitatum Rectores, ſi tempore & rerum revolutionibus „ita exigentibus expedire putarint, novas quaſdam leges, aut plebiſcita in „civitatibus ſuis ſancire, aut abuſus aliquos reformare, ſemper poteſtatem „habuerint, de conſenſu Tribb. pleb. id faciendi, & reipſa fecerint, quod „per regionem univerſam notum & indubitatum eſt.

„ Ita ut Ordines, citra læſionem exiſtimationis ſuæ, & juramenti quo „Regiæ Majeſt. ſunt obſtricti, nec poſſint nec debeant urgeri ad dictam „conſtitutionem criminalem obſervandam.

„ Veruntamen, ſi deprehenderentur jura aut conſuetudines Tranſiſalaniæ, notabili quopiam abuſu aut iniquitate laborare, deberent ejuſmodi „defectus a Regia Majeſt. ejuſve in Tranſiſalania Præfecto, una cum Ordinibus corrigi, aut eorum loco aliæ leges conſtitui.

„ Juxta quæ omnia dicti Ordines (qui ſemper in obedientia ſuæ Majeſt. „perſeverarunt) freti Regiæ Majeſt. gratioſis promiſſis & ab ea præſtitis juramentis, quam poſſunt demiſſe orant ac obſecrant, placeat Ill. ſuæ Clem. „(ratione habita dicti reciproce ſtabiliti Tractatus, & circa eundem promiſſionum Regiæ Majeſt.) præſentem remonſtrantiam benevole expendere, & eum in modum huic negocio proſpicere, ut dicti Ordines in „ſuis juribus municipalibus, urbanis, feudalibus, aggerariis, & quibuſvis „aliis libertatibus, poſſeſſionibus, ac conſuetudinibus conſervari, & ab „obſervatione dictæ conſtitutionis criminalis excuſari & eximi poſſint.

„ Quod ſi forte in juribus Tranſiſalaniæ municipalibus conſuetudinibuſve abuſus aliqui reperiantur, rogant eadem demiſſione dicti Ordines, placeat in eo caſu Ill. S. Clem. generoſo Comiti Megenſi, Præfecto ſuo in-

„jungere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„jungere, & comitia generalia ſuper eo negotio convocare, ut è veteri &
„ante aliquot annorum centurias hactenus uſitata conſuetudine, iiſdem,
„abuſibus ab eo Regiæ Majeſt. vice, una cum Ordinibus debite remedium
„afferatur. Quam rem dicti Ordines confidunt Ill. T. Clem. cordi fore,
„ipſique promti ac parati ſunt, juxta tenuitatem ſuam id grate recognoſcere.
„In fidem dictorum, Henricus Mulert, nomine & voluntate Ordinis eque-
„ſtris, Coſſ. vero, Scabini, & Senatores civitatis Zwollanæ, ſuo & reliqua-
„rum duarum civitatum, Daventrienſis & Campenſis nomine, huic in-
„ſtructioni & commiſſioni ſigilla ſua impreſſerunt. XIX Decembr. Anno
„CIƆIƆLXX.

Documenta quorum in hac inſtructione eſt mentio, brevitatis cauſa omiſimus. Delegati porro cum ea Antverpiam ad Ducem ſe contulerunt, cui rem totam prolixe expoſuerunt, & inſtructionem ſupra recenſitam ei tradiderunt.

Hoc Anno Petrus Reidanus Daventrienſis Doctor Medicus, edidit *Querelam Medicinæ dogmaticæ*, Baſileæ apud Pet. Pernam, cum Iacobi Curionis Dialogo, *Hermotimi* nomine inſcripto.

Anno CIƆIƆLXXI. quum delegati Tranſiſalaniæ inſtanter ab Albano Duce flagitarent reſponſum ad querelas inſtructione ſua ei exhibitas, tale, acceperunt III Januarii die. quod præfert quidem annum CIƆIƆLXX, verum ſtylo Brabantino id factum, quo annus uſque ad Paſchatis feſtum ſolet numerari. his autem verbis erat conceptum:

„ Antequam ſuper præſenti remonſtrantia quicquam ordinetur, delega-
„torum erit declarare, ullumne documentum habeant, quo probent, illici-
„tum eſſe Regiæ Majeſt. in regione Tranſiſalana alia ulla ſtatuta aut edicta
„condere, niſi de communi conſenſu & ſententia Ordinum ejuſdem ditio-
„nis, & ſiquid tale habeant, id exhibere, ac præterea ſigillatim declarare,
„puncta & articulos contentos criminali conſtitutione, per quos ſe gravari
„arbitrentur. Actum Antwerpiæ, III Jan. Anno CIƆIƆLXX.

Ad hoc reſponſum delegati ſequentem ſupplicem libellum exhibuere:

„ Delegati Tranſiſalaniæ, viſa & intellecta apoſtillâ, obſignatæ ſuæ in-
„ſtructioni appoſitâ, rogant obſecrantque quam humillime, ut, quoniam
„ſcripto, eadem inſtructione comprehenſo, ad ea quæ ſibi agenda erant
„ſint limitati, neque ſibi, tanquam delegatis fas ſit ejus limites migrare,
„ullamve ei ulteriorem declarationem adjungere, placeat ſuæ Excell. ipſis
„gratioſe temporis aliquod ſpatium concedere, quo debitè ea quæ ipſis re-
„ſponſa ſunt, ad Ordines Tranſiſalaniæ, a quibus fuerunt delegati referre
„poſſint, penes quos deinde erit ſuper iis ſtatuere prout ipſis neceſſitas
„exigere videbitur. quod ſi fecerit &c.

Huic ſupplici libello a Duce reſponſum ut ſequitur:

„ Ill. ſua Clem. intellecto eo quod per præſens memoriale à delegatis di-
„tionis Tranſiſalanæ petitur, conceſſit iiſdem ſpatium duorum menſium,
„intra quos ad Tranſiſalanos de re tota referre poſſint, ac ſatisfacere in-
„junctæ ipſis per apoſtillam in eo memoratam declarationi. quare declara-
„tio per unum aut alterum ex ipſis, aut quocunque alio modo ipſis Ordini-
„bus conſultum videbitur, ad aulam denuo tranſmittetur, quo conſequen-
„ter ab Ill. ſua Clem. ex æquo & bono de ea ſtatuatur. Actum Antwerpiæ
„v Januar. cIↄIↄLXX.

Cum hoc reſponſo delegati Tranſiſalaniæ ad ſuos reverſi, geſtorum à ſe rationem reddiderunt. cumque tempus quod præſtituebatur anguſtius videretur, præſertim inundata paſſim aquis regione, ita ut viarum uſus penè eſſet interceptus, reſque maximi eſſe momenti, ſcripſerunt Ordines ad Comitem Megenſem, petieruntque ab eo ut ab Albano Duce ſuo nomine, terminum illum nonnihil prorogari peteret. quod factum, ſed nullo fructu. ita enim reſpondit Albanus:

„ Sua Excell. intellecto tenore ſcripti ac petitionis Ordinum Tranſiſala-
„niæ, cupienſque hoc negocium brevi terminari, declaravit, & declarat
„per præſentes, ſententiam ſuam eſſe, ut dicti Ordines diligentiam adhi-
„beant, quo intra præfixum ac conſtitutum ſibi tempus, iis quæ ſibi per
„apoſtillam injuncta ſunt ſatisfaciant. Actum Antwerpiæ VI Febr. Anno
„cIↄIↄLXX.

Circa hoc tempus occulta paſſim à patriæ amantibus adverſus tyrannidem Albani conſilia agitabantur. Qui cum illis erant, hi in literis quas ultro citroque miſſitabant, nominibus ignotis perſonas, regiones, urbes appellabant. inter alia, Daventria Veneris, Campi Junonis, Zwolla Palladis nomine dicebatur.

Princeps Arauſionenſis inſidias Daventriæ molitus eſt, ſed irrito conatu. Res hoc pacto geſta eſt: Magiſter Iacobus Weſembecius, Syndicus quondam Antwerpianus, tum temporis Veſaliæ habitans, Principis nomine clanculum inter alios agebat cum quodam Henrico Weſſeli naviculario, ex iis qui oblongis navibus quæ à cuneo, ob ſimilitudinem, nomen habent, ſecundo Rheno ad nos delabuntur, ad civitates Zutphaniam, Daventriam, Campos occupandum. uſus eſt ad eandem rem etiam Andrea quodam Arlero, qui de eo conſilio urbium illarum cives occulte certiores fecit, ſuadens eis, ut Principi eas traderent, ſimulac eum manu armata ad illas appropinquare viderent. quo autem certius hanc rem aggrederetur Princeps, per literas agebatur, ut iidem cives vel pecuniam ei, vel obſides è ſuis darent.

Erat tunc Daventriæ Everardus Reydanus, Vir Clariſſ. qui Annalium ſuorum l. I. ubi nonnihil hac de re tangit, Mirum (inquit) quam inter diverſi Ordinis, ætatis, ſexus (nam & fœminas ſecreti participes fuiſſe, nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

(verba Reydani ſunt) qui per id tempus in urbe eramus, ab earum una relatum eſt) taciturnitate res cohibita ſit. Cauſa, communie Hiſpanorum odium erat. Sed ſucceſſum morata eſt nivium vis, quæ ingens in Germania delapſa, itinera Dillenburgum Veſaliamque inter occluſerat. queis centum agreſtium labore diſcuſſis, magnam itineris partem, cum fratre, Arauſionenſis pedibus emenſus erat: cum inſecutæ nivium vim aquæ, quicquid inter Daventriam, Veſaliamque agri eſt, inundarunt, ac itineribus ſuperfuſæ, profectionem prohibuere. Senſit tandem Paciecus, urbi Præfectus, nova conſilia agitata. Itaque civium nonnullos vel leviſſimam ob cauſam ſuſpectos, in vincula conjicit; nec ſic quidem reſcire quicquam, aut deprehendere auctores potuit, licet quibuſdam inter tormentorum dolores animam expirantibus. hæc ille, quæ nos è diario Ever. Hemmingii, Daventriæ tum temporis Conſulis, item Doct. Dorrii, & ſchedâ quadam alia plenius evolvemus.

Quum conatus Principis circa feſtum Chriſti natalitium malo civium fato, emanaſſet, comprehenſi fuerunt Daventriæ qui eo nomine ſuſpecti erant. & primo quidem Giſbertus a Glaſhorſt, ſenioris Publicani filius, qui ſe hujus moliminis conſcium fuiſſe confeſſus eſt, & literas ultro citroque tuliſſe dicebatur. Hic alios ſuos, ut ajebat, complices indicavit, Iacobum a Dijckhuyſen, Bernardum Voetium, Ioannem Coninck piſtorem, Mag. Henricum Coquum cauponem prope portam Arenariam, Rutgerum, qui Scævus, id eſt, curvus ſive diſtortus cognominabatur, gerano præfectum; qui omnes, ſi ſtandum eſt teſtimonio Hemmingii, viri probi erant, nec ab ullo cive quicquam tale de eis credebatur. capti tamen ad indicium, ut diximus, Glaſhorſtii. ut & Ioannes Buningius doliarius, & cum eo arcularius quidam faber, & caupo alter, qui extra urbem, loco quem montem lucernæ (*den Lucktenberch*) vulgo appellant, commorabatur: quibus addit Dorrius Wolmerum cognomento *Nap-ſchraper*. Sed hi poſtremi paulo poſt dimiſſi, nec quæſtioni admoti fuere, reliqui atrociſſimis ſubjecti tormentis, primo quidem in curia, ea ſævitia, ut carnifex inde ſe ſubduceret, pertæſus crudelitatis. Quum autem in curia Hiſpani voti compotes fieri nequirent, ad turrim Noribergenſem captivos abduxere, eoſque novem, ut ferebatur, cruciatuum generibus excarnificarunt, pedes eis uſtularunt, manibus poſt terga revinctis eos ſuſpenderunt, diſſectis ſuris ferventem adipem infuderunt, denique nihil tam immane excogitare potuerunt, quod non ad miſeros homines vexandos adhibuerint, nec cuiquam ad eos, non conſuli, non apparitori, non civi aditus patebat, ſolo Pacieco cum ſuis rem gerente. qui tamen ne minimam quidem cogitati facinoris confeſſionem reis potuerunt extorquere. Inter tormenta duo expirarunt, Bernardus Voetius, & Ioannes Coninck.

Anno CIƆIƆLXXI. ult. Januarii è ponte Daventrienſi Iſalæ impoſito XV juga vi glaciei & undantis fluvii abrepta fuere. Menſe Februario, Bernardus Voetius,

Voetius, quod nullius criminis compertus animam efflaviſſet, in templo fratrum Minorum honeſte ſepultus fuit.

Menſe Martio Ioannes Coninck, qui eodem fuerat fato, & ipſe in cœmeterio terræ fuit mandatus.

Hi duo, poſtquam hic quidem tres, ille vero quatuor hebdomadas fuiſſent tumulati, ſepulcris denuo extracti fuere, & nudi ex altero pede de patibulo ſuſpenſi. factum id menſe Martio currente, magna cum civium deteſtatione, qui eos pro viris bonis, quales revera erant, ſemper habuerant.

Quod ad reliquos captivos attinet, ii tamdiu cruciati fuerunt, ut vellent nollent quidvis fateri fuerint adacti, quos tamen & ipſos innocuos fuiſſe plerique arbitrati ſunt, nec apud ſe ullum ejus rei dubium eſſe teſtatur Hemmingius.

Iacobus a Dijckhuyſen Quæſtor, capite truncatus fuit, & loculo impoſitus in templo montis honorifice ſepultus, hora ſexta a morte ſuâ, in profeſto Palmarum.

Rutgerus gerano præfectus, & ipſe idem ſupplicium ſubiit, & loculo, ut alter, fuiſſet impoſitus (qui ſub theatro jam collocatus erat) niſi moriturus palam dixiſſet, petere ſe ut preces pro ſeſe fierent, tanquam pro falſo facinoroſo, qui a crimine cujus nomine condemnabatur, prorſus inſons eſſet. quo Hiſpani audito, ſi innocuus, inquiebant, eſt, nos ut nocens fiat operam dabimus, ideoque corpus ejus rotæ impoſuerunt. Actum die eodem.

Mag. Henricus Coquus primo de patibulo ſuſpenſus fuit, cumque expiraſſet, amputato fune inde demiſſus, diſſecto autem ei pectore cor extraxerunt, eique in os impegerunt. Hinc urbe evectus, denuo è pedibus alii patibulo alligatus. Et hic in hora mortis ſe inſontem eſſe profeſſus fuerat.

Giſbertus a Glaſhorſt, ſcelerum caput, utpote auctor necis hominum optimorum, dignam factis mercedem tulit. primo crati impoſitus, ab alligato ei equo per plateas huc illuc raptabatur. inde ad locum ſupplicii deductus, equuleo impoſitus, & vivus in quatuor partes diſſectus fuit. pars una cum capite infixa portæ Arenariæ, ſecunda Brinconiæ, tertia Noribergenſi, quarta Montanæ.

Interea dum hæc geruntur, funeſta quoque tragœdia occœpta fuit cum Anabaptiſtis nonnullis. cujus rei hiſtoriam nunc recenſebo.

XI Martii Hiſpani cum pridie haſtiludio ſe oblectaſſent, intempeſta nocte, cum armis domos civium ſcrutati, comprehenderunt XII qua viros qua fœminas, Anabaptiſmo addictos. quorum hæc ſunt nomina: Idſo Gauquius, Theodorus Veſalius, uxores eorum Anna & Iohanna, Hermannus Tinctor, Bruno & Antonius Textores, Nicolaus Opreiderus, Eliſabeta &

Catha-

Catharina Somerhuſiæ, Helena Georgia, Catharina ejus filia. Hi omnes deducti ſunt ad turrim Noribergicam, & in una ejus parte ſinguli quadrata cavea lignea octonos circiter in ambitu pedes habente incluſi, ita tamen ut ſe mutuo videre & alloqui poſſent. Tenebantur portæ clauſæ ad aliquot dies, promulgato edicto, nequis quenquam celaret, quod ſi quis celatum quempiam noſſet, eum deferret. ſed fruſtra hoc quidem fuit, multi enim paſſim latitabant, qui data occaſione fugâ ſibi conſuluere.

E captivis quatuor tantum perpetuo tenore in confeſſione perſtiterunt, reliqui omnes ἔξαρνοι facti, præſertim mulieres, nonnulli quidem ante tormenta, alii dum quæſtio exerceretur, alii etiam poſtmodum; plerique tamen, ſive eorum qui perſtiterant hortamentis in viam revocati, ſive quod ſibi nihilominus moriendum viderent, ad priſtina reverſi ſunt. Hermannus Tinctor jam defecerat antequam Senatui ſiſteretur, ac ſpe vitæ, ſociis ſuis etiam moleſtus erat, aleæ ludo ſe in ipſo carcere exercens. uxorem ſuam etiam, ſi eam alloquendi copia fieret, ſe ad Chriſtianam, id eſt Romanam fidem converſurum jactans: ita ut ab eorum uno qui (ob proditionis ſuſpicionem) ibidem vincti erant, ejus impudentia graviter increparetur. ſed ut miſerum, ita breve ei fuit hoc oblectamentum.

Senatus & Hiſpani nihil ad quæſtionis atrocitatem, Epiſcopus, Paſtor, Monachi Franciſcani nihil ad perſuaſiones reliqui faciebant. memorat Idſo eos in exemplum vinctis propoſuiſſe virginem quandam nomine Mariam Beckeriam, in platea Noribergenſi commorantem, quæ hæreſim non ita pridem abjuraſſet, ſed tandem nihil profeciſſe. Notat idem Catharinam Somerhuſiam, cum Paſtor Daventrienſ. ei vetus teſtamentum objiceret, id repudiaſſe, ac novo Teſtamento ſe inhærere dixiſſe, idque ut imprudenter & perperam dictum coarguit.

Qui abnegarant, cum à ſuarum partium hominibus inviſerentur, ſeſe, ſi daretur è vinculis exauſpicari, ad priſtinam fidem reverſuros ſpondebant; ſed tandem triſtem acceperunt nuncium, quo, non minus quam reliquos, licet diverſo mortis genere ſe perimendos cognoverunt.

A. d. XXIV Maji circa veſperam Monachi quidam carcerem intrarunt, ac captivos ut ſe præpararent ad mortem poſtridie oppetendam monuerunt. hora duodecima nocturna digreſſi, circa quartam matutinam reverſi ſunt. cum tempus ſupplicii inſtaret, abducti ſunt Bruno & Antonius Textores cum quatuor mulieres, uxor Theodori Veſalii, uxor Idſonis Gauquii, & duæ Somerhuſiæ. Bruno & Antonius mœſti ſilebant, ſed mulieres multis verbis Monachis obloquebantur, duæ Somerhuſiæ manibus connexis canticum quoddam canentes è carcere pedem efferebant; mox currui ſex illi impoſiti ad locum ſupplicii devecti. ibi prima in ſuggeſtum perducta eſt Catharina Somerhuſia, ac ſententia ei prælecta, ſi Catholicæ Eccleſiæ adhærere

vellet,

vellet, gladio feriendam, ſin minus vivam comburendam. cum non moveretur, è ſuggeſtu deducta eſt, ore oppilato, nequid ad populum proloqueretur. mox in ſuggeſtum aſcenderunt Bruno & Antonius, qui gladio alter poſt alterum percuſſi ſunt, nullo edito verbo, niſi quod alter gratiam Dei implorare fuerit auditus. Eo peracto Monachi oratione ad circumſtantes habita eos monuerunt, ut liberos ſuos à talium hominum conſortio ſeorſim haberent, neve quis offenderetur, eo quod jam ad vivicomburia deveniendum eſſet, eam eſſe Regiæ Majeſtatis voluntatem, nemo ergo turbas excitaret &c. ad turrim itaque reditum, & Theodorus ac Hermannus advecti, uterque oppilato ore, ſed nutibus ac geſtibus animi præſentiam præ ſe ferentes. Hermannus ad palum deductus, in genua provolutus ſecum precabatur, quem, cum diutius moram traheret, carnifex ut ſurgeret adegit, itaque ad palum ſeſe alacris applicuit. dum is alligatur, procumbit in genua Theodorus, ac precibus peractis, ſurgens Hermannum amplexus & deoſculatus, manu ad cœlum protenſa, quâ potuit eum ad conſtantiam hortatus eſt. ac ſtatim tergum ſuum hilari vultu palo oppoſuit. poſt eos aſcenderunt & mulieres, ac eodem geſtu, oſculatæ ſe invicem, junctis manibus & oculis ad cœlum ſublatis, ſingulæ palis ſuis ſe adjunxerunt. Dum hæc fiunt, fragor tonitrui vel currus cum impetu abſque equis ruentis perſimilis per Brinconem delatus, gradus Libræ, ubi ſuggeſtum erat, prætercurrit, ita ut ſpectatores alii ab aliis in lutum provoluti vix præ timore de vita certi eſſent. paulo ante cum duo quos diximus decollati eſſent, ſimilis fragor audiebatur à platea quam vocant *de Groote overſtrate*, ita ut Hiſpani arma conclamarent, ac tympana pulſarent. ſed citra majus infortunium is tumultus conquievit. Porro alligatis ad palos ſtramen ac ligna ſunt circumpoſita, in eam altitudinem ut ſola capita extarent; Theodorus jam tum cum alligaretur, animi deliquium paſſus, nullum poſtea vitæ ſignum dedit, reliqui geſtu conſtantiam uſque ad exitum teſtari videbantur. ita ſex hi exuſti, cum duabus ſportis librorum. cadaverum quod vis flammæ non abſumſerat, juxta patibulum terræ infoſſum eſt. hæc geſta ſunt XXV Maji.

XVI Junii Nic. Opreiderus, Idſo Gauquius, Helena Georgia cum filia Catharina è turri deducti ſunt, obſtructo ore, ne loquendi poteſtas eſſet. primus Nicolaus in ſuggeſtum cum aſcendiſſet, in genua procubuit tacitus ut precaretur, ſed, quia de priorum in mortis articulo, ut videbatur, pietate multus inter cives ſermo fuerat, preces ejus Hiſpanorum juſſu à carnifice fuerunt interruptæ, qui eum ad palum religavit. Mox & Idſo eodem conſcendere adactus, Hiſpanis acerbe reclamantibus, vi connixus eſt uſque Nicolaum eumque oſculatus. dum hic alligatur, Hiſpanus quidam è præcipuis, monacho comitatus, aſtabat Catharinæ, matre ejus nonnihil ab eâ ſemotâ, ita ut quæ filiæ dicerentur exaudire non poſſet: ei ergo Monachus,

matrem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

matrem defeciſſe, ac gladio ſubjiciendam, ſi vero & ipſa defecerit, ob florentem ætatem, vita & opulento conjugio donandam perſuadere conatus eſt. idem & ex Hiſpanis nonnulli ei ſuggerebant, quibus obloquebantur alii, non vitæ ei ſpem faciendam ſed gladii inculcantes, illi contra pollicitis eam lactandam, ac nihilominus, ſi res ſucceſſiſſet, necandam regerebant. ſed hæc omnia incaſſum fuere. quapropter Monachus, eam ab hoc igne in æternum ignem tranſituram niſi reſipiſceret, animâ ſuâ in hoc oppignoratâ, affirmabat. Interim & mater adducitur ac palo aſtringitur, quod Catharinam non mediocriter videbatur exhilarare, jam certam falſa eſſe quæ de ea Monachi fuerant fabulati. poſtea & ipſa aſcendit, ac quatuor hi à ſe invicem averſis vultibus, ne ſe mutuo intueri poſſent, alligati ſunt. qui tamen non deſtiterunt multis è turba annuere & arridere, frementibus fruſtra & minitantibus Hiſpanis. cum ignis circumponendus eſſet, erant qui eum tres quatuorve pedes ab eis remotum volebant extrui, quo lentius uſtularentur, aliis repugnantibus, nec mutandam judicum ſententiam contendentibus, unde ad acre jurgium res videbatur ſpectare, ſed circumpoſita eis tandem ſunt ligna eodem pacto quo reliquis factum erat, niſi quod straminis perparum admiſcebatur ad ea accendenda. veruntamen, celeriter animas exhalaſſe comperti ſunt. *Martyrol. Anabapt. part. 2. p. 252. conſonat, quantum ad ſummam rei, Bocopius.*

Poſtmodum Somerhuſiarum pater Albertus Somerhuis Secretarius Daventrienſ. captus & perpetuo carceri addictus vitam cum morte commutavit. ſuſpicio fuit ei venenum datum à quodam ſacerdote N. a Laer, qui & non multo poſt è curru excuſſus fractis membris miſere periit. (id à cive habeo cui uxor eſt ex eadem familia.) Nunc redeundum ad ea quæ in negotio Ordinis criminalis porro geſta ſunt.

Mandato Ducis Albani ſuper conſtitutione criminali in Tranſiſalaniam perlato, Zwollam Ordines convenerunt, ubi conſtitutionem hanc ſerio viſitarunt, & puncta ſingula privilegiis ſuis & avitis conſuetudinibus adverſantia notarunt, Tractatum ſpontaneæ ſuæ ſubmiſſionis Regiæ Majeſt. juramento ſancitum, cum omnibus documentis, inſtructione quadam ſcriptis mandata comprehenderunt, quam brevitatis ergo prætermitto. Delegatos porro ſuos cum ea ad Albanum denuo miſerunt. erant autem ii, è Sallandia Robertus ab Itterſum, è Tubantia Ioannes Ripperda, è tractu Vollenhoviano Bartholdus Sloot, nomine civitatis Daventrienſis Doctor Stephanus a Rhemen, Campenſis, Arnoldus a Bocop, Zwollanæ Ioannes ab Haerſt.

Delegati hi Antwerpiam ad Ducem contenderunt, cui tradiderunt inſtructionem ſuam, cum omnibus documentis, & cauſam ipſam ei ut poterant expoſuernnt. ſequens autem ab eo reſponſum ſunt nacti:

„ Poſtquam ſua Excellentia audivit ac probe intellexit, Comitis Megenſis,

„nomine Ordinum Tranſiſalaniæ prolixam deductionem adverſus conſti-„tutionem criminalem nuper ab Rege Clementiſſ. noſtro Domino, ad com-„mune commodum, utilitatem ac bonum regionum ſuæ Majeſt. in hoc uni-„verſo diſtrictu ſancitam, & mandato ſuæ Excell. expreſſo, in dicta ut & „reliquis ſuæ Majeſt. regionibus publicatam & promulgatam, qua de re tota „ſua Excell. mature cogitavit, deprehenſum eſt, dictos Ordines per ea quæ „propoſuerunt & allegarunt, intentum ſuum minime probaſſe, neque in jure „debite fundatos eſſe. Prout etiam nec æquum nec decens eſt, Regiæ Majeſt. „tanquam Principis, auctoritatem per ejuſmodi ſimileſve prætenſiones im-„munui aut impediri. Quemadmodum alias ad nonnullas eorundem Ordi-„num difficultates adverſus particularia quædam ſuæ Majeſt. edicta ad hujus „conſtitutionis modum ſancita, in materia non abſimili fuit reſponſum, „neque quicquam ultra tentatum. Quamvis autem inſuper terminus, exhi-„bendæ eorum remonſtrantiæ præfixus, jam præterierit, nihilominus, quo „videant & animadvertant dicti Ordines, nec Regiæ Majeſt. nec ſuæ Excell. „animum eſſe dictam ditionem in privilegiis ac juribus ſuis ulla ratione „gravare, utque cognoſcant ſuæ Excell. benevolum erga dictam regionem „& Ordines affectum, placuit ei dictis Ordinibus ex abundanti concedere „(prout eis per haſce præſentes concedit) iteratum terminum ſex hebdoma-„dum, intra quas ſigillatim ea gravamina eaſque difficultates deſignent, quas „adverſus puncta & articulos præcipuos dictæ conſtitutionis ſibi putabunt „proponendas, quaſque arbitrabuntur, communi illius ditionis juſtitiæ in-„tercedere, ideoque ad praxin deduci non poſſe, qua remonſtrantia quibuſ-„que declarationibus auditis & examinatis, ſua Excell. ex jure & æquo cum „omni clementia de iis ſe ſtatuturam eſſe pollicetur. Actum Bruxellæ XXX „Martii, Anno CIƆIƆLXX.

Ordines Tranſiſalaniæ denuo quam accuratiſſime omnia expenderunt, ac in chartam conjecta per delegatos ad Ducem perferenda curarunt, qui ipſo præſente, coram præſide Viglio, aliiſque compluribus prolixe diſceptarunt. reſponſum autem tale tulerunt, ipſis Junii Kalendis:

„ Quandoquidem Ordines Tranſiſalaniæ, vigore reſponſi ſibi dati ult. „Martii præteriti, de deſignandis intra ſpatium ſex hebdomadum ſigillatim „ejuſmodi gravaminibus & difficultatibus, quas haberent adverſus puncta „& articulos nonnullos, conſtitutionis criminalis nuper à Regia Majeſt. „Clementiſſ. noſtro Domino, ad commune bonum, utilitatem & commo-„dum ſancitæ, in dicta regione Tranſiſalana, ut & in omnibus reliquis „ditionibus hujus diſtrictus publicatæ & promulgatæ, quo eidem re-„ſponſo ea qua par eſt demiſſione obſequerentur, delegatos ſuos ad Celſiſſ. „Principem Ducem Albanum Regiæ Majeſt. in hiſce regionibus Vicarium, „Gubernatorem, & Capitaneum generalem denuo miſerunt, ad ea quæ

„ipſis neceſſaria videbantur proponenda & exhibenda, prout ſcripto ab eis „factum, & de omnibus ad S. Excell. relatum eſt: eadem ſua Excell. omni„bus probe intellectis & mature expenſis, nomine ac vice dictæ Regiæ „Majeſt. ad ſingula puncta remonſtrantiæ dictorum Ordinum finaliter re„ſpondit ac conſtituit ut ſequitur:

„ Primo, quod ad ea quæ mota fuerunt ab Ordinibus adverſus XII Art. „ejuſdem conſtitutionis, ſuper conſtitutione depoſitarii, declarat S. Excell. „dicti articuli tenorem eo modo ordinari placuiſſe, duntaxat ad tutelam „juſtitiæ, & ſecuritatem circa pecunias aut facultates deinceps in judicio „ſequeſtrandas aut deponendas. Nihilominus tamen quo de ſuæ Excell. ani„mo & affectu benevolo erga eoſdem Ordines ipſis evidentius conſtet, non „gravatim iiſdem concedet, ut nullus in illa ditione depoſitarius conſtitua„tur, qui non in ea natus ſit & ſufficiens patrimonium habeat, qui tamen „tenebitur debitam cautionem præſtare, ſe vel ſequeſtratas vel depoſitas „penes ſe facultates pecuniaſve intra XXIV horarum ſpatium, ex arbitrio „judicii, citra moram ei cui adjudicatæ fuerint in manus tradere.

„ Quod porro ad ea quæ adverſus XIII Art. afferuntur, quo cavetur ne „ſuper ulla re, qualiſcunque ea fuerit tranſactio aut compoſitio admitta„tur &c. ejus neutiquam ea ſententia eſt, quaſi dictis Ordinibus eripiatur „impediaturve ordinarium eorum jus, levia quædam delicta multa pecunia„ria corrigendi, ſed tantummodo, ut id deinceps non abſque præcedanea „communicatione inter officiarios ac partes litigantes fiat, idque palam, per „ſententiam judicii, non autem ad libitum Officiariorum, Prætorum &c. „in particulari.

„ Quantum ad id quod dicti Ordines proponunt ad XIV ac nonnullos „alios articulos, qui agunt de cognitione & judicatura magnorum & gra„vium abuſuum ac delictorum, declarat S. Excell. non eſſe ſibi in animo „Ordinum Tranſiſalaniæ antiquam juriſdictionem per illos imminuere, ſed „hujus eſſe ſententiæ; ut ſiquando Reg. Majeſt. ejuſve per haſce ejus ditiones „hæreditarias gubernatori generali conſultum videbitur, Commiſſarios ali„quos ad correctionem & punitionem abuſuum in dictis Artt. comme„moratorum, in illa ditione ordinare ac mittere, tunc temporis alii, cujus„cunque ſtatus ſint, à judicatura ejuſcemodi delictorum (in teſtimonium „reverentiæ erga ſuum Principem) ſibi ſciant abſtinendum eſſe.

„ Super iis quæ ſupradicti Ordines monent ad XV & nonnullos alios Artt. „agentes de veniis ſive remiſſionibus dandis, quandoquidem S. Excell. in„dicatum eſt, dictos Ordines, ob rationes ab ipſis prætenſas, nondum com„mode potuiſſe obſecundare iis quæ XX conſtitutionis Art. continentur, „hinc S. Excell. dictis Ordinibus iterato permittit terminum VI hebdoma„dum, inter quos idem XX Art. ab ipſis effectui mandetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, Quantum ad ea quæ exhibent dicti Ordines adverſus LVI. alioſque Art.
,,de ſimili materia agentes, monentur ut iis, reſpectu criminum LX Articulo
,,comprehenſorum obſequantur.

,, Ad id quod Ordines proponunt in Art. LXXX. declarat ſua Excell. ab iis
,,nullum privilegium adduci quo eximantur à confiſcationibus, ſed uſum
,,duntaxat quendam ac conſuetudinem allegari, per quam nec poteſt nec de-
,,bet intelligi exemtio ſubditorum ditionis Tranſiſalanæ ſi commiſerint cri-
,,men læſæ Majeſt. divinæ & humanæ, aut deliquerint adverſus conſtitutio-
,,nes ac diplomata Regiæ Majeſt. ſuper negocio religionis. ideoque Ordi-
,,num eſſe, in hujuſmodi caſibus ſequi tenorem conſtitutionis de qua agitur.
,,ſalvo tamen prætenſo eorum jure in omnibus aliis delictis diverſæ naturæ
,,ab iis quæ jam nominata ſunt.

,, Denique, quod ad novum ac recens ordinatum juramentum, declarat
,,ſua Excell. Officiariis ac Magiſtratibus novum illud juramentum juxta præ-
,,ſcriptam formulam præſtandum eſſe, neque per illud impediri, quo minus
,,juramentum quoque vetus & uſitatum præſtetur. Actum Bruxellæ, Kalend.
,,menſis Junii, Anno CIↃIↃLXXI.

XXIII ejuſdem menſis Megenſis Comes Zwollam venit, ubi & Ordines erant congregati, quibus delegati ipſorum omnia quæ ſibi Bruxellæ contigiſſent ab Albano Duce retulerant, reſponſumque quod obtinuiſſent dederant legendum. id quod Ordinibus perquam moleſtum accidit, deque eo Præfectum certiorem fecerunt. aſſerentes, ſe ratione juramenti quo ditioni obſtricti erant, in conſtitutionem criminalem conſentire haudquaquam poſſe, ſimul conſilium ab eo flagitantes, quid porro circa id negocii agendum videretur.

Reſpondit Megenſis, non eſſe ſibi integrum iis quoad hanc rem conſilium dare, eo quod non ditioni Tranſiſalanæ, ſed Hiſpaniarum Regi juratus eſſet. non intercedere ſe tamen quo minus omnes ſuas difficultates ſcripto conſignarent, & commonitorium priori non abſimile conficerent, ſi quid deinde ſua operâ ipſis prodeſſe poſſet, ad id ſe ſemper promtum ac paratum fore. quo audito ſcripſerunt Ordines ad Ducem Albanum in hæc verba:

,, Illuſtriſs. Celſiſſ. Princeps, Clementiſſ. Domine, Ill. Tuæ Clem. humil-
,,lima noſtra obſequia, & quæcunque noſtrarum virium ſunt, ante omnia ſunt
,,quam paratiſſima. Clementiſſime Princeps ac Domine: Accepimus, cum
,,debita obedientia, reſponſum quod Ill. T. Clementiæ inſtructioni ac defen-
,,ſioni delegatorum noſtrorum, qua nuper, difficultates ſuper recenti conſti-
,,tutione criminali nomine hujus ditionis Excell. Tuæ exhibuerunt, placuit
,,adjungere. quod quidem reſponſum mœſtis animis audivimus, & poſt accu-
,,ratum ejus examen, non potuimus aliud judicare, quam tale id eſſe, quo di-
,,tio hæc & civitates Tranſiſalaniæ in avita ſua libertate, juribus, bonæ fidei
,,poſſeſſionibus (in quibus tum majores noſtri, tum nos ipſi progeniti natique
,,ſumus,

„ſumus, in quibus Cæſ. Majeſt. nos invenit, recepit, & ſolenni juramento nos
„conſervare pollicitus eſt, neque quicquam iis adverſum ſe tentaturum, aut
„ab aliis tentari permiſſurum, directe vel indirecte, quocunque modo) magnopere
lædantur ac infirmentur,noſq;per obſervationem ejuſdem reſponſi,
„judicio noſtro, exiſtimari poſſe juramentum a nobis, ditioni ac civitatibus
„reſpective, ſuper conſervatione jurium municipalium ac urbanorum, poſſeſſionum
ac conſuetudinum, præſtitum, neglexiſſe, ac proinde ratione
„ejuſdem juramenti in id conſentire nullo modo poſſe. Quapropter committere
non potuimns,quin cum omni reverentia, demiſſione & obedientia id
„ſignificemus, eo fine, eaque fiducia, fore ut Regia Majeſtas, hoc tempore
„Clem. noſter Dominus hæreditarius, benevoli ac benefici Principis inſtar,
„nec non Ill. T. Clem. (ratione habita ſolennis Tractatus, ſub quo ditio hæc
„ac civitates ſe obedientiæ Cæſ. Majeſt.ſubmiſerunt) dictam ditionem & civitates
gratioſe in eadem libertate, jure, poſſeſſionibus, in quibus & Regiæ
„Majeſt. parens, & Rex ipſe eas invenit, recepit, per dictum Tractatum aliterque
confirmavit, conſervent,neque patiantur, ut adverſus præſtitas promiſſiones,
ullis novitatibus eidem contrariis gravemur.

„Porro, Clementiſſ. Domine, quod attinet punctum dandi remiſſiones,
„ſuper quo Ill. T. Clem. nobis ſpatium ſex hebdomadum præfixit &c. iterato
Ill. T. Clem. ſignificamus, tres civitates,Daventriam,Campos,Zwollam,inde
a tempore immemorabili auctoritatem ac jus habuiſſe,eoq; pacatè
„hucuſque uſas fuiſſe, inconſulto penitus Principe, delinquentes mortis ſupplicium
commeritos venia donandi. prout in regeſtis earundem civitatum,
id ad deprecationem vel Principis vel Præfecti contigiſſe reperire licet,neque
Prætores ſuæ Majeſt. nomine in urbibus commorantes poterunt
„negare. alii quoque, qui antehac Magiſtratum geſſerunt, & valetudinis aut
„ſenectutis ratione ab eo demiſſi ſunt, abunde poterunt teſtari. quæ immemorialis
conſuetudo ac poſſeſſio, de jure vim ac vigorem habet privilegii.

„Quod ſi inſuper Ill. T. Clementiæ ſuper hac re aliquis ſcrupulus hæreat,
„neque id ita plena fide ſibi perſuadere poſſit, offerunt præſentes trium civitatum
Rectores, ad certam hujus dubii evolutionem, (quod & ſuper nonnullis
Articulis, querela ſua comprehenſis fecerunt) interpoſito ſuo juramento
id confirmare: quo ipſo, vigore privilegii quod præcedentes Domini
Epiſcopi tribus civitatibus reſpective contulerunt (cujus apographum
„& ante exhibitum,& nunc denuo hiſce adjunctum eſt) ut hactenus, ita nunc
„quoque ſe ſubſiſtere poſſe merito arbitrantur. Confidunt autem T. Clem^{x}.
„freti ejuſdem benevolentia, nec non demiſſe rogant, placeat ei dicti privilegii
tenorem gratioſe ſequi, neque permittere ut ditio & civitates adverſus
„Tractatum ſuum contriſtentur, damno afficiantur, graventurve. Id quod
„erga Ill. T. Clem. omni obedientia recognoſcere parati ſumus. teſtis ſit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,Deus O. M. qui Ill. T. Clem. in celſo ac felici regimine conſervet. In ve-
,,ram rei fidem nos Ioannes a Laer in Honloo, petitione ac nomine Ordinis
,,equeſtris Sallandiæ, Tubantiæ ac Vollenhoviæ, noſque Coſſ. Scabini ac
,,Senatores civitatis Campenſis, illius nomine, nec non petitione & vice
,,reliquarum duarum civitatum Daventriæ & Zwollæ, ſigilla noſtra ſpatio
,,harum literarum imprimi curavimus. Datæ in Nyerbrugge, Kalend. Jul.
,,Anno cIↃ IↃ LXXI.

Præter hæc, Ordines ad præſidem arcani conſilii * Tiſenacum de hiſce difficultatibus prolixe ſcripſerunt, petieruntque ut omnem diligentiam adhiberet, quo à tam gravi onere, tantiſque novitatibus, in quas præſtiti juramenti ratione conſentire non poſſent, liberarentur, utque Epiſtolam Duci Albano exhiberet legendam. Nec quicquam ulterius in hac cauſa actum fuit.

Dux Albanus ſingulis civitatibus Campenſi ac Zwollanæ ſingulas equitum cohortes impoſuerat, qui ſeſe adverſus cives perquam inſolenter gerebant. Adhæc tenebatur unaquæque civitas cohorti ſuæ ſingulis hebdomadibus c. coronatos mutuo dare, cives iis de ſumtibus qui ſervitii nomine appellari ſolent, cogebantur proſpicere. in hoſpitiis optima quæque cubicula, & lectos commodiſſimos, pulſis inde hoſpitibus occupabant. Carnes, panes, vinum, Zythum, fœnum, avenam aliaque tertio nummo vilius emebant, quam cives ipſi. & hæc civitates pro rata portione ſupplere cogebantur. Quæ cum in immenſum excreſcerent, civitates illæ quam obſequentiſſime ab Albano, Megenſi, Barlaymontio, Zuichemio præſide, aliiſque petierunt, ut ab equite Hiſpano liberari poſſent, ſed nullo fructu.

Quapropter Campenſes Arnoldum a Bocop, Zwollani Ioannem ab Haerſt Bruxellam miſerunt, qui precibus apud Albanum, ut id fieri poſſet, inſtarent. Hi dum abſunt, eo irritatiores facti Hiſpani, ne à cæde quidem civium aliquot temperarunt, aliiſque modis iis graves fuerunt. unde per literas delegatos ſuos, qui jam per aliquot hebdomadas Bruxellæ hæſerant Senatus ad urgendum negocium hortatus eſt; quas hic aſſcribi non incommodum erit:

,,Honorati, probi, ac benevoli amici. Literas veſtras, datas XXVII
,,menſis Septembris elapſi, ſpectantes ad ſollicitationem pro exoneratione
,,harum duarum civitatum ab equitatu, 11 Octob. accepimus: neque vos
,,celare poſſumus, conſultum nobis viſum, ſi ullo modo conjicere potue-
,,ritis, nos promiſſa pecunia aut donativo aliquo (cuicunque Magnati aut
,,quibuſcunque perſonis id offerri expediret) poſſe liberari, non eſſe quod
,,pecuniæ parcatis, ſi vel CCCC. IↃ. aut IↃC. Coronati aurei, aut plus mi-
,,nuſve in eam rem eſſent prodigendi. prout etiam vobis ante diceſſum ve-
,,ſtrum in mandatis dedimus, idque etiamnum veſtræ prudentiæ commit-
,,timus.

„timus. Quod ſi in hac cauſa aliqua pecuniæ ſumma vobis opus fuerit, „eam à Bonaventura Bodeker, Cornelio Ogeren, aut Iacobo Abelino „Antwerpiæ commorantibus aliiſve petere vobis integrum erit: nec dubi„tamus, quin eam ſub debito fenore vobis ſint conceſſuri. quicquid porro „hac in re egeritis, & quacunque ratione veſtram fidem obſtrinxeritis, no„bis libentibus fiet, promittimuſque & vos, & eos qui vobis argenti illius „uſum conceſſerunt, omni tempore indemnes præſtare. Valete. Dabantur „in loco cui nomen *den Sonnenberch*, III Octob. Anno CIↃIↃLXXI.

Delegati continuis ſuis apud Albanum flagitationibus, tandem effecerunt, ut promitteret equitibus Hiſpanis eos liberare. injungens eis, ut ea de re cum filio ſuo Don Friderico agerent, utpote ſupremo copiarum militarium ductore, id quod ſedulo fecerunt, ac ſimile promiſſum ab eo obtinuerunt. juſſit autem ut Secretarium ſuum Albornocium de expediendis literis patentibus ad hoc requiſitis convenirent. quem diebus non paucis cum ſollicitaſſent, tandem datis ei XL vel L florenis, voti compotes evaſere.

Acceptis literis, Arnoldus a Bocop & Ioannes ab Haerſt ilico, nec cibo nec potu ſumto Campos ac Zwollam petierunt, etiam cum vitæ periculo, exorta tempeſtate, aquis ſe credentes, quo ante diem Sabbati domum appellerent, atque ita pecuniæ unius hebdomadis, equiti à civitatibus erogandæ compendium facerent. prout & factum eſt.

Arnoldus a Bocop Campos appulſus, multos è Senatu in ripa fluminis offendit, quibus comitantibus ad curiam properavit, ac reliquos qui aberant miſſo apparitore accerſivit, ad quos omnes de univerſis quæ ſibi obtigerant ordine retulit, dixitque, equitibus Hiſpanis ante tertium diem ex utraq; urbe migrandum eſſe, ſeque id, una cum Ioanne ab Haerſt, nulla erogata pecunia, nullo cuiquam dato munere (ſecretarium excipiebat) impetraſſe. Id quod perquam lætum Senatui accidit, qui eam ob cauſam honorario aliquo Bocopium remunerari volebat, qui pro benignitate eis gratias agebat, ſed multis civitate difficultatibus exinde implicita, cum etiam Bocopius Senatum promiſſi ſui admonere intempeſtivum duceret, nullum pollicitatio illa effectum habuit.

Senatus Campenſis delegati una cum Arnoldo a Bocop, Petrum de Açuna, cohortis Hiſpanicæ Ducem adiere, eique mandatum Ducis Albani ſcripto comprehenſum tradidere, quo ille perlecto, delegatis ſignificavit, ſe intra triduum Campis diſceſſurum, quod & factum eſt. idem Zwollæ contigit.

Dux Albanus Officiariis ac tribus civitatibus ſigillatim injunxit, ut civitates ac Satrapæ intra trimeſtre, conſuetudines ſuas ad ſeſe tranſmitterent, quemadmodum à Cæſ. Majeſt. annis CIↃIↃXXXI & XL. fuiſſet conſtitutum, cujus mandato alii fuiſſent obſecuti, alii vero in mora fuiſſent. literis ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ejus ſuas quoque adjunxerat ad Ordines Tranſiſalaniæ Comes Megenſis. Illi vero ad eas reſponſum ac defenſionem adornarunt, ac ad Megenſem curarunt perferri, in hæc verba:

„ Nobilis, Generoſe, Clem. Domine. Clementiæ Tuæ obſequia noſtra ante omnia parata ſunt. Clementiſſ. Domine ſcriptum Clem. tuæ mandatorium, cum inſerto apographo literarum Ducis Albani &c. Clementiſſ. noſtri Principis ac Domini, quibus injungitur, quandoquidem à Cæſar. Majeſt. Clem. Domino noſtro annis cIɔIɔxxxi. & xl. conſtitutum ſit, ut omnes Officiarii ac judices ad aulam ſcripto tranſmitterent conſuetudines ſui diſtrictus, ubi eæ eſſent viſitandæ, determinandæ, & ſuper earum obſervatione ſtatuendum, ut nos T. Clem. certiorem faceremus, quid in eo negotio a nobis ſit præſtitum &c. obedienter accepimus & audivimus.

„ Ad quas ea qua par eſt ſubmiſſione celare non poſſumus, quamvis Cæſ. Majeſt. tum temporis generaliter id præceperat, nihilominus ab ejus mandati adimpletione hanc ditionem ac civitates non modo manſiſſe immunes, verum etiam Cæſar. Majeſtatem, per ſuum in Tranſiſalania Præfectum, Annis cIɔIɔxxxiii. cIɔIɔxli. cIɔIɔxlvi. aliiſque pluribus, de ſententia Ordinum, varias reformationes quorundam abuſuum & conſuetudinum ordinari ac perfici curaſſe. idque ea ratione, quia Cæſ. Majeſtas, ſuo ſuorumque hæredum ac ſucceſſorum nomine promiſiſſet, eis ſalva præſtare non modo jura ſua municipalia, urbana, aliaque, verum etiam poſſeſſiones ac conſuetudines, quibus ſigillatim ipſo facto utantur, neque quicquam eis adverſum facturam, fieri curaturam permiſſuramve, directe vel indirecte, qualicunque ratione. Id quod poſtmodum Cæſarea Majeſtas, in qualitate Cæſaris Romani, peculiaribus ſuæ Majeſt. literis confirmavit. prout & conſequenter Regia Majeſtas, noſter impræſentiarum Dominus hæreditarius, in propria perſona, memoratum Tractatum ſolenni jurejurando ſancivit, ac gratioſe promiſit, ſe ei non contraventurum, nec ut contraveniatur permiſſurum, prout T. Clem. ex excerptis literarum hiſce adjunctis benevole dignabitur cognoſcere. unde exiſtimamus dictas noſtras conſuetudines ulterioris examinis non egere, ac etiamnum confidimus, non æquum eſſe ut tranſmiſſione conſuetudinum, ad hunc uſum, gravemur. Nominatim, cum tres civitates ante annos immemorabiles habuerint, ac etiamnum habeant privilegium, ut quod Scabini ac Conſiliarii trium civitatum reſpective, interpoſito juramento, de conſuetudinibus ſuis ac poſſeſſionibus affirmare parati fuerint, id pro indubitato habeatur, ejuſque tranquilla & nulla ſui parte imminuta poſſeſſio eis permittatur. id quod Clem. Tuæ ex apographo privilegii cujuſdam hiſce annexo placebit cognoſcere.

„Fieri

„ Fieri etiam, noſtro quidem judicio, nullo modo poſſet, ut omnes tum
„ditionis, tum urbium conſuetudines, propter earundem varietatem ac
„multitudinem, ſcripto mandarentur. id quod honoratæ memoriæ Epiſco-
„pus David Burgundus, Dominus olim hujus regionis, fieri non poſſe agno-
„vit, ideoque diplomate Anno cIↃcccclxxviii. xvi Junii, una
„cum Ordinibus ſancito, decrevit, quoniam puncta omnia clare deſcribi ne-
„quirent, velle ſe tamen, ditioni ac incolis Tranſiſalaniæ omnia ſua vetera
„jura ac conſuetudines, prout antiquo more uſurpatæ fuiſſent, ſalvas ac in-
„temeratas eſſe. prout latius continetur excerpto quodam ſuper hoc nego-
„tio, hiſce annexo. Quod ſi forte in hac ditione ac civitatibus conſuetudi-
„nes aliquæ examine aut correctione indigerent, oporteret eas, ex veteri
„ditionis ac civitatum praxi, in ipſa hac regione, à Principe ejuſve Præ-
„fecto una cum Ordinibus, in civitatibus autem a Coſs. Scabinis & Con-
„ſiliariis, una cum Tribb. pleb. reſpective (ut quibus natura & conditio
„regionis & civitatum optime cognitæ ſint) examinari & in melius refor-
„mari. prout ejuſcemodi reformationes a præcedentibus Dominis Epiſco-
„pis, & poſtea a Cæſarea Regiaque Majeſt. ſæpenumero, ut ſupra memo-
„ratum fuit, conſentientibus Ordinibus, factæ fuerunt. Juxta quæ, obe-
„dienter rogamus, placeat Clem. T. hanc noſtram excuſationem boni con-
„ſulere, ac apud Ill. ſuam Clem. gratioſe deprecari, ut benevole interpre-
„tetur, quod ob rationes ſupra allegatas, conſuetudines noſtras non tranſ-
„mittamus, noſque proinde dicto Tractatui inhærere permittat, eumque
„ſartum tectum nobis præſtet. quod ſi fecerit, beneficium illud omni cum
„obedientia recognoſcemus. teſtis ſit Deus, qui Clem. T. diu in celſo
„regimine ſoſpitet. Datæ Zwollæ, ſub ejuſdem civitatis ſigillo, quo pari-
„ter in hoc negocio impræſentiarum utimur. die xxv Novembr. Anno
„cIↃIↃlxxi.

Anno cIↃIↃlxxii. ineunte Megenſis Comes Lingâ Zwollam venit, quo nonnullos ex equeſtri Ordine ac civitatum delegatis convocarat. ibi vii Januarii die graviter ægrotare cœpit, ac ſequenti nocte circa horam ſecundam animam creatori reddidit. Caſum illum qui ex Ordinibus Tranſiſalaniæ Zwollæ erant, ſub ejus civitatis ſigillo ad Dominos Barlaimontium & Viglium perſcripſerunt.

viii Januarii die cadaver defuncti Zwollæ in ædibus Satrapæ Covordiani Enſii, honorifice veſtitum, inſigni Ordinis equeſtris de collo dependente, & enſe accinctum jacebat, cuicunque id placeret ſpectandum.

Die ix. aromatibus conditus fuit, viſcera Zwollæ in templo majori ſepulturæ mandata, corpus autem Megam devectum.

Succeſſit ei in præfectura Friſiæ, Tranſiſalanæ, Groningæ, ac Lingæ filius Domini a Barlaymont Ægidius nomine.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Menſe Martio, miles quidam Hiſpanus è præſidio Daventrienſi, cane fœmina comitatus extra urbem ambulavit, ubi remotis arbitris, cum ea rem habuit, carnifex ea tranſiens rem nefariam conſpicatus, & hominis faciem contemplatus, quod eo facilius poterat quia unoculus erat, ad Conſulem Daventrienſem perrexit, eique hujus flagitii indicium fecit: hic vero Hiſpanorum ductori id ſignificavit, qui è veſtigio carnificem apprehendi curat, utque reum nominet urget: quod cum non poſſet, in locum ubi milites lotium reddebant eum detrudit, ubi multis eum afficiebant contumeliis, unoquoque ex iis quærente, an ipſe eſſet quem cum cane deprehendiſſet? tandem accedit & is qui hoc facinus admiſerat, interrogatque, cæterorum exemplo, an ipſe is eſſet? reſpondit carnifex, non ſatis clare te video, ſed ei non diſſimilis es. quo is audito, quanquam nemine ad carnificis verba animum advertente, abit, ac poſtridie urbé excedit. Quod ut inaudivit Magiſtratus, cui compertum erat milites decreviſſe carnifici gulam frangere, omnem diligentiam adhibuit, quo is in manus ſuas incideret, cumque intellexiſſet via Campenſi eum abiiſſe, ad Campenſes apparitorem cum literis, quibus rem ut ſe habebat exponebat, mittit. nec minore hac in parte ſedulitate Senatus Campenſis fugitivum perſequitur, quem XII Martii in loco *Campervene* dicto deprehenſum Campos adduxerunt, & è ſignis nonnullis a carnifice indicatis eum eſſe qui crimine iſto ſe polluerat certo agnoſcunt. Milites nonnulli Hiſpani eum Campis abductum Daventriæ ſiſtunt, ubi tormento bellico alligatus ſtrangulatur, ac deinde comburitur.

Menſe Aprili Paciecus, qui Daventrienſi præſidio præfuerat, Fliſſingæ captus, & è patibulo ſuſpenſus dignum ſceleribus exitum habuit.

Felix Guſmannus, Olivarii Comitis filius, unus ex Hiſpanorum inibi centurionibus, homo non minus quam ille alter ſanguinarius, ita ut oblectamenti vice haberet a moloſſis ſuis omnes catellos in plateis diſcurrentes diſcerpi, qui & truculentis illis ſuppliciis, de quibus ante, præſentiam & operam ſuam accommodarat, juxta Middelburgum navi incenſa combuſtus eſt.

E Monachis, qui in eadem cruenta tragœdia partes ſuas ſtrenue obierant, unus intra XIV diem in morbum incidit, & hominis a dæmone obſeſſi ſpeciem de ſe præbuit, brachiis etiam paralyſi diſſolutis. Alter vero nunquam poſt illa firma fuit valetudine, ac intra annum animam efflavit.

Poſt Paciecum Daventriæ Præfectus in diario Ever. Hemmingii nominatur Baldæus, cui viri probi elogium tribuit.

XI Junii die, federati, quos Geuſios vocabant, urbem Zutphanienſem ſtratagemate occuparunt. Poſtridie autem ejus diei, qui a S. Odulpho denominatur, inter quintam & ſextam horas veſpertinas, aliquot eorum ſigna Daventriæ, a latere quod ſpectat diœceſin Ultrajectinam, appropinquarunt, & ve-

& velitationes nonnullas cum Hiſpanis habuerunt. Nocte inſequenti vaccas omnes a publico paſcuo, quod *de merſch* appellatur abegerunt, ut & boves, equos, ac quicquid poterant nanciſci. cives etiam aliquot comprehenderunt. Magna enim cum celeritate advolarant, ita ut in urbis pomœriis conſpicerentur antequam de eorum adventu fuiſſet nunciatum. Quo conſpecto Hiſpani, occluſis portis, civibus introitum ademerunt. qui quo ſe verterent incerti, partim Zwollam, partim Campos fuga evaſere, reliqui in manus hoſtium incidere, qui tamen mox fuerunt dimiſſi, ſed ex equis quos bene habitos ac labori idoneos videbant, inter quos erant equi ptochodochii S. Spiritus, aliique carpentis & carrucis aſſueti, retinuerunt.

XIX Junii iidem ſub noctem reverſi, exuſſerunt molas utramque ante portam Montanam, quarum illa aquis, hæc vento circumagebatur, poſterioris tamen incendium a molitore extinctum fuit interim dum domus ejus conflagrat. in quatuor etiam molas ſubventaneas ante portam Noribergenſem flammas conjecerunt, quarum duæ, civium diligentia, incendium evaſere, duæ alteræ in cineres conſedere. Adhæc exuſſerunt omnes frumenti metas in planitie quæ dicitur *de Kolf-bane* erectas, cum mola olearia, quæ erat Ioannis Snellii. tenebat tunc temporis Daventriam præſidio Franciſcus Vargas, homo non è peſſimis, quod elogium ei tribuit Ever. Hemmingius in adverſariis ſuis manu exaratis.

Hiergius Gelriæ ac Tranſiſalaniæ Præfectus, cognito caſu Zutphanienſium, Campenſes ac Zwollanos per literas admonuit, ut excubiarum ſuarum diligentem curam haberent, ne in ſimile infortunium inciderent. quibus acceptis illi quidem Henricum Dye Wolphium, & Arnoldum a Bocop, hi vero Wolphgangum ab Itterſum, & Ioannem ab Haerſt, in monaſterium quod vocant *den Sonnenberch* miſerunt, deliberaturos an milites in civitates ſuas curarent accerſi, aut vero alio modo periculo prævertendum putarent. quandoquidem Dominus Billy (ut è Cancellario Balduino a Roon inaudiverant, a Billio autem literas non acceperant) vexillum peditum ſumtu Regis civitatibus imponendum, eis obtuliſſet. ſed conſultius judicatum, ut ipſæ civitates juſtum aliquem numerum ſclopetariorum conſcriberent, quibus pro re nata uti, quoſque cum liberet dimittere poſſent. qua de re ad ſuos relaturi domum ſe contulerunt.

Super difficultate de recipiendo in urbes Campenſem ac Zwollanam præſidio, Campis Senatus cum utraque ſua communitate in curia congregatus fuit, ubi Conſul Tribunis pleb. periculum quod à Bergenſi immineret, qui Zutphaniam ſui juris fecerat, exponit, ac nomine Senatus petit, declarent quomodo in hoc rerum ſtatu animati ſint. Senatui enim ſtare ſententiam, ratione præſtiti juramenti, urbem uſibus Regiæ Majeſt. conſervare, neque in cujuſquam alterius manum tradere. reſponderunt Tribb. æquum eſſe ut hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

hoc fiat, ſeque idem præſtare paratos eſſe, quo dicto ſinguli ſtipulata manu ſe ita facturos Conſuli promiſere. decreverunt porro, ut & opificum collegia coram Conſule comparerent, ſingulique ordine eodem modo porrectis dexteris idem pollicerentur. idem facerent centuriones in ſingulis urbis parœciis, ubi & civium arma viſitarent, quo ii quibus illa minus forte idonea ſuppeterent, ſibi de melioribus proſpicerent.

Præfecto Campos per literas ad curam ſuarum excubiarum monenti, Senatus reſcribendum putavit, quod factum in hæc verba:

,, Nobilis, Generoſe, Clem. Domine, obſequia noſtra, & quæcunque ,,noſtrarum ſunt virium T. Clem. ſunt quam paratiſſima. Clem. Domine, ,,literas Clem. T. de occupata Zutphania, deque ſedulo habendis vigiliis ,,ad conſervationem urbis Campenſis, obedienter accepimus, ad quas non ,,poſſumus committere quin T. Clem. certiorem faciamus, nos, ut bonos ,,ac fideles Regiæ Majeſt. Clementiſs. noſtri Domini ſubditos decet, cives ,,univerſos (qui nobis ſponte confirmarunt, ſe urbem hanc ad uſum Regiæ ,,Majeſt. corpore ac facultatibus ſuis defenſuros) in regiones aliquot diſtri-,,buiſſe, ac regionibus ſingulis certas cohortes attribuiſſe, adhæc portas, tur-,,res, mœnia tormentis omnibuſque ad ea neceſſariis muniviſſe, ubique tam ,,extra quam intra muros diurnas ac nocturnas excubias diſpoſuiſſe, quo in ,,caſus repentinos paratiores eſſe poſſimus. Ita ut plane confidamus, nos ur-,,bem hanc, Deo adjuvante, ad uſus Regiæ Majeſt. (pro qua omnia quæ fide-,,lium ſubditorum ſunt præſtare & debemus & volumus) rite cuſtodituros ,,eſſe, noſque ac cives noſtros adverſus hoſtiles invaſiones defenſuros, maxi-,,me cum animadverterimus civium noſtrorum ad id exequendum alacrita-,,tem, neque de ulla re alia, quam de annona huic noſtræ civitati, in hac ,,omnium rerum caritate, ſuppeditanda ſolliciti ſimus. Adhæc T. Cl. celare ,,non poſſumus, Ill. & Celſiſs. Principem Ducem Albanum Gubernatorem &c. ,,nuper ad nos ſcripſiſſe, Ill. ſuam Clem. de cura noſtra circa excubias noſtræ ,,civitatis certiorem factam, ſibi pleniſſime ſatisfactum judicare. Rogamus ,,itaque T. Clem. ut nos apud Ill. ſuam celſit. de meliore nota commendare ,,non gravetur. & ſi forte T. Clem. quicquam innoteſceret, quod huic civi-,,tati eſſet formidandum, id nobis abſque mora ſignificare velit, ſeque nobis ,,per omnia benevolum Præfectum exhibeat. ſi nos viciſſim T. Cl. ulla in ,,re uſui eſſe potuerimus, agnoſcimus nos ad id teneri, & perpetuo cum ,,omni obedientia ac demiſſione promtos nos ac paratos demonſtrabimus. ,,Teſtis ſit Deus O. M. qui Clem. T. in felici regimine diutiſſime incolu-,,men præſtet. Datæ XX Junii Anno CIↃIↃLXXII.

XXI Junii Zutphanienſes partem prædæ ad urbem Zwollanam abactæ, juxta molam Honnepenſem ſecum traxere. erant autem duo peditum ſigna, cum LXXX equitibus aut præter propter. quibus in occurſum exivere circiter

centum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

centum Hiſpani, qui poſt aggerem quem vocant *den Moſtert-dijck* ſe occultarunt. Geuſii conſpectis eorum nonnullis, cum pauciores eſſe putarent, in eos impreſſionem fecerunt, ſed reliqui ex inſidiis exurgentes, ex hoſtibus ſex ſclopetorum ictibus confecerunt, ex ipſis viciſſim duo deſiderati.

Hoc menſe cives Daventrienſes fuerunt recenſiti, armis inſtructi, & in quatuor regiones diviſi.

XXII Junii Daventriam intravit Carolus Coninck, cum vexillo LXXX capitum, quod tamen, dum ibi commoratur, accrevit, ita ut numerus militum ejus, ſubmiſſis aliunde aliis, ad CCCL capita pervenerit.

XIII menſis Julii in feſto D. Margaretæ, erat autem dies Dominicus, federati rurſum Daventriam petiere, VI ſeptemve vexillationibus peditum, & equitum aliquo numero. trahentes ſecum currus aliquot, quibus omne frumentum quod erat in ea agri parte quam vocant *den Hönneper-enck*, & in altera quam appellant *den Water-enck* avexerunt, vaccas quoque & boves complures abegerunt, ut & duos adoleſcentes qui ad eas in urbem compellendas egreſſi fuerant, ancillas autem in eodem opere comprehenſas dimiſerunt.

Dum currus onerantur, ad urbem propius hi milites acceſſere, quo animadverſo exierunt circiter CL Hiſpani cum L. plus minus Germanis, qui conflictu cum eis commiſſo, ſtragem aliquam edidere, ita ut duo currus cæſis ac vulneratis onuſti Zutphaniam avecti dicerentur. Hiſpanorum viciſſim uno,& Germanorum duobus deſideratis.federatis autem dum auxilia ſubmittuntur, deteriora veriti Hiſpani receptui cecinere. quos ſequuti federati uſque ad repagulum quod vocant *den Klockenboom*, id incenderunt, ut & noſodochium leproſorum quod à S. Georgio denominatur, cum domo, frumenti cumeris, ſtabulis, ſolo templo ſalvo. incenderunt & alteram ædiculam leproſorum, juxta repagulum quod dicitur *den Haeckboom*, & molam ſubventaneam Hönnepenſem, quo facto Zutphaniam regreſſi ſunt.

Campenſis Senatus Henricum Dye Wolphium, & Arnoldum a Bocop Vollenhoviam miſit, ad Satrapam Ioannem Sloot, ei ſignificaturos, perlatum ad ſeſe, eum cum uxore ac liberis Campos ſe recipere ſtatuiſſe, eam ob cauſam quod fœderati (quos Geuſios appellabant) Enchuſam, Zutphaniam, aliaſque urbes in fidem recepiſſent, ideoque ſe ſcire deſiderare, ſiquid periculi civitati ingrueret, an & tunc ſecum remanere, & conſilio ac ope ſibi adeſſe decreviſſet? neminem enim in urbe eſſe rerum militarium peritum. Senatum autem, ſi hac in re ſibi gratificaretur, viciſſim quod æquum eſſet erga eum facturum. Reſpondit Satrapa ſe paratum eſſe è veſtigio delegatis Campenſium porrecta manu polliceri, ſe cum Campenſibus vivere ac mori velle, verum in mandatis habere à Præfecto, arcem Vollenhovianam XI aut XII ſclopetariis & aliquo ruſticorum numero munire. quanquam arci

Vollenhovianæ obſtrictus non eſſet, velle ſe ergo per veredarium de re tota ad Præfectum D. Hiergium perſcribere, quod cum feciſſet, præfectus, ſuſpicatus fortaſſe civitatem Campenſem ſequius quiddam animo fovere, Satrapam Iſelmudanum Euſebium eo ablegavit, cum Senatu de omnibus acturum, & in caſu neceſſitatis auxilia ſuo nomine promiſſurum. Id quod Senatus Campenſis Satrapæ Vollenhoviano miſſa hujuſmodi Epiſtolâ ſignificavit:

,, Honorate, benevole, amice Domine Satrapa. celare te non poſſumus, Iſſelmudæ Satrapam juſſu Clementiſs. noſtri D. Præfecti, die Martis proxime præterito, huc ſe contuliſſe, deferentem ſecum literas S. Clem. hujus argumenti: Mittere ſe ad nos dictum Iſelmudæ Satrapam, nobiſcum communicaturum ac in medium conſulturum, ſeque paratum eſſe in caſu neceſſitatis (quem avertat Deus) nobis auxilia præſtare. unde honoratæ tuæ dilectioni pro oblatione nuper Vollenhoviæ noſtris delegatis facta, & hic quoque in ædibus Dominæ Cruſiæ repetita, gratias agimus, quam & animo benevolo ſemper recognoſcemus. Porro honoratam T. dilect. ſcire volumus, ſignificatum fuiſſe nobis, quo pacto duabus Epiſtolis ad Clementiſs. noſtrum Præfectum perſcripſeris, requiſitum te fuiſſe à nobis, ut militarem manum, ſive peditum aliquot ſigna ad uſum civitatis noſtræ nobis commodares, id quod in ſequiorem haud dubie partem a S. Clem. acciperetur, ſi eo inconſulto delectum militem habere auderemus, quæ mens noſtra non fuit, neque tale quid unquam tentabimus, prout & è delegatis noſtris intelleximus, eos nec petiiſſe id a te neque tibi propoſuiſſe: ſed hoc tantum ſcire nos avere, ſiquid huic urbi accederet, an ſtatuiſſes in ea manere, nobiſque ope & conſilio adeſſe. Quapropter honoratam T. dilect. rogatam volumus, ut per harum latorem nos certiores facias, nunquid hujuſcemodi ad ſuam Clem. ſcripſeris, & ſi ſua Clem. literas tuas in eam partem interpretata ſit, eam clarius edoceas, non fuiſſe nobis animum militem conſcribere, ſed duntaxat cives noſtros ad uſum Reg. Majeſt. in Ordinem redigere. quod & ipſum ad noſtri excuſationem ad S. Clem. nobis perſcribendum eſt. Deus honor. T. dilect. incolumem præſtet. ,, XXVI Junii Anno CIↃIↃLXXII.

XXVII Junii ad Præfectum literas miſere Campenſes, quibus mentem ſuam, eo quem vidimus modo, explicabant.

XXII Julii Hiſpani una cum Germanis Daventriæ magnum motum excitarunt, ita ut ſpeculator è turri adactus ab iis fuerit ſignum dare, ac ſi hoſtis appropinquaret, quale tamen nihil erat, ſed ſcopus eorum erat periculum facere, num cives adverſus ipſos inſurrecturi eſſent, quod fruſtra ſuſpicabantur.

XXIX Julii Daventriam intrarunt pedites Teutonici CCCL, qui nocte inſe-

inſequenti egreſſi Ultrajectum petierunt. his federati obviam facti, omnes profligarunt, parte eorum cæſa, parte fugâ dilapſa, parte captiva abducta. qui evaſerant Daventriam repetierunt, ibique manſerunt, in civium, atque etiam eccleſiaſticorum domos diſtributi, qui eis de victu proſpicere cogebantur, licet nec recenſiti eſſent, nec ſacramentum dixiſſent. Duces eorum erant Conradus Duyve & Ioannes Snater, qui & ipſi poſtea dilapſi ſunt, cum cæderetur Comes Ludovicus ad Jemingam. tandem hi milites Daventriæ recenſiti fuerunt & numerum CLXXXV capitum (comprehenſis etiam qui pretio conducti ſe iis dum recenſerentur permiſcuerant) confecerunt.

VII Auguſti Dux Holſtenius Daventriæ appropinquavit cum VI ſignis ruſticorum è clientela ſua, qui prope noſocomium S. Georgii conſederunt, ipſe vero cum nobilibus ſuis urbem ingreſſus eſt.

Adhæc quatuor vexilla ſclopetariorum ſecum traxit, qui loco cui nomen *der Hönvepe* remanſerunt.

IX Auguſt. Bergenſis Comes urbem Campenſem indagine cingi fecit. Simulac Senatui innotuit adeſſe hoſtem, per celerem nuncium id Zwollanis ſignificavit, petens ab eis, ut id Præfecto nunciarent, nec non Senatui & Duci præſidii Daventrienſis, rogarentque ut ſibi ſuppetias venirent.

Poſthæc, ad portam quam Venæ appellant, acceſſit quidam Henricus Michaëlis, mercaturam lanæ exercens, quique alias Antwerpiæ fuerat, Comitatus cive quodam Zwollano, Henrico Coeckenio. hi Henricum Dye Wolphium & Conradum a Vechta ſibi convento opus eſſe dixerunt. præter quos vocarant ad ſe Egbertum Lueſſe, & Gerardum Hagerum. Wolphius & Vechtanus rem hanc Conſulibus ſignificarunt, qui convocato Senatu, quid peteretur exponunt. Senatui viſum, ut Coſs. Bartholdus a Wilſem, & Henricus Kiſtemaker, una cum Wolphio & Vechtano propugnaculum portæ Venenſis conſcenderent, intellecturi quid ſibi dicti mercatores vellent. acceſſerunt eodem Lueſſe & Hagerus, quos omnes allocutus Henr. Michaëlis, prolixe retulit, quemadmodum Comes Bergenſis, tanquam Vicarius Principis Arauſionenſis, nomine Regiæ Majeſt. Clementiſs. noſtri Domini, urbem Campenſem ſtatuiſſet intrare, idque ad eam à ſervitute Hiſpanorum liberandam &c. quam ad rem multis ornatis ſermonibus uſus eſt. exhibitis quoque literis ejuſdem Principis, datis III Auguſt. Anni CIↃIↃLXXII. ad Coſs. Scabinos & Conſiliarios, Nobiles, &c. item, Collegiis opificum præfectos, majorem & minorem communitatem. quas eiſdem tradidit.

Quo facto acceſſit à Bergenſi Comite delegatus Henricus a Broeckhuyſen, Doctoris Hermanni Cruſii frater, qui aliquot annos Campis eidem ſuo fratri cohabitarat. is autem & ipſe ut Bergenſis in urbem Campenſem reciperetur multis ſuadebat.

Coſs.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Coſs. & delegati de his ad Senatum ſibi referendum dixerunt, de cujus ſententia eos certiores eſſent facturi.

Hiſce auditis, rogavit Henr. a Broeckhuyſen, ut cantharus vini ſibi porrigeretur. quod factum.

Re in Senatu propoſita, lectæ fuerunt literæ Principis, in hæc verba ſcriptæ:

,, Wilhelmus Dei Gratia, Princeps Arauſionenſium, Comes Naſſoviæ, ,,Cattimeliboci, Viandæ, Dietziæ, Buræ, Leerdami, &c. Dominus & Baro ,,Bredæ, Dieſtiæ, Groningenhagæ, Arlææ, Noorharnæ, Burchgravius ,,Antverpiæ, & Bezançonæ, Præfectus & Capitaneus generalis per Hollan,,diam, Zeelandiam, Weſt-Friſiam & Ultrajectum, &c.

,, Nobiles, honorati, honeſti, diſcreti, ſingulares amici. Inutile arbi,,tramur, prolixe à nobis referri, pluſquam oneroſam ſervitutem, cui ,,Dux Alvæ cum amicis ſuis & adhærentibus ſub ſpecie Reg. Majeſt. vos & ,,omnes celſæ & humilis conditionis ſubditos regionum Belgicarum ſubji,,cere fuerit anniſus. cujus ipſi oculati & auriti teſtes eſtis. Contra, ignotum ,,vobis eſſe non poteſt, quam fideli ac paterno animo & affectu, promoven,,do divino honori, Regiæ Majeſt. commodo, ac harum regionum bono, nos ,,omnia utilia ac poſſibilia media adhibuerimus, quæ & etiamnum cum ad,,hærentibus nobis Dominis ac amicis adhibemus, ut eas à dicta tyrannide ,,liberaremus, voſque priſtinæ libertati reſtitueremus, ac adjuvaremus, pro,,ut prolixè vobis recenſuimus eo ſcripto quod Dillenburgo, prima Maji ,,hebdomade, per generoſum dilectum nobis affinem Comitem Wilhel,,mum Bergenſem tranſmiſimus. Cum vero intellexerimus id ipſum vobis ,,nondum fuiſſe traditum, voſque nihilominus facile perſpiciatis tempus li,,berationis adeſſe, è tantis victoriis, quas Omnipotens ac miſericors Deus ,,in urbibus ac municipiis, mari ac terra clementer nobis conceſſit, hinc ,,nulli dubitamus, quin vobis ipſi non ſitis defuturi, neque oblatam Dei ,,gratiam repulſuri. Petentes à vobis, ut dictum noſtrum dilectum affinem ,,Comitem Bergenſem, nomine ac commodo Regiæ Majeſt. tanquam ejuſ,,dem Vicarium, intra urbem veſtram recipiatis, cum tali ac tanto præſidio, ,,quantum vobis ſufficere arbitramini, ad vos & veſtros incolas, ſpiritua,,les ac ſeculares, magnos ac parvos, in avitis ſuis libertatibus, juribus ac ,,privilegiis tuendos, & adverſus Albanam tyrannidem protegendos. Quod ,,ſi patriæ veſtræ curam omnem depoſuiſtis, & Albano, Belgii hoſti eſtis ad,,dicti, non caretis ſpeciminibus earum pœnarum quas a Deo, & gratiæ ,,quam ab Albano, Nationis Germanicæ hoſte hæreditario habetis expectan,,dam. Prout dictus Comes Bergenſis vobiſcum de iis omnibus per di,,lectos ſuos ac fide dignos delegatos acturus eſt, quibus fidem, ut nobis ,,ipſis, habebitis. Deo vos commendamus, qui vobis ſapientiam ac cir-

,,cum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„cumſpectionem largiatur. Datæ in Lynden III Aug. Anno cIↄ Iↄ LXXII.
„Subſcriptæ erant: *Amicus veſter, Wilhelmus à Naſſou.*

Ad haſce literas Senatus Campenſis, concordibus votis decrevit, injungendum Broechuſio, & Henrico Michaëlis, cum ſuis, ut à mœnibus ac portis recederent, quum ſtatutum eſſet, urbem Campenſem Regiæ Majeſtatis commodo eſſe conſervandam, prout ei promiſiſſent ac juraſſent, neque cuiquam alii ejus introitum conceſſum iri.

Decretum hoc dicti Coſs. una cum Senatus delegatis, Commiſſariis Comitis Bergenſis indicarunt, qui parantes reſpondere, & promiſſis Campenſes à ſententia abducere, inter alia dicebant, ſi ipſum Comitem alloqui eis placeret, eum ad ipſos quam libenter acceſſurum eſſe, & eum eſſe quem in equo leucophæo non procul ab ſeſe conſpicarentur. ſed reſponderunt Campenſes, nihil ſe aliud in mandatis habere, ipſorum eſſe ut juxta illud ſe gererent. quo illi audito ad Comitem ſunt reverſi.

Is vero urbem obſedit, trifariam diviſo exercitu, ita ut ejus pars ad Venæportam, pars in aggere Maſtebroeckano, pars loco cui nomen *den Hagen* metaretur. Porro ad Venæ-portam in aggere, juxta molam ſubventaneam aliquot maxima tormenta conſtituit. Comes ipſe ſub mola tentorium fixit, cui domus molitoris ita è tranſverſo objecta erat, ut ex urbe conſpici non poſſet. hic dum cum nobilibus ſuis prandium ſumit, de propugnaculo urbis diſploditur tormentum, cujus globus domum molitoris perrumpit, ac prope Comitem ipſum delatus, ibi in terram penetrat, ita ut disjectum cœnum ei faciem & cibos macularet, & nihil abeſſet, quin ſupremum ei fatum attuliſſet. hoc ab ipſo Broeckhuſio ſibi narratum Bocopius recenſet.

Obſideri ſe cum ſenſiſſent cives, arma ſumſere, ſinguli in parœciis ſuis, & locis conſuetis ad duces ſibi à Senatu præſtitutos confluentes. In ſuperiore parœcia erant Henricus Dye Wolphius, Dominus a Peutegem, Mag. Caſparus Schepeler, quibus ſtatio ſupra portam erat aſſignata, & cuſtodiendum habebant propugnaculum ad Venæ portam, turrim Iſalanam, turrim ad molam truſatilem. In parœcia quam Horſæ vocant, duces nomine Senatus erant Arnoldus Brantius, & Simon Glauwe, quibus condictus locus erat ad portam fratrum Cellariorum. In parœcia Fratrum Senatus nomine ductores erant Arnoldus a Bocop, & Gerardus ab Endouwen, quibus locus conſtitutus erat ad portam Fratrum, quæ ipſis, ut & turris quæ à Leonibus nuncupatur, cuſtodienda commiſſa erat. In diœceſi Aquana duces nomine Senatus erant Nicolaus Cruſius, & Conradus a Vechta. quibus locus demandatus erat ante portam Haganam, cuſtodienda autem habebant, Iſalam fluuium, turrim portæ Haganæ, turrim Morieni, & turrim a Sepimento vitulorum denominatam. præter hos porro ſingulis turribus non-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

nulli è præcipuis civibus impoſiti erant. qui omnes primo die primaque nocte partes ſuas præclare ſuſtinuerunt.

Bergenſis in aggere cis Venæ-portam munimentum extruere ſatagebat, ſed tormentorum, ab illa & aliis portis diſploſione inde abactus eſt, tormento etiam maximo quod ibi erexerat inutili reddito, poſtquam illud ſemel diſploſiſſent, cujus globus tectum templi S. Nicolao ſacri penetrabat. quo nobiles nonnullæ moniales ludendo ac cachinnando ſe oblectabant.

Senatus Arnoldo a Bocop injunxerat, ut plateas ac mœnia, per omnes parœcias obequitaret, ut conſtaret, quo pacto res in urbe ſe haberent. is omnia recte & ex ordine geri retulit.

Sub veſperam in crepuſculo triremes aliquot ex Hollandiâ Campos appropinquarunt, quæ circa locum Hagam nomine conſtitere, ſed a turri Iſalana tormentis inde abactæ uſque ad hortum Ioannis Brantii retroceſſere.

Nocte quæ x Aug. ſequuta eſt, vacuas aliquot corbes (quibus terra repletis pro ſubitanea lorica uti ſolent) campo templi S. Catharinæ imponere conati ſunt, ſed tormentorum fulmine præpediti eas replere nequiverunt, cumque in domo quadam circa illum locum clam ſua præparare dicerentur, quidam claro die, fune a mœnibus urbis demiſſus, domum illam accendit, & eodem fune denuo in urbem attractus eſt.

Ad hæc Bocopius Senatus juſſu, omnibus parœciis de cereviſia, pane, caſeo proſpexit, idque ne tenuiores ſeditionem occœptarent.

Quum autem nunciaretur, hoſtem paſſim pecora abigere, & prædas agere, eaque de cauſa cives urbe egredi arderent, ut boves ſuos, vaccas, equos, & alii quoque naves ſuas in tutum adducerent, & confuſe multa gererentur, Bocopius cives in parœciam quæ Fratrum dicitur, juxta armamentarium convocavit, & oratione tempori accommodata, ſingulos cohortatus eſt, juramenti ſui memores eſſent, ac conſiderarent, civitatem Campenſem nunquam Dominum ſuum deſeruiſſe, & quantum ad hoc, virginem adhuc eſſe, quam ſi nunc deſererent, fore ut poſteri oſſa ipſorum in tumulis jacentia diris devoverent. in magnas quippe calamitates ac ſervitutem intolerandam, ſi id fieret, civitatem collapſuram eſſe. petere ſe ergo, quid pro ea præſtare in animo haberent, aperte profiterentur. Reſponderunt omnes, ſe urbem pro virili, commodo ſuæ Majeſt. conſervaturos eſſe, prout promiſiſſent, & jurejurando in ſe recepiſſent.

Bergenſis tormenta a Venæ-porta ad Hagæ regionem devehi fecit, & in horto Bocopii ſuburbano munimentum extrui fecit. quo Bocopius animadverſo, uni ſuarum ædium inibi extructarum ignem injici curavit, unde tormenta nuda in conſpectum urbis venere. ſed igni extincto, ſub veſperam tormenta cœperunt diſplodere.

Nocte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Nocte intempeſta cives quidam funibus à mœnibus demiſſi, ad Bergenſem transfugerunt, eique ſtatum urbis expoſuerunt.

Hiſce peractis, labaſcere cœperunt cives. unde factum, ut inter x. & xi Aug. quum Bocopius ad turrim Iſalanam, è regione Hagæ (quam vocant) nonnullis è præcipuæ notæ civibus, ad turris oſtium obvius fieret, eoſque interrogaret, quo pacto ſe res in turri haberent, reſponderint, recte omnia, neque opus eſſe ut eo aſcenderet. qui nihilominus ex equo deſiliens turrim aſcendit, in qua neminem offendit præter Ioannem Uterwijck, & Io. Kuyndertorf, qui magnum laborem inſumebant, tormentis diſplodendis, aliiſque modis quibus hoſtem ab Hagæ-porta cui imminebat, averterent. Bocopium conſpicatus Uterwicius, Domine Conſul, inquit, factum bene quod præſto es, omnino enim vobis deliberandum eſt quid factu opus ſit, ut enim urbem civium ope ſervemus, penitus videmus fieri non poſſe, quicquid enim ad defenſionem opus eſt, pulvis tormentarius, funiculi, reliquaque nobis furto ſubducuntur. ſoli duo hic adſumus, cura ut fideles aliquot cives nobis adjungantur, ad tempus enim ſtationem hanc etiamnum tueri nos poſſe non deſperamus.

Bocopius confeſtim de turri deſcendit, & ad portam Cellariorum equo contendit, ubi inventis ducibus Arnoldo Brantio & Simoni Glauwe rem ut erat mœſtus ſignificavit. hi Ioannem a Bocop ibi forte præſentem alioſque nonnullos cives ei adjunxerunt, quibuſcum inde ad parœciam Fratrum delatus, illinc fratrem ſuum Egbertum Bocopium, Ioannem a Vechta, filiumque ſuum Ditericum a Bocop, alioſque ad turrim Iſalanam deduxit, ac Utervicio & Cundertorfio adjutores dedit, qui eam ob rem ſupra quam dici poteſt lætabantur.

Hinc ad Hagæ portam equitavit, exploraturus an ibidem excubiæ recte haberentur. Hic reſcivit pontones aliquot ripæ quæ illi portæ prætenditur ſe applicuiſſe, quibus repellendis è turri Iſalana multi ſclopetorum ictus dirigebantur, qui cum altius quam opus erat ferrentur, omnes fruſtranei fuerunt, ac tandem unus è civibus transfugis ipſi portæ ignem injecit. cui reſtinguendo, & incendiariis lapidum jactu impediendis multum operæ fuit impenſum. tandem portam aggeſtâ terrâ cives oppleverunt, quorum etiam diligentia circa diluculum ignis extinctus fuit.

xi Auguſt. Senatus ſummo mane congregatus fuit, quo tempore gliſcebant inter cives murmura ac diſſidia, aliis alios vel animo non malo, vel quod cum Bergenſi facerent, vario terrore percellentibus. ex iis Nicolaus quidam Balduini, ab aliis perſuaſus, vir de cætero bonus, curiam intrat, & Senatum affatus; Hicne, inquit, deſidetis, & ſermones cæditis? omnes in vitæ periculo ſumus. hoſtis enim tantam in muro ruinam edidit, ut vel mulieri ad nendum in eâ ſufficiat. quo audito Senatus pars major aſſurrexit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

& ad Hagæ-portam properavit, ut quid rei eſſet oculis luſtraret, ſed in via ſibi obvium habentes Conradum a Vechta, qui rei vanitatem eis ſignificabat, in curiam regreſſi ſunt. ubi multis ultro citroque diſceptatis, denuo collectis omnium ſuffragiis decretum fuit, urbem Regiæ Majeſt. bono cuſtodiendam, neque in eam Bergenſem admittendum.

Dum in hiſce ſunt, reſciſcunt, Matthiam quendam cognomine Loywagen, quibuſdam è præfectis opificum in partem juvantibus, cum hoſte agere. unde ſtatutum, ut uterque Conſul, videlicet Bartholdus a Wilſum, & Henricus Kiſtemaker, una cum Arnoldo a Bocop, & Conrado Vechtano, quid rei gereretur explorarent.

Hi ad cœmeterium Mariæ Virginis progreſſi, ibi civium turbam inveniunt, ac quid ageretur percontati, reſponſum ferunt, Comitem Bergenſem literas miſiſſe, quas in porta Hagana recepiſſent. interrogantibus porro Coſs. qua auctoritate id fuiſſent auſi? reſponderunt, non ad Magiſtratum ſed ad ſeſe literarum illarum inſcriptionem dirigi. Tandem petierunt Senatus delegati, ut literæ ſibi traderentur, Magiſtratui exhibendæ, id quod Matthias Loywagen, Præfectus collegii nautarum, (quod à S. Anna nomen habet) permittere renuit. verum pollicentibus delegatis eas ipſis reſtituendas, obtinuerunt ut in Senatum perferrentur. ita autem ſcriptæ erant:

,, Articuli, ſub quibus generoſus D.D. Wilhelmus Comes Bergæ, Burch- ,,gravius in Buxmeer & Bylant, Dominus in Hedel, Homoet, Haps, Wiſch, ,,& Spulberch, Baro Ducatus Gelriæ, Regiæ Majeſt. Vicarius & Præfectus ,,Generalis in Ducatu Gelriæ & Tranſiſalaniâ, civitatem Campenſem in- ,,gratiam recipere finaliter decrevit:

,, Primo, civitas Campenſis ſe Regiæ Majeſtati, & Ill. ac Celſiſs. Prin- ,,cipi D.D. Guilielmo Arauſionenſium Principi, tanquam Regiæ Majeſt. le- ,,gato generali, nec non dicto Comiti, tanquam & ipſi Regiæ Majeſt. legato, ,,ac Præfecto hujus regionis, hoc ipſo die intra duarum horarum ſpatium ,,poſt acceptos hos articulos, tradito, ac certo tempore ei conſtituendo, ,,portas ſuas Comiti ejuſque Officiariis ad libere introeundum aperito.

,, Secundo, licet S. Clem. abunde ſit anſa data, rigidius cum civitate agen- ,,di, eo quod præter omnem ſuam ſpem Reg. Majeſt. Celſiſs. Principi ac ſibi ,,armata manu ſe oppoſuerit, quum tamen S. Clem. ad inſtar amici nihil aliud ,,quærens, quam eandem civitatem, maximo ejus bono, ex Albana ſervitute ,,ac tyrannide liberare, eique avitas ſuas immunitates, privilegia, jura urbana ,,ac municipalia reſtituere, eandem ad Regiæ Majeſt. & Celſiſs. Principis ob- ,,ſequium benigne tam voce quam ſcripto ut ſe redderet fecerit ſollicitari, ,,quod ſi feciſſet (ut æquum erat facere omnes patriæ amantes) nullo eam ,,præſidio gravare apud ſe conſtituerat:

,, Nihilominus, quo civitas eadem hanc congenitam S. Clem. benigni-

,,tatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„tatem ipſo facto deprehendat, decrevit S. Clem. eidem tam exiguum mi-„litum numerum imponere, quam habita neceſſitatis ratione ullo modo ſe „poſſe judicabit, tamque ſeverâ inter eos uti diſciplina, ut incolis, ac præ-„ſertim civibus de oneribus inutilibus conquerendi nulla occaſio præbea-„tur. idque tantiſper, donec S. Clem. experiatur, civitatem præcedentem „contumaciam, omni obedientia ac fide erga Regiam Majeſt. Celſiſs. Prin-„cipem, ac S. Clem. correxiſſe ac compenſaſſe.

Prælectis hiſce in Senatu Articulis, cum viderent Coſſ. Scabini & Conſiliarii gliſcere civium coitiones, conſultum judicarunt, ut centuriones eoſdem ſinguli ſuarum parœciarum civibus prælegerent, adjecta hortatione, ne illis aut ſimilibus literis fidem adhiberent, ſed conjunctis operis civitatem Campenſem conſervarent, ad uſum Regiæ Majeſt. prout promiſiſſent ac juraſſent. atque ita quæ civium ſententia eſſet explorarent.

Poſtquam centuriones id quod a Senatu in mandatis habebant perfeciſſent, labaſcere cœperunt cives ac animo defici. major tamen numerus reſpondit, ſibi conſtitutum eſſe cum Senatu vivere ac mori. id quod centuriones ad eundem retulere.

Conſidentibus ac colloquentibus Coſs. reliquoque Senatu, ſupervenit quidam a turri Iſalana, nuncians, loco quem Hagam appellant, quendam eos qui in ea turri ſtationem habebant clamore evocaſſe, dixiſſeque, cupere ſe Henricum Dye Wolphium & Conradum a Vechta convenire. viſum ergo Senatui, ut illi conſcenſa turri, quid ſibi is vellet reſciſcerent. quo facto, petiit ab iis nomine Comitis Bergenſis, ut exirent, libero commeatu accepto, cupere enim Comitem cum ipſis agere. cujus rei quum Senatui indicium feciſſent, placuit eos emitti, ac quid ſibi vellet audire. qui Secretario Mag. Nicolao ab Urck, & duobus apparitoribus comitati porta quæ a Maria Virgine nomen ſortita eſt egreſſi ſunt, ac ad Comitem perducti, qui eos Articulis quos in urbem miſerat ſubſcribere juſſit. cumque reſponderent ſe nihil tale in mandatis habere, acerbe eos increpuit, ac abduci juſſit, & denuo cum civibus agere perrexit.

Poſt hæc Senatum acceſſit Mag. Florentius Eckenholt, civitatis Architectus, nuncians, hoſtem ſub laqueari portæ Haganæ duo pulveris tormentarii dolia poſuiſſe quibus eam disjiceret. prudenter ergo ſibi agendum cogitarent, quum urbs amiſſa eſſet. eum inſecutus Ioánnes a Bocop, ut conſilia accelerarent monuit, cives enim curiæ fores obſidere, & Comitem admittere decreviſſe, quod ſi fieret, de vita ipſorum actum eſſe.

Egreſſi Senatores, ut civium voluntatem cognoſcerent, civium multitudinem offenderunt armatam, petentium aperiri portas, quod niſi fieret, ſeſe id facturos minitantium. Quibus denuo propoſitum fuit, præſtiti à ſe ac ſibi congeniti juramenti memores eſſent, urbem citra omne diſcrimen con-

conſervari poſſe, nunquam adhuc captam, ſed ſemper Principi ſuo fidam permanſiſſe, atque ita hactenus virginem, quam hoc pacto deſeri ac tradi coram Deo ac Rege excuſabile nunquam fore. Nec eſſe quod ambigerent Regem quod ſuum eſt repetiturum, atque ita perpetuam nos ſervitutem ac calamitatem manere, quam ipſi nepotes noſtri defleturi eſſent, ac oſſa noſtra in ſepulcris jacentia diris proſequuturi, &c.

Ad quæ à quodam, qui ſe hactenus ſimulato morbo domi continuerat, jamque armatus aſtabat, reſponſum eſt: Bocopi, ſera ſunt tua monita. aperi, aut nos aperiemus.

Adjecit quidam ſignifer, vexillum manu tenens: pugnare nolumus, aperi, ut urbe egrediamur. & quicunque ejuſdem ſunt ſententiæ me ſequantur. quo dicto multi etiam de ſpectatiſſimis civibus, quos aliter animatos eſſe hactenus opinio fuerat, eum ſequuti ſunt. quibus rebus animadverſis, Senatus, convocatâ majori ac minori communitate, decrevit obſidentibus audientiam concedendam. Eo fine aſcenderunt portam Haganam, ubi offenderunt Doctorem Wierum, Comitis Bergenſis Cancellarium, & Henricum Michaëlis, quibus deinde acceſſit Henricus a Broechuſen, qui aſſerebant Comitis mentem eſſe urbem in gratiam recipere nomine Regiæ Majeſt. ſalvis omnis ejus privilegiis, juribus civilibus ac municipalibus, nec non avitis conſuetudinibus, in ea religionem veterem Catholico-Romanam, & eam quæ Confeſſioni Auguſtanæ inhæret exercendas. Ad quæ dimidium diem ad deliberandum petiit Magiſtratus, quod repudiatum fuit, bihorio tantum eum in uſum conceſſo.

Denuo ergo convocata utraque communitate, & diu multumque negotio diſceptato, cum viderent à maxima civium parte ſe deſertos, in admiſſionem Comitis pedibus itum eſt, rogatuſque Arnoldus a Bocop ut audiente Senatu, utraque communitate, & circumſtantibus civibus de re tota cum eis qui foris erant tranſigeret: id ille facturum ſe negavit, Conſulis pro tempore id officium eſſe cauſatus. ſed omnibus urgentibus, id oneris in ſe recepit, promiſſa proteſtatione in hæc verba: Deum Omnipotentem, & univerſum exercitum cœleſtem teſtem appello, me animo meo in deditionem hujus urbis non conſentire, quod autem facio, coactus facio, quia id avertere non poſſum. ad quæ Senatus & Tribb. pleb. reſponderunt, idem ſe de ſe ipſis profiteri.

Quibus dictis Senatus, Tribb. pleb. civeſque complures ſimul portam Haganam aſcenderunt, ubi Arnoldus a Bocop feneſtræ innixus, medius inter utrumque Conſulem, omnibus auſcultantibus cum Doct. Wiero Comitis Cancellario, Henrico a Broechuſen, Henrico Michaëlis, & centurionibus quibuſdam multos ſermones commutavit, ſuper perſonis eccleſiaſticis, exercitio religionis Catholicæ, templorum ornamentis, aliiſque id genus.

genus. Donec tandem certis conditionibus urbs dedita eſt, quæ ſcripto, in hæc verba comprehenſæ fuerunt:

„ Quandoquidem nobilis & generoſus Dom. Dominus Wilhelmus Co„mes Bergæ &c. Regiæ Majeſt. nomine Vicarius & Præfectus Generalis „Ducatus Gelriæ, Comitatus Zutphaniæ, & Tranſiſalaniæ, nomine dictæ „Regiæ Majeſt. & Illuſtr. Celſiſs. Principis ac Domini, Domini Wilhelmi „Principis Arauſionenſium, Comitis Naſſoviæ &c. Præfecti & Capitanei „Generalis per Hollandiam, Zeelandiam, Weſt-Friſiam & Ultrajectum &c. „nec non ſuo quoque peculiari nomine civitatem Campenſem, tum voce, „tum ſcripto, à Senatu & communitatibus ejuſdem ſibi dedi petiit, eoque „negato, eam militibus ſuis undique terra ac mari obſideri ac oppugnari „fecit, tandem S. Clem. dictam civitatem, poſt aliquot dierum obſidio„nem XI Aug. die, præſentis Anni CIↃIↃLXXII gratioſe recepit, ſub „Articulis ac conditionibus infra ſcriptis:

„ Primo: Senatus cum communitatibus ſuis & civibus ac incolis uni„verſis tam intra urbem quam qua patet ejus juriſdictio commorantibus, re„manebunt in obſequio, ſubjectione ac obedientia Regiæ Majeſt. Hiſpani„cæ &c. Clementiſs. ſui Domini, & inhærebunt juramento eidem Regiæ „Majeſt. & civitati Campenſi ab ſe præſtito, nec non gratioſe conſerva„buntur ac protegentur in antiquitus ad ſe devoluto ejuſdem civitatis re„gimine.

„ Adhæc, dictus Senatus cum communitatibus ſuis & civibus univerſis, „conſervabuntur ac perſeverabunt in omnibus ſuis juribus, immunitati„bus, privilegiis, poſſeſſionibus ac conſuetudinibus, quibus hactenus utun„tur ac gaudent, juxta Tractatum inter celſæ memoriæ Imperatorem „Rom. Carolum V. primum ſuum Clementiſs. Dominum hæreditarium „& Tranſiſalaniæ Ordines initum Anno CIↃIↃXXVII. qui quidem Tra„ctatus in omnibus ſuis punctis obſervabitur, & ſiquid adverſus eum actum „ſit, abrogabitur.

„ Præterea, Senatus cum communitatibus ſuis, civibus ac incolis ſupra„dictis, omnibus ac ſingulis, indemnes & illæſi præſtabuntur, in corpori„bus ſuis, ac omnibus facultatibus, tam in generali quam particulari. Quod „ſiqui ex ipſis (ob culpas vel durante obſidione vel ante admiſſas) in Prin„cipis aut etiam S. Clem. indignationem inciderint, aut apud eos delati „fuerint, ii ea indignatione exemti, & culpæ eorum pro penitus obliteratis „deinceps habebuntur.

„ Omnes porro ſacerdotes, omnia monaſteria, ac denique quælibet perſo„næ ſeculares aut ſpirituales in facultatibus ſuis ac regimine perſeverabunt „inviolatæ, tam ratione religionis ejuſque exercitii, quam aliter. prout & ci„vitatis ludi literarii regimen ſuum permittentur continuare.

„ Sena-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, Senatus ac Tribb. pleb. non tenebuntur, neque adigentur arma, tela, ,,machinas bellicas, aliave quorum proprietas ad civitatem pertinet, incon- ,,ſulti aut inviti avehenda tradere. prout etiam nec illi nec cives ullis ex- ,,actionibus gravabuntur.

,, Tertio, ea ratione S. Clem. civitatem juramento ſuo inhærere vult, ,,ut & Regiæ Majeſt. & Celſiſſ. Principi, & nobis ut ejuſdem Vicario & Præ- ,,fecto fidelitatis ac obedientiæ ſacramentum præſtet.

,, Viciſſim, & quarto, vult civitatem cum incolis ſuis, uxores eorum ac ,,liberos, façultates & poſſeſſiones, libertates, privilegia, jura municipalia ,,& urbana omnia ac ſingula, non ſolum tranquilla & inturbata præſtare, ,,verum etiam (modo ſe, ut eſt in calce Articuli ſecundi, fideles, obedientes ,,ac ad auxilia promtos exhibuerint) gratioſe operam dare, ut dicta eorum ,,privilegia amplificentur, maxime ut cives univerſi præ aliis immunes ſint, ,,in commerciis ſuis mari ac terra exercendis, quo felicius ac lucroſius rem ,,facere poſſint.

,, Quinto, S. Clem. pro animo ſuo Chriſtiano, pollicetur, neminem ,,ſe in conſcientia ipſius coacturum aut moleſtia affecturum: ſed quemad- ,,modum perpetuo operam dedit, ut iniqua ſervitus ac tyrannis in corpora ,,incolarum in hiſce regionibus commorantium aboleretur, ita & con- ,,ſcientias ab inquiſitione Hiſpanica ſe erepturum. ac proinde tam Roma- ,,næ religioni quam Confeſſioni Auguſtanæ addictos libertati fidei ſuæ omni ,,ex parte relicturum, &c.

Hiſce utrinque approbatis, ac ſtipulata manu firmatis, terra qua porta Hagana obſtructa fuerat juſſu Senatus fuit ejecta. Comes vero, elapſo quod præfixerat bihorio, in urbem fuit admiſſus, utrunque delegatum Campenſem, Henricum Dye Wolphium, & Conradum a Vechta ſecum ducens, hoſpitium autem cepit in ædibus Henrici ab Enſſe. è Senatu porro nemo ea veſpera eum ſalutaturus acceſſit, quidam tantummodo è civibus eum adierunt, & vino donarunt. qui in cœna multis facetiis eum exhilararunt, narrantes inter alia, Bocopium dixiſſe, civitatem Campenſem virginem hactenus fuiſſe, cujus ille jam virginitatem delibaſſet, idque æquum eſſe, cum prima urbs eſſet quam occupaſſet &c.

Poſtridie, qui erat XII Aug. cum innotuiſſet Comiti Wilhelmum Sanderſonium olim Quæſtorem ſuum in urbe eſſe, duobus tympanis adhibitis promulgari fecit, ut quicunque ipſi hoſpitium præberet, aut alioqui ſciret ubi lateret, eum manifeſtaret, ſub pœna capitis. Inventum paulo poſt in orphanotrophio, eum inde abductum in vincula conjici juſſit, licet vir apprime bonus eſſet, Conſul Elburganus, & in re lauta. fuerat autem, ut dictum, quondam Quæſtor decimarum ejus, quas habebat in agro Oldebroeckano, quas Regia Majeſt. in fiſcum ſuum converterat, ipſe vero eas

ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ab Rege pretio conduxerat. id quod Comitem peſſime, ut videbatur, habebat. Quum autem captivum amarulentis verbis inceſſeret, reſpondit is: Clementiſs. Domine, demiſſe rogo, benevole me audias. Fui Clem. Tuæ obediens, humilis ac fidus miniſter, ac etiamnum offero T. Clem. rationem reddere omnium eorum quorum adminiſtratio mihi commiſſa fuit. quod ſi T. Clem. deprehenderit me ſibi aſſem debere, duos pro eo exolvam. verum hæc fruſtra fuere, neque ullo modo ad cauſæ dictionem potuit admitti. intervenientibus etiam pro eo honoratis matronis, nullo fructu, nam Comes eum citra omnem judicii formam, ante portam piſcariam capite truncari fecit.

XIII Auguſt. milites Daventrienſes pabulatum egreſſi, cum Zwollam uſque proceſſiſſent, magnam inde abegerunt prædam, neque ibi modo, ſed & in Wye, Olſt, imo & in ſuburbanis Daventriæ eadem perpetrarunt. circa Daventriam porro demoliti ſunt omnia horrea, domos, hortos, arbores. cremarunt omnes frumenti metas in loco cui nomen, *den Meyberch*. ita quæ federati intacta reliquerant, ab Hiſpanis vaſtata fuerunt.

XIV Auguſt. die, civitas Zwollana IV. è Senatu ſuo, videlicet Doctorem Splijtlof, Ioannem a Graes, Henricum Knoppert, & Henricum ab Eſſen Campos, & IV. è Tribb. plebis ad Comitem Bergenſem miſit, qui cum eo tractarent, qui in ſequentes conditiones cum eo tranſegerunt:

„ Quandoquidem Illuſtris & celſus Princeps ac Dominus, D. Wilhelmus „Dei gratia Princeps Arauſionenſis &c. Senatum ac communitatem Zwol„lanam per literas monuit, ut nobili ac generoſo Domino D. Wilhelmo „Comiti Bergenſi ſcripto ſignificarent, utrum conducere arbitrentur præ„ſidium militare a dicto Comite in urbem admittere, an vero vim mari ter„raque ipſis inferendam expectare, idcirco Senatus & communitas ejuſdem „civitatis, publico bono conſervando tuendoque, delegarunt honoratos „viros Henricum Splijtlof J. U. D. Ioannem a Graes, Henricum Knop„pert J. U. L. & Henricum ab Eſſen, Senatus nomine; Hildebrandum „ter Cuylen, Cornelium a Velthuyſen, Wilhelmum Colonium, Henri„cum Campherbeeck, nomine Tribb. pleb. ac univerſorum civium Zwol„lanorum, ut proficiſcantur ad generoſum Comitem Bergenſem, & cum „Clem. ſua, ſub certis punctis ac articulis finaliter conveniant: juxta quod „mandatum iidem delegati è veſtigio Campos ſe contulerunt, & cum S. „Clem. tranſegerunt, in ſequentes conditiones.

„ Primo, ut Senatus, Tribb. pleb. ac cives univerſi urbis Zwollanæ, per„maneant in obſequio, ſubjectione, & obedientia Regis Hiſpaniarum &c. „Clementiſs. ſui Domini, atque inhæreant juramento ab ſeſe Regiæ Majeſt. „& civitati Zwollanæ præſtito, nec non, in veteri ac ſolito ſuæ urbis regi„mine perſeverent.

,, Item, ut omnes ſacerdotes, monaſteria, ac porro perſonæ quælibet ,, ſeculares ac ſpirituales, eorumque facultates ac regimina, tam ratione ,, religionis ſuæ ejuſque exercitii, quam in reliquis quibuſcunque ab omni ,, injuria & coactione liberi permaneant: ita ut nemo ex eis qui Magiſtra- ,, tum gerunt, nec quiſquam alius, corporis aut bonorum detrimentum pa- ,, tiatur, etiam ludus literarius ſuo permittatur regimini, & undique diſci- ,, pulos admittendi libertatem habeat.

,, Item, ut Senatus, Tribb. pleb. ac cives univerſi ſua retineant privi- ,, legia, conſuetudines, immunitates, ac jura, prout iis hactenus fuerunt uſi, ,, idque juxta Tractatum Anno cIↃ IↃ XXVII. cum Celſ. mem. Cæſare ,, Carolo V. Clementiſs. ſuo Domino hæreditario initum, & quicquid ei ,, adverſum forte actum fuerit, ut abrogetur operam impendant.

,, Quod ſi qui è Senatu, uſque ad ſeptenarium numerum, apud Illuſtriſs. ,, Principem forte delati fuerint, ut ii præ reliquis extra periculum ſint, ,, corporum aut facultatum ſuarum diſcrimen adeundi, magis quam è Senatu ,, reliqui.

,, Item, ne Senatus, Tribb. pleb. teneantur coganturve, arma, tela, tor- ,, menta bellica, aliave ad civitatis proprietatem pertinentia, ſuo injuſſu ,, evehi permittere, neve ullis exactionibus graventur.

,, Item S. Clem. promiſit, civitatem Zwollanam nullo præſidio grava- ,, tum iri. quod ſi ſuæ Clem. conſultum videretur militarem aliquam ma- ,, num ei imponere, eam exiguo numero fore, neque exceſſuram vexillum ,, unum peditum Germanorum, CCC capitum. niſi Senatus ac Tribb. pleb. ,, plures ipſi deſiderarent. qui quidem milites a Celſiſs. Principe Arauſio- ,, nenſium ſtipendia accipient, juxta Ordinem in quem ſuper ea re Senatus ac ,, Tribb. pleb. cum S. Clem. conventuri ſunt. Idemque præſidium, petenti- ,, bus id Senatu ac Tribb. pleb. dimittendum, ac ut è civitate Zwollana diſce- ,, dat concedendum eſſe.

,, Quod ſi Senatum ratione hujus Tractatus, quocunq; modo militari manu ,, aliterve invadi, damno affici, aut gravari contingat, in eo caſu S. Clem. ,, nomine Celſiſs. Arauſionenſium Principis promiſit, ſe corpore ſuo, ſan- ,, guine, ac facultatibus cives ac incolas urbis Zwollanæ protecturum, ac ,, defenſurum, ejuſque promiſſi, Celſiſs. Principis ratihabitionem ac con- ,, firmationem, ſub ejuſdem manu ac ſigillo procuraturum tranſmiſſu- ,, rumque.

,, Item, Celſiſs. Arauſionenſium Principem, & S. Clem. eundem in ,, modum defenſuros ac protecturos omnes qui appellationis jure civitati ,, Zwollanæ ſubſunt, ac in hunc Tractatum conſenſuri ſunt.

,, Item, omnes qui antehac, aut etiam poſthac ab ipſis militibus dam- ,, num paſſi fuerint, in integrum, quoad ejus fieri poterit, reſtituendos, ,, modo

„modo erepta ſibi bona commonſtrare poſſint, nec non, promiſſa eorum „cauſa facta, irrita eſſe cenſenda.

„In fidem autem, fore ut omnia puncta, omneſque Articuli ſupra me„morati firmiter ac inviolatè obſerventur, Nobilis ac Generoſus D. Wil„helmus Bergenſis Comes, Celſiſſimi Principis Arauſionenſis, ſuoque pe„culiari nomine, conſuetum manus ſuæ ſignaculum hiſce appoſuit. ad qua„rum etiam certitudinem reciprocam Helmichius Splijtlof, Ioannes a Graes, „Henricus Knoppert, Henr. ab Eſſen, Hildebrandus ter Cuylen, Corne„lius a Velthuyſen, Wilhelmus a Ceulen, & Henricus a Campherbeke, „tanquam delegati ut ſupra, conſueta manuum ſuarum ſignacula eis ſub„junxerunt. Actum XIV Aug. Anno CIƆIƆLXXII.

Deinde Haſſeltæ quoque ac Stenovicæ delegati Campos venerunt, ac cum Bergenſi tranſegerunt, eumque receperunt.

Comes Bergenſis nonnullos è ſuis Officiariis ad arcem Gennemudanam miſit, cui inerat Satrapa Onia nomine, hi euſque cum dicto Satrapa egerunt, ut arcem occuparint, & Satrapam captivum Campos deduxerint, militibus autem qui arcem ſervarant, in verba comitis ut jurarent auctores fuerunt, quod ab omnibus factum, exceptis duobus Gallo-Belgis, quos Comes Campos adduci juſſit, ibique extra portam piſcariam de patibulo ſuſpendi fecit. Henricum autem a Broeckhuyſen Satrapam Gennemudæ creavit.

In urbe Campenſi nonnulli domicilium ſibi delegerant, qui civium albo non erant inſcripti, hi à Comite ſupplices petierunt, ut templum ſibi concederet, in quo reformata religio exerceri poſſet, utque ſibi ab idolis id & altaribus expurgare liceret, id quod ipſis permiſit. Illi vero cum templum principale, quod à S. Nicolao appellationem habet ſibi vindicare anniterentur, ſcripſit ſuper hac re ad Comitem Senatus in hæc verba:

„Nobilis, Generoſe Domine, Clem. T. obſequia noſtra, & quæcunque „in noſtra poteſtate ſunt aſſiduo ſunt paratiſſima. Clem. Dom. clem. tuam „obedienter celare non poſſumus, quandoquidem reſcivimus, peregrinos „nonnullos, qui ad tempus nobiſcum commorati fuerunt, nec tamen civi„tatis jure gaudent, T. Clem. ſupplices rogaſſe, ut templum aliquod ſibi „permitteretur, imaginibus id & altaribus evacuaretur, in quam eorum pe„titionem T. Clem. conſenſerit, cujus conſenſus vigore iidem templum „S. Nicolai ſuos in uſus aptare ſatagunt, obſecramus quam poſſumus de„miſſe, ut Cl. T. placeat permittere in dicta æde S. Nicolai veteres ac con„ſuetas ceremonias (prout hactenus factum) deinceps obſervari, & dictam „conceſſionem uſque ad Cl. T. in hanc urbem reditum differri. Sin ſecus „T. Clem. videatur, & omnino eis templum aliquod cedendum eſt, ut „templum Fratrum minorum, in media urbe ſitum, & amplum ſatis, ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„eam rem eis à Cl. T. aſſignetur. rogamus autem ad haſce, reſponſum Cl. „T. ſcripto comprehenſum. XVIII Aug. cIɔ Iɔ LXXII.

Ad haſce Comes Bergenſis reſcripſit ut ſequitur:

„Nobiles, honorati, ſingulariter dilecti: literas veſtras heſterno die da„tas recte accepimus, legimus, intelleximuſque, quibus ſignificatis, refor„matæ addictos religioni iſtic templum occupaturos, & ædem S. Nicolai „eorum uſibus commodiſſimam ipſis videri. monemus autem ne hac in parte „ſitis difficiles, ſed negocium illud, utpote ſpectans honorem Dei, quem „rebus omnibus cariorem haberi æquum erat, pro virili promoveatis. quo „omnia decentius ad Dei gloriam, ædificationem veræ Chriſtianæ religio„nis, & publicam felicitatem dirigantur. maxime quum reliquum clerum „præbendis ſuis ac vicariatibus tranquille frui permittamus. Atque hæc eſt „gratioſa noſtra ac finalis ſententia. ſumuſque erga vos benevole affecti. „Datum Hattemi, in arce Anno cIɔIɔLXXII.

Senatus Campenſis, veritus ne ſupplices ope militum ædem Nicolai ante acceptum reſponſum invaderent, Arnoldum a Bocop, Carolum Knopper, & utrumque ejus templi ædilem, Henricum a Vechta, & Ioann. a Bocop Hattemum ad comitem miſit, cum eo viva voce, de iis quæ ad ipſum perſcripſerant plenius acturos. qui ut Heerdam pervenerunt, milites aliquot Comitis ibi offenderunt, dicebantur etiam equites Ducis Albani eo venturi, quo intellecto ſub veſperam Campos reverſi ſunt.

Accepto interim reſponſo Comitis Senatus acquieſcere non potuit, quapropter eoſdem delegatos denuo Hattemum ad eum miſit, deprecatum, ut quoad ejus fieri poſſet, præſervaretur S. Nicolai ædes inviolata.

Delegati Hattemi in arce Comitem convenere, eique quæ in mandatis habebant indicarunt, ac demiſſe petierunt, concederet veterem Romanam religionem in æde S. Nicolai exerceri. reſpondit Comes, quod optimum eſſet Deo attribui æquum eſſe, & decuiſſe Senatum, ejuſmodi permiſſionem ab ſeſe petere, prout cives fecerant. ad quæ repoſuerunt delegati, ſupplices illos cives non eſſe, ſed ad tempus aliquod ibi fuiſſe commoratos. adjicientes magnam jacturam quæ in eo templo metuenda eſſet, lapideis imaginibus, operibus ligneis, ciborio, quod vocant, æneo, aliiſque injuriæ expoſitis, ſed reſponſum dedit Comes, Deo ſe acceptam ferre civitatem, ac in ſignum gratitudinis, ad ejus cultum templum maximum inſtaurari velle &c. rogarunt ergo delegati, ut ipſe Campos ſe conferre vellet, quod ſe facturum recepit.

Poſt illa, Senatus Campenſis Henricum Dye Wolphium, & Arnoldum a Bocop Zwollam XXII Auguſt. die ablegavit, Comitem rogaturos, ut civitatem uno peditum vexillo inde abducto ſublevaret. hi ut Zwollam pervenerunt conjunxerunt ſibi Wolphgangum ab Itterſum, Ioann. ab Haeſt,

Doct.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Doct. Splijtlof, & Ioann. Lueſſe, & propoſita Comiti civium inopia, imminui uno peditum vexillo præſidium petierunt. quo audito, iritatus Comes, præſtare ait, præſidium Campenſe augeri, prorſus enim hoſtilem in morem Campenſes ſecum egiſſe, unde durius cum eis agere potuiſſet. honeſtam ſcilicet rationem eſſe, cum Dux Holſtenius in procinctu eſt ad eos invadendos, milite ut exonerentur flagitare. ipſos cives præ ſe tuliſſe, ſi hac una vexillatione liberarentur, alteram ſe facile opprimere poſſe. Ad quæ obſequenter petierunt delegati, ut qui tale quid dixiſſent ſuis nominibus deſignarentur. adjicientes, complures è civibus liberi diſceſſus literas petiiſſe, quod præ inopia in urbe diutius hærere non poſſent. reſpondit Comes, ſe ſanguinis ſitientem non eſſe, quæ ſibi contigiſſent Deo committere, verum comminiſci ſe non poſſe, qua ratione tantam præ ſe ferant egeſtatem, cum Zutphanienſes multo diutius militem penes ſe habuiſſent, etiam ad XIV vel XV ſigna ſimul. Verum cum Zwollani nonnulla fuiſſent interfati, ſedata nonnihil iracundia reſpondit, ſimulac equites Holſteniani tranſiiſſent, fieri poſſe ut nonnihil ſublevarentur.

Circa hæc Comitis commentarienſis civem quendam Campenſem comprehendi ac in vincula Duci juſſit, quanquam nemini illic, præter eum qui pro tempore conſulatum gerit, jus apprehenſionis conveniat.

XXI Aug. Daventriam acceſſit Iacobus Hueſſum cum tribus ſignis peditum Germanorum, & locum copiis ſuis elegit ſub mola quæ eſt ante portam Noribergenſem. milites ejus numero plus minus ſexcenti erant.

XXV. Augſt. Daventriam acceſſit Otho Comes a Schouwenburch cum IV ſignis ruſticorum, & locum ſibi deſumſit in planicie cui nomen *de Veneſlagen*. aderant ei prætérea duo ſigna ſclopetariorum.

XXVI Aug. acceſſerunt III ſigna Gallo-Belgarum, qui conſederunt poſt fabrorum ferrariorum domicilia, loco in quo horti fuerant ab Hiſpanis disjecti.

XXVIII & XXIX Aug. caſtra movit Dux Holſtenius, ac cum exercitu univerſo Iſalam tranſiit. videlicet cum VI ruſticorum turmis, IV vexillis ſclopetariorum, II Friſiorum, & II inſuper quæ parebant Conrado Dove, & Ioanni Snater. tria autem Gallo-Belgarum ſigna in Friſiam profecta ſunt.

Eodem die Daventriam intravit Satrapa Hardervicenus cum vexillo ſuo CCCL. plus minus capitum.

V. Sept. cives juſſi ſunt omnes arma ſua ad libram publicam comportare, ſive ii federatorum, ſive Cardinalitiorum (ut tunc vocabantur) partibus favere viderentur.

VI Sept. Hiſpani ex urbe profecti, in pago Raelte V. domos exuſſerunt & captivos aliquot ſecum abduxerunt, inter quos erat nobilis quidam Itterſum nomine, ædibuſque ſpoliatis, magnam prædam urbi importarunt. cauſa erat, quia cum federatis tranſegiſſent, quibus CCL thaleros numerarant,

rarant, quorum vice Hiſpanis c c c c. repræſentare fuerunt adacti, ſi pecora ſua redemta vellent.

x v Sept. Hiſpani cum Germanis nonnullis, pagum *Voorſt*, & inde porro agrum Zutphanienſem petierunt, dumque prædam abigunt, Zutphanienſes egreſſi eos retro Daventriam pedem coëgerunt referre. I V. hic Hiſpani ſclopetis vulnerati, nulli tamen mortui, è Germanis nunnulli occubuere, quorum duo ad urbem delati, reliqui in campo relicti. Ipſi viciſſim unum ad Iſalæ ripam nacti, quem federatis militare cauſabantur, una cum cive quodam Zutphanienſi, opifice pileario, tertio poſt die, in municipio Colmeſchate, de quercu ſuſpenderunt. qui poſtridie ab hominibus ignotis (Zutphanienſibus, ut ferebatur) ſolutis laqueis inde ablati fuerunt.

x v I I Sept. die, Campenſi Senatui innotuit Comitem Bergenſem in mandatis dediſſe Giſberto a Broeckhuyſen, ut ædem S. Nicolai ac reliqua templa, tam intra urbem, quam ei viciniora, evacuaret, eorumque ornamenta ſibi traderet. inſtructio quam à Comite acceperat, ita habebat:

,, Nos Wilhelmus Comes Bergæ, Boxmeri &c. Regiæ Majeſt. nomine ,, Vicarius generalis ac Præfectus Ducatus Gelriæ, & Comitatus Zutphaniæ, ,, nec non regionis Tranſiſalanæ, notum facimus ac profitemur vigore præ- ,, ſentium, nos in mandatis dediſſe nobili, honorato, nobiſque ſingulariter di- ,, lecto Giſberto a Broechuſen, Satrapæ Comitatus Zutphaniæ, & Hermanno ,, Grevinckhof, ut hi in urbe Campenſi & pagis ad eam pertinentibus, Ec- ,, cleſias reforment, ornamenta aurea & argentea, calices, ciboria, & quic- ,, quid præterea in templis librorum, veſtium miſſalium &c. reperietur col- ,, ligant, nobiſque aut iis qui a nobis ad id delegabuntur tradant. Injungi- ,, mus autem omnibus noſtris militum ductoribus, centurionibus, equiti- ,, bus peditibuſque, ac inprimis Senatui & Tribb. pleb. dictæ civitatis Cam- ,, penſis, ut dictos noſtros Commiſſarios pro talibus agnoſcant, recipiant, ,, eiſque plenam fidem habeant, nullum eis impedimentum objiciant, ſed ,, ope & auxilio præſto ſint, quo ſummam noſtram indignationem ac para- ,, tam pœnam evitent. In fidem hujus noſtri ſtricti mandati ac ſententiæ, hiſce ,, manu noſtra ſubſcripſimus, & ſubtus in ſpatio vacuo ſigillum noſtrum cu- ,, ravimus imprimi. Datæ Campis Kal. Sept. Anno c I ɔ I ɔ L X X I I.

In Senatu Campenſi ſuper hac re multa fuit altercatio, iniquiſſime enim eam ferebant, ut & quod adverſus datam fidem privilegia civitatis infringeret, comprehenſis & in vincula conjectis civibus, quæ res peſſimi exempli eſſet, à qua tamen, licet monitus rogatuſque, abſiſtere noluiſſet. viſum ergo eſt, de re tota cum Zwollanis conſilia conferenda, quem in finem Senatus Arnoldum a Bocop, & Conradum a Vechta, ipſis Kal. Sept. Zwollam ablegavit.

Hiſce digreſſis eodem die Giſbertus a Broeckhuſen apud Senatum urſit, ut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ut ædilibus injungeret, argentum ac reliqua ornamenta (juxta commiſſionem ſuam) ſibi traderet. Senatus ergo Henricum a Vechta & Ioannem a Bocop templi S. Nicolai ædiles juſſerunt facere quód injungebatur. Hi ergo, hoc die & nonnullis ſequentibus, in manus delegatorum Comitis Bergenſis conſignarunt omnia ædis S. Nicolai ornamenta, quorum longum catalogum texit Bocopius, quem deſcribere nullum operæ pretium eſt. idem poſtea factum in templis reliquis.

Eodem die, Comes nonnullos è civium Campenſium numero comprehendi fecit, inter alios M. Nicolaum ab Urck, civitati à ſecretis. qui ab apparitoribus interrogatus, ubinam eſſent Arnoldus a Bocop, & Conradus a Vechta, reſpondit, id quod res erat, eos à Senatu delegatos Zwollam petiiſſe. reponentibus illis, aliter ſibi conſtare, videlicet prodendæ reipubl. cauſa eos abeſſe, reſponſum fuit, deprehenſuros eos eſſe rem aliter ſe habere, cum procul omni dubio poſtridie Campos reverſuri ſint.

Deinde coëgerunt Secretarium, ut nomine Arnoldi a Bocop, & Conradi a Vechta, ad Ducem præſidii Hiſpanici Daventriam reſcriberet; ut conſtituto tempore cum militari manu Campos ſe conferret, portam ibi patentem reperturus. quibus literis reliqui captivi nomina ſua apponere cogebantur. quod autem Bocopius & Vechta non ſubſcripſiſſent, id eo excuſabatur, quod alio ſe contuliſſent ad plures in partes ſuas alliciendos.

Poſtridie, hi duo Zwollâ reverſi, ac totius hujus negotii ignari, comprehenſi fuerunt, ac in arcem Gennemudanam perducti.

Petiit porro à Senatu Comes, ut duas naves, quas caravellas vocant, armarent, quibus deinde milites imponerentur. Item, ut ſibi juramentum fidelitatis præſtarent, id quod, reciproca Comitis promiſſione accedente factum fuit. Viciſſim autem Senatus rogavit Comitem, ut captivos ſuos collegas, reliquoſque cum ipſis cuſtodiæ traditos, liberaret, quod obtineri non potuit.

XVIII Sept. Dux Lauwenburgenſis cum duobus ruſticorum ſignis, & uno ſclopetariorum, uno item cacularum militarium Daventriam appropinquavit.

XX Sept. Hiſpani, cum parte Lauwenburgicorum Lochemum verſus moverunt, id oppidum occupare ſe poſſe rati, verum Lochemenſes ictibus ſclopetorum eos repulerunt. deſiderati hic aliquot ex Hiſpanis, & aliquot è Germanis.

XXIII Septemb. Lauwenburgius cum univerſo equitatu ſuo Daventriam intravit, quibuſcum in urbe remanſit, verum ſignum ſclopetariorum, equitibus nonnullis comitatum Arnemiam ſe contulit.

XXIV dicti menſis, Hiſpani, una cum nonnullis è ruſticorum agmine pabulatum egreſſi, magna cum præda onuſti redierunt, bobus, ſuibus, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ovium ad tria millia abactis, ita ut x. oves venirent unico thalero. oves haſce è municipiis Epſe, Gerſſelo, & Harſſen interceperant. viciſſim dicebantur IV. Hiſpanos, & currus aliquot amiſiſſe.

XXV ejuſdem, Dux Lauwenburgius cum omni equitatu, & maxima Hiſpanorum parte, urbe egreſſus, circa pagum *Olst* tria federatorum ſigna oppreſſit, quorum fere CL. vel undis hauſta, vel cæſa occubuit, totidem capti fuere, reliquum fuga evaſit. arma eorum omnia, & tormentum campeſtre, cum quatuor minoribus in Daventrienſium poteſtatem venere. tormenta hæc Zwollâ petita fuerant.

Poſt hæc Comes Bergenſis Mareſchallum campeſtrem Munſterum, & Doctorem Voet ad Senatum Campenſem miſit, hiſce literis fiducialibus inſtructos:

„ Wilhelmus Comes Bergæ &c.

„ Honorati, prudentes, ſingulariter dilecti, Mittimus ad vos charum „& fidelem noſtrum Iacobum a Munſter, Mareſchallum campeſtrem, & „Rev. ac doctiſſimum charum ac fidelem noſtrum Gerardum Voet J.U.D. „de rebus quibuſdam vobiſcum acturos. petimuſque ut illos audiatis, eiſque „in iis quæ vobis relaturi ſunt, tanquam nobis ipſis, hac vice, plenam ha„beatis fidem, quod ſi feceritis, gratioſæ noſtræ voluntati obtemperabitis, „noſque erga vos benevole affectos experiemini. Datum Zwollæ VII Octob. „Anno CIƆIƆLXXII.

Hujuſmodi autem rationes, inſtructionis vice eis traditæ erant, quas nonnemo militarium copiarum nomine Comiti ſuggeſſerat:

„ Perquam neceſſarium eſt ad commune bonum, ut Daventria obſidea„tur, partim ut malum quod nobis inde procedit averruncetur, partim ut „bonum quod nobis ea occupata ſperandum eſt promoveatur.

„ Quamdiu ea civitas noſtri juris facta non erit, expendendum nobis eſt, „hoſtes noſtros undique in eam confluxuros, ac vires ſumturos, unde omni„gena incommoda nobis timenda ſunt, & tandem ingens ac commune to„tius regionis exitium.

„ Id quod inde poteſt colligi, quod quamdiu hoſtes noſtri iſtic nidulantur, „ditio noſtra igni ferroque vaſtabitur, & in magnas anguſtias redigetur.

„ Adhæc notandum, non Daventrienſes duntaxat hoſtem noſtrum alere, „verum etiam nos ipſos noſtris facultatibus, idque ſumtu majore, quam ſi „eum nobis permiſtum haberemus: prout omnes, præſertim collimitanei „illius urbis, T. Clem. indies ſignificant, atque adeo res eo loco eſſe vide„tur, ut hoſtes noſtri noſtris impenſis nobis ſint alendi.

„ Obicem quoque ponit hæc urbs omni negotiationi ex Friſia, Hollandia, „Gelria, in ſuperiorem Germaniam, unde & Germanos diripi ac ſpoliari „contingit.

„ Ideo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Ideo victoriæ T. Clem. ut & Clem. mei Domini Arauſionenſium „Principis, parum nobis proderunt, quando quotidie oculis noſtris coge„mur intueri, nos noſtraque exactionibus & incendiis fœdari ac perire.

„ Porro, ſi temporis ratio habeatur, quandoquidem inſtat hyems, ex„pendendum T. Clem. erit, præſtetne nos urbem illam quam fieri poterit „ocyſſime obſidere, an vero perpetuo in futuram æſtatem negocium extra„here, dum interim facultates noſtræ ab hoſtibus noſtris eorumque adiuto„ribus devorantur, ac aliis modis qui nobis male volunt vires ſumunt.

„ Complures ſunt rationes aliæ, quas T. Clem. recenſere poſſem, ſed „quantum judico, eæ quas jam tetigi ad rem hanc ſuadendam ſufficient.

„ Ex adverſo, bonum quod capta illa urbe nobis ſperandum eſt, licet è „rationibus jam expoſitis facile poſſit elici, nonnihil tamen hic quoque „commonſtrabo.

„ Primo, pax & tranquillitas tam in hac quam in vicinis ditionibus exi„ſtet, qualis antehac extitit.

„ 2. Ordo equeſtris & civitates convenire poterunt, ad deliberandum „ſuper publico hujus regionis bono.

„ 3. Mercimonia uſquequaque ex hiſce regionibus alio transferri po„terunt, qua ratione incolæ locupletabuntur.

„ 4. Nobilitas, aliique ruri commorantes à rapinis, quibus, ut nunc ſe „res habent, quotidie premuntur, liberabuntur.

„ 5. Civitates ſublevabuntur à præſidiis & exactionibus, quibus jam „haud parum gravantur.

„ Adhæc, occupata hac urbe, conjectu facile eſt, etiam urbes alias, qua „metu, qua affectu benevolo impulſas, ſe T. Clem. dedituras, prout in „nonnullis aliis urbibus experientia docuit. atque ita hæc poſſet eſſe via ad „obtinendam pacem in univerſis hiſce regionibus.

„ Quantum ad media quibus hæc res effectui dari poſſet, ſufficere cen„ſemus bis mille equites, aut trecentos amplius, modo accurate eis ſtipen„dia ſolvantur.

„ Quum ergo tantopere totius ditionis interſit hanc rem inceptari, neque „ea citra magnos ſumtus ad exitum perduci poſſit, hinc auctor eſſem Tuæ „Clem. ut quamprimum conficiendæ pecuniæ, aliiſque ad tantam rem „neceſſariis comparandis gnaviter incumbat.

„ Juxta hæc petit S. Clem. à Senatu & tota communitate, ut ad nego„tium tanti momenti, octingentis equitibus uno menſe alendis, ſumtus „ſuppeditare ne graventur. quod S. Clem. omni benevolentia recogni„tura eſt.

Senatus Campenſis, Mareſchallo Campeſtri Munſtero, & Doctori Voet reſponderunt, pecuniam ſe nullam in parato habere, neque ullam ejus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

acquirendæ rationem ſibi conſtare, quod reſponſum eis minime gratum fuit.

Comes Bergenſis cum ſuis centurionibus ac tribunis Daventriam decrevit obſidendam, ac primo monaſterium Diepenveen fortificandum, quo fine vexillationem unam Campis, alteram Zwolla eduxit, præter quas ſignum peditum etiam tertium habebat, cum c c aut c c l equitibus. hoc comitis conſilium omnibus ubique notum erat. Eodem tempore Dux Lauwenburgenſis cum m c aut m c c equitibus Daventriæ erat, quæ urbs inſuper aliquot Hiſpanorum peditum ſignis cuſtodiebatur.

Milite Comitis Bergenſis abſque ullo Ordine Zwolla Daventriam tendente, Lauwenburgani equites nonnulli, ut & Hiſpanorum militum manus, Daventria egreſſi, ſalicetis citra molam Olſtanam ſe occultarunt. peditibus ergo Bergenſis confuſo agmine progredientibus, quos eminus ſequebantur equites, Lauwenburgici & Hiſpani palantes invaſere, pedites fere omnes cæcidere, quorum plurimi Iſala flumine hauſti, & qui evaſerant, captivi Daventriam abducti fuerunt. inter eos erat Wilhelmus ab Angeren centurio, quem Hiſpani equites infelici arbore ſuſpendere moliti, ab equitatu Lauwenburgenſi impediti fuerunt.

Equites Comitis Bergenſis qui è longinquo ſequebantur, hac clade intellecta, converſis equis fuga ſibi conſuluerunt. Dux Ioannes a Nyenhuys, qui Campis in ædibus Ioannis a Bocop hoſpitium habuerat, ac inſolentiſſime ſe geſſerat, lapſus cum equo, vitæ exitum invenit, ac Zwollæ in templo tumulatus fuit.

Campis, juſſu Comitis, omnes Monachi ac ſacrificuli urbe exacti ſunt. Fratres qui à cellis appellationem habent ſoli remanſere. cœnobia nobilium Virginum direpta fuerunt, ipſæ facultatum ſuarum inventarium tradere coactæ, quibus adminiſtrandis comes quæſtores præfecit.

i x Octob. Dux Lauwenburgius cum univerſa ſua clientela ac militibus, maxima Hiſpanorum parte adiutus, Lochemum repetiit. trahebant autem ſecum iv. tormenta campeſtria, quæ in oppidum explodebant, ſed quadrihorio ibi inſumto, infecta re, & tribus ſuorum deſideratis, reverſi ſunt.

xviii Octob. Lauwenburgenſis idem cum clientela ſua & Hiſpanis, nec non ſigno uno Germanorum noctu Hattemum petiere, omnes linteis interulis ſupra loricas ſuas induti, ita ſe oppidum occupaturos rati, quæ res tamen exitu caruit. Zwollani enim in eos egreſſi duos Hiſpanos, xii ruſticos duci militantes, & Germanorum nonnullos ceperunt. Hattemenſes quoque in eos ſclopeta diſploſerunt, ita ut receptui canere fuerint coacti, poſtquam tres quatuorve tantum horas ibi contriviſſent. Interim prædam ingentem boum, ovium, ſuum, equorum, veſtium ibi nacti, cum ea Daventriam repetivere.

XXVIII Octob. Comes Bergenſis Senatum Campis mutavit; licet tam ii qui Senatu abibant, quam qui illorum vice allecti erant, proteſtarentur de infractis privilegiis.

Pridie Novembris, qui ab omnibus Sanctis nomen habet, federati noctu pontonem maximum à ripa Daventrienſi ſolutum Zwollam aut Campos avexerunt, licet Hiſpani in novo propugnaculo excubias agerent. unde adactus fuit Magiſtratus pontem navibus inſtratum faciendum locare, qui magno iis conſtitit.

XIII Novembr. perfectus fuit ille pons, ita ut curribus & equis commode poſſet tranſiri. qui tamdiu glacie conſtrictus jacuit, donec clementior tempeſtas gelu ſolveret. quod factum XXIII Decembris.

Inter hæc rumor affertur, Ducem Albanum XVI Novemb. die, Zutphaniam occupaſſe, diripuiſſe, & horribili ſævitia inibi graſſatum eſſe. id quod tanto terrore implevit milites Comitis Bergenſis, ut ex omnibus locis quos tenebant, Zwolla, Amersfordia, Harderwico, Elburgo, Hattemo, Haſſelta, Stenovico & undique ſe fuga proripuerint. Præſidium Campenſe de diripienda urbe conſilia agitabat. alii in diverſa ſententia erant, nominatim Ioannes Rijckholt (qui *puer Daventrienſis* militari agnomine dicebatur) negabat id ſalva ipſorum exiſtimatione fieri poſſe, quod tanta ipſorum cauſa cives egiſſent ac ſuſtinuiſſent. Oberat eis & hoc, quod quomodo ſpolia aveherent rationem non invenirent, ſæviente gelu, & mari ad navigandum inidoneo. unde conſultius eis viſum urbem ut erat relinquere, ac alio commigrare.

Senatus Daventrienſis, captâ Zutphania, Campenſes ſcripto monuit, ut in tempore pacem orarent. literæ ita habebant:

„Non poſſumus, pro benevolo noſtro erga vos affectu, vobis clam habere, delegatos noſtros, membra Senatus noſtri, hac nocte in caſtris fuiſſe, „ibique, inter alia ſua negotia cum Ill. Celſiſs. Principe ac Domino Don „Friderico, nec non cum Domino de Noircarmes pro vobis fuiſſe deprecatos. ac relatu eorundem noſtrorum delegatorum edoctos fuiſſe de ſingulari benevolentia ac gratia qua dicti Domini in vos propendent. qui & „nobis ſignificarunt, dictos Dominos vobis auctores eſſe, ut calamitatem „ac miſerrimum exitium in quod Zutphanienſis civitas cum incolis ſuis „univerſis (prout haud dubie ipſi reſciviſtis) prolapſa eſt, evitetis. ac juſſiſſe „vos moneri, ſi terribili hoc exemplo vobis ob oculos poſito, ruinam urbis veſtræ ac incolarum ejus omnium avertere deſideratis, ut è veſtigio, & „nulla mora interpoſita, ſingularem affectum, & oblatam gratiam arripere „ac expetere ne cunctaremini &c. Quapropter, ut ad veſtrum ac veſtræ civitatis bonum, rerum ut nunc ſe habent ſtatus animitus à vobis expendatur, & inſtans calamitas ac interitus veſter præveniatur, monemus vos, &

,,quam maxime neceſſarium arbitramur, ne ejuſcemodi occaſionem negli-
,,glatis, gratiam mature, & ſublata omni mora arripiatis. nulli enim dubita-
,,mus, quin veniam quam reliquæ urbes (quæ ſeſe poſtliminio obedientiæ
,,Regiæ Majeſt. Clementiſs. noſtri Domini tradiderunt) aſſecutæ ſunt, &
,,ipſi aſſequamini. Juxta quæ in bonum veſtrum rebus veſtris proſpicietis.
,,Datæ XIX Nov. hora matutina V. Anno CIↃIↃLXXII.

Hiſce acceptis, ipſo die Campenſes delegatos ſuos miſerunt, cum ſequenti commiſſione:

,, Nos Coſs. Scabini & Conſiliarii, una cum utraque, majori & minori,
,,communitate civitatis Campenſis, notum facimus, & per præſentes pro-
,,fitemur, nos delegiſſe, & impræſentiarum ablegaſſe Georgium ab Haerſt,
,,Arnoldum Brantium, Hugonem a Gruythuyſen, Bartholdum Lulofs,
,,Albertum a Wieringen, Hermannum ten Brugge, Franciſcum vander
,,Keurbeke, Henricum Iacobi, Albertum Voet, Gerardum Vrieſe, Ioan-
,,nem Maler, & Antonium Stijp, noſtro ac univerſorum civium & inco-
,,larum nomine comparituros coram Illuſtri Celſiſs. Principe ac Domino
,,Don Friderico Alvarez de Toledo, & generoſo Dom. de Hierges Cle-
,,mentiſs. noſtro D. Præfecto, aliiſque Dominis, eoſque rogaturos, ut vice
,,ac nomine Regiæ Majeſt. Hiſpanicæ, Clementiſs. noſtri Domini dictam
,,civitatem Campenſem, Coſs. Scabinos, & Senatores, communitates, ac
,,cives incolaſque univerſos, in gratiam recipere non dedignentur, quod-
,,que in ea geſtum eſt, clementi oculo reſpiciant, privilegiis ipſos ſuis ac
,,juribus uti frui permittant, præſidioque quoad ejus fieri poteſt modico
,,ipſos gravent, idque habita ratione calamitatis ac penuriæ in quam tam
,,miſere inciderunt: addita ſubmiſſa oblatione fore ut omnia in priſtinum
,,ſtatum reſtituant, ac in Regiæ Majeſt. obſequio, ſubjectione, & obedien-
,,tia deinceps perſeverent. In fidem dictorum dictæ civitatis ſecretius ſigil-
,,lum ad calcem harum literarum imprimi curavimus. XIX Nov. Anno
,,CIↃIↃLXXII.

Eodem die deſertio urbis Campenſis Vollenhoviæ nunciata fuit, qua occaſione Arnoldus a Bocop reliquique captivi è cuſtodia dimiſſi fuerunt.

XX Novemb. delegati ſummo mane in curribus Campis Daventriam petiverunt, ubi petierunt, ut Daventrienſes ſuos delegatos ſecum ad caſtra proficiſci paterentur. nec illi abnuerunt, ſed adjunxerunt eis Doct. Stephanum a Rhemen, & Ioannem Kreynck.

Cum his ad caſtra ad Zutphaniam adhuc poſita contenderunt, in via autem & per pomaria, arbores hominibus penſilibus nudis plenas cum magno terrore, quocunque oculos verterent conſpexerunt. Caſtra ingreſſis, hoſpitium Domini ab Hierges Præfecti ſui Daventrienſes petierunt. is autem pridie Don Friderico & Noircarmio, cum ſermones de Campenſibus ac Zwol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Zwollanis inciderent, adfuerat. ei indicarunt, adeſſe Campenſium delegatos. quos cum ut nonnihil expectarent monuiſſet, paulo poſt introire „ juſſit".

Campenſes in Præfecti præſentiam adducti, ad genua ejus provoluti, in „hæc verba ſermocinati ſunt: Generoſe Clement. Domine: Coſs. Scabini „& Conſiliarii civitatis Campenſis, cum communitatibus & civibus ſuis „univerſis mœſtis animis ad T.Cl.nos ablegarunt, obedienter ac demiſſe à T. „Cl. tanquam Clem. ſuo Præfecto petituros, ut placeat Clem. T. apud Ex„cellentiam Don Friderici, Clementiſs. noſtri Principis ac ſupremi Ordi„num ductoris, pro civitate Campenſi, Senatu, Tribb. pleb. ac civibus eum „in modum deprecari, ut Ill. ſua Excell. improviſam, & inſperatam ho„ſtium invaſionem, & quæ poſt illam vi ac metu hoſtilis præſidii geſta ſunt „clementibus oculis intueri, condonare, & civitati Campenſi privilegia ſua „ac jura ſalva præſtare gratioſe velit, ac milite eum præſidiario, quam fieri „poterit pauciſſimo onerare: clementer ratione habita fidelis obedientiæ „ab ipſis ſemper præſtitæ, inſuperque magnæ calamitatis ac penuriæ in„quam civitas illa cum ſuis incolis delapſa eſt. Ipſi ſupplices cum omni animi „demiſſione offerunt (ad quod & ſe ex officio teneri confitentur) in Regiæ „Majeſt. Excellentiæ ſuæ, & T. Clem. obſequio ſe promte ac fideliter per„ſtituros, etiam cum vitæ ſuæ ac facultatum diſpendio. Erga T. Clem. „nominatim tantum beneficium, omni obedientia pro virili ſua parte re„cognituros.

Dominus Hiergius delegatos protinus conſurgere juſſit, dicens, ſe ad civitatem Campenſem aliquot Epiſtolas dediſſe, quæ ſi ſuo conſilio ſe attemperaſſet, infortunium in quod incidit evitari potuiſſe. Interim ſe quantum poſſet apud Don Fridericum allaboraturum eſſe, ut in gratiam reciperetur.

Dum Campenſes cum Hiergio agunt, ſupervenit Ioan. ab Haerſt a Zwollanis eo miſſus, & eundem in modum ad genua præfecti ſeſe dejecit.

Quibus peractis, utriuſque civitatis delegati ad hoſpitium Don Friderici perrexerunt, intrare juſſi, eundem, Hiergio aliiſque magnatibus, nec non delegatis Daventrienſium comitatum offenderunt, ubi idem ſubmiſſionis modus repetitus, rogaruntque eum quam humillime delegati, ut Ill. ſua Clem. civitati ſuæ ejuſque incolis repentinam invaſionem & quæ ab ipſis hoſtium vi ac tyrannide adactis commiſſa eſſent, gratioſe condonaret, ac in gratiam receptos, apud uxores ſuos ac liberos benevole conſervaret. Don Fridericus delegatis conſurgere juſſis reſponſum ſuum lingua Hiſpanica conceptum Hiergio tradidit, ac per Doctorem Rhemen delegatis vernacula lingua fecit explicari, in hæc verba:

„ Nos Don Fridericus a Toledo Dux &c. Regiæ Majeſt. Hiſpanicæ no„mine generalis copiarum ductor, notum facimus ac profitemur: Quan-

„doquidem Coſs. Scabini & Conſiliarii una cum univerſis civibus urbis „Campenſis, nos demiſſe requiſiverunt rogaruntque, ut improviſam inva„ſionem ejuſdem civitatis, in quam vi hoſtili pervenerunt, ipſis gratioſe „condonaremus, adeoque non exitialibus armis ipſos opprimeremus, ſed „clementer in gratiam reciperemus, & ab omni violentia defenderemus &c. „reſpondemus ipſis, nos gratulari nobis ſuper eo quod occaſionem ſimus „nacti ipſis bene faciendi, quanquam gratius nobis fuiſſet, ſi in obedientia „Regiæ Majeſt. perſtitiſſent, neque in hanc incidiſſent calamitatem. Itaque „impræſentiarum eos, ad interceſſionem nobilis ac generoſi Domini Ægidii „a Barlaymont Domini in Hierges &c. (tanquam Regiæ Majeſt. nomine „per Tranſiſalaniam Præfecti) nec non civitatis Daventrienſis, in gratiam „recipimus, ac clementer eis promittimus nos apud Regiam Majeſt. o„mnem navaturos operam, ut apud ipſam quoque civitas hæc cum incolis „ſuis in gratiam recipiatur, & eandem gratiam quam Aldenzalia, Dotiche„mum, Doeſburgum, Lochemum &c. obtinuerunt, & ipſa obtineat. In„terea temporis præſidium quantum pro temporis ratione requiri arbitra„bimur, eo mittemus, quod ipſi admiſſuri ſunt. curabimus autem, ne quam „vim aut injuriam ab eo patiantur. quod ipſum eis gratioſe pollicemur. In „fidem dictorum, præſentibus manus noſtræ ſignum appoſuimus, ac ſigil„lum impreſſimus. In caſtris ad Zutphaniam XX Novemb. die, Anno „CIƆIƆLXXII. Subſcriptæ erant: *Don Friderico.*

Delegati duarum civitatum Illuſtri ſuæ Clem. obſequentiſſime gratias egerunt. Campenſes Friderico clavem ſuæ civitatis (quam eo fine ſecum ſumſerant) obtulerunt. eam ille poſtquam accepit D. Hiergio tradidit, qui eam delegatis Campenſibus reddidit, monens ut eam probe cuſtodirent. quo facto Fridericus delegatorum ſingulis dexteram porrexit.

XXIV Novemb. Satrapa Hardervicenus, cum ſignis militum quibus præerat, Daventria Hardervicum diſceſſit.

XXVI Novemb. delegati Campenſes de iis quæ ſibi acciderant ad Senatum retulerunt.

XXVII Novemb. Dux Lauwenburgenſis cum copiis ſuis Daventria exceſſit, coactus ab Hiſpanis ibi relinquere omnes equos quos ruſticis eripuerant.

XXX Novemb. die, Senatus Campenſis Arnoldum a Bocop, & Conradum a Vechta Daventriam ad D. Hiergium miſit, qui civitatis nomine ei libellum ſupplicem exhibuerunt, quo rogabatur, ut ipſis clemens Dominus eſſe vellet, & apud Regiam Majeſt. & Ducem Albanum pro ipſis deprecari prout ipſis conducere judicaret, petebatur & ab eo conſilium, an putaret ipſis Don Fridericum adeundum eſſe. libellus ipſe ſupplex apud Bocopium prolixe inſeritur.

Poſtri-

Poſtridie reſpondit Hiergius, videri ſibi nondum tempus eſſe Albanum ſuper privilegiis ipſorum ſollicitandi, præſertim quod nondum eſſent requiſiti, neque privilegia ipſorum imminuta. quod ſiquando contingeret, ex eo eis integrum fore ſuas excuſationes in medium afferre.

Poſt hæc delegati Epiſcopum Daventrienſem Ægidium de Monte acceſſere, rogaruntque, ut civitatem Campenſem Duci Albano, Don Friderico, & Præfecto regionis commendare vellet. qui reſpondit, ſe hoc perlibenter ac conſtanter facturum eſſe, quemadmodum & antehac Neomagi apud Albanum feciſſet, monens inſuper, æquum fore, ut Senatus Campenſis in capita ſeditionis, juxta Regiæ Majeſt. mandata animadverteret. Tandem petierunt iidem delegati, ne gravaretur Campos ſe conferre, ad templa & altaria denuo conſecranda ſive reconcilianda, id quod propediem ſe facturum recepit.

Kal. Decemb. Daventriam reliquerunt Hiſpani, ac in Hollandiam delati ſunt. in quorum locum ſucceſſerunt tria ſigna Germanorum, è legione Nicolai Polwiler. die Lunæ poſt Andreæ.

Quo die etiam Carolus Coninck cum ſuis urbe exceſſit.

Hoc anno invenio Arnoldum Heringum, Canonicum Eccleſiæ Cathedralis S. Lebuini, Daventriæ Præpoſitum, & Ægidii de Monte primi ibidem Epiſcopi generalem in ſecularibus Vicarium fuiſſe. *Lib. feud. Præpoſituræ.*

Anno cIɔIɔLXXIII floruit Daventriæ Ambroſius Magirus junior, Licentiatus Medicinæ, Phyſicus & Aſtronomus urbis Daventrienſ. cujus variæ extant Ephemerides.

Cum diſceſſiſſet è Belgio II Decemb. Albanus, Ludovicus Requeſenius ei in regimine ſucceſſit. is licet præ ſe ferret ſe conſilio Ordinum in negociis gerendis uti velle, tamen novis copiis Wallonum & Germanorum ſe munivit, quæ cum defectu ſtipendiorum ad ſeditionem ſpectare viderentur, eis ſolutionem pollicitus partim è confiſcationibus, partim è regiis reditibus, Ducibus Germanis, quorum nomina, Polwiler, Fronſberg, Fugger, Everſteinius, Hannibal, urbes quaſi oppigneravit, ut ipſi jactabant. puta Ruremundam, Sylvam-Ducis, Neomagum, Daventriam, aliaſque quas eorum milite implevit.

Anno cIɔIɔLXXIV. XI Jun. publicatur venia omnium commiſſorum in Belgio Antwerpiæ, exiguo fructu.

Eodem anno Daventriæ D. Godefridus Hueſſen erat pater domus Domini Florentii.

Circa hoc tempus, Campis fuerunt edita idiomate Belgico Quatuor noviſſima, cum conſenſu Epiſcopi Daventrienſis.

Ad hunc annum ſpectat hæc, quam lectori communicabo Epiſtola

αὐτο-

αὐτόγραφον Æg. de Monte Canonici, Vicarii generalis Æg. de Monte Epiſcopi, ad Senatum Hardervicenum. unde videre licet Epiſcopum noſtrum etiam ibi juriſdictionem exercuiſſe. dono mihi data eſt à Magnifico Domino Erneſto Brinkio, ibidem Conſule.

Den hoichwerdighen Heeren Biſcop tho Deventer hebbende verſtaen durch diverſche claechten ſoe wel van den Borgeren vnd Ingeſeten der Stadt Harderwijck, als van menige andere fromen menſchen, die enormen exceſſen, miſbruycken, vnd quade leven der Paſtoir tho Harderwijck, heeft daer op niet willen verbeyden breeder informatie te doen nemen, ende daeromme tot dien meynonge heeft hy ons alhier in alle diligentie gheſonden, om van ſoedanighe exceſſen vnd miſbruycken to vernemen, hebbende dan die Vicarios vnd koſter dair op onder wettelijcke eedt gehoirt vnd geexamineert, bevinden dat hy niet (als eene Paſtoir behoirlick is) ghelevet heeft: Begheerende daerom van weghen onſeren voirſz. Hoochw. Heeren den Biſcop tho Deventer, van den Burgermeeſteren, Schepenen, vnd Raedt der voirſz. Stadt Harderwijck, henlieden meyninge vnd goetduncken, te weten, oft den voirſz. Paſtoir, bequaem, nut, vnd profijtelick is voer de voirſchreven Stadt, ende oft hy tot noch toe ſijn Schaepkens geleert, vnd goede exempel ghetoont heeft, als eene goede oprecht Paſtoir te doenen ſchuldich is, oft nicht; Ende oft zy niet wel begheren ſouden voorſienen te zijn mit een andere Paſtoir die van beter vnd deuchdelicker leven weſen ſoude; hier op begheerende Antwoordt. Datum Harderwijck den 28 Januarij, Anno 1574. ſtilo communi.

Durch den Vicarius generael des
voirſz. ſijnen Hoichw.

Ægidius de Monte.

Eodem anno fato functus eſt Ioannes Guinterius Andernaci Ubiorum oppido natus, qui cum Daventriæ & Marpurgi literas didiciſſet, primum Goſelariæ ludi moderator, ac dein linguæ Græcæ Lovanii Profeſſor fuit, inde Lutetiam Profectus, cum G. Budæo & Io. Laſcare, quos juvenis jam ſenes coluit, magna conjunctione vixit, & Franciſci I. liberalitate, commendante eum Io. Bellaio Cardinali, eximio literatorum omnium, ac præcipuè Germanorum, fautore, Medicinæ lauream adeptus, ac Medicus regis ſalutatus eſt. poſtremo cum Dividuri Mediomatricum, exardeſcente per Galliam civili bello aliquandiu Medicinam feciſſet, Argentinam tandem conceſſit, ubi

relictis

relictis compluribus ingenii ſui monumentis octogenario major, Anno cIↃIↃLXXIV. VI Non. Octobris in vivis eſſe deſiit. *Thuan. l. 59.*

Hujus vitam plenius perſcriptam damus; ex *Melchiore Adamo de vit. Medic. Germ. p. 213.*

Ubiorum ad Rhenum oppidum eſt Andernacum, quod Ammianus, qui ſub Juliano Cæſare ſcripſit Antenacum nominat; Anno Chriſti cIↃ c xx. ab Epiſcopo Colonienſi muris cinctum, & in urbis formam ex pago redactum. Hoc in oppido Io. Guintherius anno cIↃ cccc LXXXVII. natus, parentibus honeſtis, ſed tenuioris fortunæ, vixdum quadriennis in ludum litterarium ibidem à Saladino Epiſcopo Colonienſi apertum, eſt miſſus. Itaque elementa literarum prima velociter & feliciter arripuit. Ex patria ſchola Ultrajectum progreſſus, & inter alios Lamberto Hortenſio condiſcipulo uſus eſt. inde Daventriam venit, ubi mendicato vivere coactus, expertus eſt illud Horatianum:

Qui cupit optatam curſu contingere metam
Multa tulit fecitque puer, ſudavit & alſit.

Jactis ita fundamentis, diſciplinarum humaniorum & Philoſophiæ ſtudia aggreſſurus Marpurgum Heſſorum profectus eſt: ubi brevi tantum profecit, ut eum Goſlarienſes juventuti erudiendæ magiſtrum elegerint. ſed non diu in illa ſtatione moratus, relicta Germania ſuperiore Lovanium in Belgicam abiit, ſtudiorum ibi continuandorum cauſa. Quo ut venit, Græcæ ei linguæ publice docendæ provincia demandabatur. Habuit in ea inter alios auditores Io. Sturmium, & Andr. Veſalium, offenditque ibidem Hortenſium illum, ſuum olim Oreſten. Studio autem Medicinæ addiſcendæ Lutetiam Pariſiorum conceſſit. Ibi dum agit, Græcos Medicos, & inter eos præcipue primipilos duos Hippocratem & Galenum in Latinum traduxit. inque familiaritatem virorum doctiſſimorum facile pervenit. De eorum numero coluit ipſe juvenis duos jam ſenes, Guil. Budæum, & Io. Laſcarin. Ibidem paulo poſt, Franciſci primi Gallorum Regis liberalitate, commendante eum Io. Bellaio Cardinali, Medicinæ lauream adeptus, & Medicus Regis ſalutatus eſt. in quo munere non ſolum Medicinam feliciter apud ægrotos exercuit, ſed & Anatomiam hactenus deſitam & neglectam in uſum revocavit, ſummaque diligentia excoluit, id quod vel unius, quem tum inter alios habuit, diſcipuli Andreæ Veſalii exemplum probat, qui & Anatomiam Guintherii poſtea Bononiæ edidit. Hinc crebreſcente ejus fama, à Daniæ Rege invitatus, modeſte gratiis actis abnuit. Cum autem ſub id tempus varii in Gallia motus ob religionis negocium orirentur, Guintherius cum aliis Wittembergam in Germaniam fuit miſſus, conſilium & auxilium ab Euangelicis petiturus; ſed in Galliam reverſus, animos exacerbatos,

remque omnem ad bellum civile ſpectare ſenſit. Itaque cum jam duodecim in Gallia annos exegiſſet, mature de ſeceſſu cogitare cœpit, & Diviodurum Mediomatricum commigravit. ubi cum aliquandiu Medicinam feciſſet, gliſcentibus tumultibus, Argentoratum tandem conceſſit: ibique in ſchola Ariſtotelem & Demoſthenem interpretatus eſt. Sed cum neſcio quas lites ei petulantia quorundam moviſſet, profitendi munus depoſuit, ac Medicam artem exercere, qua medendo, qua commentando perrexit. Tandem ſub autumnum anni cIↃIↃLXXIV. ad Illuſtr. Lazarum Schwendium Baronem valetudinis cauſa evocatus, in febrim ipſe ardentem incidit, ex qua Argentoratum reportatus, ad meliorem vitam tranſiit d. IV. Octob. ætatis ſuæ LXXXVII. ibidem ad D. Galli cum altera uxore ſepultus. Michaël Toxites præceptorem hoc Epitaphio ornavit:

Hic ſitus eſt Andernacus prope conjugis oſſa,
Expectans regni gaudia læta Dei.
Certabant virtus, pietas, doctrina, ſenectus,
Et voluit primo quęlibet eſſe loco.
Sed vicit pietas, animamque per æthera Chriſto
Adduxit, cujus numen adorat ovans.
Ingenuas coluit felici ſidere Muſas:
Pæoniæqne tulit pluribus artis opem.
In terris famam nomenque reliquit honeſtum,
Spiritus it cœlo, membra recepit humus.
Exceſſit ſeptem decies atque amplius annos;
Mens tamen in ſano corpore ſana fuit.
Sed quid opus multis? laus uni hæc ſufficit una:
Ingenio magnos vicit & arte viros.

Uxores habuit tres: primam familia nobili in Gallia natam, quam Pariſiis duxit, & Meti amiſit, alteram è Scherorum genere, quæ Argentorati obiit: tertiam ex Hoeclinorum familia, quam viduam reliquit. à Ferdinando Auguſto nobilitatis inſignibus & privilegiis fuit donatus. Elucubravit poſteritati varia, imprimis Medica, nam Lutetiæ duos commentarios confecit, De Medicina veteri & nova tum cognoſcenda tum facienda. Vertit multa, præſertim de Galeno. Pauli item Æginetæ libros ſex commentariis illuſtravit. Commentarios Oribaſii in Hippocratis Aphoriſmos primus evulgavit. Libros Alexandri Tralliani duodecim è Græco in Latinum tranſtulit, adjectis obſervationibus. Scripſit & de Balneis & aquis medicatis, de Peſte, de Compoſitis medicamentorum, de Humorum præparatione. Poſt obitum prodiit ejus Gynæciorum commentariolus. Latere etiam alicubi dicuntur ejus ducenta circiter reſponſa & conſilia, quæ illuſtribus & potentibus ægris ad varios morbos dedit.

Eo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Eodem anno M. Gerardus Ruvenius Rector ſcholæ Daventr. edidit Grammaticæ Latinæ compendium, in uſum ejuſdem ſcholæ ab ſeſe accurate col-
„lectum. in cujus Præfatione, Grammaticam ait eſſe duplicem, hiſtoricam
„videlicet, quæ nobis oſtendit viam ad quemlibet ſermonem recte intelli-
„gendum & interpretandum, & Methodicam, quæ tradit certas intelligen-
„ter loquendi ſcribendique regulas: per priorem quidem illam (ait) alio-
„rum ſententias ex ipſorum loquentium verbis intelligere: per hanc autem
„poſteriorem noſtramet ipſorum ſenſa aliis viciſſim certo ſermone decla-
„rare diſcimus. Et Hiſtorica quidem, ſeu explanativa Grammatica dividi-
„tur in partes quatuor, nempe Etymologiam, Catataxin, Paraphraſin &
„Hiſtoriam, ſive notitiam antiquitatis. Nam Etymologia docet proprias
„ſingulorum vocabulorum in unaquaque lingua ſignificationes, ut fit in
„vulgaribus noſtris lexicis atque Dictionariis. Catataxis ſive diſpoſitio tra-
„dit rationem cujuſque ſententiæ vocabula eo ordine digerendi, ut ex iis
„certus aliquis ſenſus quam facillime poſſit intelligi: ut fit in doctrina perio-
„dorum, quæ traditur in fine Syntaxeos Grammaticæ methodicæ, de qua
„nos infra ſuo loco tractabimus. Paraphraſis docet veram cujuſque phra-
„ſeos ſive loquendi formulæ in unaquaque lingua uſitatæ vim & uſum, ut
„fit in iis libris qui vulgo Theſauri vel Promtuaria linguæ Latinæ nuncupan-
„tur. Hiſtoria, à qua tota hæc Grammaticæ ſpecies ſuum nomen eſt ade-
„pta, tradit notitiam antiquitatis, ad bonos auctores recte intelligendos co-
„gnitu neceſſariæ, ut fit in vulgaribus Elucidariis Poëticis, aut ſpeculis
„hiſtoriarum. Sed quoniam harum hiſtoricæ Grammaticæ partium omnino
„nulla ſine certa doctrina loquendi, ſcribendique notitia recte poteſt intel-
„ligi, hujus etiam artis ſtudium inchoari debet à diſcendis methodicæ Gram-
„maticæ præceptis &c. hæc ille non inerudité.

Anno CIↃIↃLXXV. in Actis feudalibus Præpoſituræ hæc (Belgica lingua) conſignata invenio:

„Anno CIↃIↃLXXV. XVIII Februarii die, admodum Reverendus
„Dominus Ægidius de Monte, primus Epiſcopus Daventrienſis, tanquam
„præpoſitus ibidem & Dominus feudi, confirmavit vigore præſentium,
„reverendo Domino Ægidio van den Berge, Canonico Cathedralis Eccle-
„ſiæ S. Lebuini, ſupplementum, quod permutatione Bitteri à Raesfelt ad
„eum pervenit. Et Dom. Ægidius van den Berge, admodum Rever. Do-
„minationi ſuæ, tanquam præpoſito & feudi Domino obſequium & jura-
„mentum præſtitit, omni modo, quo fidelem feudatarium Domino feudi
„præſtare æquum eſt. ſalvis ſuæ Rever. &c. Præſentibus Vaſallis Mag. Ber-
„nardo Herinck, & Mag. Franciſco van den Berge, Canonicis Cathedralis
„Eccleſiæ prædictæ.

Io. Helm. Scriba feudalis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃLXXVI. invenio, Bernardum Herinck Ægidii de Monte, tanquam præpoſiti, in ſpiritualibus & ſecularibus Vicarium generalem fuiſſe. *Act. feud. Præpoſituræ.*

Paſtor vero & Canonicus Daventrienſis erat Philippus Boeſtius ab Helmont, qui edidit circa hoc tempus *Precationes Chriſtianas, pro impetranda fide, ſpe, & charitate Chriſtiana;* in Dedicatoria Epiſtola commemorat *D. ac M. Ioannem Rorinck Medicinæ Doctorem expertiſſimum, qui præclare* (inquit) *civitatis hujus Daventrienſis honorifico ſtipendio decoratus, rara fœlicitate, magna cum laude artem Medicam hic exercet.* In Præfatione ad Lectorem dicit ſe Deo ejuſque Eccleſiæ per annos aliquot inſerviiſſe concionando utraque lingua, vernacula nimirum & Latina, Lovanii, Antwerpiæ, Mechliniæ, Daventriæ, & admodum nuper Zutphaniæ, & Campis. In ipſo opuſculo p. D. iij. *Ante omnia*, inquit, *ſalubriter precaturus Deum, firmiter credat Deo, credat verbo Dei vivo, eique perfecto & integro: cui nequaquam credunt hæretici, quantumcunque crepent verbum Dei, digni qui crepando adulterinum & dimidiatum Dei verbum, ipſi crepent medii, ita ut effundantur omnia viſcera ipſorum putrida, quemadmodum Matth. 27. & Act. 1. de proditore Iuda legimus. Credunt autem verbo Dei vivo & integro, qui captivantes intellectum in obſequium Chriſti, Catholica fide ſuſcipiunt omne id, quod divinitus eſt eccleſiæ Catholicæ revelatum, eo ſenſu quo eccleſia per Spiritum Sanctum illuſtrata, intelligit. Qua in re longe graviſſima bis peccant hæretici, primum, quod verbum Dei ipſis eſt ſola ſcripturæ littera, mortua & mortifera, quæ quo velis ſe trahi ſinit, diſcerpi, lacerari, perinde ac cadaver. Non igitur hęreticorum Dei verbum vivum eſt, ſed mortuum & mortiferum, nec manebit in æternum, ſed igne exuretur in conflagratione mundi &c.*

Et poſtea: *Poſtulet ergo Catholicus in hac fide, non in fide imo perfidia hęreticorum. Faceſſat hinc procul fides ſpecialis, ut vocant, quam Catholici omnes dirè execrantur, ut peſtem deterrimam, qua per hęreſiarcham Lutherum horrendus Sathaniſmus invectus eſt in orbem Chriſtianum. Vaniſſima illa & plane diabolica perſuaſio, qua quis certè ſtatuit ſibi remiſſa peccata, & ſe certo ſalvandum per Chriſtum, procul abſit à mente orantis.* Similia habet in tractatu de fide Orthodoxa & Catholica (precum opuſculo inſerto c. 5. 12. Oratione vero ad Spiritum Sanctum ita precatur: *Recedamus quoque longiſſime per omnem vitam procul fugato abs te ſpiritu præſumtionis, & inanis fiduciæ: qua hęretici omnis generis inflati, tumidi, & turgidi, per fidem ſpecialem accepta, & mordicus retenta Chriſti juſtitia, aſcendunt ad cœlum ad dexteram Patris. Peſtilentiſſimus eſt ſpiritus ille præſumtionis temerariæ, & inanis fiduciæ. Ipſe eſt Behemoth, de quo ait Iob 41. &c. ipſe eſt Lucifer auroræ filius, quem ita compellat per ſarcaſmum propheticum Propheta Eſaias 14. Quomodo cecidiſti &c. Spiritus Sancte Deus, nonne aperte fides hæc inſana, quæ ex ſtultis inſanos facit, clamat, ſe non eſſe fidem Chriſtianam, ſed vere Luciferianam?* Et mox: *Execremur igitur, & anathematizemus ſemper, perfidioſam hanc fidem, & Luciferianam præſumtionem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tionem &c. hæc & ſimilia in libello illo recurrunt, è quibus genium hominis agnoſcas licet, quem interim non puduit ei inſerere partem eorum quæ Hieronymus Savonarola in ipſo carcere in Pſal. 30. commentatus eſt, quæ vel ſola ad ejus confutandas blaſphemias ſufficiunt. Approbavit libellum Epiſcopus his verbis: *Libellus hic nihil continet fidei Catholicæ adverſum, aut ſcandaloſum, ſed pias preces. Ægidius de Monte, Epiſcopus Daventrienſis.* Mox ſubjicitur: *Impreſſum Daventriæ, in interſignio Bibliorum aureorum, impenſis Concinnatoris; qui ad ſubſignandum libris imprimendis deputatus, hunc libellum precationum me concinnaſſe teſtor. Philippus Boeſtius.*

Quod de delegatione ſua ad ſubſcribendum libris imprimendis hic dicit, ejus rei inſigne ſpecimen, cenſuræ videlicet ab eo exercitæ in libros Eraſmi, ſupereſt ad perpetuam rei memoriam in Bibliotheca Daventrienſi. quos ita lituris & ſectionibus fœdavit, ut dubites pluſne boni Daventria illi viro contulerit quod in literis mentem ejus ac linguam formarit, an mali quod tam contumelioſe immortalia ejus ſcripta (peiori videlicet ſeculo) habuerit. inter alia, totum colloquiorum opus exectum eſt, quo nonnihil in clerum ac religionis corruptelas jocatus fuerat homo non inſuavis. ut alterum in eo,

Dëiphobum aſpicias, lacerum crudeliter ora
Ora manuſque ambas, populataque tempora, raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Singulis tomis aſcriptum, id à Paſtore noſtro, auctoritate Reverendiſſimi, juxta indicem Majeſtatis Regiæ factum, ita ut tuto retineri ac legi poſſit.

Anno CIƆIƆLXXVI. pontem Iſalæ Daventrienſes denuo inſtaurari fecerunt. IV Maji die primo ejus tigno fiſtuca in fundum adacto, atque ita deinceps continuato opere, ita ut XII Aug. plus bis mille hominum, præ curioſitate eum tranſierint.

Die S. Bartholomæi Tribunis pleb. Daventriæ prælectum fuit, Senatum Daventrienſem pignori accepiſſe juriſdictionem Colmeſchatenſem, villam item in Gietlo, cum omnibus ſuis reditibus, expenſis pro iiſdem quinquaginta ſex millibus Carolinorum.

Item emiſſe hæreditario jure aulam Epiſcopi, VIII Carolinorum millibus.

Item inſulam Epſanam, cui nomen, *het Sant*, è regione montis Yprani (ut vocant) ſitam VII M. Carolinorum.

Denique conceſſum ipſi jus fodiendi alveum torrentis, qui dicitur *de Schipbeke*, Daventriâ Diepenum uſque.

Anno CIƆIƆLXXVII. XXVI Maji, qui erat dies Pentecoſtes, circa V. & VI. horas veſpertinas, obiit Zwollæ Ægidius de Monte, primus Daventrienſium Epiſcopus. qui inde à Canonicis nonnullis Cathedralis Eccleſiæ Daven-

Daventrienſis die menſis XXVIII Daventriam devectus, ibi poſtridie è domo Præpoſituræ, in dictam Eccleſiam illatus, ante imaginem crucifixi, è regione ædiculæ Sacramenti, magnifice tumulatus fuit. Comitantibus funus, præter conſanguineos ejus, viris Senatorii Ordinis aliiſque magno numero. Notavit in Actis feud. Præpoſit. Io. Helmius Secret. Daventrienſ. & ejuſdem Præpoſituræ feudorum actuarius.

Sede vacante, continuatus fuit à Capitulo in ſuo munere ejus Vicarius Bernardus Heringus. *Ibid.*

Eodem Anno Ioannes Auſtriæ Dux ſimulata in Belgio pace conſtituta, ex pacto Hiſpanum militem extra Provincias abducit, Germanum etiam, ſi ei perſolvantur ſtipendia, ſe abducturum jurat. interim cum ducibus Germanis Fronſbergio, Polvillerio, Fuggero, Endio clanculum agit, ac eos denuo ſacramento ſibi devincit, eo fine ut Andoverpiam ipſi, reliquæ IV legiones urbes quas præſidio tenebant, ſibi (Auſtrio inquam) reſervarent. eæ urbes erant Bergopſoma, Breda, Buſcoducum, Tola, Daventria, Campi, Ruremunda. v. *Thuan. l.* 64. *p.* 217.

XXIX Auguſt. in vigilia feſti S. Ioannis, præſidiarii Germani in urbe Daventria, intempeſta nocte, magno cum fragore effractis civium foribus, domos irrupere, utque arma ſibi exhiberent metu mortis intentato coëgere. exarmatis civibus ovantes ad ſua quiſque regreſſi ſunt.

Anno cIↄIↄLXXVIII. eid. ſextil. Fœderati Andoverpiæ cum legatis Andegavenſ. Ducis in certas conditiones pepigerunt, inter quas erat, ut ad firmandas Ordinum vires, amicitia cum Elizabetha Angliæ Regina ineatur, ſociato Henrico Navarræ Rege, & Io. Caſimiro: nullum Andinus religionis cauſa bellum moveat: poſſint tamen ipſi pacem arbitrio ſuo facere intra menſem quintilem proximum, verum citra Ducis ejuſque clientum ac federatorum detrimentum, eaque lege, ut ante finem ejuſdem menſis Auſtrius in Ordinum manus tradat Lucemburgum, Ruremundam, Daventriam, & omnia cis Moſam oppida. *Thuan. l.* 66. *p.* 266.

FINIS LIBRI QVARTI.

DAVENTRIAE ILLVSTRATÆ, SIVE HISTORIÆ URBIS DAVENTRIENSIS

LIBER QUINTVS.

FIrmata in Friſia Ordinum ac Principis Arauſionenſium poteſtate ſub Præfectura Georgii Lalanii Comitis Rennebergii, is etiam de ea extra Provinciam propaganda cogitare cepit. facta ſpe Campenſibus & Daventrienſibus, ſi Tranſiſalaniæ Præfectus admitteretur, fore ut eos à præſidiis Germanicis ex Nic. Polvillerii, & Gaſparis Farienſis qui paulo ante deceſſerat legionibus à Io. Auſtrio ante biennium impoſitis liberaret. & aſſentiebantur plerique ex Ordine equeſtri, nec non & civitates. ipſe apud Matthiam & Ordinum conſilium inſtabat, ut Provinciæ Præſes crearetur, addita cauſa, quod Tranſiſalani ab anno cIɔIɔxxvII. quo primum ſe Carolo V. dedidiſſent, ſemper communem cum Friſia Gubernatorem habuiſſent. ita Tranſiſalana & Lingena, quam Benthemio Comiti religionis cauſa ademtam Carolus V. Belgici juris ſecerat, attribuitur, mandaturque Rennebergio, ut manu armata Polvillerianos Campis & Daventria expellat. Rennebergio tanquam præſidi Tranſiſalani libenter paruerunt, eoque magis, quod in eorum gratiam tribunal ſive Curiam Provincialem,

Cancel-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Cancellarii ac Senatorum nomine indigetatam, Vollenhoæ à Philippo inſtitutam abolevit. Soli Zwollenſes, quorum Magiſtratus nondum mutaverat̃, imperium ejus detrectabant, neutri parti ſe addicere cupientes. Sed ad extremum, vim, ni parerent interminantem Rennebergium admiſerunt. proxima cura de Germanis Provincia pellendis. ob id indictus conventus Zutphaniæ III Non. Jun. ubi Ioannis Naſſovii inſtigatu decreta è Batavis & Friſiis contra communem hoſtem auxilia. Capiuntur Campi, ac præſidio, prout & Zwollenſes, firmantur. quo facto Rennebergius Daventriam ducit cum X. militum cohortibus. a parte Velaviæ infeſtaverat urbem jam ante Gualterus Hegemannus militiæ Gelricæ Præfectus, ſeque adverſus imminentia nonnihil firmaverat̃. præerat urbi Haurincurtius vir mitis ingenii. Auguſtinus Rikius contra homo ſuperbus ac immanis milites in poteſtate habebat, qui circiter CIↃCCCC. erant̃. Aderat & Michaël Jegerus longo militiæ uſu moderatus ac prudens Dux, qui fere ex podagra ſemper decumbebat, ita ut penes Haurincurtium nomen, penes Rikium facta, penes Jegerum conſilia eſſent̃. Colles Noribergicæ turri oppoſitos (ex qua crebra tormentorum ejaculatione multum damni obſeſſoribus inferebatur) inſedit Didericus Sonoius VIII eid. ſextil. valloque munivit, ex iiſque Brincanam portam verſus foſſam produxit. in ſuppetias ei venerunt cum militibus Io. ab Uterwijck, Io. ab Eſcheda, Ever. Warmelo, Corn. Gallus, Io. Schagenus, Optio Matheneſſii, Gronſtius, Olthovius, Weda. Geldri item Ever. a Wageninge, Vitus Raſchorn, Ger. de Jonge &c. v. *Meter.*

I Sept. Hegemannus qui trans Iſalam propugnaculum pontis occuparat, eundem pontem flammis abſumſit. ſunt qui putent ſimilem pontem in Belgio non fuiſſe. triduo poſt XXXVII tormentorum ictus contra urbem diſploduntur. Cum Sonoius Noribergicæ turris uſum obſeſſis adimi conſultum exiſtimaret, ex collibus cuniculos uſque ad pedem turris per foſſores agi curat. quo cognito obſeſſi contrarios agunt, & circumcirca, nequa parte errent, fodiunt. ita ut III Non. Septemb. ſe utrinque contingerent. ibi venenatis ſuffitibus primum infeſtati Rennebergiani, poſt etiam utrinque pugnatum, pulſiſque tandem Rennebergianis oſtio ferreo ingreſſus a Rikio eluditur. rurſus in ſubterraneis fodinis pugnatur, peiore tamen obſeſſorum conditione. tandem ſummum turris cacumen a Sonoio quati cepit V. Kal. Oct. dejectaque columnarum parte poſtridie tectum ipſum magna mole corruit, nemine excubitorum ea ruina læſo. inter hanc turrim & portam Brincanam Sonoius jam ante magna ruſticorum manu fodere terram & aggerere cœperat, ulteriuſque ſemper foſſam verſus progrediendo, eam brevi implere meditabatur, ſtationibus & propugnaculis excitatis, quibus foſſores defendebantur. inde metu obſeſſis injecto, de diſturbandis operibus in urbe cogitabatur, tandem eruptione ſumma vi facta ruſticos invadunt, & magna edita cæde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

cæde propellunt. ſupervenientibus dein Rennebergianis, & ipſi cum damno in urbem compulſi. foſſores tanto damno affecti nulla poſtea ratione adduci potuerunt ut operi cepto inſtarent. at ſucceſſu illo inflati obſeſſi, ſive vino cauſtico, ut quidam memorant, incenſi, eruptionem ſummo mane totis viribus VIII Kal. Octob. faciunt, vario eventu. nam excubitoribus initio trucidatis, & obtruncatis proximis ſtationibus, ad propugnaculum uſque in colle à Sonoio extructum perrumpunt, cæſiſque cuſtodibus cæteros in fugam vertunt, reſiſtere auſos interficiunt, arma & commeatum rapiunt, & quæ ferre non poſſunt igne devaſtant. aliquos etiam capiunt, quorum unum, qui ob intenſum frigus in ſaccum ſe induerat, ſacco ut erat indutus, ridiculo ſpectaculo in urbem ſecum adducunt. Sed cum interim ad arma in caſtris conclamatum eſſet, verſa fortuna ſupervenientibus Wilhelm. Vingardeno, Arnold. Duvenvorda, & Ioann. Cunicamo, Itelricus Schonoverus, Ioann. Friderici, qui ad auxilia procuranda urbe exierat, frater, & Rikii ſignifer, nec non Miliendrus quidam homicidio nuper (civem nomine Ger. Crijt proditorie interfecerat) patrato infamis, longius provecti, multis ex ſuis occiſis, intercipiuntur. Schonoverus vivus in hoſtium manus devenit, Miliendrus cum famulo occiditur, qui hero ſupereſſe non ferens, raro fidei exemplo, ſupra cadaver incubuit & confoſſus eſt. quæ dum fiunt, nullo non injuriæ genere ac ſævitiæ in oppidanos, quibus arma ademerant, à præſidiariis ſævitur, nullo ætatis aut ſexus diſcrimine. quo fiebat ut ſibi non minus ab oppidanis, licet inermibus, quam ab hoſtibus illi metuerent. paciſcuntur ergo cum oppidanis, & ab injuria deinceps temperaturos promittunt. ſed pactis minime fides à licentioſis militibus ſervata. qui aurea ac argentea ornamenta templorum conflarunt, inter illa S. Lebuini urbis patroni προτομὴν argenteam, prius circum urbis mœnia geſtatam pompa ſolenni, mox in monetariam officinam deportarunt, ac nummos ex ea quadratos fieri curarunt. Rikius capto Itelrico, qui fratrem in accelerandis auxiliaribus ſegniorem fore provideret, pæne animo conciderat. nec minus angebatur animi Rennebergius, veritus ne obſidio non ex animo ſuccederet. itaque Itelrici captivi cauſa crebri ultro citroque tympaniſtæ ſequuntur, ſiqua ratione ex colloquii occaſione diſcordiæ inter præſidiarios & oppidanos ſeri poſſent. tandem cum Batavicæ copiæ domum petiiſſent, & ipſe innumeris difficultatibus conflictaretur, commodum ſupervenit legio Gallica Maximiliani Eſturmeli ductore Glimeſio, nec non & Io. Corputius ex urbe Bredana venit, homo ſtrenuus & locorum muniendorum apprime peritus, qui Aloſtum ante munierat. cujus & Io. Sloot Satrapæ Vollenhoviani conſilium de vi ad portam Montanam facienda cum non probarent Duces ut periculi plenum, & ſatis eſſe dicerent, ſi ſpecie oppugnationis præſidiarii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tenerentur, & ad deditionem compellerentur, inſtituta eſt trans flumen verberatio, cui Præfectus Seino a Dort, Zutphaniæ Satrapa ſumma diligentia rei incubuit, porta Arenaria per triduum labefactata, ita ut globi in ipſum uſque forum pervolarent. In hoc opinionum fluctuantium ſalo cum nihil tuto tentari poſſe cerneret Corputius, auctor Rennebergio fuerat ut munitiones circa urbem extrueret, quibus commeatus in urbem importatio prohiberetur, cenſueratque, flumen navibus ac liburnicis inſidendum, præſidiiſque idoneis in obſidione relictis cum reliquis copiis obviam auxiliaribus properandum. Obſeſſi initio obſtinatis animis, quanquam nuncio de Io. Auſtriaci morte accepto, nullis conditionibus ad deditionem compelli poterant; ne quidem cum cognoverunt Io. Fridericum Schoniverum jam ſemel cum iis quas conſcribebat copiis ad Botdorpam cæſum fuiſſe. poſtea cum intellexiſſent eum poſtremo a Io. Stupero, qui ſumma feſtinatione tranſmiſſo præter opinionem Rheno ad Ludorpam præverterat cum c I ɔ I ɔ deſertum eſſe, tandem deſperatis auxiliis inflecti ceperunt, & cum operibus aſſiduis Corputium jam ad turris pedem perveniſſe, & in eo eſſe ut propugnacula, aqua derivata, per cuniculos miſſo pulvere nitrato ſubverteret, adhæc penuria omnium rerum urgerentur, officio ſe ſuo ſatis & decori feciſſe rati, ſcriptis ad Rennebergium literis x v i i i Kal. Octobr. tertio poſtquam urbs obſideri cœperat menſe, colloquium petunt. quinto poſt die tranſigitur his conditionibus, ut præſidiarii complicatis ſignis, de cetero funibus ſclopetorum incenſis, vita ac rebus ſalvis exirent, & in tutum ad Germaniæ limitem deducerentur, fide data, intra i i i menſis contra Ordines ſe minime militaturos. ii I ɔ c omnino erant. qui Bucoltium uſque ad Imperii fines deducti ſunt, curribus ad neceſſaria portanda perbenigne commodatis. urbi impoſitæ Mulardi, Rijnſwoudæ, Eſchedæ, Schageni, Olthovii cohortes Sicambræ, pontificiis ſacris addictæ, tum perſoluto Gallo-Belgis, ob non numeratum ſtipendium urbis diripiendæ occaſionem quærentibus, honorario, & extra provinciam dimiſſis, Rennebergius paulo poſt onus præſidiariorum deprecantibus Campenſibus ac Daventrienſibus, Ordinibus auctor fuit, ut cautione literis conſignatis data, ſe quandocunque proceribus viſum fuiſſet, præſidium recepturos, in præſens onus illud remitteretur. qua re non parvam a Provincialibus gratiam iniit. hæc fere *Thuanus l. 66. p. 279.* &c.

Nummorum hac obſidione, & receptâ urbe cuſorum hæc erat forma:

Hoc







Hoc anno invenio Daventriæ Capituli S. Lebuini Vicarium fuiſſe Lambertum Pithopœum.

Anno cIↄIↄLXXIX. x Febr. præſidio liberata urbe, Senatus Daventrienſis octo civium ſigna ordinavit, quibus centuriones è Senatu, optiones vero è Tribb. pleb. dedit. ex hiſce ſe fuiſſe refert Everardus Hemmingius, centurionem ſuum Conſulem Dorrium Doctorem, vexilliferum Bartholomæum Lentinck, Officiarios Hermannum a Weſicke, Gerardum Bos, Ioannem ab Eybergen, Bernardum Duyvenſhof.

Menſe Martio Io. Dorre Conſul, una cum Euſebio Bentinck Satrapa Iſſelmudæ, Antwerpiam ad conventum Ordinum Generalium ablegatus eſt, ubi inter alia de pacificatione Colonienſi conſultatum fuit. *E Diario ejuſdem Dorrii.*

Hoc anno Præpoſitus Daventrienſis & Archidiaconus Eccleſiæ S. Lebuini, fuit Ditericus a Wytenhorſt, antea Præpoſitus in Elſt, & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis Ultrajectinæ.

Henricus Verheyden, Canonicus S. Lebuini, hujus Præpoſiti in ſpiritualibus & ſecularibus Vicarius generalis. *Ex Actis feud. Præpoſit.*

Anno cIↄIↄLXXX. menſe Februario Conſul Daventrienſ. Dorrius & Ioannes a Steenwijck Ultrajectum ad Arauſionenſium Principem ablegati fuerunt, deprecaturi onus præſidii equeſtris.

Cum autem Rennebergius Groningam proditione in manus Regiorum tradidiſſet, ſollicitatæ ab eodem per literas Tranſiſalaniæ civitates, ex quibus interceptis voluntate ejus perſpecta, mox Sonoij diligentia urbs Campenſium præſidio firmatur. Daventrienſes vero, non contenti ſe armis munire, bellum ſtatuis indicunt. factum hoc XI Martii, qui erat dies Veneris. tunc

tunc enim in S. Lebuini templo, templo Montis qui à S. Nicolao denominatur, omnibuſque cœnobiorum & noſocomiorum ſacellis imagines una cum altaribus confractæ fuerunt~.

Eodem die centuriones è Senatu officio moti fuere, & novi è toto civitatis corpore eorum vice conſtituti, videlicet: N. Steenholen, Wilhelmus Lamberti, Stuirmannus, Petrus Scholier, Bloes, Everardus Hemminck, Reynerus Averenck, Lubbertus Oelbeke~.

XXV Martii, Conſul Dorrius cum Io. a Voorſt denuo Ultrajectum ablegati, deprecaturi onus equeſtrium copiarum, quo tota regio premebatur, & quod Daventrienſibus imminebat, ea de cauſa, quod preſſiorem, quæ urgebatur, Unionem detrectarent~.

Majo & Junio menſibus ſucceſſive idem Dorrius & Ioannes Steenwijckius, tanquam delegati ditionis Tranſiſalanæ ad conventum Ordinum Generalium, Antwerpiæ reſederunt: ubi inter alia de pacificatione per literas Cæſareas propoſita fuit actum, deque erectione conſilii Status &c.

Zwollæ tumultuatum erat, oppidanis præſidium Ordinum admittere recuſantibus, & qui Regiis partibus addicti erant, ruſticis qui Pontificiæ ſuperſtitioni favebant, collectis, Schenckio adventanti, ut iter ad ſe dirigeret ſignificaverant: verum Proteſtantes antevertunt, & Olgeri atque aliorum ductorum auſpiciis ſubito ſumtis armis, forum & B. Michaëlis ædem, Campenſem portam, & rubram turrim occupant, Daventriaque & Campis auxiliares copias evocant, quibus advenientibus Regii fugam capeſſunt, eorumque ædes ſtatim a concivibus diripiuntur~.

VIII Julii Emda accerſitus per Simonem Gaukes ſeniorem Ioannes Matthiſius, & in Miniſtrum Eccleſiæ Daventrienſis ordinarium confirmatus fuit~.

XIX Septemb. cum Zwollæ obſidio immineret, Conſul Daventr. Dorrius & Ioannes a Voorſt celeribus equis Ultrajectum, Amſtelodamum, ac alio contendere juſſi ſunt, auxilia conquiſituri.

IX Decemb. cum de recipiendo Allençonio ageretur, idem Dorrius & Robertus ab Itterſum ablegati fuerunt Hardervicum, ubi delegati regionum Gelricæ ac Ultrajectinæ congregati erant, de receptione Alençonii acturi. adverſus quam eæ quas diximus Provinciæ cum Tranſiſalanis fedus inierunt.

Sub id tentatum a Rennebergio Hattemum, quod a XV haud amplius Ordd. præſidiariis tenebatur, id aſtu Wilhelmi Montfortii urbis Præfecti filii actum, qui XL præſidiarios ex arce Blienbeka cum Fonkero militum ductore nocte in arcem intromittit; & præſidiarios vino obrutos in conclavi concludit. tum è veſtigio ope auxiliariorum in urbem deſcendit, & Hegemannum, qui illac iter faciens Hattemi pernoctabat, alioſque in loco oppreſſos in arcem ducit. quod oppidani Proteſtantes numero factioni impares cum ſilentio diſſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

diſſimulaſſent, Zwollenſes, ductu Iac. Mechlinienſis, cui Daventrienſes & Elburgenſes ſuas copias junxerunt, protinus Hattemum ducunt, & ex urbe VI tormentis admotis arcem pulſant, tandemque XV Kal. Jan. interventu Hegemanni captivi fit deditio, ea conditione, ut præſidiarii incolumes dimitterentur. Lud. Montfortius & Wilhelmus ejus f. inſidiarum machinator captivi retinerentur. ii poſtea Ordd. Geldriæ ſententia, quod fidem datam fefelliſſent, ſecuri percuſſi ſunt, & in IV partes diffiſſi. *Thuan. l. 71. p. 441.*

Eodem anno, Decembri menſe, ut & ſequenti, menſe Januario, Conſul Daventrienſis Dorrius & Robertus ab Itterſum delegati fuerunt ad conventum Ordinum Generalium, Delphos Batavorum, ubi præcipue de receptione Alençonii tractabatur, cui ſeſe Ultrajectini ac Tranſiſalani continuo opponebant. item de erectione conſilii cis Scaldim & Moſam.

Anno CIƆIƆLXXXI. XX Febr. in Feſto S. Petri ad Cathedram Daventriæ à proteſtantibus è collegio Tribb. pleb. ejecti fuerunt, quod Hiſpanis & ſacrificulis magis quam reformatis faverent, Franciſcus ab Hulſen, Helmichius Twenhuyſen, Hermannus Heſſels, Ægidius Vrieſe, Ioannes Bruyns, Ottho ten Stalle, Bernardus a Winſem, Ditericus a Mouwick, Ioannes ter Spil, Arnoldus Huyrninck, Ioannes Kreynck, Gerardus Kremer, Henricus ter Bruggen, Ioannes Iacobi.

Menſe Majo Ioannes Dorrius Conſul Daventr. & Ioannes a Voorſt, ablegati fuerunt ad conventum Ordinum Generalium Amſtelodamum, excuſaturi erectionem proprii præſidii, ac audituri relationem eorum qui in Galliam fuerant ablegati, item ſuper contributionum negocio, regimine ac auctoritate Conſilii Provincialis, nec non reſignatione Archiducis Matthiæ acturi. In hoc conventu inter alia, communibus reliquorum votis declaratum fuit, excidiſſe Regem ſumma quam habuerat in haſce regiones poteſtate, ſolis Tranſiſalanis renitentibus.

Menſe Junio quid Daventriæ ſit actum, ex apographo ſequenti, verbotenus deſcripto cognoſcere licet. ita autem habet:

„ Per Capitaneorum civitatis Daventrienſ. Officiarios & milites Decano, „Capitulo, & Primario clero dictæ civitatis decima Maji, coram Ampliſſ. „Senatu, poſtero die ad horam ſextam matutinalem comparendis, voca„tis. Ibidem præfixo termino, ne alicui commotionis occaſio præbere„tur, comparuerunt, tranquille & pacifice expectantes inſtantiam & pro„poſitiones dictorum Capitaneorum, junctis ſibi (ut vocant) Reformatis, „inter cætera continentes: Quod cum Romana religio prorſus eſſet aboleta, „intantum ut ejus uſus & exercitium in poſterum nullatenus in iſta civitate „eſſet admittendum, & proinde illis tanquam Eccleſiam repræſentantibus, „omnes reditus, proventus, & ſingula quæque bona, tam immobilia quam „mobilia, competere & pertinere, quodque ob eam cauſam Decanus &

,,Capitulum teneretur dicto Senatui omnium bonorum immobilium in-
,,ventarium, & ſuperſtitum Eccleſiæ ornamentorum promptiſſimam &
,,irreluctabilem exhibere oblationem. Tum quoque fructus, Canonica-
,,tus, & præbendæ Domini Bernardi Herinck (ex eo quod apud hoſtem
,,degere aſſerebant) ſibi competere & diſtribui debere &c. Cui propoſi-
,,tioni cum longe lateque rationibus & jure per Clerum replicatum exiſte-
,,ret, illud nimirum abſque præjudicio Capituli & totius cleri, enormi læ-
,,ſione præſtiti juramenti, & Synodorum ſanctionibus fieri non poſſe, nec
,,debere. quibus illi reſponderunt, talem deſcriptionem nullum præjudi-
,,cium ſeu injuriam bonorum poſſeſſioni & adminiſtrationi illaturam, ſed
,,quod, ut alias per privatos Conſules & deputatos Reformatos promiſſum
,,extitit, illa Decano & Capitulo reſervarentur illæſa. Quod reſponſum
,,cum Decano & Capitulo minus arrideret, inhæſerunt priori refutationi,
,,replicantes ex allegatis rationibus, ad dandam hujuſmodi bonorum de-
,,ſcriptionem minime teneri. Verum cum hoc modo contentari & ſatiari
,,non poſſent, ſed vehementius pro ſua propoſitione obtinenda inſtarent,
,,Tandem gravioribus attriti clamoribus & comminationibus perculſi, Ju-
,,ſtiſſimo metu, in viros etiam conſtantes cadente commoti, cum nulla alia
,,evadendi via penes clerum reperiretur, quodque apud Senatum & Tri-
,,bunos ſic decretum acclamaretur, cernentes Capitaneorum & Reforma-
,,torum propoſitum & intentionem aliter ſedari & mitigari non poſſe quam
,,ſi eorum acquieſceretur voluntati, proinde eodem præfato die Capitulum
,,promiſit ſe infra triduum reſiduorum ornamentorum, auri & argenti,
,,nec non ſacrarum veſtium exhibitionem, & bonorum deſcriptionem
,,infra tres ſeptimanas præſtiturum. Tali tamen prævia proteſtatione, ut
,,ſaltem ſit per medium proviſionis & cuſtodiæ, utque reſp. quantum fieri
,,poteſt, per hoc abſque ulla commotione conſervaretur in officio, quod-
,,que ſaltem apud Senatum abſque ulla editione aut permiſſione alicujus
,,copiæ hæc deſcriptio ſopita permaneat, neque ullis rationibus ac modis,
,,directe vel indirecte, manifeſte vel occulte, in parte vel in toto Clerus
,,intendat per illam exhibitionem, renunciare ullis privilegiis, juribus,
,,conſuetudinibus, bonis, aut fructuum & emolumentorum perceptioni-
,,bus, ſed quod totalis omnium Capituli & Cleri primarii perceptio, ex-
,,poſitio, diſpoſitio, & quorumcunque bonorum adminiſtratio ſit & per-
,,maneat penes Capituli Camerarium & Officiarios, tali modo & forma
,,quibus eſt antiquitus obſervatum. Salvo tamen, quod, acquieſcente vo-
,,luntati & decreto Senatus, fructus quatuor abſentium ſupplementatorum
,,Canonicatuum & unius medii ad manus Deputatorum Senatus eroga-
,,buntur. Et ſi Dominus Bernardus Herinck (ut fertur) parti adverſæ ad-
,,hæreat, quod tunc de ejus Canonicatus & præbendæ fructibus (uti ab-
,,ſentis)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ſentis) ſtandum ſit authoritati & judicio prædicti Senatus. Rogantes, „obſecrantes, & per Dei viſcera Ampliſs. Senatum implorantes, requiren-„tes, & obteſtantes, ut præfatum Decanum, Capitulum, Vicarios, & „generaliter univerſum Clerum, tanquam Magiſtratus a ſummo divinæ „Trinitatis Conſiſtorio vocatus, electus & confirmatus, pro more, plebi-„ſcito, jurata patriæ conſuetudine, & jure, in eorum longiſſima, tran-„quilla, & immemorabili ſuorum bonorum, jurium, & conſuetudinum „poſſeſſione, vigore reciproci juramenti Hiſpaniarum Regi Clementiſs. „Principi & Domino noſtro in celſiſſima ſua inauguratione præſtiti, ma-„nutenere, & in vim contractus poſt liberatam ab obſidione hanc civitatem, „tum quoq; virtute ſubſcripti federis religionis & concordiæ, IV Junii Anno „octuageſimo habitæ, in uſu adminiſtrationis & perceptionis ſuorum fru-„ctuum (ut præfertur) ſtabilire & conſervare, nec non in defenſionem & pro-„tectionem recipere dignetur. ut pro æqua inſtantia (forte legendum *juſtitiâ*) „poſt hoc ſeculum immarceſſibilem gloriam ferat & conſequatur. Idq; præ-„cipue, quod dicti Decanus & Capitulum (prout alias frequentius) ſe offerunt „omnibus & ſingulis, qui potius jus prætendunt, pro jure & conſuetudine „hujus patriæ in omnibus foris & judiciis competentibus ſtare juri. Qui-„bus præviis ſolemnioribus proteſtationibus, ſtipulationibus, & promiſ-„ſis, vobis, Clariſſimo, Providis & Circumſpectis viris, Henrico Hoen-„raet, & Hermanno Scherf Jurium Doctori, hujus civitatis pro tempore „Conſulibus in præſentiarum offertur & præſentatur bonorum deſcriptio, „oneribus & penſionibus annuis, quibus prædicta bona gravata exiſtunt, „exceptis. Actum & exhibitum Anni Domini CIↃIↃLXXXI. menſis „Junii XIII.

Sequebatur Inventarium.

Circa hæc, Iſelſtenius, è copiarum federatarum ductoribus, cum ſuis nonnullis & duobus Daventrienſium ſignis, quorum alteri præerat Warmeloüs, alteri Conradus Diterici, circa Daventriam venit, Goram occupaturus. eam tenebant pedites octingenti vel nongenti, quibus accedebant CXX equites Duce Simone Limburgio. Una proficiſcebantur expeditionis auctores, Sallandiæ Satrapa, uterque Ittersum, Conſul quidam Daventrienſis, aliique Tranſiſalani. Iſelſtenius, altero propugnaculo capto, dum alterum quatere inſiſtit, à Martino Schenckio cum magnis copiis inſperato adventante, undique arctè cingitur, &, quanquam, miſſo ab Arauſionenſi, quo inconſulto temeraria expeditio ſuſcepta fuerat, ſubſidio, commeatus penuria tandem deditionem facere cogitur. capti Warmelous, Eſcheda, Conradus, & omnes Officiarii, Satrapa, Nobiles, Coſſ. aliique. & Blyenbekam ſub cuſtodia avecti. milites dimiſſi, fide data, intra trimeſtre contra Phi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Philippum non militaturos. ſed nequaquam dedititiis fides ſincere ſervata. nam ſpoliati multi, & pluſquam centum interfecti, quanquam Schenckius omnem operam daret, quibuſdam etiam ſuorum propria manu confoſſis, ne fidem datam violaſſe merito diceretur. Geſta hæc menſe Auguſto ineunte, poſtquam obſeſſi fuiſſent dies circiter XIV. & jam quatuordecim equos comediſſent, & pane, & cerviſia, qua ſitim ſedarent deſtituti. Erant tamen, qui eos diutius durare potuiſſe inſimularent, cum in propugnaculo ſuo non minus centum equitibus etiamnum haberent, nec ſale, pulvere pyrio, ac lignis calefactoriis deficerentur.

Anno CIↃIↃLXXXII. ineunte vere ab Ordinibus Tranſiſalaniæ delegatus fuit ad conventum conſilii ſtatus cis Scaldim & Moſam Io. Dorrius Conſul Daventrienſis, cui interfuit uſque ad menſem Decembrem.

Hoc anno mortua eſt Daventriæ Lamberta Auguſtinia, uxoris meæ proavia, ætatis ſuæ anno CIV. (ut ſepulcro ejus inciſum legitur) quæ ea fœcunditate fuit, ut viva numerarit CL nepotes. è quibus (ea vis fati) nullus, cum hæc ſcriberem, mas ſupererat, ſed duæ tantum feminæ, uxor mea & ejus ſoror, quæ & ambæ jam diem ſuum obiere. Maritus hujus Lambertæ fuerat tribunus militaris, qui occubuit in obſidione Monaſterienſi, tumultuantibus ibi Anabaptiſtis.

In ædibus Vatebenderi vivis ei inſuper annus attribuitur, ubi hi de ea verſus leguntur in vitro:

Lamme, weduwe van Hopman Auguſtinus eerbaer,
Olt weſende CV *jaer,*
Van haer zijn gheboren even
Anderhalf hondert kindts kinderen by haer leven.

Ex iis qui numero Tribb. pleb. ejecti fuerant anno præcedente, die S. Petri ad Cathedram priſtinæ dignitati poſtliminio reſtituti fuere, Ditericus a Mouwijck, & Arnoldus Huyrninck.

Anno CIↃIↃLXXXIII, menſe Aprili, Io. Dorrius Conſul Daventr. & Gerardus a Warmelo delegati fuerunt ad reſidendum in conventu Ordinum Ultrajecti congregatorum, poſt alienationem Alençonii, conſulturi præcipue ſuper preſſiori Unione, deque contributionibus & exactionibus, nec non federe cum principibus Germaniæ ineundo. duravit hic conventus uſque ad III Maji diem.

XII Septembr. Regii ſtratagemate Zutphaniâ potiti ſunt. poſtridie è civibus Daventrienſibus C. numero egreſſi propugnaculum lateri Gelrico adverſus urbem impoſuere, ita ut hoſtium nullus Iſalam trajicere auderet. id quatriduo tenuere, donec pedeſtres equeſtreſque Ordinum copiæ ſubſidio venirent, quibus receptis, cives ad ſuos regreſſi ſunt.

In

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

In edito Catalogo librorum Doct. Iacobi Thyſii invenio manuſcriptum, cui titulus:

Prælectiones D. L. Honradii.

Ad tit. Digeſtorum de Regulis Juris antiqui, Anno Chriſti cIↄIↄ XXCIII, *die* XXVIII. *Novembris.*

Ad calcem adjectum eſt:

Prælecta & dictata in famoſa Academia Leidenſi, cum eleganti & raro concurſu ſcholarium, finitæ & concluſæ. Anuo cIↄIↄLXXXIV, *die* IX *Junii.*

Lubbertus ille Honradius Daventrienſis fuit, qui non multo poſt graviſſimas obiit legationes, ut videbitur ad annum cIↄIↄLXXXIX. Eum vero in Academia Leydenſi publice profeſſum eſſe non reperio. arbitror ei extra ordinem ad tempus Cathedram conceſſam, poſtquam Doctoris titulo donatus eſſet.

Floruit hoc anno & nonnullis ſequentibus Nicolaus Petri Daventrienſis, qui *Arithmeticam, maxime ſecretiorem, ſive Algebraïcam,* Amſtelodami magna fama & concurſu docuit, laudatus ob ejus peritiam ab Adriano Romano celebri Mathematico. Ejus Arithmetica & Geometria Belgicè conſcripta, excuſa eſt Amſtelodami, apud Cornelium Nicolai, Anno cIↄIↄLXXXIII, cum præfixa ejus imagine ab Henrico Goltzio æri inciſa.

Scripſit & *Introductionem, quomodo intelligendus & ad uſum revocandus uterque Globus, tam cœleſtis quam terreſtris, cum Arithmeticis nonnullis & Geometricis demonſtrationibus.* Nec non, *quo pacto quadrans ſit rite conſtruendus.* Adjectæ ſunt *Tabulæ Sinuum, in Centies* M. *partes computatæ.* Belgice, in quarto. Amſtelodami apud Hermannum Ioannis Mullerum. Anno cIↄIↄLXXXVIII.

Item, *Tabulas examinis auri & argenti ad marcas Trecenſes.* ibid. Anno cIↄIↄXC.

Commentariorum accepti & expenſi rationes, juxta morem Italicum. in fol. ibid. Anno cIↄIↄXCV.

Anno cIↄIↄLXXXIV. menſe Martio, teſtamentum condidit Martini Boedekeri vidua quo facultatum ſuarum maximam partem deſtinavit erigendæ Daventriæ Academiæ vel ſcholæ illuſtri. verba Teſtamenti de vernaculo tranſlata ita habent:

„Nos Henricus Hoenraet, & Egbertus Haemaker, Scabini civitatis „Daventrienſis, & nos Rijckwyn ab Eſſen, & Winoldus a Mouwijck, „tanquam prædiorum poſſeſſores in Velavia, idque juxta novam reforma-

,,tionem ibidem ſancitam, palam teſtamur, coram nobis in Scabinatu, &
,,in qualitate ut ſupra, comparuiſſe Dominam Annam a Twickelo, viduam
,,defuncti Martini Boedeker, Balthazarem Boedeker filium ejus unicum,
,,ipſius ad hanc cauſam electum ac conceſſum tutorem, & dictum Baltha-
,,zarem ſuo quoque nomine, utrumque corpore valentem, & mentis
,,compotem, eoſque in optima & efficaciſſima forma, pro eo ac potue-
,,runt, debueruntve teſtamentum ſuum ac ultimam voluntatem condidiſſe
,,ac ordinaſſe ut ſequitur:

,, Primo dederunt ac dant vigore præſentium Rodolpho a Twickelo, ejuſ-
,,que liberis, nec non tribus liberis ſuperſtitibus Winoldo a Twickel, vi-
,,delicet Dominæ Machthildæ, Judithæ & Annæ ſororibus, ædificium
,,ſuum in Twello, una cum prædiis parvo ac magno, quorum impræſen-
,,tiarum culturam exercet *Warnerus inden Schaeck*, cum omni & utilitate
,,& onere ad ea pertinentibus, inſuperque c c c florenos aureos, qui quot-
,,annis x v florenorum reditum pendunt, è fundo cui nomen *Het Goerkuys*.
,, Veruntamen ea lege, ut legatarii ſupra nominati ex hoc ædificio, prædiis,
,,ac reditu expendant ac exolvant, in manibus proximorum agnatorum,
,,è ſtirpe paterna Balthazaris Bodekeri, qui quidem tunc in vivis erunt cccc
,,thaleros trecenis aſſibus æſtimatos, ac præterea Judithæ a Twickelo ccc
,,flor. aur. x x v i i i aſſium, ob cauſas quibus Teſtantes ad hoc moventur.
,,Dant inſuper duobus liberis defuncti Gerardi a Twickelo prædium ac
,,fundum, in Oerderbroeck, ad viam cui nomen *De Sonne-berg-ſtrate* ſitum,
,,nec non paſcuum cui nomen *den Cloot*. ea conditione, ſi dicti liberi de
,,conſenſu ac voluntate conſanguineorum ſuorum matrimonium contraxe-
,,rint. Sin contra fecerint, hoc legato cenſebuntur excluſi, quod eo caſu
,,cum facultatibus non legatis conſolidabitur ac denuo permiſcebitur. Præ-
,,terea dant Teſtantes Dominæ Gerardinæ a Twickelo in monaſterio Har-
,,derviceno quotannis ad vitam v i flor. aur. & Dominæ Egbertæ viduæ
,,Fertæi donant Anjelotam unam, ſemel tantum erogandam. Adhæc do-
,,nant, idque è ſpeciali dilectione, Dominæ Chriſtinæ vanden Hulſen
,,c. flor. aur. ſemel. per quæ Teſtantes omnes hoſce legatarios agnoſcunt
,,pro ſuis hæredibus, quo ipſo a reliquarum ſuarum facultatum, quas vel
,,jam habent, vel in poſterum acquiſituri ſunt, hæreditate excluſi erunt ac
,,manebunt, quandoquidem & ipſi bonis temporalibus a Deo affatim ditati
,,ſunt. Quod ſiquis dictorum legatariorum, Teſtatricis ejuſque filii ſupra
,,nominati ultimam voluntatem ac Teſtamentum quacunque ratione tentarit
,,infringere, ſive ex parte, ſive in totum, is omnibus ſibi in hoc Teſta-
,,mento legatis fruſtrabitur, ac ſemel, unius Anjelotæ erogatione pro hæ-
,,rede agnoſcetur.

,, Iraque conſequenter: Quandoquidem hæc civitas ab annis immemo-
rabilibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„rabilibus bonæ doctrinæ, & honeſtæ juventutis educationis nomine, cele-
„berrimum ubique nomen adepta eſt, ita ut etiam è civibus ſuis complu-
„res viros doctrina præſtantes habuerit, hoc vero tempore bona inſtitutio,
„defectu ac inopiâ habitantium, nonnihil defecit: ut igitur ei calamitati ali-
„quo ſubſidio proſpiciatur, ac urbs hæc non modo in priſtina ſua celebri-
„tate conſervetur, verum etiam eadem quoad ejus fieri poterit amplifice-
„tur; Idcirco iidem Teſtatores, in honorem Dei Omnipotentis, & civi-
„tatis hujus bonum, ad perpetuam memoriam, & ad fundationem erectio-
„nemque Univerſitatis ſive illuſtris ſcholæ, omnia ſua reliqua bona non-
„donata, feuda, cenſus, reditus, aliave allodiala, nullis exceptis, ubi-
„cunque, & in quorumcunque Dominorum ditionibus, intra aut extra ur-
„bes ea ſint ſita, hæreditario ac perpetuo donarunt, ac donant vigore præ-
„ſentis ſui Teſtamenti ac ultimæ voluntatis: hac tamen lege ac reſervatione,
„quod pro hac ſua donatione in perpetuum obtinere velint, ut XII è civi-
„bus maxime egenis, qui quidem à probis & honeſtis parentibus in hac ci-
„vitate prognati, & à Rectore ac hypodidaſcalis ſcholæ trivialis pro maxi-
„me idoneis habiti fuerint, in eadem Univerſitate ad quinquennium, victu,
„domicilio, & Minervalibus fruantur: Qui porro ejuſmodi loca & reliqua
„jam dicta emolumenta conſequuturi ſunt, ii teneantur huic civitati, de
„ſententia Senatus, in rebus ad quas idonei comperientur, inſervire. Ad
„hæc conſtituentes, ut quocunque tempore loca aliqua, eo quo dictum
„eſt modo, contigerit vacare, proximi hæredes Teſtatorum duos, capitu-
„lum Daventrienſe duos, Magiſtratus autem octo reliquos, omnes probos,
„honeſtos, idoneos ac egenos, Regentibus Univerſitatis repræſentent, quo
„in qualitate ſupra relatâ aſſumantur alanturque. Inſuper volunt Teſtatores,
„ut poſt utriuſque obitum, Senatus, nonnulli è capitulo, duo è proximis con-
„ſanguineis, uno è Secretariis urbis comitati, ædes defunctorum hic Da-
„ventriæ in platea cui nomen *de Aſſenſtrate* ſitas, adeant, ibique omnium
„quæ reperturi ſunt, literarum obſignatarum, ſupellectilis, debitorum,
„aliorumque inventarium (præter Annotationes quas ibidem per Teſta-
„mentum factas invenire erit) confici ac conſcribi curent. Omnium porro
„peculiare facientes protocollum, cujus Senatus, capitulum, & proximi
„conſanguinei, ſigillatim apographum authenticum, ſive, ut appellari
„ſolet *Vidimus*, accipiant, ut ſecundum illud omni tempore rationes ſuas
„inſtituere poſſint. Petentes, ut Senatus operam dare velit, quo Teſtamen-
„tum hoc in omnibus ſuis punctis ſive articulis effective impleatur, idque
„juxta Ordinem à Teſtatoribus, aut ejus defectu, ab ipſo Senatu ad civita-
„tis bonum, ſuper ea re conſtituendum. Minime ambigentes, quin alii opu-
„lenti cives, conſiderato Teſtatorum erga ſtudiorum promotionem affectu,
„incœptum hoc opus ad majorem perfectionem perducere ſint conaturi,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,quo & honori Numinis, & bono hujus civitatis conſulatur. Hoc vero
,,Teſtamentum, hæcque donatio, ita ut præſcriptum, tenebitur, executioni
,,mandabitur, & in uſum perducetur, nimirum ab exceſſu utriuſque Teſta-
,,toris, ac niſi Balthazar prædictus, de recenſitis facultatibus, poſt mortem
,,dilectæ ſuæ matris aliter diſpoſuerit. Citra dolum malum. in fidem litera-
,,rum noſtris ſigillis obſignatarum. Dabantur Anno Domini noſtri cIɔIɔ
,,LXXXIV, XXIV Martii die, ſtylo vet. Subſcriptæ erant: Gerardus Pon-
,,tanus Secret. eratque inſtrumentum originale duobus ſigillis dependenti-
,,bus, in cera viridi, munitum.

Pro copia,

Condewijn *Secret.*

Approbatio ejuſdem Teſtamenti.

,,Nos Ditericus a Wytenhorſt, Præpoſitus & Archidiaconus Eccleſiæ
,,S. Lebuini Daventriæ, Præpoſitus in Elſt, & Canonicus Cathedralis Eccleſię
,,Ultrajectinæ, notum facimus & teſtamur, noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum,
,,Præpoſitorum Daventrienſium nomine, hiſce noſtris literis patentibus &
,,obſignatis, die & dato infraſcriptis, coram nobis ut Domino feudi, &
,,coram feudatariis Præpoſituræ noſtræ infra memoratis, in propria perſona
,,veniſſe ac comparuiſſe honoratum Balthazarem Bodeker, dictæ noſtræ
,,Præpoſituræ feudatarium, & ſuo nomine, & tanquam delegatum dilectæ
,,matris ſuæ Dominæ Annæ a Twickelo, relictæ viduæ defuncti Martini
,,Bodeker, vigore obſignatæ procurationis, ſub impreſſis ſigillis Ioannis
,,Kreynck, & Ioannis Lubbertinck, Quæſtoris monaſterii Hönnepe, tan-
,,quam ejuſdem Præpoſituræ feudatariorum, datæ Anno cIɔIɔLXXXIV.
,,III April. ac poſtmodum exhibitæ prælectæque: Imprimis demiſſe ſigni-
,,ficantes, quo pacto ipſe & prædicta dilecta ipſius mater, teſtamentum
,,ſuum ac ultimam voluntatem confecerint, ordinarintque, coram Hen-
,,rico Hoenraet, & Egberto Hamaker Scabinis civitatis Daventrienſis, nec
,,non coram Rijckwino ab Eſſen, & Winoldo a Mouwijck tanquam præ-
,,diorum hæredibus in Velavia, idque juxta novam reformationem ibidem
,,ſancitam, in dato XXVII Martii Anno cIɔIɔLXXXIV. amice nos
,,rogantes, ut ſibi ſuper eo conſenſum noſtrum concedere, idemque ſuum
,,Teſtamentum approbare, ratum habere ac confirmare ne gravaremur.
,,Quum ergo dictus Bodeker à Præpoſitura noſtra certa bona feudalia, no-
,,mine Tongervelt, Stemmeler, & Leemkuyle, in diœceſi Wye & muni-
,,cipio Tongeren ſita obtineat, iccirco nos noſtrique feudatarii, audito dicto
,,teſtamento, & memorata in ea donatione, ad educandos honeſtorum ho-
,,minum liberos inſtituta, dictum teſtamentum approbavimus ac confirma-
,,vimus, approbamus ac confirmamus ejuſdem tenorem per haſce præſen-
,,tes,

„tes, volentes idem & eſſe & permanere probum, firmum, legitimum, „validumque: hac tamen lege ac reſervatione, ut quotieſcunque dicta bona „feudalia, hujus illiuſve morte contigerint vacare, ſemper à nobis, tan„quam feudi Domino, aut à noſtris ſucceſſoribus præpoſitis Daventrienſi„bus cum conſuetis honorariis eorundem inveſtitura impetretur. reſervato „inſuper nobis, Præpoſituræ noſtræ, & omnibus ſinguliſque circa res ſu„pradictas ſuo jure, citra dolum malum. Quum hæc agerentur, nobiſcum, „Domino feudi ſupradicto, intererant, memorati Ioannes Kreynck, & „Ioannes Lubbertinck, tanquam feudatarii dictæ noſtræ Præpoſituræ, ad „hoc vocati & requiſiti. In fidem veritatis nos Ditericus a Wytenhorſt, „tanquam Præpoſitus & Dominus feudi, ſigillum noſtrum dicto inſtrumen„to teſtamentario transfigi ac ſubtus appendi curavimus. Dabantur Anno „Domini noſtri cIↃIↃLXXXIV. IV menſis Aprilis.

Apogrophum ſupra memoratæ procurationis.

„Nos Ioannes Kreynck, & Ioannes Lubbertinck Quæſtor monaſterii in „Hönnepe, tanquam feudatarii Præpoſituræ Daventrienſis, notum ac cer„tum facimus juxta veritatem palam hiſce noſtris literis obſignatis, die in„fraſcripto coram nobis in qualitate quo ſupra, in propria perſona veniſſe „ac comparuiſſe ornatiſſimam Dominam Annam a Twickelo, ſuperſti„tem viduam defuncti Martini Bodeker, comitatam Ioanne Helmio Secre„tario, ſuo ad hoc electo & conceſſo tutore, ac in forma optima & vali„diſſima, prout juxta jus feudale potuit debuitque, ſubſtituiſſe ſibi, ac plena „poteſtate & procuratione inſtruxiſſe filium ſuum Balthazarem Bodeker, „ſuo quoque nomine, coram Nobili Domino Diterico a Wytenhorſt tan„quam Præpoſito ac feudi Domino Daventriæ compariturum, petiturum„que, ut eidem Præpoſito placeret approbare, ratum habere, permittere „ac confirmare, ejuſmodi teſtamentum ac ultimam voluntatem, qualem „ipſa conſtitutrix, & dictus ipſius filius, coram Henrico Hoenraet & Eg„berto Hamaker, Scabinis civitatis Daventrienſis, nec non nobili ac honorato Rijckwino ab Eſſen, & Winoldo Mouwijck, tanquam prædiorum „in Velavia hæredibus, XXVII Martii hujus Anni cIↃIↃLXXXIV. erexe„rint ac ſanciverint, liceretque ſibi circa hoc negocium facere & intermit„tere, quæcunq; ipſam viduam Bodekeri ſupradictam, ex jure feudali facere „ac intermittere æquum & permiſſum eſſet. Promittebat vero ipſa conſtitu„trix, cum Helmio tutore ſuo ſupra nominato, pro firmo, valido & inviola„labili quovis tempore agnituram, quicquid dictus filius ſuus, & procurator, „hac in cauſa feciſſent, omiſiſſentve. citra dolum malum. In fidem veritatis ſin„guli ſigilla noſtra intra ſpatium harum literarum imprimi fecimus. III April. „die, cIↃIↃLXXXIV. *Io. Helm.* Secret. *Ex lib. feud. Præpoſituræ.*

De Bodekero hoc plura dicentur ad annum cIↄ Iↄc xxx. quo illuſtris ſchola Daventrienſis aperiri cœpta eſt.

xxiv Aug. Moerſæ Comes Daventriæ receptus fuit tanquam Præfectus, de conſenſu Senatus & Tribb. pleb.

xvii Septembr. in quem incidebat feſtum Lamberti, idem perquam honorifice in urbem fuit deductus, ſequenti autem die Veneris Senatus ſplendido convivio & ipſum & equeſtrem Ordinem univerſum, nec non viii centuriones urbanos excepit.

Comes inter Magiſtratum ac centuriones catenam auream diviſit cxxiv annulorum, è quibus c. ad Senatum, xxiv. reliqui ad centuriones pervenerunt. ii erant Steenholen, Leemgrave, Nicolaus ab Eſſen, Stickinck, ter Bruggen, Hemminck, Arnoldus, Grubbe, ſinguli tribus hujus catenæ annulis donati.

Menſe Octobri Conſul Dorrius, & cum eo Voorſt, Tengenagel, & Baſteit Arnemium profecti fuere, deprecaturi agri Tranſiſalani deſolationem, quo in negocio multum laboris Dorrius exantlavit, ac multa hac illac itinera ſuſcepit. prout &, tum ſolus, tum cum aliis ſtrenue allaboravit, conciliandis Omlandicis cum Groninganis. quarum rerum & ipſe commentaria ſe confeciſſe, & in civitatis Itinerariis memoriam aſſervari ait.

Hoc anno obiit diem ſuum Ioannes Matthiſius Miniſter Eccleſiæ Daventrienſis.

Anno cIↄ Iↄ lxxx. Cum Neomagenſes Pontificii ejecto præſidio Comitis Moerſani, urbem Parmenſi tradidiſſent, ac Campis ejuſdem factionis homines periculoſum tumultum excitaſſent, Daventrienſes exemplum veriti, complures Pontificios urbe pepulerunt, quod & aliæ nonnullæ civitates imitatæ ſunt.

xxvii Aprilis, Regii propugnaculum extruxerunt in Iſalæ quodam vado, quod vocant, *Pols-broecx-weert*.

Inter vi. & vii. Septembr. (erant autem dies Lunæ & Martis) noctu egreſſi ſunt cives urbium Daventriæ, Camporum, Zwollæ, Hattemi, Haſſeltæ, cum militum aliqua manu, & arcem *Buxbergen* obſederunt, ac tormentis quaſſarunt. factum hoc die Lunæ, die autem Martis ſequente deditio facta ad victoris placitum. milites qui eam tenuerant, erant numero xxii. qui rapinis ac omni inſolentiæ & crudelitatis genere regionem circumpoſitam infeſtarant. eorum xix. Daventriam deducti fuere.

xxiv Septembris die, Leyceſtriæ Comes magna cum pompâ Daventriam intromiſſus fuit.

Ultima Octobris Regii propugnaculum in Iſala extructum, incenſum à ſeſe deſeruerunt. civium autem Daventrienſium bina per vices ſigna egreſſa, id ſolo æquarunt.

Anno cIↄ Iↄ lxxxvi. menſe Octobri, dum de milite in Hyberna dimittendo

mittendo agitur, Leyceſtrio demonſtratur, haud tutum copias omnes abduci, relicta a tergo ſine præſidio Daventria, hoſteque ei imminente. Ipſos in urbe reformatos cenſere, duas aut tres minimum centurias imponendas, tum contra vim externam, tum pravas Pontificiorum artes, quorum tres quatuorve in magiſtratu. Igitur per Truchſeſium ac Pelhamum cum Magiſtratu Daventrienſi agitare de recipiendo præſidio cœpit. oblatumque, ut ex omni exercitu, quas civitati gratiſſimas putarent centurias deligerent. Cæterum illis obſtinate detrectantibus, quum nihil impetraret Leiceſtrius, mille ducentos Hibernos, inopinantibus civibus duci in urbem jubet, Præfecto Guilielmo Standlæo, nobili Britanno. Ii homines barbari feriſſimique erant, quos unquam aut his aut adverſis in partibus Belgica vidiſſet. Medium corpus nudi, verenda exiguo linteo velabantur, ita ut inclinati, nullam fere partem occultarent. In capiendo cibo beſtiis quam humano generi propiores: & victus ſæpe crudæ, ſæpe meræ ſine pane carnes. Cultus omniſque humanitas aberat: nec Chriſtiano in orbe, ſed in America educatos crederes. Nulla per ſermonem commercia. Ea denique vita, ii mores, ut feros Hibernos, haud injuria ipſi appellare Britanni conſueverint. Chriſtianorum ſacra incognita illis, de miſſa fando aliquid audiverant, ac cæremoniis inhiabant. Præfectus Standlæus, Pontificiorum ſacra amplexus, paulo poſtquam in urbem venit, Reformatorum quoque ac publici boni hoſtibus ſe junxit. In his Petrus Doyſius Decanus, Petrus Bentingius, aliique. Idem ſub Albano, durante hoc bello, meruerat. Iis animadverſis Reformati, qui modicum modeſtumque præſidium exoptarant, ſero ſuam imprudentiam deplorare. quotidiana in cives vis, protervia, injuriæ. Queſtis apud Præfectum nullum auxilium, nihil penſi, nihil moderati. Imprimis manifeſtis periculis objectam religionem omnes miſerari. Pro paucis quippe Pontificiis, qui Magiſtratui permiſti, tanquam noti omnibus ſuſpectique, & pluribus bonorum ſuffragiis nihil dare mali poterant, jam Præfectum habebant diverſæ religionis, cujus in manu urbs, cui ſpreta bonorum conſilia. Mirari prudentior quiſque, quid Leyceſtrium, Reformatorum ſacris, ut videri volebat, tam addictum, moviſſet Pontificium ducem & militem civitati imponere, quæ adverſus Romanenſium Magiſtratuum conatus, ſecuritati ſuæ conſultum cupiebat. quonam conſilio efferatum, ſævitia barbarieque inſigne præſidium in urbe militum inſueta locaviſſet; cui & modeſtiſſimi primo graves fuiſſent, eoque flectendi benigna oratione eſſent, ut oneris hoc admitterent. Nec omittebant Leyceſtrio Ordines hæc aliaque oſtentare, præ cæteris, quod Nuenario Tranſiſalanis, proindeque & Daventriæ Præfecto, ſine injuria eadem in gente conſtitui Præfectus haud poſſet. Cæterum non minus Standlæo quam ante Jorckio in vanum adverſabantur, exiſtimante Leyceſtrio, ſola Britannorum invidia id fieri: ac falſo diffidere iis Belgas: licet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

enim quondam Hiſpanum ſecuti fuiſſent, nunc tamen eorum fidem erga Reginam in dubium non devocandam, eique rei ſuum ſe & corpus & animam opponere. Tum codicillos a. d. XVIII Novemb. conſignat, quibus Standlæo non tantum imperium Daventriæ datum, & poteſtas adminiſtrandi quæcunque cuſtodiam urbis ac juriſdictionem ſpectarent: addito, opus non eſſe, ut ejuſdem gentis præfecto pareat: ſed inſuper, ut conficiendis deſtinatis, ex propinquis Geldriæ, ac Tranſiſalanis tractibus præſidia evocare liceret: juſſaque illa, nullo cujuſcunque Ordinis aut gentis excepto (Leiceſtrii ipſa verba exprimo) Standlæi mandatis obtemperare. Qua re ſupra ipſum quoque Nuenarium Standlæi potentia extenſa. Itaque non Daventriæ modo, verum & Tranſiſalanis imperitabat terris, ut caſtello Zutphanienſ. Præfectus Jorckius, Velavianos agros obtinebat. Traxitque in ſe omnem Præfecti poteſtatem: quin & indictis vectigalibus, vocatiſque ad reddendam munerum rationem quæſtoribus vicinorum locorum, in multis ſupergrediebatur. Quippe nulli præfectorum id juris.

Hæc ex Hiſtoriæ Clar. Reydani lib. V. excerpſi. nunc quæ mihi aliunde innotuerunt, ad majorem rei lucem, adjungam.

Diviſa erat urbs Daventrienſis in tres factiones, Reformatorum, Pontificiorum, Lutheranorum (maxime qui Bergis Norvegiæ negociabantur, ibi enim illius religionis eſt uſus) & Lutherani quidem exercitium publicum petebant, eique templum Montis, quod Nicolao olim ſacratum, ſibi tradi flagitabant. quod cum à Reformatis obtinere non poſſent, cum Pontificiis clandeſtina conſilia moliri videbantur; quam rem periculi plenam ſibi arbitrati reformatæ religionis homines, præſidio militari ſe firmare cogitarunt, quod & obtinuerunt.

XX Octobr. ſtylo antiquo, die Jovis à meridie urbem intrarunt XIII ſigna Anglorum, & Hibernorum è cultiori illius regni orâ. *tamme Yren* vocabantur, quaſi manſuetos hybernos dicas. nocte proxime inſecuta CC hyberni inculti, quos feros vocant, *Wilde Yren.* hoc recepto præſidio, Ordinum delegati, videlicet Truchſeſius nuper Epiſcopus Colonienſis; Meetkercke Commiſſarius; Dominus a Brakel; Mauritius Comes filius Arauſionenſium Principis; & Anglorum Mareſchallus campeſtris è veſtigio Senatum & centuriones urbanos immutarunt. ac primo dignitate moverunt XVI Coſs. quorum hæc ſunt nomina: Ioannes ter Beeck, Gerardus a Brunſvelt, Ioannes Martini, Overenckius, Io. Kiver, Io. a Bockholt, Bernardus a Winſem, Winoldus ter Loe, Giſbertus Lueſſe, Bloes, Io. a Walbeecke, Winoldus a Mouwijck, Macharius Oldeniel, Oelbeke, Henricus a Limbergen.

Sedecim novi Coſs. qui illorum loco fuerunt conſtituti hi ſunt: Io. Gulicker, Egbertus Leemgrave, Iacobus a Bockholt, Everardus Traes, Ioannes

Verwer,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Verwer, Winſemius Junior, Ioannes a Marckele, Ditericus Stickinck, Wilh. ter Bruggen, Henr. a Steenholen, Bernardus a Weſicke, Bern. Marienborch, Ricardus Revius (parens meus) Gualterus à Brenen, Wilh. ter Loo, Conradus Auguſtinus (ſocer meus.)

Octo è veteri Senatu fuerunt continuati, quod reformatæ religioni impenſe faverent, videlicet Io. Heyingius (avus meus maternus) Hermannus Scharf, Wilh. Huyrninck, Io. Breda, Petrus Scholier, Everardus a Bronckhorſt (poſtmodum Profeſſor Juris in Academia Lugduno-Batava,) Nicolaus ab Eſſen, Gerardus Verheyden.

Ex VIII centurionibus urbanis, IV in Senatum allecti, IV vero reliqui & officio, & collegio Tribb. pleb. moti fuerunt.

In Senatum ſunt allecti Ditericus Sticker, Everardus Traes, Egbertus Leemgrave, Steenholen.

Depoſiti penitus fuerunt Everardus Hemminck, Herbertus Dapper, Wilh. Moerbeeck, Wilh. Coſter.

Hiſce omnibus ſuffecti fuerunt VIII centuriones alii, nominatim: Bernardus Huete, Ioannes Meyer, Io. ter Vijl, Hermannus Goſuini, Ioan. Swierſen, Gothardus vander Weyde, Albertus ter Welbarch, Ditericus Heyingius.

Tribb. plebis, qui aliorum ex illo collegio electorum locum occuparunt, fuere: Winoldus Angermont, Iacobus Krijt, Nicolaus Valkenborch, Ditericus Bobbe, Egbertus a Verſſevelt, Io. Ticheler, Io. Dalius, Simon aurifaber, Ottho Roecx, Michaël inden Dulck, Lambertus Hamaker, Andreas a Munſter, Io. Bredenberch, Otto Roeters, Bern. Huete, Gerardus Peel, Gerardus a Bockholt, Io. Barnholt, Henricus ab Elſwick, Gerardus Schuylenburch, Auguſtinus Stevens, Lucas a Beeck, Petrus Temminck, Io. ter Vijle, Matthias Stegeman, Reynerus Scherf, Ger. a Suchtelen, Io. Swierſen, Ditericus Mokinck, Io. a Campen, Alb. ter Welberch, Henricus Snijder, Gerardus Beugeholt, Henr. Scherf, Wilh. Henrici, Wicherus Manten, Bern. a Geſſcher, Gerardus Eylerts, Petrus Meerhof, Matthias aurifaber, Io. Meyer junior, Io. Meyer ſenior, Winoldus Koſt, Hugo a Verſſevelt, Bernardus Egberti, Albertus Coſter, Georgius Sutor, Io. Diterici, Bernardus in't Lam, Lubbertus Paſſius. univerſim L numero.

Eorum qui tum temporis collegio Tribb. pleb. ejecti ſunt, & quibus hi ſucceſſerunt, nomina negat ſe memoria tenere Everardus Hemminck, è cujus diario hæc exſcripſi.

Eodem quo hæc geſta ſunt die, Doct. Dorrius in Senatu Daventrienſi conſulatum depoſuit, quandoquidem a Leyceſtrio, aſtipulantibus Ordd. Generalibus, ad præſentationem Ordinum hujus provinciæ, conſilio ſtatus,

juxta ipſum Gubernatorem Leyceſtrium, cum abſoluta poteſtate in politicis & militaribus, aſſcriptus eſſet, una cum Cancellario Leonino, D. a Brederode, Adolpho a Meetkercke Flandriæ præſide, Henr. a Kilgrey legato Angliæ, Mag. Wilh. Bardeſio, Doct. Sebaſtiano Loze, Jodoco a Teylingen, & Iacobo Valck. hæc è Dorrii diario, qui addit:

Eodem menſe: quum is qui electoratu Colonienſi ceſſerat Truchſeſius, juſſu Leyceſtrii in Angliam profecti, actionem moderante Comite Mauritio & reliquo conſilio ſtatus, me abſente Senatum ac Tribb. pleb. Daventriæ elegiſſet, urbi c I ɔ c c milites Hiberni, (omnibus meis monitis in contrarium inſuper habitis) impoſiti fuere, ſub imperio cujuſdam Wilhelmi Standley nobilis Angli. hæc Dorrius.

Menſe Novembri in Miniſtrum Eccleſiæ Daventrienſis electus fuit Ioannes Gerobulus, de quo ad initium anni ſequentis plura dicemus.

Hoc anno invenio Secretarium & Vicarium Eccleſiæ S. Lebuini fuiſſe Matthiam Setten. Item Volcardo a Monſſima Canonico collatum ſupplementum defuncti D. Henrici Verheiden. *Actis feud. Præpoſituræ.*

Anno c I ɔ I ɔ L X X X V I I. Poſt diſceſſum Leyceſtrii Standlæus & Jorckius magnam cum hoſte conſuetudinem habere cœperant. Quorum hic Ioanni Baptiſtæ Taxio, Zutphaniæ Præfecto, ſæpius lepores ac ferinam mittebat dono: is viciſſim muſto remunerabatur, quod ægre per hiberna Hiſpanorum ad Federatos deferri poterat. Prætextus exiguæ adeo humanitatis, tuto alias ac ſine damno publici inter hoſtes uſurpatæ, occultos quoque nuncios tegebat. Retulitque captivorum unus Magiſtratui Arnhemenſi, Zutphaniæ ſe apud Taxium vidiſſe quem vigiliis Standlæus præfecerat. ii Daventrienſibus ſignificarunt. Ubi monitus à Conſulibus Standlæus, vigilibus præpoſitum in vincula dat, pauloque poſt, non habita quæſtione, dimittit. Erantque eandem ad formam cætera. Impune quidvis Hibernis in cives licere. Ita ut animus Standlæo videretur, multiplicatis injuriis ad iram impellere civitatem, quo ſumtis ad defenſionem armis, ortoque inter militem ac cives diſſidio, perſuaſum finitimi haberent, non proditione, ſed caſu urbem in manus hoſtium delapſam. Civibus vero non aliud adverſus ea remedium erat, quam ut federatis Ordininibus, ac Senatui, intolerabilem eorum violentiam, facinorumque cætera exponerent. Quorum haud è minimis, quod Pontificiorum amplexi ſacra Zutphaniam, hoſtilem urbem, celebrandis iis ſæpe adirent, ubi liberaliter a Taxio habebantur: Multos id civium mutare ſedes compulit, quibus poſtulatum, ut aut præſidio univerſi abirent, aut nonnullæ ſaltem centuriæ avellerentur. Ordines, cum Norritio, qui Britannis præcellebat, re deliberata, Standlæo ac Hibernis ex urbe dimovendis operam, ſed nequicquam, dederunt. quippe ille Norritii literas, quas ut accepta in omnes Britannos a Leyceſtrio poteſtate ſcripſerat, ludibrio habuit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

habuit, protulitque alias à Comite, quæ nullius imperio obnoxium eum teſtabantur. Nec multo ante Gulipinus, Leyceſtrio a ſecretis, libellum tradiderat, quem a Leyceſtrio, ubi occaſio eſſet, tradere ſe juſſum affirmabat: eo potiſſima rerum, de mutandis præſidiis, creandis, atque exauctorandis centurionibus, militumque præfectis, integra ſibi retinuerat Leyceſtrius, prohibito Senatu, quicquam eorum movere. quarta & viceſima Novembris, die eadem qua Senatui regiminis curam tradiderat, libellus is à Leyceſtrio ſcriptus. Unde mirari ſubiit, datam ante poteſtatem nunc adimi, imprimis in rerum graviſſimis, maximique ad remp. momenti; quarum ope perfidum Standlæi propoſitum frangere, ac Daventriam ſervare potuiſſent. Itaque literis ab eodem homine, eadem die, illis in Senatu, his privatim perſcriptis (poſt compertum, à Berkelio toparcha conceptas) angi Senatus, & quam in partem caperet ambigere. Dumque ita incerti aguntur, jamque imminentia pericula, haud ſine dolore, prævident, ipſi contra tendere invalidi, cognoſcunt Standlæum (quippe ſuſpectum ſe gnarus, conſulendi & occaſionis properus erat) a. d. XIX Januarii, juxta veterem ſupputationem, cum equitum nonnullis, noctu, tanquam inſidiis hoſti ſtruendis, urbe digreſſum, poſtridie ſub horam ſextam, nondum diſpulſa nocte, Taxium Zutphaniæ Præfectum, militemque hoſtilem, in urbem perduxiſſe. Turrim Noribergicam, molem amplam, ac rotunda ſitam forma, atque atriorum numero opportunam, trecenti, eo jubente, Hiberni inſederant, ſub ſpecie, oneris parte civitatem ſublevandi; cæterum ut porta eſſet in poteſtate. Senſerantque dolum nonnulli, ſed dementiæ fuerat, negare ei turrim, qui cogere vi poterat. His tot tantiſque incommodis diverſi circa ſacra civium animi accedebant. Ne ipſis quidem Reformatis mens eadem. Nonnulli, quidvis boni ſperantes, nihil mali rumoris aut ſiniſtræ auditionis accipere: quin ſi proditionem aliqui præſentirent, infenſi eſſe, atque arrogantes appellare, qui in peius omnia raperent, eoque & avertere animos, & Standlæum, quamvis bonum, ad iram tamen poſtremo compulſuros. Eâ quæ proditionem præceſſit nocte, civium prudentiores, clam domi excubantes, & ſiquid moveretur, in armis promti ſtetere. Non latere id proditorem potuit, ſi unquam, ſane id tempus, quietis ſomnique expertem. Igitur poſtera die, appellato Magiſtratu, falſo civium nonnullos ſiniſtrum de ſe judicium facere queritur. Simul exquiſitiore oratione ſuam extollere fidem cœpit. Creditaque à Magiſtratu res eſt, qui civium imperitiam excuſatum iere. Dein epulis a Standlæo adhibiti, maximam inter pocula voluntatis ſignificationem & promiſſa faciunt, de ejicienda ex animis omni ſuſpicione. At ſecuta nocte omnem Magiſtratibus dubitationem Standlæus exemit, inducto in urbem Taxio ac milite hoſtili. Jamque inſtructo agmine forum urbis majus occuparant, nondum tamen fides facta Magiſtratibus, certo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

perſuaſis, plures Hibernos, muniendi ſui cauſa, Standlæum acciviſſe. Manſitque opinio, donec miſſu eorum oppidanus centurio in forum venit. quo viſo Standlæus, obviam pergit, bonoque eſſe animo hortatur: etenim nulli nocitum iri. Manu dein prehenſum per mediam aciem ad tertium uſque ordinem perducit, appellatoque Taxio, amicum ſuum eſſe monet, & rogare ſe eum, ut ſuæ curæ eſſe velit. At Centurio, ut nomen Taxii audivit, indignationis plenus, quid, inquit, ergone doloſe adeo proditi ſumus? Tum Taxius præſente Standlæo (nec intellexiſſe mentem dubitari poteſt) nequaquam ſuum, ſed auctoris eſſe ait, rationem facti reddere. Se regi, Domino ſuo ſervire. Mox apprehenſa centurionis dextera, rogat, ut convocare Magiſtratus velit, nemini à ſe damnum fore. Sed eorum nonnulli, ſimulatque de hoſte compertum, urbe exceſſerant. Cæterum Taxium ac Standlæum privatis in ædibus adierunt: queîs ſua ſponte aggregant ſe nonnulli, olim Magiſtratu functi, nunc novarum rerum cupidi. His benigne ſalutatis, Taxius cauſas conveniendi recenſiturum Standlæum ait. Et ille, per interpretem, defenſionem hunc in modum orditur: Conſcientia impulſum ſe regi urbem tradidiſſe, cujus, divina voluntate, propria eſſet. Nec munera, aut dignitates, ſed ſola Servatoris verba ſpectaviſſe, jubentis, & Numini, & Cæſari, ſuum cuique tribui. Hæc cum hæſitabundus, trepidoque ac lapſanti ſermone proferret, manifeſto indicio animi ſibi male conſcii, Taxius, poſtquam munerum ab eo facta mentio eſt, interpellat, agendum de aſſignandis militi hoſpitiis dictitans. Ii inſtructo hactenus agmine in foro conſtiterant, & à præfectis in officio continebantur, licet nullam partem noctis intermiſſo itinere fatigati, accedente inclementia cœli, denſiſque imbribus delapſis. Sub meridiem civium in ædes diſtribuuntur, temperatumque ab omni injuria: ne vim quidem militum auro redimere opus fuit. Soli Hiberni, urbis defenſioni ſacramento obſtricti, in ædium nonnullas irrumpentes, juſſu Taxii laqueo proterviæ pœnas dederunt. Adjiciebat purgandi ſui cauſa Standlæus, nunquam ſe juraſſe in verba Ordinum federatorum (quos nebulones, præſente ac tolerante Leyceſtrio, appellare, ſolenne illi ac Jorckio erat) nec obſequium iis, ſed ſoli Leyceſtrio debere. Non occurrebat ad animum ei, quoties ſtipendia Ordines flagitaſſet, & noviſſime impetraviſſet: in quos perfidia ejuſmodi quamvis nullo dicto ſacramento, nonniſi proditionis appellari nomine poterat. Juramento quoque ſolutum ſe à Leyceſtrio teſtificatus, promſit literas membranæ ab eo inſcriptas, eodem tempore quo præfecturam obtinuerat. His gratias illi pro meritis agens Leyceſtrius, aperte aſſeverabat, ſacramento ſe eum ſolvere, & poteſtatem facere iter quocunque lubitum faciendi. Velle etiam, ut pro viribus quiſq; ſuis neceſſaria ei ſuppeditet, & quo velit ire liberum patiatur. Hæc quo conſilia ſcripta a Leyceſtrio ſint, & perſuaſeritne ei Standlæus, poſſe ſe ob conſuetudinem cum adverſarum partium ducibus communi quondam

dam militia contractam, decipere eos, ſi talibus literis transfugium ſimularet, an quid aliud latuerit, haud pro comperto habemus. Illud certum, uſurpatas a Standlæo excuſando facinori. Hunc in modum Daventria, celebris urbs, & multorum judicio poſt Antwerpiam atque Amſtelodamum, potiſſimum totius Belgicæ emporium, in hoſtium poteſtatem venit. Decennium a civibus ſuis, abſque præſidii, abſque militum ope, diligentius quam ulla cæterarum urbium cuſtodita. In uno ſemper infelix, quod nunquam immunem a Pontificiis, & occulte Hiſpano faventibus Magiſtratum habuit. Dederantque malo cauſam ipſi, dum eximii venerationis adverſum Rectores, nunquam in abrogandis nonnullis receptum morem mutavere, ut factum neceſſario a finitimis civitatibus erat; ſed ſuetum ſequi ordinem ac delectus formam voluere, qua re perpetuo ſequiores aliqui irrepebant. Non tamen civium hæc negligentia cum Leyceſtrii errore comparanda, qui, haud excuſandâ culpâ, ut civium ſecuritati adverſus quoſdam in Magiſtratu Pontificios conſuleret, Præfectum ejuſdem religionis urbi impoſuit, eique univerſam curam. Quippe Pontificii vix damni dare quicquam poterant, ſive auctoritate, ob ſuſpicionem, ſive viribus, ob ſuffragia bonorum, qui numero ſuperabant. Pari ratione nulla in Rolando Jorckio excuſatio, quem olim proditorem, celebri adeo caſtello præpoſuit, quod ſub idem tempus hoſtibus ab eo traditum. Fuere & magni quondam duces proditorum perfidia circumventi, ſed bis decipi ab eodem inexcuſabile. Dignus quoq; memoria amborum exitus, neq; enim diu credita Standlæo Daventria, ſed cum Hibernis urbe excedere juſſus. Poſt in Hiſpania viventem, & miſera ſorte, Belgarum nautæ vidiſſe teſtabantur. Hinc in Belgicam reverſo, vix conceſſum in Hibernos ſuos imperium, qui ſenſim diſtracti, aliis centuriis miſcebantur. Ipſe nonnullis Walonum centuriis Præfectus. Jorckius, ut convivio Daventriæ exierat, in morbum delapſus extinguitur. Fratrem ejus, qui de veneno ſuſpicabatur, ſeque ulturum ajebat, quidam ex Hermanni Bergenſis domeſticis è medio ſuſtulit.

Hiſce, quæ diligenter a Reydano lib. VI. deſcripta ſunt, addendum, quod ante & circa urbem captam geſtum eſt. Quum enim multa & gravia ab inſolenti præſidio civitas pertuliſſet, ac graviora non temere metueret, viſum Senatui ablegare ad Illuſtriſs. Ordd. Ricardum Revium Conſulem, (parentem meum) Gothardum vander Weyden centurionem urbanum, & Petrum Queſenium Senatui a ſecretis, (hæc nomina apud *Borræum bellorum Belg. l. 22. p. 19.* perperam poſita invenies, quæ hinc ſunt emendanda) qui in Ampliſs. Ordinum Hollandiæ conſeſſu, Senatus nomine conqueſti ſunt de diſſoluto regimine Standlæi, ejuſque militum qua Anglorum, qua Hibernorum inſolentia, de colluſione eorundem cum Pontificiis, utque ſtipendio unius menſis, quod acceperant, non contenti, vel ſingulis hebdomadis ſibi ſatisfieri, vel quotidianam alimoniam ſibi ſuppeditari poſtulent,

adjectis comminationibus deprædandæ urbis, ni fiat quod velint. rogare Senatum Daventrienſem, ut Ordines Generales ac Hollandiæ huic periculo maturè prævortantur. Ampliſs. Ordd. non hiſce modo quæ palam dicebantur auditis, ſed & edocti de clanculariis Præfecti molitionibus cum Taxio, cui jam urbem vendiderat, eum miſſis mandatis ad ſaniora conſilia revocare ſperabant: at ille, prolato decreto Leyceſtrii, ſe Ordinum juſſionibus teneri negavit. perculſi eâ re Ordines Ioannem Norrits ablegant, qui, prætextu majoris præſidii immittendi, urbem in poteſtatem red gere tentet. verum Standlæus id agi præſentiens, ſtratagema hoc in ſuum commodum vertit, & ſimulans ſe Norritium cum ſuis Anglis admittere, hoſtem in urbem adduxit, hoc modo: Militibus perſuadet, eo quod ſtipendii ſolutionem flagitaſſent, oppidanos conſtituiſſe ipſos invadere ac opprimere, itaque conſultum videri, ut novo ſubſidio firmet ſe, quo & ſuos ſecuros a Daventrienſium inſidiis præſtet, & eos ad ſtipendii ſolutionem cogat. Eo conſilio ſub veſperam exit, &, ut facilius conatum exequeretur, ex fidis ſibi duplices excubias ante urbis portas diſponit, quorum ope cum mane hora v. cum Taxio ſexcentos ſclopetarios & ccc equites delectos ſecum adducente veniſſent, in mediis tenebris admiſſus, urbem nullo negotio in poteſtatem redactam Taxi conſignavit. A direptione temperatum, tantum civibus ademta arma, ſpe, ut humanitatis exemplum in cæteris urbibus jam inter diſſenſiones Ordinum nutantibus, prodeſſet. Eodem die, quaſi ex compacto, Rolandus Jorckius propugnaculum Zutphanienſe prodidit.

Poſtridie captæ urbis novus Senatus exauctoratus fuit, ac Senatus priſtinus univerſus ejus loco reſtitutus.

Vezekii pater & filius Miniſtri Daventrienſis Eccleſiæ tunc erant, qui continuo urbe exceſſerunt. de his ita Guil. Puppius Orat. didaſcalicæ Præfatione.

Eſt Orientalis Friſius, Bernherus amandus
Vezekius, genuit quando Miniſter eum.
Eſt alias præclara Daventria Vezekiorum
Patria, Bernherus natus in exilio eſt.
Doctrina quantum pollebat & ipſe Poëſi
Id mea non poterit parva Thaleia loqui.
Ille miniſterio fungens, dum vita manebat,
In Boreæ pavit Paſtor ovile plaga:
Patre ſuo cum decrepito curavit Edami
Quem tu laviſti ſanguine, Chriſte, gregem.
Verbo divino Tranſiſula terra patebat
Quando, Daventriaco pavit ovile ſolo.

Prodita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Prodita ſed fuerat cum clara Daventria, ceſſit
Harlingæ paſcens fidus ut ante, gregem.
Suſtulerant illum Parcæ cum ſpicula dira,
Suſcepit gaudens Dîus Olympus eum.
VezekIVs fato BernherVs obeDIt aMaro, &
QVInta qVater, ſeXta eſt (fata fLeo ergo) NI ſan.

Diſceſſit & Carolus Gallus, de quo ad annum cIↃ IↃ LXI. nonnulla habuimus, nunc vero vitam ejus partim è Dedicatoriâ Exegeticæ ejus adverſus Catabaptiſtâs præfixâ, partim è deſcript. Acad. Leyd. ac aliunde petitam recenſebimus. Natus is fuit Arnemiæ Geldrorum, ex patricia familia, Anno cIↃ IↃ XXX, die XVI Auguſt. ubi fundamentis Liberalium Artium, & cognitione Latinæ ac Græcæ linguæ mediocriter excultus, Coloniam Agrippinam ablegatus, ibi initio juri operam dedit: cujus nonnulla cognitione tinctus, cum uſque ad XXV ætatis annum Pontificiis erroribus illaqueatus fuiſſet, miſericordia divina iis evolutus, veræ & Orthodoxæ religionis zelo Genevam conceſſit, ſtudiumque Theologiæ arripuit, ſub præceptoribus Calvino & Beza. Peragrata deinde reliqua Gallia, in Germaniam ſe transtulit. redux in patriam, poſt multa exantlata pericula, Daventriam evocatus, ibi verbi divini præconem egit, ſed turbata ibidem propter Pontificiorum perſecutiones Eccleſia, Anno cIↃ IↃ LXI. a Clivenſium Duce Wilhelmo Hammonam Marchiæ oppidum evocatus, ibi per XVI annos Paſtoris munere in Eccleſia defunctus eſt. paulo poſt vocationem ſuam, Arnemiæ in Pontificiorum manus incidit, qui ei capitis actionem intenderunt, verum Cliviæ Duce per legationem honoratiſſimorum virorum apud illos interveniente, è cuſtodia dimiſſus & Eccleſiæ ſuæ reſtitutus eſt. Inde Anabaptiſtarum, præcipue è Monaſterienſium reliquiis, quibus ſe maſcule opponebat, furorem, expertus, ab iis vexatus, ſpoliatus, ejectus, & calumniis apud omnis ordinis homines eum in modum traductus fuit, ut à Clivenſium Duce dimiſſionem flagitare fuerit adactus, eaque impetrata, Eccleſiam cui præfectus erat relinquere. Quod ipſum in cauſa fuit, cur Exegeticam ſuam adverſus hanc ſectam conſcriberet ac luce donaret. quod factum Bremæ XXVI Aug. Anno cIↃ IↃ LXXVII. Dedicatum autem fuit opus Celſiſſim. memor. Wilhelmo Arauſionenſium Principi. Exinde generoſiſſimi Comites Ioannes Naſſovius Gelriæ Gubernator, & Gulielmus Ludovicus Naſſov. filius, Gubernator Friſiæ &c. item Aula Gelrorum, in turbulenta illa ac triſti rerum tempeſtate, ejus in repurgandis eccleſiis opera uſi ſunt, eumque honeſto ſtipendio ornarunt. Reverſus autem Daventriam, per prodigioſam illius civitatis proditionem exul factus, pia conjuge privatus, omnibus fortunis denudatus, cum numeroſa denique prole in extremas miſerias & anguſtias præcipitatus, Anno cIↃ IↃ LXXXVII, Lugdunum

Batavo-

Batavorum ad publicam Theologiæ Profeſſionem, atque etiam ad Miniſterium Eccleſiæ, una cum filio ſuo Henrico Gallo ſubeundum accerſitus fuit, quod ultimum etſi propter grandiorem ætatem ab ipſo adminiſtratum non ſit, tamen filius ejus ſummo cum honore & fructu ſuſtinuit. In Profeſſione autem Carolus Gallus conſcripſit Clavem Propheticam Apocalypſeos, quam Ill. Principi Mauritio, & Ordd. Hollandiæ inſcripſit Anno cIↄIↄ XCII, VIII Febr. edita eſt Lugd. Bat. typis Raphelengianis anno ſequente, adjectis Theſibus de Antichriſto, quas eo præſide propugnaverat Clar. poſtea J. U. D. & Profeſſor Cornelius Pynackerus, & Tractatu auctoris de Magiſtratu. In Profeſſione Leydenſi per ſeptennium verſatus, poſt ſopitos in patria militares tumultus, patriam repetiit, ubi in præfectura Eccleſiæ Neopaludanæ, quod ſupererat vitæ contrivit, & octuagenario major obiit. filio Henrico ſuperſtites fuerunt duo filii, Carolus & Hugo Galli, quorum ille, U. J. gradu, & Conſulatu Leydenſi clarus, hic Miniſterio Eccleſiæ Vollenhovianæ fideliter adminiſtrato, beatas animas Deo reddiderunt. ſupereſt filia ejus quem deſcripſimus Caroli Galli, Rachelis nomine, quæ in virginitate ad magnam pervenit ætatem, & paterni ingenii æmula, edidit nonnulla ad poſteritatem lingua vernacula. è quibus ſunt. *Syrach in locos communes digeſtus.* item libellus cui nomen, *den Paelſteen der Philoſophen*, ubi agit de diſcrimine Philoſophiæ & Theologiæ &c.

Non ingratum, opinor, lectori erit, in Exegeticam Caroli Galli adverſus Catabaptiſtas, Petri Reidani Doctoris Medici noſtratis carmen. ita autem habet:

Ergo laborantes denſæ caligine nubis
Sic Anabaptiſtæ obſirmato pectore, terras
Irradiante hodie divini lumine verbi,
Attamen exorta redamant in luce tenebras?
Sicne jacent craſſis immerſi erroribus, unquam
Vt retuliſſe pedem nequeant? tam fœda fatigans
Illuvies menteis immanibus, occupat umbris?
Sive Deus cordis nebulam permiſit habendam,
Semina ſive Antichriſtus lethæa reſolvens
MENNO, *ſuos caroſque graves, putreſque veternos*
Fudit, & arva meris fœdavit Teutona nugis:
Perventum ad ſummum eſt, valido nimis agmine ſecta
Crevit, & has cogit juſtas fudiſſe querelas.
Longa Monaſter! quis prœlia neſciat urbis
Mota Anabaptiſtis, & tanti incendia belli?
Vt pravis illic animis ignobile vulgus

Sæviens

Sævierit, medio Regemque furore crearit,
Regem, qui totum ſub leges mitteret orbem,
Telluremque, fretumque omni ditione teneret?
Ex illo fecem Weſtphalia fovit alumnam,
Relliquiaſque ſuas, numero quæ poſtea adaucto
Pellexere iterum plures ad ſchiſma, ſuavi
Verborum lenocinio, lingueque lepore,
Tenta quibus multam traxere ad retia prędam.
Errorum veluti nimium fœcunda propago
Spargitur inſtabile in vulgus novitatis amicum.
Moraviæ Catabaptiſtis pars plena, pudore
Omni depoſito, nihil aurea ſcita veretur
Scripturæ oblinere, & ſanctas evertere leges,
Sive errore novo capta eſt, tenebriſque ſepulta,
Seu potius ſcelus eſt, animiſque volentibus errat.
Ferreus eſt, duraſque gerit ſub pectore cautes,
Hyrcanæ labio fera ſuxit & ubera tigris
Qui nihil afficitur præcordia lignea, damno,
Quod lacerata lupis Eccleſia luget amaris,
Veſte gemens ſciſſa, ſanctos turbata capillos.
Cœcus & eſt Phineus & lumine captus utroque
Qui nondum videat quantum peperere malorum
Oceanum ſectæ, quas propter condito ab orbe
Cumque Dei populo reſpublica plurima, ſemper
Aut bene compoſitis mutata eſt legibus, aut eſt
Funditus everſa, & gladiis exciſa cruentis.
Nempe vides, ut nunc etiam diſcordia partes
In varias animos diſcerpat, & omnia turbet.
Aſpice ut hinc illinc ſtudia in contraria paſſim
Scindantur placitis ſectæ diſcordibus, inter
Se oppoſitæ, ſua dum ſtudiis inventa tueri
Adverſis tendunt, certæ concedere nulli,
Inque ſuas certent alios convertere partes
Seductos. proh! quanta animis diſcordia gliſcit!
Quam tenui, quam raptim ingens exorta favillâ
Vndique ſeditio cœlo caput extulit altum
Protinus, & terras regnat bacchata per omnes!
Bella tot hinc nobis furioſa, fameſque, lueſque,
Et mala, quæ toto late diſſeminat orbe
Magni Antichriſti ſummus Deus ultor & oſor,

Triſtitiæ dat ſigna ſolum, dat pontus & æther,
Signa polo nec ſunt alias conſpecta ſereno
Plura, nec inviſi toties arſere cometæ.
Fas quia nunc verſum atque nefas, furor undique Martis
Fulminat. en ſcelerum turbam! vix ullus aratro
Eſt honor, ejectis ſterileſcunt arva colonis,
Inque enſem potius falces conflantur acutum,
Armaque, queis ardent magnæ civilibus urbes.
Quid memorem, quam ſit manifeſti lampade ſolis
Clarius, hęreſeôn alias prodire quotannis
Formas? ut quondam, fingentibus, Hydra, Poëtis
Vulneribus fœcunda fuit Lernęa, nec ullum
De multis adeo caput eſt impune reciſum
Quin gemino cervix hęrede valentior eſſet,
Herculea natis aliis è cæde colubris.
Vt qui ſufficiant explodere dogmata falſa
Pluribus indigeat Chriſti pia ſponſa patronis.
Quos Deus eſt nobis orandus ut excitet, amplam
Plurima defœdent poſtquam Zizania meſſem.
CAROLVS *illorum magnum pro parte virili*
Nunc extirpavit numerum, cœleſtibus armis
Codicis è thecâ ſacri locuplete petitis,
Et clypeo veri conſtante, quod objicit hoſti,
Cujus & arcanos voluit recludere ſenſus,
Amotiſque palam nebulis oſtendere ſolem,
Vt miſeros Anabaptiſtas in nocte jacentes
Obſcura, erigeret pius, in lucemque vocaret,
Palanteſque, proculque errantes tramite recto
Per rara inveheret ſupero divortia cælo.
Adfer opem Deus his, tuaque alta ediſſere ſenſa,
Ipſe ades, & menti te protinus inſere captæ,
Luminis atque novi tandem ſplendore rigatæ.
Et noſtris inſynceri ſi mentibus hæſit
Quicquam, diluere id liceat; nos effice & illos
Vnum omnes: ſimul infuſa quò luce fruamur,
Et poſitis odiis, eadem foveamus ubique
Vnanimes: jubar æternæ inviolabile lucis
Quęramus, viteque inhiemus fine carenti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ipſius Galli in eandem ſuam Exegeticam Epigramma votivum:

CAROLVS, *ob victum morbum, partamque ſalutem*
Hunc cantum GALLVS, *te duce, Chriſte, canit.*
Vt victis ſectis tandem meliora ſequamur,
Atque piis poſthac ſit ſua tuta quies.

Ioannes quoque Gerobulus, exigui temporis miniſterium, ac urbem ipſam, deſerere fuit adactus. quæ de eo reperire potui, hæc ſunt, è Præfatione ejus in Paraphraſin Pſalmorum Theod. Bezæ ab ipſo verſam & Principi Arauſionenſium ac Ordd. Generall. inſcriptam petita: Prima, inquit, „mea ſedes fuit Delphum Batavorum, ubi cogor fateri, primam dilectio-„nem in multis, etiam primariis tantam fuiſſe, ut liceat mihi cum Apo-„ſtolo dicere (Gal. 4. 15.) *Teſtimonium reddo vobis, vos ſi fieri potuiſſet, oculos* „*veſtros effoſſos daturos mihi fuiſſe.* Poſt diſperſionem, tam præclara, licet bre-„via initia ſpiritualis hujus Dei agriculturæ inſecutam, quum Deus exules „ſuos reduxiſſet (Anno cIↃIↃLXVII. menſe Aprili) multis quidem ac „diverſis Hollandiæ urbibus (prout in ejuſmodi reſtaurationibus fieri aſſo-„let) temporarium miniſterium accommodavi, ut qui nondum ab ordi-„naria mea functione in Friſia Orientali (Anno cIↃIↃLXXII) miſſio-„nem impetraſſem. Tandem tamen, anno ſequenti (cIↃIↃLXXIII) „legitime vocatus fui ad civitatem Fliſſinganam, in qua etiam florem ætatis „meæ per duodecennium integrum conſumſi. Inde dimiſſione à Magiſtratu, „Eccleſia & Claſſe debitè accepta, poſt certum tempus Civitas & Eccleſia „Harlingana (Anno cIↃIↃLXXXVI) peramanter me recepit. Unde me „(eodem anno, menſe Novembri) Deus O. M. ad intenſiſſimas preces, & „per ſeriam vocationem Magiſtratus & Eccleſiæ Daventrienſis, ſingulari „ſua providentia, ad ſublimiorem honorem gratioſe pro ſua benevolentia „pertraxit: *dans* mihi ibidem *in Chriſti negotio, non ſolum in eum credere,* ac „eum prædicare, *ſed etiam pro eo pati.* (Phil. 1. 29.) meque pro ſua fide-„litate corroborans, ut in triſti optimæ illius urbis deditione, *direptionem* „*eorum quæ mihi ſuppetebant* (quantalacunque eo mecum attuleram) *cum* „*gaudio exciperem.* (Heb. 10. 34.) Exinde me Dominus Harderovicum, „pro tempore devexit, atque inde abducto, in celeberrimâ civitate Ultra-„jectinâ, ordinarium verbi ſui miniſterium impoſuit. Scripta fuit hæc Dedicatio XXVII Auguſt. Anno cIↃIↃXCVI. Plura de hoc Gerobulo habet Clariſs. Triglandius *Hiſt. p.* 701. 798. 803. 804. ubi qui volet legat.

Octavo poſt proditionem die, novi Tribb. plebis dignitate moti, veteres poſtliminio reſtituti fuerunt. quæque novi conſtituerant, ex actis reſecta & abolita fuerunt.

xxx Januarii Coſ. Daventrienſ. Senatum Campenſem per literas ad defectionem ſollicitarunt.

Secunda Februarii, quæ eſt dies Purificationis Mariæ, Daventriæ ſtylus Gregorianus cœptus fuit uſurpari.

ix Febr. ſtylo novo, Standlæus & Jorckius tanquam proditores ab Ordinibus proſcribuntur, circa quod tempus Standlæus ſcriptum edidit, quo ſe apud oppidanos purgabat, neque ob Daventriam Philippo legitimo & hæreditario ejus Domino reſtitutam, proditoris ſibi ignominioſum nomen inuri debere contendebat. id jam pridem conſcientia urgente apud animum ſuum conſtituiſſe. proinde, quod fecerit, cum jure fecerit, reprehenſionem non mereri.

xii Febr. Taxius per literas idem apud Campenſes tentat, quod ante tentarant Coſ. Daventrienſes, utrique ſine effectu.

xxii Febr. in feſto Petri ad Cathedram, Everardus Hemminck, Ioannes Bruyns ſenior, Doctor Kiſtemaker, Mag. Io. Helm, Iacobus a Lith, & Macarius Pinninck, in Senatum allecti fuerunt.

Menſe Martio Norrits urbem Daventrienſem aſtu occupare molitus eſt, ſed detecta re, & nonnullis militum ſuorum deſideratis, ab incœpto deſtitit.

Ad viii Aprilis diem (*in Actis feud. Præpoſituræ*) nominatur Michaël à Viſbeke, Canonicus & Theſaurarius Cathedralis Eccleſiæ S. Lebuini Daventriæ, tanquam a Rever. Dominis Decano & Capitulo ejuſdem Eccleſiæ, poſt reductionem, & Præpoſiti diſceſſum, in ſpiritualibus & ſecularibus cauſis conſtitutus ac continuatus Vicarius univerſalis.

Idem titulus ad x Octob. &c. tribuitur Bernardo Herinck. Anno CIↃ IↃXC. VII April. dicitur, Dom. Heringius, nomine Rev. Capituli, *ſede vacante*, præpoſiti perſonam repræſentare.

Idem tamen Ditericus a Wytenhorſt feuda contulit uſque ad annum CIↃ IↃXCV. VIII Jannarii pleriſque inſtrumentis ſubſcriptum eſt, Actum Zwollis. Scriba feudalis nominatur, Adamus Caldembachius.

xxiii Junii, qui erat Vigilia S. Ioannis, incidens in diem Martis, Ioannes Oert Friſius, Tranſiſalaniæ Cancellarius, nomine Regiæ Majeſt. Senatum mutavit, abdicatis iis qui mox recenſebuntur. cauſam abdicationis Hemmingius ait ſe comminiſci non poſſe, cum certus ſit eos adverſus Regiam Majeſt. nihil commiſiſſe, putat autem religionis cauſa hoc eis contigiſſe, ac nominatim, quod in feſto Sacramenti, quod vocant, pompæ amburbicæ non interfuiſſent. Coſ. depoſiti hi ſunt: Wilhelmus Huerninck, Io. a Beloes, Breda, Martenſen, Limborch, Ger. Verheyden, Ioann. a Bockholt, Iacobus a Lith, Reinerus Overenck, Kyver ipſe dignitatem depoſuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Eorum loco Coſs. creati ſunt, Arnoldus Huerninck, Michaël ab Irte, Io. Ooſtendorp, Io. Huygen, Henr. Iacobi, Io. ter Bruggen, Otto ten Stal, Io. a Werven, Winoldus ab Eenſchate, Henr. a Merwe, Gerardus Kreyinck.

Poſtridie, qui erat XXIV Junii, in feſto Divi Ioannis, ad dimidiam horam campana templi maxima, & campana curiæ impulſæ fuerunt, quo peracto, in ſuggeſtu è quo promulgationes fieri ſolent, conſtitere Taxius, Cancellarius, Graphiarius, Camerarius urbanus, duo Coſs. pro tempore repræſentantes totum Senatum. ibi prælectum, conſtitutos eos ac delectos à Regia Majeſt. verba faciente Secretario Daventrienſ. Bernardo Luninck, qui è Secretariis unus aderat. Mox eadem hora prælectæ fuere literæ veniam commiſſorum continentes, prout ſequitur:

„Philippus &c. Notum facimus omnibus præſentibus ac futuris, quo „pacto, ope Dei Omnipotentis civitate noſtra Daventrienſi impræſentiarum „reducta ſub noſtram obedientiam, ante omnia requiri cenſemus ut diſpi„ciatur de iis quæ ſpectant ad ejuſdem civitatis, civium ejus & incolarum „tranquillitatem, utendo erga illos noſtra gratia, lenitate, & conſueta mi„ſericordia, licet cum eis quoad hoc nullum pactum, nulluſve tractatus „fuerit initus, ipſique ratione exceſſuum & exorbitantiarum ibi commiſſa„rum adverſus nos ſupremum eorum Dominum, & Principem naturalem, „abunde commeriti fuerint ut exemplariter punirentur. Iccirco nos, præ„eligentes in hoc gratiam ac miſericordiam adhibere, quam rigorem juris, „præſertim conſiderantes, dictam civitatem, poſt originem ultimarum ha„rum turbarum, vi violenta obedientiæ noſtræ fuiſſe ſubtractam; bono ac „maturo judicio Conſiliorum noſtrorum Status & Secreto, & deliberatio„ne admodum dilecti noſtri amici bonique cognati, Parmæ & Placentiæ „Ducis &c. equitis Ordinis noſtri, Vicarii, Gubernatoris, & Capitanei „generalis, ignovimus corpori & communitati dictæ noſtræ civitatis Da„ventrienſis, ejuſque civibus in univerſum, agricolis & ruri in propinquo „ejus commorantibus, qui vel fuga in eandem civitatem Daventrienſem ſe „receperunt, vel in vicinis pagis habitarunt, ac deinceps ſe continebunt „ſub noſtra obedientia, & juxta decreta noſtra vitam inſtituent, omnibus „ac ſingulis cujuſque ſtatus, qualitatis, aut conditionis, omnia delicta „omneſque abuſus, quos durante hac rebellione, eorumque cauſa forte, „commiſerunt, quocunque modo aut ratione id factum fuerit, non minus „quam ſi ii omnes hic particulatim recenſiti & commemorati eſſent, con„donantes iiſdem ac remittentes omnes pœnas, corporales, criminales, ac „civiles, quas ob cauſas antedictas incidiſſe cenſeri poſſent, ipſoſque porro „recipientes in gratiam, & reſtituentes in facultates ſuas, nomen ac fa„mam, nec non in bona ſua mobilia, & actiones intactas ac non receptas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ut & in bona ſua immobilia adhuc extantia, ad iis utendum, fruendum,
„a tempore promulgatæ hujus veniæ, iis modis eaque ratione, qua factum
„ab iis, antequam ea de quibus dictum eſt eveniſſent. Quod autem attinet
„corpus & communitatem dictæ civitatis, ejuſque facultates ac reditus,
„etiam quoad hoc utentes miſericordia noſtra ac liberalitate, è ſingulari
„noſtra gratia, donavimus eis ac remiſimus omnes confiſcationes quæ hiſce
„de cauſis ad nos erant devolutæ, ut ab hoc die, iis utantur, fruantur,
„prout bonos ac fidos adminiſtros facere æquum eſt. reſervantes nihilo-
„minus, non eſſe noſtram ſententiam, per hæc, dictæ civitati, civibus,
„aliiſque qui hiſce literis venialibus comprehenduntur, reſtitui eas præten-
„ſiones actioneſve, quibus nos noſtrave dominia ipſis cenſentur obligata,
„quamcunque tandem ob cauſam; quæ prætenſiones perpetuo & hæredi-
„tario pro extinctis & abolitis habebuntur, noſque & dominia noſtra ab iis
„ſoluta, exonerataque. Quod porro ad chartas, privilegia, politias & con-
„ſuetudines dictæ civitatis, ordinavimus ac ordinamus, ut eadem civitas
„iiſdem debite utatur, fruatur, prout fecit antiquitus, ante natas haſce
„turbas. idque per modum proviſionis, donec chartis eorum, privilegiis,
„formâ regiminis & conſuetudinibus viſis & examinatis, aliter a nobis circa
„eaſdem fuerit ſtatutum, prout ad obſequium noſtrum & quietem dictæ ci-
„vitatis, ex jure, juſtitia & politica æquitate convenire judicabimus. Quo
„fine volumus ac mandamus, ut dictæ chartæ, privilegia, conſuetudines
„& uſus, aut authentica eorum apographa deponantur ac tranſmittantur
„in manus dilecti ac fidelis noſtri Aulæ-præſidis, ac virorum dicti noſtri
„ſecreti conſilii, intra trimeſtre ſpatium a promulgatione præſentium: ſub
„pœna earundem chartarum & conſuetudinum nullitatis & invaliditatis.
„Porro, quandoquidem ante omnia alia, par eſt erigi ac reparari Eccleſias,
„aliaque loca religioſa & conſecrata, cultui divino & excitandæ devotioni
„populi inſervientia, quæ durantibus hiſce turbis & ultima hac rebellione
„in hac dicta civitate Daventrienſi confracta, expilata, aliterve ſcandaloſe
„violata fuerunt, iccirco ſeria noſtra voluntas ac placitum eſt, ut circa hoc
„quamprimum provideatur, omniaque illa bono & debito ſtatui reſtituan-
„tur, ſumtibus communitatis ac incolarum dictæ urbis, tam quoad ex-
„tructionem, quam reparationem, & debitum ordinem. Quæ puncta uni-
„verſa, quoſve articulos volumus ac jubemus perpetuo inviolatos obſer-
„vari. Mandamus iccirco ac præcipimus dilecto noſtro ac fideli Aulæ-
„præſidi & viris conſilii noſtri arcani & ſtatus, Gubernatoribus, Cancel-
„lariis, ac Conſiliariis noſtris per Tranſiſalaniam, omnibuſque noſtris ju-
„dicibus, juſtitiariis, ad quos id ſpectabit, ut præſentem noſtram veniam,
„condonationem, indulgentiam, declarationem & conſtitutionem, ſub
„conditionibus, modis, ac rationibus ſupra memoratis, obſervent & ob-

„ſervari

„ſervari faciant, juxta ipſius formam ac tenorem, neque quicquam adver-
„ſus eas faciant, aut fieri permittant ullum impedimentum, neque nunc
„neque futuris temporibus, non obſtantibus quibuſvis legibus, ſtatutis,
„privilegiis, conſuetudinibus aut uſibus in contrarium. Quoniam ita pla-
„citum eſt nobis. Utque res hæc firma, conſtans, ac immota perſeveret
„in perpetuum, ſigillum noſtrum hiſce appendi fecimus: reſervato in cauſis
„aliis jure tum noſtro, tum ſuo unicuique. Datæ in urbe noſtra Bruxel-
„lenſi, menſe Februario. Anno Domini noſtri cIↃIↃLXXXVII. Regni
„noſtri &c.

Quod in hiſce literis Rex ſibi reſtituendas reſervat eas prætenſiones actioneſve, quibus ejus dominia Daventrienſibus cenſeantur obligata, id videtur reſpicere libellum hunc ſupplicem Deputatorum Provinciæ ad Ducem Parmenſem, cujus apographum ex Hemmingii diario, è vernaculo verſum ſubjiciemus:

„Remonſtrant cum omni demiſſione Deputati regionis Tranſiſalanæ,
„quo pacto ſub exortum harum turbarum, ſua Majeſtas, ac conſequenter
„Præfecti ærario, aſtu ac inſidiis Daventrienſium inducti, eidem civitati
„oppignorarint ſummam, imam, ac mediam juriſdictionem, juſtitiam,
„jus, dominium, dependentia a tractu Colmeſchatenſi, & ad dictam ſuam
„Majeſt. proprietatis jure pertinentia, iiſdemque Daventrienſibus in perpe-
„tuum vendiderint magnum quoddam ædificium, cui Aulæ nomen, in
„eadem urbe ſitum, dependens, & annexum dictæ celſitudini, juri, ac do-
„minio. quæ quidem aula ſola, locus fuit, in quo olim Domini Tranſi-
„ſalani, nunc vero tua Majeſtas in dicta urbe juriſdictionem habet. Quæ
„res ſane geſta fuit ad maximum præjudicium & imminutionem auctorita-
„tis ſuæ Majeſtatis & ejus dominiorum, adverſus jura, ſtatuta, & privilegia
„dictæ ditionis. qua de cauſa Nobilitas, Ordinis equeſtris nomine appellata,
„hactenus aſſiduas contentiones ac lites adverſus dictos Daventr. exercuit.
„Quum autem dicta nobilitas reſciverit, Daventrienſes ferventer flagitare
„à ſua Celſitud. ac ærario Præfectis, ut reſtituantur in dicta jura, celſitu-
„dines, juſtitias, juriſdictiones, dominia, & aulam, ac eouſque perve-
„nerint, ut obtinuerint literas (ut vocant) adviſi, dictus Ordo equeſtris
„conſtituit memoratos Remonſtrantes, deputatos ſuos, ad petendum à Cel-
„ſitud. tua, prout ab ea quam poſſunt ſubmiſſe petuit, quandoquidem im-
„præſentiarum dicta jura, juriſdictiones, celſitudines, dominia, & aula,
„jure belli a Daventrienſibus ad ſuam Majeſt. revoluta ſunt, ne ſua Celſit.
„aut ærario præfecti in prætenſiones eorum aut conditiones conſentiant,
„ſed ea quæ recenſita fuere poſtliminio in perpetuum conjungant & appli-
„cent dictis dominiis, prout antehac fuerunt: obreptitiam videlicet oppi-
„gnerationem, ac venditionem dictarum ſummæ, imæ ac mediæ juriſdictio-

„num

„num (prout una juriſdictio jam pridem a ſua Majeſt. donata fuit Ioanni „cuidam Woerdano) Satrapiæ Sallandiæ, & dicta dominia ac Aulam ejuſ„dem Sallandiæ Quæſturæ. Saltem nequid in hoc negocio inconſulta nobi„litate ac Ordinibus Provinciæ Tranſiſalaniæ iis placeat ſtatuere. Quod ſi „fecerint &c.

Quid ad libellum hunc ſupplicem reſponſum ſit non invenio, ſed videtur ejus ratio habita, ut dixi, in Diplomate veniali. Porro magnificas ædeis, quas ſub Aulæ nomine commemorant, videtur Senatus poſtea diruiſſe. Supereſt tamen domus mediocris in qua Prætor Colmeſchatenſis habitat, cui etiamnum nomen *het Hof.* & ab hac aula nomen ſortita eſt proxima platæa, *de Hof-ſtrate.*

XXIX Junii die, qui Petro & Paulo ſacer eſt, Daventriam intrarunt tria ſigna militum Gallo-Belgicorum, quibus de victu proſpicere, aut vero ternos aſſes in ſingulos dies ſuppeditare cives adacti fuere.

IV Julii Godofridus de Mierlo, Epiſcopus Harlemenſis ſecundus Daventriam venit, Eccleſias ibidem reconciliaturus.

VII Julii Eccleſiam S. Lebuini, ejuſque cœmeterium & altare conſecravit.

XXIV Julii Dorrius, reſidens adhuc in conſilio ſtatus, cui non multo poſt renunciavit, electus fuit in Quæſtorem Sallandiæ; loco Mag. Roberti vander Beeck defuncti, ac in manu Gerardi a Warmelo Satrapæ Sallandiæ, coram delegatis Ordinum, in urbe Campenſi juramentum præſtitit, ac vades dedit Ioannem Witte, & Lambertum ter Cuylen. Campis autem, poſt proditam Daventriam uſque ad mortem vixit.

XXIII Decembris die, Cancellarius Ioannes Oert, Regiæ Majeſtatis nomine collegium Tribb. pleb. immutavit, unicuique tribui aſſignatis VIII viris, qui antea ſolebant eſſe duodeni.

Sæpe Leyceſtrius opulentum Standlæum, annuaque decem florenorum millia habere in bonis jactaverat, quo non ambigendum de fide ejus oſtenderet, qui tantarum in Britannia facultatum jacturam facere poſſet. Suffeciſſent opes eæ miſeris Daventrienſibus, qui domo, fortunis omnibus, ac mercatura exuti, tolerare iis exilii tempore inopiam potuiſſent. Itaque rati haudquaquam reginam egentium miſericordiâ id auxilii denegaturam, quando nullo ſuo impendio, id eſt, de proditoris ipſius facultatibus præſtare poterat, duos inſignes pietate viros, è Magiſtratu unum, alterum divini verbi præconem, Londinum impetrandis Standlæi bonis miſêre. Cæterum ii ne obtento quidem ut audirentur, poſt paucas hebdomadas, re deſperatâ domum reverterunt. Ipſe Walſingamus, qui ab arcanis Reginæ erat, non lectas eorum literas faſſus eſt, & videbatur fœdum adeo Britanni flagitium diſſimulare apud Reginam Senatus velle. Etenim publice in eo Belgarum legatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

legatis objectum, Britannos qui in eorum terris militarent, Ordinum incuria ad extremam delapſos famem, ita ut omnis ſpei egenos auxilium ab hoſtibus petere neceſſitas compulerit. quibus verbis excuſatum quodammodo Standlæi facinus ibant. Sed animoſe ab Legatis reſponſum eſt, Standlæum non egeſtate (etenim paulo ante à pecunia, à veſte illi; à commeatu proſpectum urbi fuiſſe) verum perfidiâ hoſti Daventriam prodidiſſe. Britannos ægros per oppida ab Ordinibus diſtributos, benigneque habitos, ubi convaluiſſent, dato ære ad ſigna remiſſos eſſe. cæterum fuiſſe, qui emendicata ſtipe quam ſub ſignis vivere mallent, taliumque extinctos nonnullos, quos aureos aliquot Anglicos veſtibus inſuiſſe compertum ſit.

Quod de uno Conſule, & altero Euangelii præcone in Angliam ablegatis refert Reydanus (è quo hæc excerpſimus) de eo ita comperio: Conſulem eo miſſum Io. Heyngium, & cum eo urbanum centurionem Bernardum Hute, an, & quis Euangelii Miniſter eos comitatus fuerit, pro certo reſciſcere non potui.

Anno CIƆIƆLXXXVIII. XI Januarii, Henricus a Laer, Canonicus Eccleſiæ Cathedralis S. Lebuini in urbe Daventrienſi, tanquam à Capitulo ejuſdem Eccleſiæ, poſt urbis ad partes regias reductionem, & diſceſſum Præpoſiti (loco Bernardi Heringi Canonici, qui ab hoc actu celebrando ſe excuſaverat) ſpeciali inſtructus auctoritate, delegatuſque, præſentibus viris feudalibus infra nominandis, contulit Matthiæ Settero Canonico, & tanquam Seniori reſidenti, nullum habenti ſupplementum, ſupplementum illud, quod per obitum Michaëlis Viſbequii Canonici vacabat, & ad ipſum devolvebatur. Matthias autem Setterus Præpoſito, ad uſum Præpoſituræ, obſequium ac fidem juramento promiſit, omni modo, quo bonum vaſallum Domino feudi ſui promittere æquum eſt, reſervata Præpoſito ſua Præpoſitura, & unicuique in hiſce rebus jure ſuo, citra dolum malum. Cum hæc eo quo dictum eſt modo peragerentur, intererant Wilh. a Graes, & D. Iacobus Uten-Enck tanquam Canonici & feudatarii ejuſdem Præpoſituræ, ad hæc vocati & requiſiti. Actum anno & die ut ſupra. *Acta feud. Præpoſit.*

IV Kal. Mart. Daventriæ & vicinorum locorum præſidiarii, tempeſtatis beneficio uſi, cum aquæ paſſim gelu ſtarent, aſſeribus per glaciem ſtratis, & ſcalis admotis, noctu Hattemum tentaverunt. jamque primi in mœnia enixi, ac oppidum ingreſſi, victoriam inclamabant, cum cæteri qui ſequebantur globo tam conferto incubuerunt, ut glaciem nimio ſuo pondere fregerint, quo caſu plerique conatu irrito aquis hauſti perierunt.

V Martii Bernardus Heringus Canonicus, & tanquam Vicarius &c. contulit D. Ponto Heutero Canonico, & tanquam Seniori reſidenti nullum habenti ſupplementum, ſupplementum illud quod morte Michaëlis Viſbequii vacabat, & ad ipſum devolvebatur, quod nuper D. Matthiæ Settero fuerat

collatum, qui jam, vigore certæ tranſactionis ab eo deſtitit eique renunciavit. Pontus autem ejus nomine obſequium & juramentum in forma præſtitit, reſervatâ &c. Actum præſentibus vaſallis, D. Wilhelmo Graes, & D. Iacobo Utenenck Canonicis. Anno & die ut ſupra.

Eodem die, Bernardus Heringus, tanquam ad majorem certitudinem & approbationem, deintegro contulit D. Gerardo Bruyns, tanquam ſeniori reſidenti, nullum habenti ſupplementum, ſupplementum illud, quod obitu D. Everardi ten Holte Canonici vacabat, & ad ipſum devolvebatur, quod & antehac eidem, teſtante protocollo cauſarum feudalium, collatum fuerat. Et juravit in forma, reſervata &c. Actum coram præſentibus vaſallis, anno & die ut ſupra.

Ipſa die Pentecoſtes, tempore meridiano federati è publico paſcuo Daventrienſi quod vocant *den Teuge* abegerunt circiter Iↄ x x vaccas, quarum ſingulæ quindenis thaleris redemtæ fuerunt, redeunte ſumma, adnumeratis ſumtibus, ad VIII M. thaleros. quibus recipiendis, & Lochemi in manus federatorum conſignandis, inter alios delectus fuit Ever. Hemmingius.

XXIV Junii, Generoſus Comes Philippus ab Hohenloo, Io. a Duvenvoorde D. in Warmont &c. Admiralius Hollandiæ; Florentius a Brederode, D. in Cloetingen; D. Nicaſius Silla, Conſiliarius & Syndicus Amſtelodamenſis, & Lubbertus Honradus Daventrienſis J. U. D. ablegati fuerunt, ad alloquendum novum Daniæ Regem Chriſtianum, ſuper morte parentis ejus Friderici ſecundi, eique gratulandum novum regnum, nec non amicitiam ac ſocietatem Illuſtriſſimorum Belgii Ordinum prolixe offerendam. ad Principes item aliquot Germaniæ, ad ſollicitanda ſubſidia Navarræ Regi adverſus ſacri federis factionem. qua legatione feliciter peracta, Amſtelodamum rediere XXVIII Decembr. excepto Comite Hohenloïo, qui ad tempus in Germania, non tam ſuo, quam noſtrarum regionum commodo, permanſit.

XVIII Aug. Bernardus Heringus contulit Ponto Heutero Canonico S. Lebuini Daventrienſ. &c. tanquam ſubſtituto procuratori Othonis ab Egmont Satrapæ Sallandiæ, ad uſum principalis ſui D. Hayonis Dominici, tanquam Canonici dictæ Eccleſiæ, ſupplementum illud quod per obitum D. Wilh. a Graes Canonici, vacabat, & ad dictum ſuum principalem mortis cauſa devolvebatur. Pontus porro, nomine ac loco ut ſupra, obſequium ac juramentum præſtitit &c.

XXIX Novembr. in profeſto S. Andreæ federati currus aliquot annona & mercibus onuſtos, Daventria profectos intercepere, quamvis deducentibus CCCC peditibus, quibus imperabant IV centuriones, Sampirmondus, Nicolaus, Iacobus Schellerus, Apremontius, omnes Gallo-Belgæ; aderat & optio San-Victorii, vexillo Germanorum Præfecti, nomine Steenbachius, alter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

alter item optio Villerii cum XXXV carabinis (quos vocant) centuriones hi & optiones omnes capti ſunt. Signifer autem Don Rodrigii cohortis equeſtris quæ à vexillo rubro nomen habebat, ductoris, lethalem ictum accepit, ex equitibus autem ejus, tam lanceariis quam carabinis, pauci fuerunt deſiderati; verum ex aurigis, militibus, civibus circiter centum cæſi. Adhæc nacti ſunt C. præter propter currus, ſiligine, hordeo, frumento, vino, mercibus ſericeis, laneis, monilibus aliiſque rebus onuſtos. currus etiam una cum equis, quibus inter alios vehebantur Ordinum delegati, videlicet Gerardus a Winſem optio, & Henr. a Markel, ita ut luctuoſa hæc dies fuerit Daventrienſibus, ratione cæſorum ac ſauciatorum, qui in urbem deferebantur.

Anno CIↃIↃLXXXIX. Giſbertus Coverincx Theologiæ Licentiatus, & Eccleſiæ S. Ioannis Buſcoducenſis Decanus, accepit nominationem ad Epiſcopatum Daventrienſem, omniaque ad confirmationem neceſſaria præparari fecit, quæ Romam tranſmiſſa fuiſſent, niſi anno ſubſequente civitas à Comite Mauritio occupata fuiſſet. itaque ad reſidentiam non pervenit. refert *Arnoldus Havenſius lib. de Erect. nov. Epiſcopatuum in Belgio.*

Menſe Junio, Ordines BelgI Generales Doctorem Lubbertum Honradium Daventrienſem in Germaniam miſere ad Landgravium Haſſiæ, Ducem Io. Palatinum, Principem Anhaltinum, Ducem Saxoniæ, Io. Fridericum Stetiniæ Ducem, Marchionem Brandeburgicum, Julium Brunſvici Ducem, Henr. Julium Brandeburgi & Boruſſiæ Ducem, Ioannem Ducem Sleſvici, Holſteniæ Adminiſtratorem, Adminiſtratorem diœceſeos Magdeburgenſis, cum literis fiducialibus, ad expedienda cum ipſis haud levis momenti negocia, nomine harum regionum, ac promovendum fedus cum Rege Navarræ. Scripſerunt Ordines Generales collegio rei maritimæ Amſtelodamenſi, ut Honradium armata & inſtructa navi Bremam perduci curarent, quod & factum. v. de hac legatione, deque ea quam ad annum ſuperiorem recenſuimus *Borræum Hiſt. Belg. lib.* 24. 25. 26.

VI Auguſti die, qui Dominicus erat, federati compaſcuo Daventrienſium agro abegerunt circiter CCC vaccas, & XXX aut XXXII jumenta.

Anno CIↃIↃXCI. Expugnata Zutphania, conſilium Ordinibus ac Mauritio fuerat, devectis terra machinis Covordiam circumvallare, intentatâ Daventria, ut quæ valentior Zutphaniâ, præſidio mille minimum ac ducentos milites, Præfectum magni nominis Hermannum Bergium haberet. Sed quia duûm tantum miliarium ſpatio a Zutphania aberat, & promtum tormenta flumine eodem rapere; imprimis quod ſubita Zutphaniæ deditio ingentes progreſſus & proſpera cuncta polliceri videbatur, Daventriam peti placuit, explorandis hoſtium rebus; &, ſi urbe potiri non daretur, caſtellum amni imponere, coërcendis eorum excurſibus in agrum Velavianum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Duodecimo Kal. Jun. ad urbem ventum eſt: copiæque, pars ſupra Iſalam, quem egregio è navibus ponte noſtri junxerant, pars inferius, ubi alter quoque pons navalis amni incumbebat, conſederunt. Quatuor, quinque centuriæ locatæ latere eo quo Velaviam urbs reſpicit. Rurſum alio tractu ad collem, cui a patibulo nomen, ſedes attributa duabus legionibus. Caſtra univerſa quatuor caſtella intercedebant, ita ut pedibus equove circuire urbem eſſet. Primis diebus nihil eorum quæ ſueta oppugnantibus noſtri tentavere. Non munitiones ductæ, non aggeres jacti imponendis machinis; quoad transfugæ ex urbe, quique vicina loca habitantes a paucis diebus in ea fuerant, Mauritio retulere, diſtractos contentionibus Germanos ac Walones milites, ob ſtipendia, quæ ſæpe his numerata, illos deſideraſſe dictitabant. Ne urbi quidem a neceſſariis ullo modo proſpectum. His motus, experiri fortunam, & diem unum ſumma tormentorum vi fatigare obſeſſos ſtatuit. Juvit huc ſpes concepta de præſidio Zutphanienſi, quod Daventriam ingreſſum, non modo non fortius eam defenſurum, ſed & timorem cæteris injecturum rebatur: & volenti Liaukamæ fore, ſi Daventria dederetur; ut ſocietate culpæ ſuum delictum ſublevaret. Ita machinæ duædetriginta, Tŏgæ, ad fauces portus, & Marſchæ, ſupra Iſalam imponuntur. Separatim ad hæc in Tŏga, quatuor medii generis tormenta collocata, quæ in otio reliquorum prohiberent ne onerationi intentos noſtros conſpicere oppidani aut laceſſere telis poſſent. Tertio Kal. Jun. ut primum lux albeſcebat, ordine tormenta accenduntur; initio facto ab his, quæ Marſchæ impoſita: deinde è Tŏga machinæ, poſtremo quaternæ, quas ſeorſim collocatas diximus, ſonuerunt. Horum violentia porta Arenaria, & quæ haud procul obtuſiori murorum angulo turris inſiſtebat, convellitur: & ruina erat apta faciendæ irruptioni. Secunda diei hora, cum globorum amplius millia quinque effuſa eſſent, educitur in aciem miles: cujus ducendæ ſors Anglis obvenit. Una difficultas ſupererat, in ſuperando portus ore, quinquagenis in latitudinem pedibus patenti. Injicitur navi pons, quo tecti milites nautæque navigium in portum adigerent, & utrique eum ripæ imponerent. Jamque deſtinatum in locum impulſa rate, proſpere cuncta ſuccedebant, cum intempeſtivus Anglorum calor omnia corrupit. Quippe nihil moræ paſſi, dum adhuc marginibus amnis pons applicatur inſiliunt, & vehementi impetu ad ripam adverſam ruunt, adeo ut auctor operis inſiſtentium pondere ſuperatus, ſolido jungere pontem nequiret. Promtior quiſque præcipiti ſaltu ſe in terram demiſere: tardius conantes, ad x. aut XII. in aquas devoluti, flumine hauriuntur. At qui in ulteriorem ripam evaſerant, in his Potterus, centurionis Mekerchi ſignifer, ingentibus animis, & evolutis vexillis in disjecta mœnium connituntur. Cæterum ut nullos ſuorum ſuccedere adverterunt, * in navem ſe recipiunt. Continenter interea tormenta

non

non ut ante ſimul omnia, ſed ordine diſplodebantur, in turres urbis, domuumque ſublimiores, aut feneſtras, unde notabantur emiſſa ab hoſtibus tela. Sed maxime petita mœnium ſtrages, ubi explicata vexilla, & impetum excepturi præſidiarii procul cernebantur. Stabant ii medio inter civium domos ac lapideum murum ſpatio; cujus avulſa tormentis fruſta pro telis quoque, & magno oppidano militi damno erant. Nihilominus & animis & numero validi defenſores, vallum compleverant: nudatique & noſtrorum jactibus patentes, miſſilia ſtrenue ingerebant, admirando cum contemtu globorum, quis è machinis petebantur. Audaciam eorum ebrietas accenderat. Nam Hermannus Bergius vini & cereviſiæ pinguioris cados aliquot mœnium in ruina conſtitui, militemque pro lubitu ſemet implere juſſerat. Ipſum quoque ſemipotum fuiſſe poſt obſidium comperiebatur. Itaque promtus & ferox ad quævis ſubeunda, donec effuſo, grandinis inſtar, lapidum imbre, in humum proſtratus, affuſis oculorum utrique tenebris, domum deferretur. Signiferi duo, ac totidem nobiles, qui lateri ejus aſtiterant, periere. Tandem noctis interventu machinæ conquieverunt. Sed Mauritius, certus prælii poſtera die redintegrandi, acribus validiſque cuſtodibus pontem ſepſit. Quem cum ſibi exitiabilem præviderent oppidani, eruptione noctu facta (nec tamen animis aut viribus, queis in tanta neceſſitate oportuerat) injiciendo igni, aut univerſæ moli diſturbandæ concurrunt. Forte Guilh. Naſſovius id metuens, ut cuncta adverſum hoſtilem vim firmaret, noctu eo ipſe adierat; qua cura effectum ut, nequidquam tentata re, hoſtis repelleretur. Igitur ſpe potiundi pontis dejecti, quum potorum in locum vigiles ſobrii ſucceſſiſſent, non ignari periculi ſui, poſtridie necdum diſpulſis nocturnis tenebris, tympanotriba in caſtra miſſo, paratos ſe colloqui de urbis deditione ſignificant. Datum iis, ut Bergius cum omnibus copiis, vexillis, & impedimentis diſcederet, & quocunque vellet, ſine injuria aut maleficio deduceretur. Id decima die accidit poſt admotum urbi exercitum. Civium nulla in pactis mentio facta; properus, an ira, Bergenſis prætermiſerat: tamen liberaliter à Mauritio habiti, & urbs à prædatione prohibita. Proxima Magiſtratus cura. Lectique in eum Reformati exules numero XVI. Nam ut receptus numerus impleretur, quia tertia parte ſuperabat, haud reperti tot, noſtrorum ſacrorum homines. His poteſtas facta, municipum cuſtodias è civium potiſſimis delegendi, & in verba ſua adigendi. Diſcedens Bergius, adeo ademtum ſibi viſum Gulielmo Naſſovio querebatur, ut agnoſcere quenquam nequiret. Poſt tamen, operâ Medici, quem Oldeſaliæ agitanti Mauritius Daventriâ miſerat, oculorum alterum recepit. Is igitur in tabernaculo Mauritii hoſpitaliter exceptus, inter cætera ſermonum ad Guil. Naſſovium jecit, ſæpius & ſibi & Verdugo affirmatum creditumque, non eſſe vires federatis ad cingendam obſidio alicujus nominis urbem, aut juſto cum

tormentorum numero movendum ex hybernis. at nunc experiendo diverſum didiciſſe. Subriſit Naſſovius, &, ſatis, inquit, cognate, cuncta veſtra declararant mihi, noxium quondam vobis Geuſiorum contemtum fore. Nec ingratum eſt, ex ore tuo cognoſcere, quam vera ſenſerim. Bergius his auditis, quaſi tantillum dixiſſe pœniteret, ad alia flexit. In urbe, ſimulatque exercitus admoveretur, dictitaſſe Hiſpanum centurionem ferebant, novam hanc bellandi rationem fore, oppugnatorem & defenſorem urbis cognatos eſſe: oſtentationi dimicaturos, ſed facile mox redituram eis concordiam. Ea ut Bergio nunciata, altiſſime penetrarunt, & tota nocte inter curas exacta, poſtridie ſacra parari jubet: quo, convocatis Ducum ac centurionum cæteris, injuriam ſibi fieri obteſtatur, ſi vel in leviſſima ſuſpicione animus ſuus cuiquam ſit. Approbabit, inquit, incorruptam fidem hæc Creatoris mei hoſtia, qua veſci, meque obſtringere volo, quamdiu ullus in hoc corpore ſpiritus ſupererit, mentionem dedendæ urbis non facturum. Certe mœnia hæc non ante, quam ex ruinis, veſtris manibus elatus, deſeram. Vos etiam hortor, imitamini exemplum, & credite tum demum utiles vos Principi veſtro Miniſtros fore. Ita ſacramento ſe omnes obſtringunt. Nec vanus promiſſo Bergius, cuncta egregii ducis ac militis munia implevit. At non par ſtudium Hiſpano, cui ſumma vigilum cura. Etenim ille ſtante in mœnium ruderibus Bergio, circumire civium ædes, eoſque bacillo ad inſtaurandum vallum compellere haud omittebat, pericula ipſe vitans. Liaukama, Zutphaniæ antea Præfectus, ut Daventria fœderatorum in partes conceſſit, è veſtigio Coloniam profectus eſt, urbem ab hoc bello ocioſam. Et voluiſſe hoſtes comprehendere eum ad reddendam deditionis rationem, ex Verdugi literis poſt compertum eſt. E noſtris centurio Mekerchus occubuit, domo nobilis, & expectationis ſummæ, non ſtrenuus tantum manu, & belli artibus, ſed ſcientia liberalium diſciplinarum & plurium linguarum inſignis. Extinctus inſuper Douwa Aluwa nobilis Friſius, & gregariorum cum eo militum centeni in acie interfecti. Etiam pontis Architectus, præcipiti Anglorum impetu, qui nec monentis vocem audierant, nec ſpatium applicandi pontis dederant, nudata corporis parte, excuſſa è mœnibus glande transjectus periit. Haud explicuerit quis urbium Zutphaniæ Daventriæque miſerandam ſpeciem. Deſolatæ civitates, dirutæ disjectæque domus. civium plerique pertæſi petulantiam militarem alio demigraverant; quorum diſceſſu vacuis ædibus evulſa ligna ferramentaque miles aut vendiderat, aut adverſum hyberni frigoris ſævitiem concremaverat, licet uberrimis ad lignandum campis urbes cingerentur, imprimis Zutphania, ubi domuum vix tertia quæque violentas manus effugerat. Daventriæ pars tertia corrupta aut everſa. omniumque opinio ferebat, ſi alteram hyemem ſub hoſte manſiſſent, & præſidii numerus augeretur, defuturas fuiſſe

domos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

domos recipiendo militi. perinde ac ſi jam pridem retinere eas deſperans, Geuſiis vile lucrum, & vix quicquam ullius pretii in iis relinquere voluiſſet. *Reyd. l.* IX.

Notatu digna eſt monomachia quæ durante obſidione incidit inter Lud. Catullum, filium D. Ryhovii Gandavenſis, & equitem quendam Albanenſem. Is ex urbe progreſſus, unumquemlibet ex obſeſſoribus ad ſingulare certamen lanceâ & enſe committendum provocabat. quod quidem vetabat Mauritius, at Ryhovius impatiens dedecoris, veniam tandem ab eo impetravit provocatori caput objectandi. concurritur, & fruſtra lancearum impetus. quibus abjectis, cominus enſibus res geri cœpta. Albanenſis, tormentulo, præter arma condicta, inſcio Ryhovio instructus, id in Ryhovium diſplodere nititur, qui felici ictu ei dexteram qua tormentulum tenebat amputavit, ac captum adverſarium, qui ſe victum fatebatur, ac aurea quam geſtabat torque victoris ſui cervicem onerabat, ad Mauritium perduxit; qui eum, ut qui abunde temeritatis ſuæ pœnas luiſſet, liberum cum epiſtolio ad Præfectum dimiſit.

Quod de immutato Senatu habuimus, id ita actum eſt: Quicunque in urbe permanſerant, eo, atque etiam collegio Tribb. pleb. fuerunt excluſi, ſoli exules admiſſi. Senatus hactenus XXIV viris conſtabat, quorum XII Scabini XII Conſiliarii indigetabantur. hoc imminuto numero, ad XII Scabinos & IV Conſiliarios à Mauritio fuit redactus. Tribunorum plebis antiquitus VIII fuerant tribus, à præcipuis urbis plateis nomina trahentes, in quorum ſingulis XII perſonæ. Anno vero cIↃIↃLXXXVII urbe ad obedientiam Regis reducta, Cancellarius collegium Tribb. pleb. eatenus imminuit, ut ſingulæ tribus VIII tantum perſonis conſtarent. Tandem à Mauritio recepta urbe, numerus Tribb. pleb. denuo acciſus eſt, ſenis tantum in ſingulas tribus viris conſtitutis.

Hi porro in Scabinos fuerunt electi: Ioannes Heyinck, Hermannus Scharf Doctor, Petrus Scholier, Ioannes Verwer, Everardus Traeſſen, Conradus Auguſtinus, Bernardus a Weſeke, Ditericus Sticke, Iacobus a Bockholt, Martinus Stegeman, Engbertus ter Bruggen, Otto Roeckx.

Hi in Conſiliarios:

Hermannus a Windeſem, Herm. Goſuini, Petrus Temminck, Io. ter Vyle.

Meetkerchus, de cujus obitu ſupra actum, in templo S. Lebuini, juxta fratrem ſepultus eſt, cum hoc Epitaphio:

CONSILIO ET ARMIS.

Nicolao & Antonio, nobilis viri Adolphi a Meetkercke, præſidis Flandriæ, filiis, Brugenſibus, qui ambo pro patria fortiter occubuere, Balduinus & Adolphus fratres natu minores Commilitones poſ-

OBIERUNT.

Hic in obſidione propugnaculi ad Zutphaniam, tormento verberatus, Non. Octob. ſtylo novo M. D. LXXXVI. *annos natus* XIX *menſes* V.

Ille in oppugnatione Daventriæ, ad impetum ultro inter primos vocatus, ſclopetoque ictus III. ID. JUN. M. D. XCI. *annos natus paulo minus* XXX. *cum prius Tribunus milit. in expeditione Luſitanica, auſpiciis Reginæ Angliæ ordines duxiſſet.*

Ad rerum hoc anno geſtarum memoriam nummum Ordines Generales cudi fecerunt in hanc formam:



Duo penes me ſunt autographa, literarum quibus ſocer meus Conradus Auguſtinus Amſtelodamo, quo conceſſerat, Daventriam revocatus fuit, quas hic ſubjiciam primæ autem ſunt Secretarii, alteræ ipſius Senatus.

,, Honoratiſſime, prudentiſſime, amantiſſime D. Compater: Innotuit ,,tibi, quam clementer Deus hanc civitatem liberarit. Quum autem poſt- ,,liminio in Senatum ſis allectus, ut ex adjunctis literis intelliges, peto quam ,,poſſum demiſſe, ut animo lubenti te huc conferas, ac patriæ urbi, debi- ,,tum patrocinium præſtes. Facile quidem judicare poſſum, malle te eo onere ,,exemtum eſſe, verum cum id fieri nequeat, & vocatio ſit honorifica, rogo ,,ut ſupra. Plures alii in te reſpecturi ſunt, te tergiverſante & ipſi tergiver- ,,ſabuntur. utrique fruſtra. Acerrime enim juſſit Princeps, ſiquis abnuerit ,,reverti, ut extremo cum rigore citetur. Novit Dominus, & mihi gratius ,,fore, munere meo hoc in loco exonerari, quam ſecus, ſed ita placet S. Ex- ,,cellentiæ, quapropter ut ei animum applicem flagitat neceſſitas, ac ſpero, ,,Deo adjuvante, me probe, honeſte ac fideliter eo defuncturum eſſe. In-

„ſertas literas è veſtigio tradas velim : ſumma earum eſt, rogare nos ad „tempus Kuchlinum aut alium verbi divini Miniſtrum nobis abſque mora „concedi. Si eum tecum adduxeris recte feceris. Meo quoque nomine ad „Senatum Amſtelodamenſem ſcriptum eſt, ut paucorum dierum moram „patienter ferant, ſalvo unicuique ſuo jure. quandoquidem hic à ſecretis „nulli ſunt. Rogo, ut & ipſe Coſ. convenias. Mag. Adolphus Donc- „kelius mihi auxilium præſtat, ac ſpero eum in officio ſuo continuatum iri, „qua de re nullus dubito. qnid aliis eventurum ſit, penes Dominos eſt. „Non poſſum te (Compater) de rebus omnibus ſcripto certiorem facere. „Coram latius.

„Hoc mane motis caſtris petitur Tubantia, ubi cum bono Deo plures „victorias Princeps adepturus eſt. Significari ei curavit Verdugius, ſi „propugnacula Goræ, Schulemburgi, & Rechteren ſolo æquare velit, ſe „præſidia ſua inde abducturum. Verum non exiſtimo nidos illos obſidio- „nem, nedum aſſultum expectaturos. Ne Aldenſalia quidem reſiſtet. quid „Stenovicum & Covordia acturæ ſint, tempus docebit. Spero me intra octi- „duum ad vos venturum. frater tuus collegio Tribb. pleb. aſſcriptus eſt.

„Poſt. datum :

„Comes Hermannus eſt Aldenſaliæ, is hic è laterum muralium diſſilienti- „bus fragmentis vel alterius oculi, vel etiam vitæ periculum incurrit. Me- „dicum noſtrum accerſiri fecit, & impetravit commeatum, ad arcem „Ulſtam ſe conferendi. Intelligenti pauca. Vale. Raptim Daventriæ „v. Junii, cIↃIↃxcI.

Tuus obſequio promto ac perpetuo

I. Pueys.

„Honoratiſſime, prudentiſſime, faventiſſime amice, Quandoquidem „providentiâ Dei Omnipotentis hæc civitas ab hoſtili præſidio liberata eſt, „& S. Excell[a]. de Naſſauwe, Clementiſſ. noſter D. Præfectus, de conſilio „DD. delegatorum equeſtris Ordinis ac civitatum, heſterno die nos tecum „in Scabinos & Conſiliarios elegit atque ordinavit, noſque debitum jura- „mentum præſtitimus; ac ſummopere neceſſarium eſt, ut & tu & alii in Se- „natum allecti vos huc è veſtigio conferatis, Iccirco petimus, nec minus „ordinamus, ex mandato S. Excellentiæ per præſentes literas, ut continuo, „aut ad ſummum intra octiduum te huc ad nos conferas, ac eodem modo, „quod æquum eſt facias. Qua in re placebit tibi minime negligentem eſſe, „quandoquidem neceſſitas ut ita fiat exigit. Deus Opt. Max. te incolumem „ſervet. Datæ v. Junii cIↃIↃxcI. ſtylo antiquo.

Coſ. Scabini, & Conſiliarii civit. Daventrienſis.

XXVI Octob. reformata fuit Eccleſia, & inſtauratum Synedrium.

IX Novembr. decreta reformatio ſcholarum, & Præceptores in reformationis articulos jurare adacti.

XXIII Novembr. decreta vocatio Franciſci Schurckmanni ad miniſterium Eccleſiæ, erat is tum temporis eccleſiaſtes in Nieuwenhuys. fuit autem ſcripto invitatus à Michaële Keckio Hertenſi, Daventrienſis Eccleſiæ adminiſtro.

Anno CIƆIƆXCII. Kal. Jan. rogatus Wilhelmus Wirtzveldius, Paſtor quondam Rhenenſis, ut miniſterium ſuum Eccleſiæ Daventrienſi ad tempus commodaret.

IV Jan. reformationem acceptarunt præceptores, Paulus Hautenus ſcholæ Gallicæ, Hubertus N. Orphanotrophio, Wilh. Limannus & Theodorus Otto aliis privatis gymnaſiis præfecti.

XXV Februar. decretum de vocando ad S. S. miniſterium D. Kuchlino. Actum & de ſollicitando ad ſcholæ regimen Rectore Hagienſi.

V Aprili, tardante Schurckmanno, decretum de audiendo, &, ſi dona placerent, vocando D. Bogermanno Eccleſiaſte Bolſverdiano, quem Menſo Altingius de meliore nota commendarat.

VI Maji vocatus abſolute per literas Fr. Schurckmannus.

XXVIII Maji recens Senatus, & Tribb. pleb. nonnullis è Senatu exauctorato impoſuit certam pecuniæ ſummam exolvendam. quorum hæc ſunt nomina: Camerarius Giſbertus Lueſſe. ab hoc exigebantur CCC floreni aurei. XXVIII aſſium. A Camerario Oolbeke totidem. à Camerario Macario Pinninck totidem. ab Everardo Hemminck totidem. à Ioanne Helmio CC. ab Eenſchate totidem. a Walbeke totidem. a Kivero totidem. a Coſmanno CL. ab Heeckio totidem. ab Everardo a Rijſſen totidem. a Schuttenio totidem.

Solutio injungebatur in tres terminos diſtinctos, ita ut primus triens a. d. VIII. repræſentaretur, reliqui deinceps in ternas hebdomadas. præſtituta mulcta XXV flor. arg. in ſingula octidua quæ dies ſolutioni præfixos excederent. hujus ſententiæ ſingulis apographum domum miſſum fuit. quo illi accepto, libellum ſupplicem Senatui exhibuerunt, quærentes qua de cauſa nummos illos annumerare juberentur, num qua in re deliquiſſent, ita ut mulctæ inſtar haberent, an vero eos mutuo, fenorive daturi eſſent? maxime, quod ipſi duodecim, è reliquo numero ſe viderent ad hoc deſignatos. reſponſum autem acceperunt: Senatum etiamnum perſiſtere in ſuo & Tribb. pleb. decreto, juxta cujus tenorem niſi fieret ſolutio, id quod eo ulterius continetur ipſos executioni mandaturos. Decretum tale erat:

„ Senatus una cum Tribb. pleb. conſtituerunt, ac vigore præſentium „conſtituunt, Everardo Hemmingio, ad neceſſarios noſtræ civitatis uſus, conſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„conferendos eſſe ccc. flor. aur. idque tribus ſequentibus terminis, trien-
„tem primum octiduo a facta inſinuatione, alterum poſt tres ſequentes
„hebdomadas, & tertium quoque poſt tantundem temporis. Defectu au-
„tem ſolutionis, adigetur Senatus in ſingula octidua mulctam xxvi flor.
aur. ab eis exigere, & continuo id executioni mandare. Datum xxviii Maji.
Anno cIↃIↃxcii. ſubſcriptum erat:

De ſententia & mandato Magiſtratus

Bernardus Luninck *Secretarius.*

Juxta hoc Magiſtratus reſponſum, Wilh. ter Loo, tum temporis Camerarius, accepit ab uxore Everardi Hemmingii (ipſo referente) c. flor. aur. xx Junii die. Anno quo ſupra.

iii Junii die rogatus fuit Iſbrandus Balckius, ut Eccleſiam ad tempus adminiſtraret, quod & factum. idemque xxx Junii dimiſſus.

xx Auguſt. ſignificatum Conſiſtorio a Magiſtratu, ſeſe ad D. Pezelium Miniſtrum Bremenſem ſcripſiſſe, de Rectore ſcholæ publicæ ipſis commendando.

xvi Octob. literæ commendatitiæ Arnoldi Comitis Benthemienſis pro M. Io. Piſcatorio (in Rectorem vocando) ſcriptæ, conſiſtorio a D. Schurckmanno exhibitæ fuerunt.

vi Novemb. Schurckmannus in miniſterio juxta ordinem eccleſiarum Belgicarum confirmatus.

Nec multo poſt Rector ſcholæ conſtitutus eſt quem diximus Piſcatorius Noribergenſis. Scripſit is Carmine Elegiaco *Epicedium Arnoldi Crolli Paſtoris in Vlſen, qui ſuam ſalutem ſaluti patriæ cum poſthaberet, glorioſam ſibi ſuiſque mortem pie adiit. & obiit Anno* cIↃIↃxci. cui adjectum eſt Epigramma ipſius Schurckmanni, ejuſdem argumenti.

Una cum hoc clavum ſcholæ moderabatur Nicolaus Rothamel, è Comitatu Hennebergenſi, Germano-Francus, qui deinde Tilanam ſcholam rexit, Nobiliſs. Ioannis a Munſter in Vortlage liberos erudivit, &, Poſtquam, cum πολυτρόπῳ illo Ulyſſe, mores hominum multorum vidit & urbes, Vorburgi prope Hagam Comitis, cum iſta ſcriberem, Latinam & Gallicam linguam docebat. extant varia ejus Poëmata, vena non ignobili. è quibus ad manus meas, ipſo auctore tradente, pervenerunt

Triumphus in naumachiam & memorabilem victoriam, quam claſſis Batava ſeu fœderata reſpubl. reportabat ad Scaldis oſtia, Anno cIↃIↃcxxxi. x Septemb.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16


Expeditio Caſtrenſis, ſuſcepta auſpicato, vere jam adulto, Anno cIↄIↄcXXXII. *pro voto gratulatorio dicta Illuſtriſs. & invictiſs. Principi Auriaco D. Frid. Henr. Comiti Naſſoviæ &c.*

Iſter triumphatus, id eſt, Continuatio belli Germanici, auſpicato ſuſcepti & adminiſtrati à Sereniſs. & invictiſs. Suecorum, Gothorum, & Vandalorum Rege Guſtavo Adolpho, &c. Cum expeditione vernali Anni cIↄIↄcXXXII. *à Rheno per Noricum agrum ſuſcepta ad Danubium. verſu heroïco &c. conſcripta.* hæc excuſa Hagæ-Comitis, typis Lud. Breeckevelt.

Pegaſus Auriacus, ſive præconium inclytæ & almæ Academiæ Lugduno-Batavæ &c. Lugd. Bat. typis Nicolai à Dorp, Anno cIↄIↄcXXXIII Octobr.

Hoc anno inſtaurata fuit Daventriæ ſodalitas quam vocabant: *De gemeente van den Roggen-ſtapel.* de qua quædam altius repetenda ſunt: *Stapel* apud noſtrates eſt emporium, ſeu potius forum rerum venalium. vulgo *ſtabulum* & *ſtapula.* Locus publicus (inquit Lud. Guicciardinus) quo Principis auctoritate & privilegio, vina, coria, frumenta, lanæ, aliæque merces exoticæ, vendendi cauſa convehuntur, Gallice *Eſtape.* Stapula (inquit Hadr. Junius) purè putéque Gallicæ originis creditur, qua ſignificatur privilegium beneficiariæ urbi collatum, ſiſtendi, & ab inſtituto curſu retrahendi merces exoticas, quas negotiator importat, ut nimirum eo loco ſtabulentur ac conquieſcant, quo venum proſtituantur quavis tandem conditione &c. *Roggenſtapel* ergo eſt privilegiatus ejuſmodi locus convehendo frumento deſtinatus. is locus Daventriæ eſt in foro maximo, quod Brinconem vocant, ſub turricula undique perflabili ædiculæ in modum efformata, cui imagunculam olim impoſitam fuiſſe veriſimile eſt. Ab hoc loco ſodalitas de qua loquimur, appellationem habet, nullâ aliâ, ut mihi videtur, de cauſâ, quam quod ibi uſitatè convenirent. Habeo penes me ſigillum ex ære magnitudine thaleri imperialis, quod fieri curarunt Anno cIↄIↄc. in cujus medio comparet turricula quam dixi, & ab una ejus parte ſcyphus qualis ex argento fieri ſolet, cum appoſito falcone, ex altera calix vitreo ſimilis, cum adjuncto lilio. inſcriptio autem in orbem addita his verbis: SECRETVM SIGILLVM VAN DEN ROGGENSTAPEL.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16



Erat autem hæc ſodalitas honeſtorum non modo civium, ſed & nobilium, nec eorum modo qui Daventriæ habitabant, ſed qui vel in urbibus vicinis, vel ruri etiam, quod equeſtris Ordo facit, degebant; ad ludicram tamen occupationem, Nam Senatus & Tribb. pleb. Daventrienſium jocularem imaginem exprimebant. Habebant Conſules, Senatores, Tribb. pleb. &c. eos eligebant eodem tempore quo verus Magiſtratus creabatur, quicquid ab illo, antiquo ritu, fiebat, hi imitabantur, omnia vero in epulas & hilaria terminabantur. Siquis vel tarde in Senatum allegeretur, vel allectus, poſtea (quod in illo regiminis genere ſine infamia fit) præteriretur, ſolaminis & joci cauſa in hunc, ut ita dicam, Senatulum, ſive (ut antiquam vocem huc accommodem) in hoc collegium Epulonum non infrequenter vocabatur, maxime ſi opulentus eſſet, & ſumtum facere poſſet. Ex Actis ſive Protocollo hujus ſodalitatis inſtauratæ, quod penes me eſt, hæc habeo:

,, Anno Domini cIↃIↃxcII, die S. Petri ſequentes perſonæ fuerunt
,,in Communitate Stapulæ frumentariæ:

Giſbertus Lueſſẽ,
Macarius ab Oldeniel,
Henricus à Limbergẽ,
Gerardus à Brunſvelt,
Nobilis Ioannes à Steenwijck,
Ludolphus ab Averenck,
Reinerus ab Averenck,
Goſuinus Roever,
Martinus à Lidt,
Iacobus à Lidt,
Ditericus Oelbekẽ,
Everardus Hemmingius,
Macarius Pinninck,
Winoldus ab Eenſchatẽ,
Nob. Unico Ripperda Satrapa.
Hermannus Pinninck,
Henricus Kyver,
Adrianus Kippinck,

Paulus Pelle,
Seino Mengers,
Ioannes Krijt,
Ioannes Coſterus,
Ditericus Lueſſe,
Henricus Aſſinck,
Gerardus Piel,
Ioannes ab Hemert,
Petrus à Doetecum,
Weſſelus Beſſelinck,
Ioannes Schutte,
Bernardus ab Enſchede,
Ioannes à Luynen,
Ioannes Conradus centurio urbanus.
Henricus Kluppel,
Everardus à Rijſſen,
Rodolphus Dapper,
Ioannes Slede.
Petrus à Lutzelen,
Matthias Remmels.

ANNO cIↄIↄcII.

Gerardus Arentſen,
Bartholomæus Lentinck,
Wilhelmus Quade.

,,Qui ſequuntur electi fuerunt in Coſs. ſucceſſive, inde ab Anno cIↄIↄxcv,
,,ita ut quotannis fuerint bini Coſs. tertiuſque qui Senatu abibat, tanquam
,,Conſul ſenior munere Camerarii functus ſit, ac deinceps eo ſit functurus.

Macarius ab Oldeniel, Anno cIↄIↄxcv.
Goſuinus Roever, Anno cIↄIↄxcvi.
Henricus à Limbergen, Anno cIↄIↄxcvii.
Everardus Hemminck, Anno cIↄIↄxcviii.
Winoldus ab Eenſchate, Anno cIↄIↄxcix.
Ditericus Oelbeke, Anno cIↄIↄc.
Weſſelus Beſſelinck, Anno cIↄIↄci.
Hermannus Pinninck, Anno cIↄIↄcii.
Iacobus à Lydt, Anno cIↄIↄciii.

Appetente die S. Petri ad Cathedram ſodales qui alibi commorabantur citabant, rhytmo conſcriptis literis, Belgico partim, partim Latino idiomate, quibus, ſub fictis nominibus nobilium, aves, piſces, ferinam epulo ſuo inſtruendo comportari flagitabant, præſente pecunia ab ipſis redimenda. Ejuſmodi citatoriarum exempla invenio ad Henricum Wyntjes monetæ Campenſi præfectum, Andream Buſſionetum, Ioannem a Steenwijck *ter grooter Scheren*, Ioannem Coertzen centurionem in præſidio Covordiano, Uniconem a Ripperda Satrapam in Haexbergen, Diepenhem, Lage, & Meere. quæ hic non inſeremus. unam tantum proſa, & Ethruſca lingua ſcriptam Epiſtolam ſubjici non ingratum, ut opinor, erit. ita autem habet:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Al Clariſſimo & molto nobile Signor, noſtro Signor oſſervandiſſimo, il Signor Giovan à Steenwijck, per queſta al Caſtello ter Scheren.

Clariſſimo & molto nobile Signor,

Appreſſo tutti gli ricommandationi, la preſente ſervira per darne aviſo da parte della tutta la noſtra Communita del Roggenſtapel, come l'iſteſſa ſia d'intentione, ſeguitando l'uſança vecchia da i noſtri predeceſſori, fin a queſta hora con grandiſſima affettione mantenuta, d'adunar tutti i quanti Signori & confederati della ſudetta Communita nella queſta alma Citta Daventria, al giorno & di d'el S. Pietro, il quale ſara al venti duoi di Febraro, ſecondo lo ſtilo vecchio. Et eſſendo V. S. nella honoratiſſima queſta communita ſiempre tenuto (come ſi tiene anchora) de i piu principali, non havemo voluto mancar al debito di lei render certo di quello che ſe paſſò & ſe paſſera a l'advenir quanto piu ſi paſſa. Strettamente pregando, che la V. S. non ſdegna al di & giorno deſtinato con tutti i ſuoi molto famigliari Signori, (come il Signor Everhardt Haſe, Gaſpar Velthoen, *o per falta di loro, il Signor* Warner Gans, *& il ſuo compadre* Martijn Entvogel, *anche alcuni alteri ſuoi domeſtici & amici) comparer nella queſta citta, ſenza fallo alcuno, Atteſo che i ſudetti Signori preſſo di noi ſaranno multo ben venuti, anzi ſi corteſamente trattati, come l'eſſer loro meritera. Et non dubitando punto, la voſtra Signoria uſara nel favorer tutti quanti i ſuoi confederati, la ſua accoſtumata prontezza, noi reſtiamo per farne ſervigi in ogni occaſione prontiſſimi. Pregando Iddio che meni ogni voſtro buon deſiderio a lieto & molto deſiderato fine. Di Daventria, al* XXVIII *di Genaro, Anno* CIↃIↃXCVII. *ſtilo anticho.*

D. V. S.

Affettionatiſſimi Borgemaëſtri, & tutta la Communita del Roggenſtapel.

Adjecta erat rhytmis vernaculis explicatio obſcurorum verborum, quæ talis eſt: in *Everhart*, *Ever* ſignificat aprum vel aprugnam, *hert* cervinam. in *Gaſpars Gaſt* deſignat numerum quaternarium (nota apud nos phraſeologia) *par*, binarium. itaque ſub *Gaſpar Velthoen* intelliguntur quatuor paria ſive copulæ perdicum. in Warner eſt *Waren*, id eſt, *bewaren*, & *eer*, *honor*. q. d. opimo anſere oblato, honori donantis proſpectum iri. *Martin* eſt *Macr-*

'*Maer-tien*, ut petere ſe indicent decem Anates, ac non plures. per *Aleuni* volunt intelligi *Kalkoenen*, id eſt, Gallos Indicos. per *domeſtichi* Gallinas, capos, columbas, altilia videlicet domeſtica. reliqua clara ſunt.

Anno CIↃIↃXCIII. XXIII Jun. Nominatus in tertium Miniſtrum Io. Ampſingius concionator quondam Harlemenſis.

Anno CIↃIↃXCIV. Kal. Decemb. Daniel Toſſanus S. Theol. in Heidelb. Acad, Profeſſor Orationum ſuarum volumen Magiſtratui noſtro dedicat, idque occaſione, vocati ad Rectoratum ejus filii. de quo in hæc verba „loquitur: Cæterum Ampliſs. & Clariſs. Viri quemadmodum in ſinu ga„viſus ſum, me, filium genuiſſe qui operam aliquam tam nobili ſcholæ na„varet: ita fateor, me, poſtquam intellexi filium meum Paulum Toſſanum „a Clariſſimis reipubl. Scholarchis nec non ab Ampliſs. Senatu ad ſcholæ „veſtræ gubernacula admotum, perculſum fuiſſe, ac timuiſſe valde, ne juve„nis tanto oneri, ad quod ſuſtinendum viri ætate, doctrina & experientia gra„ves requiruntur, ſuccumberet, idemque ei eveniret quod Bellerophonti aut „Icaro accidiſſe ſcribunt Poëtæ; verum, cum non niſi ex judicio Clariſſimo„rum aliquot illuſtris ſcholæ Leydenſis procerum, veſtriſque humaniſſimis „& iteratis poſtulatis, & ad tempus, donec vobis melius proſpiciatur, & ex „ſquallore bellorum civilium utcunque ſeſe ſchola veſtra recolligat, id one„ris in ſe ſuſceperit, acquievi &c.

Natus fuit Paulus ille Toſſanus Rever. & Clariſs. viro Daniele Toſſano, tunc temporis Miniſtro Eccleſiæ Aurelianenſis, & Maria Coveta Anno CIↃ IↃLXXII. XXVII Septemb. die, in arce Argimontana prope Aureliam, ubi parentibus in dira perſecutione vagis ac vitæ incertis, Illuſtriſs. Renata Ludovici XII. Regis Galliæ filia, & Ferrariæ Ducis vidua, inſigni ſtudio erga reformatam religionem affecta, tutum perfugium præbuit, eoſque in turricula menſem unum & alterum clam cibo & potu ſubmiſſo aluit. in ea turricula tunc natus fuit Paulus, ut ipſe refert in tractatu cui titulus:

Vita Rever. & Clariſs. Viri D. Danielis Toſſani, auctore Paulo Toſſano F. S. Theol. D. & Gallicæ Eccleſiæ Francothalenſis adminiſtro. Heidelbergæ apud Rolandum Papiam. Anno CIↃIↃCIII.

Sed antequam illic miniſterium eccleſiaſticum obiret, Anno videlicet CIↃ IↃXCIV. Rector fuit ſcholæ Daventrienſis, quo anno edidit Opuſculum, cui nomen: *Prima renaſcentis ſcholæ Daventrienſis incunabula.* in quo, Oratio quam ipſe habuit cum recens in ſcholam introduceretur, item Lectiones ea æſtate habendæ, quas ἔργα ϗ ἡμέρας vocavit. leges porro, ſeu diſciplina ſcholaſtica, denique εὐφημία, ſeu læta acclamatio ob ereptam ex tyrannide hoſtium civitatem Daventriam, & literarum ac diſciplinæ ibidem reſtitutionem, hexametro Carmine conſcripta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Quæ poſtmodum edidit, & ad manus meas pervenerunt (præter vitam Parentis) hæc ſunt:

Index Biblicus. Hanoviæ, cIↃIↃcxxiv.

Enchiridion locorum communium. Baſileæ, cIↃIↃcxxviii.

Biblia Germanica Lutheri, novis Annotationibus illuſtrata. Heidelbergæ, cIↃIↃcxvii.

Apologia pro Nicolao Hegio, adverſus Iacobum Hackhem Jeſuitam Olmutzenſem, Germanice. Francofurti apud Jonam Roſam, Anno cIↃIↃcxiv.

Præfuit ſcholæ Daventrienſi triennium aut præter propter, ut infra videbitur.

Anno cIↃIↃcxviii. & ſeq. interfuit Synodo Nationali Dordrechti habitæ, eo delegatus ex Electorali Palatinatu, titulo S. Theol. Doct. & Conſiliarii in Senatu eccleſiaſtico inferioris Palatinatus.

Anno cIↃIↃxcv. Bernardus Heringus adhuc titulum gerebat Vicarii Præpoſituræ, impræſentiarum vacantis, deceſſu Nob. & Rev. D, Diterici a Wytenhorſt. v. *Acta feud. Præpoſituræ*, ad xii Apr. hujus anni.

xiv April. Actum in Conſiſtorio de vocando ad miniſterium Eccleſiæ Daventrienſ. Thoma Roothuſio, eccleſiaſte Bolſverdiano.

xvii Aprilis is vocatus, & vocatio ejus a Magiſtratu approbata.

xxvi Junii Bernardus Heyingus Daventrienſis, avunculus meus, qui cum prima Hollandorum Claſſe Indias Orientales petierat, in reditu, navi cui a Mauritio nomen erat, præfectus, ſubitanea morte obiit. luctuoſus erat omnibus ejus exceſſus, cum ob morum ejus atque ingenii modeſtiam, tum rerum & commerciorum in iis oris ſingularem peritiam; habebaturque ex præcipuis, cui rei ſummam concrediderat ſocietas. Sunt eo loci exiguæ admodum Inſulæ duæ, intra quas cadaver depoſitum, eaſque de nomine illius *Barents Eylanden*, id eſt, *Bernardi Inſulas*, hodieque noſtrates nominant. excerpſit hoc ex diario illius Navigationis Io. Iſ. Pontanus Hiſt. urb. Amſt. *l.* ii. *c.* xxiv.

xvii Julii Gerardus Hulſinck Daventrienſis, ludi-Magiſter ſcholæ Germanicæ Hamburgenſis ordinarius, ibidem edidit *Arithmeticam* ſuam, & uxori ſuæ Margarethæ conſorti laborum ſcholaſticorum dedicavit. nomen Typographi eſt, Henricus Binder.

Anno cIↃIↃxcvi. ineunte, fatis conceſſit vir literatiſſimus Lamb. Ludolphus Pithopœus Daventrienſis, cujus vitam ſubjiciemus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ex Melchioris Adami Vitis Philoſophorum & literatorum Germaniæ. vol. 1. p. 411.

Edidit Lambertum Ludolphum *Helmium* Pithopœum Daventria, Anno à Chriſti ſecundum carnem nativitate CIↃIↃXXXV. die XXI Martii, hora noctis 11. Patrem habuit Ludolphum, matrem Lubertam Barliam Daventrienſeis. Annum utriuſque emortualem expreſſit Chronodiſticho Epitaphio: ac patris quidem tali:

LVDoLfI IaCet *hac* PIthopœI CorpVs *in* Vrnâ
AſpeCtV frVItVr ſpIrItVs Ipſe DeI.

Obiit Daventriæ prid. Kal. Quinctil.

Matris vero ejuſmodi:

LVDolfI hIC ConIVnX PIthopœI CLaVDItVr Vrnâ,
In Verâ Conſtans qVæ pIetate fVIt.

Obiit in patriâ, poſtrid. Non. Jan.

Cæterum Helmii nomen familiæ paternæ avitum; Pithopœi autem adſcititium fuit, ab opificio quod abavus exercuerat deductum.

A puero in ſchola Daventrienſi, quam pater rexit, fideliter cum fratre Baſilio eſt inſtitutus, præceptore præter parentem etiam uſus Io. Noviomago, viro Doctiſſimo. Inde Roſtochium uberioris ingenii cultus capiendi cauſa miſſus, Davidi imprimis Chytræo, & Io. Bocero Poëtæ fuit percharus; quod tum aliis, tum hiſce carminibus indicavit:

Divinos inter memorande Bocere Poëtas,
Quos Latium atque potens Teutonis ora tulit
Hęc vultu placido gratam teſtantia mentem
Accipę diſparibus verba ligata modis;
Simque tuos ſinito minimus ſaltem inter amicos,
Atque juva ſtudium, docte Bocere, meum.
Sic hilarem multos ſervet te Chriſtus in annos,
Sic tribuat vitæ proſpera fata tuæ.

Idem Bocerus non ſolum amicitiam cum Pithopœo literariam coluit, ſed & affinitatem arctiſſimam iniit, ducta in uxorem ſorore illius Maria, ſub annum Chriſti CIↃIↃLIX.

Pithopœus Roſtochio deinde Wittembergam abiit, magni imprimis illius Philippi Melanchthonis videndi & audiendi gratia. Eo cum veniſſet, elegia, quæ inter poëmata Pithopœi legitur, Melanchthonem ſalutavit: qui

non

non modo carmine ipſo fuit delectatus, ſed etiam auctorem comiter & ſincere juvit. Utrobique autem ita ſe geſſit Pithopœus, ut non ſolum magnis probaretur viris: ſed & aliorum animos, ingenii elegantia, morumque ſuavitate ſibi devinciret: quem amorem, & benevolentiam erga eum, etiam deinceps conſtanter ipſi conſervarunt. Cujus ſane rei locuples eſſe teſtis poteſt præclarus ille Nicol. Dobinus Roſtochienſis JCtus, Heidelbergenſis olim Academiæ Profeſſor, & Palat. Elect. Conſiliarius celeberrimus, qui poſtea inter libros Theologicos ſibi Deoque vixit Spiræ Nemetum.

Poſtquam autem conſtitutum ſuorum ſtudiorum terminum conſecutus Pithopœus, magiſteriique Philoſophici gradu ornatus Wittembergæ eſſet: Daventriam rediit, ibique privatis in ædibus ſcholam aperuit.

Ad hanc cum frequentes confluerent diſcipuli, & ipſe tam doctrinam politam, quam diligentiam dexteritatemque docendi omnibus probaret, brevi pluribus viris bonis ac doctis innotuit, qui de ipſo promovendo laborarunt.

Anno igitur cIↄIↄLXII. menſe Septembri à Io. Monhemio Duſſeldorpio, Rectore ludi ibidem, ejuſque collega Io. Oridryio, viris optimis, & amicis ſummis, literas de vocatione Heidelbergenſi accipit. Eo itaque ſtatim iter adornat, coram de re omni cogniturus. Heidelberga, cum certa quidem ſpes ei de provincia ſcholaſtica facta a Conſiliariis Electoralibus eſſet, nihil tamen dum certi aſſignatum, Daventriam revertitur menſe Octobri. Sub initium ſtatim ſequentis anni litteris revocatur Heidelbergam: ac per D. Caſp. Olevianum, Immanuelem Tremellium, Sigiſmundum Melanchthonem, & M. Guil. Xylandrum, cum ipſo nomine Principis Electoris agitur de gubernatione pædagogei, quod tunc habebatur in Contubernio, ſeu nova, ut vocant, Burſa. Accipit ipſe conditionem, ſtipendio 120 florenorum, & habitatione addita, rectaque ad ſuam familiam adducendam abit; reditque cum uxore & filiolo, nec non duabus virginibus, altera ſua, altera uxoris ſorore: quarum illa primum Io. Anaſtaſio, deinde Io. Jugenitio Profeſſori Logico Heidelbergæ, hæc Joſuæ Lago Stolbergenſi Miniſtro Heidelbergenſi nuptum datæ ſunt. Docuit in pædagogeo Dialecticen & Rhetoricen, cum Grammatica Græca: atque exemplis in probatorum auctorum lectione præcepta luculenter illuſtravit.

Verum paulo poſt è puluere ſcholaſtico ad Academiæ ſpatia Heidelbergenſis eſt accitus, de voluntate Electoris, ac Profeſſorum votis. Commendata enim ei eſt profeſſio Poëſeos & Eloquentiæ in Academia illa. Quo loco non ſolum publice optimos quoſque auctores juventuti ſtudioſæ enarravit, ſed & extra eam provinciam prodeſſe ſtudiis diſcentium pro virili ſua eſt annisus. Nam cum magnus ille Theologus Zacharias Urſinus mirifice ejus ingenio delectaretur, opera ejus tum alibi, tum præcipue in Mathematicis tra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tradendis, & ſtyli exercitiis corrigendis in Collegio Sapientiæ uſus eſt. Hic etiam, Thomæ Eraſti conſilio, animum ad Medicinam applicuerat: verum, cum ſuo ſe metiens pede, deprehendiſſet, non perinde ſe, uti Apollinem, idoneum eſſe & Medicinæ & Poëticæ, ſtudium illud omiſit. Itaque omnem poſtea curam ſuam operamque eo contulit, ut Spartam quam nactus erat ornaret, ſuamque induſtriam bonis omnibus luculenter probaret. Hoc cum unum ageret, nihil ſibi a P. Ramo, Oratoriæ profeſſionem Heidelbergæ ambiente, fretus ſua conſcientia, metuit: quin illi ipſi hoſpiti omnia humanitatis officia præſtitit, & amicum per reliquam vitam expertus eſt.

Poſtea, cum mutatio religionis ſub Ludovico Electore inciperet, Neapolim (Neoſtadium) cum aliis ſeceſſit: ibique in gymnaſio, a fortiſſimo Heroë Io. Caſimiro, contra fratrem aperto, literas & artes humaniores juventutem docuit. Tandem quaſi poſtliminio Heidelbergam, Ludovico rebus humanis exemto, cum aliis Doctoribus ipſe ad priſtinam profeſſionem rediit. Utrobique autem, cum Neoſtadii, tum Heidelbergæ, multos privatim erudiit juvenes nobiles: inter quos Pomerani ſunt ipſius Pithopœi carminibus celebres, Guſtavus ab Oſten, Henningus & Adrianus Borckii: æquiſſimi laborum ſibi impenſorum æſtimatores & compenſatores.

Docuit ipſe ſumma cum dexteritate, magnoque cum fructu, ac gratia ſingulari: quam ſibi largiſſimo orationis flumine conciliavit. In qua ſiquid fuit improbandum, luxuriem dixiſſes: de qua ne poſtremi quidem & ad ſenium vergentes anni quicquam amputarunt. Monitus ut aliquid de illa ubertate orationis limaret, ipſe facere ſe poſſe negavit. Sic ſum, inquit, ſi placeo, utere. Viſne ut naturæ meæ vim inferam? In aliorum judicandis ſcriptis & proprietate ſermonis aſſerenda erat accuratiſſimus, & ut multæ lectionis, ſic diſcendi cupidiſſimus. Sæpe dicere ſolitus eſt: mallem carere decem coronatis, quam hoc vel illud ignorare. Ciceronem, Virgilium, Horatium, Plautum, Terentium, non tantum legerat, ſed in ſuccum ſanguinemque ſuum converterat. Ingenio & facultate Poëtica, adeoque vita ſcholaſtica ita delectabatur, ut non niſi ex eo ordine generum ſibi optaret, eoque ex animi ſententia invento, vitam ſibi duceret jucundiorem & faciliorem. Interim averſabatur ut qui maxime, coacervatos illos & concatenatos ſcholarum, quas vocant trivialium labores: ut ſatius duceret (verba fuerunt ipſius) collum præbere carnifici, quam ſex ſeptemve dietim horis pulverem & pædorem ſorbere ſcholaſticum. In Deum vere pius fuit: diemque Dominicam totam ſacris legendis atque commentandis tranſmiſit, Urſini commentarios ſua ipſius manu deſcripſit, omniaque ejus ſcripta, ſub privigni ſui, Io. Urſini, nomine ad prælum adornata, in lucem edidit, & mendoſe impreſſa correxit: ut primo ejus exemplari non

parum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

parum debeat poſterior editio. Cum amicis vixit jucundus & ſuavis: alienus ab omnibus contentionibus. In ſermone gravis, & apertus, & comis. Liberalis etiam ſupra conditionem, præſertim erga literatos. In menſa hilariter ſe dabat, ajebatque, materiam in congreſſibus & colloquiis familiaribus copioſam ſuppeditatum iri, ſi ordine unusquiſque quomodo uxorem inveniſſet narrare juberetur. In cibo potuque parcus. animam convivii vinum nominare ſolebat. quod ſi defuiſſet, animam convivio defuiſſe querebatur. Ab initio melioris notæ vinum appetebat, ſecus atque cauponæ noſtrates conſueverunt. Atque hoc nomine miniſtrum ſæpe compellabat, non multum ſe bibiturum profeſſus. Memor inconſtantiæ & mutabilitatis rerum terrenarum, frugalitati ſtudendum, & aliquid in hyemem comparcendum monebat.

Uxorem duxit Anno cIↄIↄLX. Daventriæ, Adelheydam, filiam Chriſtophori Saurbyr civis Daventrienſis, natione Thuringi, & Adelheidæ Brinckiæ, civis item Daventrienſ. De principio mutui amoris ipſe Pithopœus ſolebat non ſemel afferre verſum illum Naſonis:

Notitiam primoſque gradus vicinia fecit.

Acceſſere deinde alia, quæ ignem utrimque conceptum aluerunt, amoris fomenta, adeoque inflammarunt, ut conjugalem invicem darent & acciperent fidem, verum ſub conditione ſilentii, donec ipſe ab Academiis reverteretur: quod per quinquennium ſancte ab ipſa fuit præſtitum. ſingulare in puella taciturnitatis exemplum, ſed non temere ſequendum, vel ipſius Adelheidæ dictamine. Interea temporis dici vix poteſt, quam multa intervenerint quæ animum ejus oppugnarunt, ſed non expugnarunt. jam proci alii, jam parentum ſuaſiones, jam objurgationes, & dubitationes quid ſibi vellet tam alienus a conjugio animus. Sed bene ceſſit hoc conjugium. Nam & fœcundum, & amabile, & pacificum fuit: in quo mutuis officiis & amore ſibi ita reſponderunt, ut inter felicia conjugum paria referri merito poſſint. Obiit hæc diem ſuum Heidelbergæ d. VIII Sept. anno Chriſti cIↄIↄLXXXVI. cum ſummo mariti dolore & ſui relicto deſiderio. Neq; abſtinere poterat a lachrymis, quoties ab obitu mentio ejus fiebat, ſæpiſſime hæc verba ingeminans: mea Adelheida, ſanctiſſima illa anima, ſancta mea Adelheida. Quod illius deſiderium ſubſequens matrimonium cum altera indies renovavit. Et ſæpe ſolitus fuit dicere, atque juvenibus dictitare: Homini liberali non eſſe ducendam ancillam.

Valetudine fuit prioribus annis ſatis firma, ſed inclinata ad ſenium ætate res ei cum podagra eſſe cœpit. Conficiebatur igitur doloribus podagricis: quibus mederi cum conaretur, ventriculum frigidiore potu corrupit, & tandem catharro ſuffocatus eſt. Morbi cauſam paulo ante finem vitæ afferebat duplicem: unam peccatum, alteram mœrorem animi quem ei conciliarant illi, qui demere potius debuiſſent. quibus tamen omnibus ignovit, & pro iis Deum ac homines eſt precatus. Cum a Theologis Heidelbergenſibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

genſibus D. Dan. Toſſano, & D. Iac. Kimedoncio viſitaretur, præſentibus item aliis Profeſſoribus & amicis, confeſſionem fidei Latinis verbis prolixe & accurate edidit: eaque finita rogavit, ut hanc notarent: & ſi fieret ut vi morbi abreptus diverſum quid ab illis loqueretur, indictum id haberent. Proxima cura erat, ut Academiæ ſatisfieret. Erat enim Curator Fiſci collegii Principis. Indicavit itaque quantum deberet, & unde debitum reſarciendum eſſet.

Cum jam videretur tempus diſceſſus ex hac vita appropinquare, generque ei precibus ad Deum præiviſſet, abſolutis eis, ſatis eſt, inquit: illo vero adhuc ſubjiciente Symbolum Apoſtolicum, cum illud finiſſet: ſatis jam eſt: inquit: atque ad parietem ſe convertit, & paulo poſt placide expiravit. Auditum ab eo non ſemel fuerat antea: morituros non eſſe multis interturbandos, ſed ſibi & Spiritui Sancto relinquendos, qui atteſtetur illorum ſpiritui quod ſint filii Dei. Abiit ex vita Anno cIɔIɔxcvi. die xxix Januarii, ſub horam noctis duodecimam, ſepultus ad D. Petri in ſacello Academiæ, juxta ſuam Adelheidam. Epitaphium ei Herm. Wittikindus Weſtphalus, Profeſſor Mathematum, tale ſcripſit Anno cIɔIɔlxxxix. die xxiv Aprilis.

Lambertus Helmius Pithopœus hic jacet
Qualis rogas? vir doctus, integer, pius.

Hoc ipſe defunctus, cum viveret hunc in modum auxit, Anno cIɔIɔxciii. die xxii Auguſti.

Lambertus hic Ludolphus Helmius cubat
Pithopœus, ortum cui dedit Daventria,
Cariſſimæ ad dextrum ſuæ Adelheidæ latus,
Bene notus hac Profeſſor in Academia
Latiæ & ſolutæ & metricæ eloquentiæ
Quinos per annos ſexies & amplius.
Qualis rogas porro? integer, gravis, pius.

Atque ita hodie viſitur, cum ſymbolo ejus, & hiſce additis: Deceſſit Anno Chriſti cIɔIɔxcvi. iv Kal. Febr. ætat. lxi. Memoriæ & honori ejus hæredes H. M. P. C. *Alle hernach.* Symboli autem loco ipſi fuit VIATOR, cum hac Epigraphe:

Μέλλουσαν ζητῶ, οὐ γὰρ πόλις ὧδε μένουσα.
Hic incerta mihi eſt: æternam quærito ſedem.

Quod deſumſit ex Davidis Prophetæ ac Regis confeſſione, & ex ea quam D. Paulus, ut volunt, ad Hebræos ſcriptam reliquit Epiſtola.

Ex narratione M. Ioannis Adami Rugenwaldenſis, generi ipſius Pithopæi.

Hiſce

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Hiſce ſequentia addi non abſurdum erit:

Quod dicitur Daventriæ uſus Præceptore Noviomago, id colligere eſt ex ejus Carmine in Organon Ariſtotelis à Julio Pacio editum, ubi inter alia ſic ait:

Tu qui me primas docuiſti ſedulus arteis,
Et puerum linguas, Noviomage, duas,
Tollit ubi celſas cœlo Daventria turreis,
Et Rhenus magnum tendit in Oceanum.

Inter labores ejus eſt verſio Latina Catecheſeos Heidelbergenſis, quæ à Theologis Palatinis, Zacharia Urſino & Caſpare Oleviano, juſſu Sereniſs. Electoris Friderici Pii, olim quidem ſcripta, & ab omnibus Palatinarum Eccleſiarum ſuperintendentibus approbata, è Germanica lingua in Latinam, cum approbatione publica, à Joſua Lago, & noſtro Pithopœo tranſlata, & jam a pleriſque omnibus Reformatis Eccleſiis recepta eſt. *Theod. Strack. Vind. Catechet. p. 5.*

Extant porro, ejus

Oratio de Philoſophiæ utilitate, ad plurimorum S. Scripturæ locorum pleniorem explicationem. edita Heidelbergæ.

Oratio de Aſtronomia. ibid. Anno CIƆIƆLXXXIX.

Hiſtoria Francorum ab Anno VIIIC. *uſque ad annum* CIƆCCLXXX.

Odæ ex puris jambis, ad Janum Douzam Nordovici Dominum, amicitiæ ineundæ ergo. Neap. Nemet. apud Matth. Harniſch. Anno CIƆIƆLXXXVII.

Nuptiæ Palatinæ. Heidelb. Anno CIƆIƆXCIV.

In Horatii Artem Poëticam Paraphraſis. Heidelb. ex Typographio Abr. Smeſmanni. Anno CIƆIƆXCV.

Exierunt & ejus Poëmata omnia VIII libb. comprehenſa. quorum quatuor primi excuſi Neapoli Numetum, apud Matth. Harniſch, Anno CIƆIƆLXXXV, dedicati Guſtavo ab Oſten Pomerano, Iacobo Monavio Uratiſlavienſi, Davidi Sigemundo Caſſovienſi, Adriano Borck Pomerano. Liber V. Spiræ Numetum CIƆIƆLXXXVIII. apud Bern. Albinum. dedicatus Hippolyto a Collibus JCto. & in Acad. Heidelb. Anteceſſori. Liber VI. Heidelbergæ apud Abr. Smeſmannum, Anno CIƆIƆXCI. inſcriptus Georgio Lud. ab Hutten, equiti Franco. Liber VII. ibid. conſecratus Alexandro Somborio Tranſſylvano. Liber VIII. ib. CIƆIƆXCIV. ad Fridericum IV. Electorem Palatinum.

Hoc anno Præpoſitus & Archidiaconus Eccleſiæ S. Lebuini Daventriæ fuit Nobilis & Rever. Dominus Ditericus a Gendt. ejus vero Vicarius, ac Domi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Dominus feudorum ſubſtitutus, Doctor Hermannus Scherf, civitatis Daventrienſ. Conſul. *Acta feud. Præpoſit.* ad XVI Aug. hujus anni.

XXII Auguſt. Thomas Roothuſius in miniſterio Eccleſiæ Daventrienſ. confirmatus fuit.

XIII Decemb. ad Synedrium Daventr. Epiſtola pervenit, miſſa à Presbyterio Amſtelodamenſi, qua id petit per literas certius fieri, de rationibus ob quas Eccleſiæ Tranſiſalanæ convocationem Synodi Nationalis neceſſariam putent: apographum hujus Epiſtolæ ad fratres Campenſes, Zwollanos, alioſque miſſum fuit, quo communi nomine Amſtelodamenſibus reſponderetur.

Anno CIↃIↃXCVII. III Januarii rogatur Magiſtratus, ut Bibliothecæ commodiorem locum aſſignet.

XVII die Jan. Bibliothecæ loci diſpiciendi, eique annui proventus aſſignandi curam Magiſtratus in ſe recipit.

XXI Februarii Rector Toſſanus, miſſionem petit ac impetrat. quem, Cornelius Rekenarius Rector ſcholæ Amſtelodamenſis, eleganti hoc propemptico, peregre abeuntem proſecutus eſt:

O dilecte, meis, mihi
Longe plus oculis; ô animi intimis
Mæſti errans penetralibus;
Quæ ſors partem animæ diſtrahit alteram?
Quod fatum malè pertinax
Sic nexos dirimit? fidaque mutuis
Solvit pectora amoribus?
Illum aut Scylla vorax, aut vaga Syrtium
Cautes fluctibus expuit:
Poſt inter ſcopulos, inter & horrida
Urſæ luſtra Libyſtidos,
Inſertans tenero Maura labro ubera,
Nutrivit fera; te mihi
Et me diſcidio qui tibi ſurripit.
Fruſtra hæc ſed moveo, & preces
Miſcens, aërii quas trepidi auferunt
Venti, & nubila diſſipant;
Fruſtra in vota Deos, fruſtra homines voco.
Fruſtra multa dolens gemo,
Durum & ſollicitis æthera queſtibus
Incendens, magis ulcero
Imo in corde latens qui dolor æſtuat.
Nam tu ſurdior æquore,
Et ſaxo, æquoreis, PAULLE, fragoribus

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Quod Caurus pelagi arbiter
Hibernis ſolitus tundere menſibus,
Aurem immobilis obſtruis.
Iam nunc te rabidis viſere fluctibus
Innantem Oceani Angliam,
Quaſſatęque diu motibus aſperis
Dilectum patriæ ſolum,
Quo vix nobilius Sol videt uſpiam;
Et cervicibus Alpium
Inſeſſam Oenotriam (Rex modo maximus
Terrarum & maris annuat)
Perluſtrare animi vis jubet ignea.
Quare unum hoc ſupereſt mihi,
Curſurum ominibus proſequar ut bonis.
Vos ô lucida navibus
Fratres Tyndaridæ ſidera; ſi tholis
Veſtris dona tuli, focos
Si ſacros meritis imbui honoribus.
Servate incolume hoc caput.
Neptuni implacidos ſternite gurgites.
Non flatu imbrifero Africus,
Non laxis equitet per mare turgidum
Vis Auſtri retinaculis.
Phorci exercitus hinc agglomerans & hinc.
Placato in numerum æquore
Plauſu, lætitia, luſibus inſtrepat.
Nutricum tenus & comæ
Effusâ almitie Nereïdum chorus
Vaſto emergat ab alveo:
Tardantem & tremulis pone ſequens ratem
Caudæ allapſibus incitet.
Aliſque, aut volucris fulminis aut Noti
In portum ocyus invehat.
Perge ergo, ancipiti & turbine celſior
Rerum vana animo ejice;
Scęvæ ludibrium quæ ſtolido incutit
Fortunæ populo furor.
Sed jam oram attigeris hoſpes ubi hoſpitam,
Æternum memoris memor,
Optato potere & perfruere otio:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Seu Germania, ſeu potens
Latis te excipiat Gallia finibus.

XIV Martii Hermannus Hugo Conrector miſſionem impetrat.

XXI Martii rationes eccleſiarum hujus Provinciæ collectæ, ob quas Synodum Nationalem convocandam cenſeant, quaſque Synedrio Amſtelodamenſi reſponſi vice tranſmiſerunt, inter alias quas præterimus, hæ fuerunt:

„Ne per neglectum Synodi Nationalis, in particularibus Synodis &
„Claſſibus novi aliquid inroduci contingat, quod in præjudicium aliarum
„eccleſiarum cedere poſſet. hæc erat IV^a^. in ordine.

Hæc vero VIII^a^.

„Ne per tergiverſationem ſummi Magiſtratus in permittenda convoca-
„tione Synodi generalis, ſpiritus aliqui peregrinis opinionibus gravidi, eo
„audaciores evadant ad virus ſuum evomendum, qui alioqui, per certum
„& approbatum Eccleſiæ ordinem poſſent in officio contineri.

XVIII Aprilis Mag. Michaël Keckius ad tempus rectoratum accepit, miniſterio tamen Eccleſiæ non deſerto.

Hoc anno Daventriam, urbem patriam, appulit inſignis vir Albertus ab Ooſterwijck, (in monaſterio Franciſcus vocatus) qui quo pacto è Papatus & monachiſmi tenebris, per Dei clementiam eluctatus ſit, ipſe ita ad verbum deſcripſit:

Vera exactaque Narratio, eorum quæ mecum acta ſunt; ita è tenebris me volente educere, ad profitendam ſinceram doctrinam, Divinâ Majeſtate, qui me id anhelare noverat. Anno CIↃIↃXCVII.

„POſt multas machinationes & varios conatus, quibus (intelligens mul-
„torum errorum abſurditatem, quorum aſſenſus in Papatu neceſſarius
„erat) è manibus hominum ſuperſtitioſorum Franciſcanorum (ad quos
„puer, & de Religione ſeu fide nihil quicquam ſapiens, tum apparente
„quâdam in illis ſanctimoniâ, tum blanditiis & ſimulatoriis charitatis ſi-
„gnis, Anno Domini CIↃIↃLXXXVIII. XXII Septemb. ſtylo novo, ve-
„neram) evadere, & poſt oppugnatam palam in ſuggeſtu aliquoties ipſam
„veritatem, jam ſtimulante me conſcientiâ, erumpere ad veritatis defen-
„ſionem ante annos volebam, verum id quomodo facerem & fœliciter fi-
„nirem neſciebam (bis enim, ter & amplius id moliens, exequi nequivi,
„atque adeo vix ſine perpetui carceris pœnâ evaſi.) Tandem divina boni-
„tas me juvit, medio & modo inſperato: Cujus hic (teſtis eſt idem Omni-
„potens, ac ipſi etiam Adverſarii, modo planam veritatem non negent)
„fuit introitus & exitus:

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Cap. I.

,, ANno à Nativitate Domini cIↃIↃxcvII. xxx Maji ſtylo novo,
,,qui erat dies Veneris, auditâ octavâ manè, cum à ſeptimâ uſque ad id
,,tempus prælegiſſem (juxta demandatum mihi Lectoratus in Cœnobio
,,Civitatis S. Trudonenſis patriæ Leodienſis, officium) Quæſtiones, partem
,,earum quas Scotus in Prologum Petri Lombardi fecit; ſubito evocatus
,,ſum à Petro Huenſe diſpenſatore, ad Guardianum Iohannem Zandium, in
,,cubiculum (quod vocant) hoſpitum, ubi convocaverat ſenem Georgium
,,Bruſtem, & Bonaventuram Trudonenſem, cum tertio ſene, ejuſdem Con-
,,ventus (ut vocant) Diſcretos; diſpoſitis inſuper in cubiculo clam è re-
,,gione quatuor laïcis, Conrado Leodio, Iohanne Schaep (qui & traditor
,,& carceris inſtructor) ac utroque Martino Bruxellis. uti mihi alter eo-
,,rum poſtea retulit. Atque hi quidem (ut idem hîc poſt ajebat) mirabiliter
,,metuebant me me oppoſiturum eis, quandoquidem ſemper inſtructus ca-
,,lamario cultrorum incedere ſoleo. At ego minimum non ſuſpicatus, ſine
,,cunctatione, ad conventum iſtorum quatuor Priorum, nihil mihi con-
,,ſcius, hilari me conferebam vultu. Salutatis eis; ſede inquit Guard. pau-
,,liſper. Tum ita proteſtabatur: Ego, tuî cauſa mi Pater & tuæ ſalutis ergo,
,,per ſumma rerum diſcrimina, Bruxellam vocatus huc me contuli, & Deus
,,novit, quibus expoſitus fuerim periculis. Has autem (oſtendebat) literas,
,,quas mihi Rev. P. Provincialis (erat is Servatius vander Heyden) tradi-
,,dit, non niſi præſentibus his, reſerare & legere volui. Legebat poſtea hoc
,,modo: Venerande Pater Guardiane: Quandoquidem intelligo F. Franciſcum
,,Daventrienſem ſe contra expreſſam tuam licentiam tempore Capituli con-
,,tuliſſe Leodium, ob hanc & alias cauſas, quas me præſente intelliget, volo
,,ut eundem incarceres. Datum Bruxellæ &c. Ego ad hæc: Quod me (in-
,,quiebam) Leodium contuli, neceſſitate coactus feci; nec ſine licentiâ
,,quam mihi dedit P. Iacobus Kercum Commiſſarius Conventus, tuo loco
,,te abſente ordinatus; prohibitionem tuam de hâc re non intellexi: nec
,,tempore Capituli, cum ii qui ad id vocati erant præſentes eſſent. Subjunxit
,,ille: Audis mandatum Reverendi Patris, & ſunt aliæ cauſæ. Cui Ego: Eas
,,me ſcire oporteret ante condemnationem. At ille: Doleo; verum viſne
,,te ſubjicere obedientiæ? Si, inquiebam, contra jus & non propoſitâ dam-
,,nationis cauſa procedere vultis, in manibus veſtris ſum, eas effugere ne-
,,queo, agite. vis ergo? ajebat ille ſurgendo; At ego, Liceat mihi quoſ-
,,dam libros meos ex cubiculo afferre. cui ille, Quoſcunque volueris trade-
,,mus tibi. poſtea exigere ille à me cultros. reſpondi: Illi in cubiculo meo
,,ſunt, ego enim ad arma me non paravi. Eamus. Inter eundum: Oro, aje-
,,bam, quæ eſt cauſa hujus carceris? nihil enim mihi conſcius ſum. cui ille,

„Haſſeleto querelæ huc delatæ ſunt. Haſſeleto? inquiebam. Quid enim ibi „egi? Scies, inquit, poſtea. Tum carcerem ingreſſus, O dies inquiebam, „quem notare dignum erit! Dies, inquiebat ille, hic tibi ſalutaris erit, & „verè conſulimus tuæ ſaluti. Diſceſſit. Ego tum cogitabundus & dejectus, „carceris conditionem cogitans, irrugire lachrymabundus. Atque ô Deus, „inquam, nunc quid me hactenus monueris, quod ego minus complevi, „pœna hac oſtendis. alia etiam dejectus animo queritabar. Undecimâ horâ „rediit ad carcerem Guardianus cum Martino cœnobii coquo (erat autem „carcer fœtore plenus, undecim enim patentibus latrinis vicinus erat, hu„midus, fœtorem adaugebat æſtus ac ſol latrinas penetrans) portans ali„quid quod comederem, invitabat. cui ego: comedere certe animus non „eſt; at velim quid egerim magnopere ſcire. Cum ille: Haſſeleti, inquit, „dixiſti S. Sanctitat: D. Papam tres coronas, unam à meretricibus, alte„ram à Judæis, tertiam a ſacrificulis habere, adeoque injurius in eum, ac „ſuſpectus de hæreſi es: Nos quidem te multa contra eos concionatum eſſe „ſcimus, verum deſcendens è ſuggeſtu, ipſe tuas in eos invectivas ſannis ex„cepiſti, ut ludere videaris cum noſtra religione; alia ſunt, quæ ſcies verba, „quæ ibi valde indiſcrete & cum maximo Catholicorum ſcandalo protuliſti. „Interim comede aliquid. Non poſſum ajo, præ mœrore comedere: Ego, „inquit, te indies conveniam & conſolabor, & omnem operam ut dimit„taris, impendam (interim exiſtens contra me actor) eo die nec ſequenti „quicquam comedi.

Cap. II.

Complectens Acta à XXX *Maji ſtylo novo ad 3am Julii.*

„FActo die Dominico, divina me confortante miſericordia, eaque ani„mo meo vires addente, paululum patienter habebam; interim illud „ſemper verſans ob oculos,& lachrymis deplorans, ac ſæpius cum tractu ſpi„ritus ingeminans, quid eſt quod hactenus divinæ reſiſtens voluntati, uti tum „tibi dictitabat mens conſcia recti, putredinem illam Papatus non abdicaſti? „propterea ecce jam manus Domini. Nocte ſequenti, non obſtante edicto „Guardiani, qui ſub pœna excommunicationis mandarat ne quiſquam me „accederet, Nicolaus Rigault cum Guilielmo Mechlinienſi me clam poſt ſe„cundam nocturnam (aliis decumbentibus) venerunt (per ſcalam fene„ſtram conſcendentes) inviſum, qui quo animo eſſem ſtudioſe ſciſcitaban„tur. Vis inquiebant illi, nos tecum abibimus in Hollandiam, carceris clau„ſtra vi reſerabimus, teque liberum comitabimur. Adhæc ego; Duo ſunt „quæ me ne hoc veſtrum ſequar conſilium, & amplectar beneficium, mo„vent: Alterum, quod admodum periculoſa, & captivitati pejori expoſita ſit „hæc eruptio, etenim ſi caſu in manus eorum reinciderem, nunquam eva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,derem; porro ſi Majeſtatis ſupremæ voluntas fuerit mea deinceps uti vita
,,& opera, & præter intentionem me dimittent. ſin minus, moriar, jacta ſit
,,alea. Alterum, quod tali eruptione peracta, quæcunque in buccam venient
,,maledicta & calumnias de me & converſatione mea apud cives excogita-
,,bunt, &, ut ſeſe purgent, proclamabunt: ego autem cum accuſer de
,,dicteriis quibuſdam, veracibus in Papam cum ſuis, & de hæreſi (ut lo-
,,quuntur) ſuſpectus ſim, judicii eorum maneo eventum. Adhæc illi,
,,Nunquam credimus evades. tum ego. Patientia. Quid vero, ſubjunge-
,,bam, apud cives de me rerum agitur? illi viciſſim: Quærunt, perveſti-
,,gant, dicentes, Ubi eſt noſter Concionator? & vos, inquam, quid ad hæc?
,,In vinculis me eſſe reſpondetis? Non audemus, inquiebant, nam ſub
,,pœna excommunicationis, atq; adeo carceris, in Capitulari congregatione
,,demandatum eſt nobis, de te ſciſcitantibus reſpondeamus: Bruxellam te
,,à Generali Miniſtro (erat is Legatus Pontificius Bonaventura Calacaroſſa
,,Siculus, pacem inter Hiſpanum & Gallum acturus) ſubito vocatum, ejuſ-
,,que eſſe Secretarium, ac Romam profecturum. O Impius mendax! ajo,
,,quomodo falſa excommunicatione falſo utitur! Multa alia inter nos con-
,,ferebamus, ita ut tandem penitus averſarentur monachatum, quod &
,,factis demonſtrarunt. Nam alter eorum poſt pauca mihi (ô dolor!) hujuſ-
,,modi projiciebat epiſtolium: Niſi conſilium maturum mihi des, vexor,
,,diſcrucior, decrevi corpus & animam Diabolo demandare. Admonitus à
,,me conſuleret animæ ſaluti, ſeſeque abdicata cuculla a Monachatu expedi-
,,ret, id tentavit: Uterque enim paucis interjectis diebus ſummo mane, in-
,,ſalutato hoſpite, abierunt, etiam me inſcio (hoc tamen in genere ſine cir-
,,cumſtantia temporis, facturos noram) conferentes ſe vagabundi hac illac,
,,tandemque pervenere Duren, itinere Colonienſi, ubi quod ſolverent non
,,habentes veſtes pretio exponere cogitarunt, verum fraude filiæ hoſpitii
,,accuſati, uterque ad Franciſcanorum monaſterium ducti ſunt; tum Junior
,,Guilielmus, ventris ſimulans fluxum, per murum evaſit, &, (uti mihi
,,relatum eſt) in Bredæ præſidio militat, alter deſperatus ad eos rediit, in
,,vincula conjectus, laqueo finire vitam moliebatur, niſi mature præven-
,,tum fuiſſet, iſque miſſus Thenas miſer in tenebris, velit nolit, hæret. Scri-
,,bebam his diebus quandam Epiſtolarum ſarcinam, quæ continebat Epi-
,,ſtolam appellationis ad Judicium prædicti Legati Pontificis; eam per manus
,,Domini Iohannis de Blocquerye nobilis, olim Judicis ſeu Schulteti S. Tru-
,,donenſis, deſtinari cupiebam (per feneſtram, ſeu carceris cancellos eam
,,projiciens) quam tum clam eo detulit prædictus Rigault, qui Dominum
,,illum domi non inveniens, filiæ, ut Patri mitteret in Herckenrade, reli-
,,quit; quod illa fecit fideliter, ſcribens inſuper mihi Epiſtolam in qua poſt
,,conſolationem, me, perſeverarem in Papatu adhortabatur; cui ego reſcri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,bens, in omnibus me obſecuturum, ſed in hac parte non poſſe, libere per ,,literas reſpondi. Literæ ſuperdictæ à Provinciali interceptæ, fraudulenter ,,lectæ, nec Legato traditæ ſunt, ideoque fruſtra laboraveram, quod intelligens mœrebam. Nihilominus conſolabatur me frequens ſtudium in carcere; permiſerant mihi nempe quoſcunque vellem ex mea Bibliotheca ,,curarem adferri libros. Habebam tum opera Jeſuitæ Bellarmini contra ,,(ut vocant) omnium temporum hæreſes: Blaſphemos dialogos ſeptem ,,Feuardentii Monachi, non minus ineptos quam mendaces, contra ducentas Calvinianorum hæreſes, in quorum lectione excandeſcens, ſæpius gloſſabam, per *mentitur nebulo.* (quare eos poſt ſibi reſervabat Guardianus ,,mittens alios, mihi in Heere exiſtenti.) Porro his diebus omnino deficiebam propter intenſionem fœtoris, augmentum ex ardentioris Solis penetratione capientis; ita ut tandem decumbens ſtudere cogerer. Recreationis gratia componebam cantilenas quaſdam rhytmicas tam Latine quam ,,Germanice, ſcribebam libellum precum ad Sanctiſs. Triunitatem, quem ,,prædicta Blocquerye filia habet. inter alias cantiunculas unam, ex murmurationibus Iſraëlitarum, pro conſolatione mei & ad patientiam exhortatione, deſumpſeram, quam ſingulis veſpertinis temporibus deficiente ,,Solis luce, compoſiturus me ad requiem, cum precibus cantillabam. Monachi ſæpius hoc tempore Bacchanalia celebrabant, è regione ipſius carceris, in cubiculo (ut ajunt) mulierum, cantantes, oſcula libantes, & ,,diem agentes feſtum, quibus Guardianus in hac parte anteſignanus inſignis, hilariter præibat: Vocaverat Margaritam Matthæi Haſſalenſis uxorem, exacte expiſcaturus de me rem. Interim, ut audirem, hilariter agens, ,,dentium tortura vexatus, cita vini infuſione cerebrum replentis, ebrietate ,,facile dolorem illum abegit. Multa & innumera alia his diebus acta ,,ſunt, quæ recenſere impoſſibile eſſet.

Cap. III.

Continens Acta à 3°. ad 6am. Julii, ſtylo novo.

,,EXpectabam hactenus cum maximo deſiderio adventum Servatii Myricani Provincialis Miniſtri. is à prandio ſatis tempeſtive veniens, ad me ,,veniendi eo die tempus non habebat, corpus enim ſuum laſſum ex itinere ,,quod ſecundum ſuam regulam (quæ equitare inhibet) pedeſter dimenſus ,,erat, reficeret & confortaret, neceſſarium erat, me vero velut cane (utpote hæretico) relicto in fœtoribus, per tantum & continuum temporis ,,ſpatium facile in oblivionem tradito, cauſam mihi captivitatis indicare, ,,tum opportunum videbatur, cum ille vino refocillatus, ego intolerabili fœtore corruptus ero. Itaque illo die (non obſtante mea expoſtulatione)

,,me

,,me non convenit. Poſtero ergo mane ſummopere expetebam ejus præſen-
,,ſentiam; verum petitione mea vilipenſa, miniſterio Zandii traditoris, nec
,,tum quidem venit; fortaſſe ne vacuus ejus ſtomachus malo oppleretur ha-
,,litu. Poſt prandium igitur IV Julii, (cum & ego in amaritudine pranſus
,,eſſem) venit. Decumbebam in inhumana culcitra, capitis partem ſuffulcie-
,,bat propter demiſſionem ſeu reclinationem faſciculus lignorum ſub cervi-
,,cali ſuffulcimentum poſitus; reliqua ſordida, ad proportionem loci ſor-
,,didiſſimi, erant omnia; libro rejecto quem legebam, anhelus, cum audi-
,,rem reſerari cum muſſitatione clauſtra, expecto quid novi. Et ecce nigel-
,,lus ille hypocrita Myrica, venit; in flebilem erumpens vocem, ac commi-
,,ſerationem ſimulans, cui aſtabat cenſor aliorum non ſui (erat enim is im-
,,purus ſcortator, raptor filiæ cujuſdam Margaritæ Bruxellenſis, quam
,,Bruxella Trudonem ſubduxit, ibique ut ſuam meretricem illis quibus
,,miſſas vendebat, ſuſtentabat biennio penè integro, poſtea cum ingenti
,,ſcandalo reduxit Bruxellam; inde gravida, profecta eſt Gandavum, ut in-
,,cognita ibi parturiret vel monachum, vel monacham) Zandius, obæſus
,,velut porcus, nil niſi ventrem curans. is eandem agebat perſonam. O Fran-
,,ciſce, inquit ille Myrica, quantopere tibi ipſe nocuiſti, quantum te abje-
,,ciſti! O Pater Reverende, inquiebam ego, quid feci? hactenus in iſtis
,,fœtoribus ſum, & penè ſuffocatus, adhuc non dimittar? ſed quid feci?
,,Tum ille: Tu inquit, Haſſeleti cum ſummo ſcandalo tuaſmet invectivas,
,,quas ſimulaſti in hæreticos, deſcendens è ſuggeſtu, ſannis excepiſti. S. San-
,,ctitatem Dominum noſtrum Chriſti Vicarium (Romanum intelligebat
,,Antichriſtum) tres habere coronas, unam à ſacrificulis, alteram à Judæis,
,,tertiam à meretricibus dixiſti. Tantam fere eſſe inter eum & S. Petrum,
,,cujus ſe dicat Succeſſorem, differentiam, quanta eſt inter lucem & tene-
,,bras, imo inter Deum & diabolum. Optaſti eſſe in Hollandica libertate,
,,liberius te & aliter concionaturum quam jam, & putaſne, inquit, fidem no-
,,ſtram eſſe ſententiam Leſbiam? Imo inquit, ingemiſcens, timemus, te &
,,aliquas animas à noſtra jam fide Haſſeleti abalienaſſe. tum ego: Quod di-
,,cam non habeo. interim tamen quod ad Papam attinet; dixi quod verum
,,eſt, cum contra fas, à meretricibus Romanis tributum quadraginta mil-
,,lium ducatorum habere annue. Nihilominus hæc omnia excuſata habetote,
,,facile enim aliquid effutire ſoleo, quod parvipendere ſoletis. Ad hæc ille;
,,Si potu gravatus hæc protuliſſes, excuſabile eſſet; ſed jejuno cum dixeris
,,ſtomacho, quomodo excuſabimus? Tum ego excuſationem non habens,
,,obticui. Aſſumebat ille Zandius; ſi in aliquam carnis infirmitatem (uti
,,ipſe in obfirmatam) incidiſſes, Reverendus Pater & nos omnes compa-
,,teremur tibi, & libenter ſine pœna diſſimularemus, verum contra funda-
,,mentum fidei noſtræ delinquere, & ſanctiſs. Patrem blaſphemiis gra-
,,vare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,vare, intolerabile eſt. In hoc ajebam, oſtenditis verè vos Papam majoris
,,quam Deum facere. Habetis Philippum Haecht, qui non ita pridem, cum
,,virginem in templo in confeſſionis loco ſacrilege defloraſſet, quæ ei filio-
,,lam Alexandram peperit, cum maximo totius Mechinienſis civitatis offen-
,,diculo, ſine pœna miſſus eſt Ruremondam; cum ibi ſub ſpecie meriti obe-
,,dientiæ juvenem veſtrum Iohannem Trajectenſem per Sodomiam, omnino
,,ut incedere vix queat, corrupiſſet, in cubiculo laute tractatus, per quin-
,,decim dies Thenis tantum detentus eſt, cum tamen hæc delicta maxime
,,vindictam & iram divinam clamitent; Ego quia in Papam locutus ſum,
,,hic ſex hebdomadarum ſpatio exhauſtus, ſuffocor. tum illi: Homines
,,ſumus, carnis hæc eſt infirmitas, tu vero obſtinate peccaſti. Oro, inquie-
,,bam, jam tandem dimittite me. Cum Provincialis, non audeo ego id ſo-
,,lus, cum Patribus conſultabo per literas & quantum poſſum inſtabo. Tu
,,porro male tibi ipſi conſuluiſti quod Romano Patri volueris cauſam tuam
,,cognitam, qui haud dubie te velut hæreticum conſumeret igni. Poſthæc
,,abierunt. Ego tum in anguſtiâ poſitis ſuſpiria ad Deum mittebam, ſtudio
,,& lectione temporis terens faſtidium.

CAP. IV.

Continens Acta à 6ª. ad 10ᵃᵐ. Julii, ſtylo novo.

,,SUbſequentibus diebus nimio carceris fœtore ſuperatus, cum ſtomachus
,,omnino cibum & alimentum faſtidiebat & rejiciebat, abſtemius manſi;
,,illi tum quidem offerebant cibaria ſufficientia, ſed hypocritice, ſciebant
,,quippe nihil mihi profutura. Decumbebam plane, & aſſurgere non valebam
,,omnino. cogitavi ergo apud me, finem tædio plenæ iſtius vitæ & carceris
,,expetere: Itaque conſcripſi libellum ſupplicem, eumque ad dictum Pro-
,,vincialem miſi. Summa ejus erat, ut aut me inſontem declaratum dimitte-
,,rent, aut damnatum ut hæreticum flammis conflagrarent, nec ita tyran-
,,nice ut canem (omnibus neſciis) detentum, fœtore ſuffocarent. Libello
,,hoc Provinciali tradito, venit is comitatus Guardiano ad me circa veſpe-
,,ram. Reſeratis clauſtris, velut indignabundus in vocem erupit hujuſmodi:
,,Et quæ tibi ſit injuria, ut hoc pacto mortem expetas? tum ego: Vivere
,,mihi hic manenti non erit poſſibile, quid ergo facerem? Si ajebant, alium
,,carcerem volueris, eum dabimus. (carcer ille erat ſuper hunc etiam penes
,,latrinas ſuperior, & firmior hôc. eum nolebam, ſperans in extrema neceſ-
,,ſitate fortitudinem & vires erumpendi.) Non cupio inquam ego, mutare
,,locum, ſed dimittite me, aut morti adjudicate. Tum Provincialis, penes
,,ſe ſolum non ſtare proteſtabatur, ſed rem pendêre à ſuis definitoribus, ſe
,,ſcripſiſſe, nondum reſponſum accepiſſe; Interim videns me deficere,
ſuade-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ſuadebat Confeſſionem faciens me ad mortem (ſi forte ſuffocarer) præpa-„rarem. cui ego: Quem mihi ergo Confeſſarium datis? Eliges ajebat, „quem voles, & habeat plenam ab omnibus caſibus abſolvendi poteſtatem „mihi datam. Poſt multa colloquia tandem abierunt. Et hæc quidem „VI Julii acta ſunt. Subſequentibus diebus hiſce, convenit me primum „Hubertus Montenaken tanquam confeſſionem auditurus, cui ut familia-„ris eram, ita familiariter ab eo ac ſollicite petebam, quandoquidem nil „quam præſentiſſima mors mihi expectanda videretur; ſi forte in carcere „iſto ſuffocarer, ſaltem ſignificaret exitum & finem meum Generoſo Ba-„roni Richardo de Rivis Domino in Heer,Hoffaliz &c. Item D. Iohanni „de Boromagio, Domino in Perck Harzeauz &c. & meo Patri per literas „eandem nuntiaret Daventriam; ne aut me ultra expectarent, aut me alio „mortis genere in itinere (uti finxerant) Romano, interemtum, arbitraren-„tur. Spopondit hoc ſe facturum, & ſortem meam miſeratus ac lachrymis „inſuper deplorans, abiit. Præterea me convenit Bonaventura à S. Trudone, „conventus (ut vocant) Vicarius; qui mihi, adverſarios perplexos eſſe, „circa me, ſignificabat. velle quidem, ſed non audêre dimittere, timere „autem ne cum multa (ut ajebat) eorum ſecreta viderim & audierim „(legati præcipue Chriſtophori à Roma, in cauſa Antonii Granatæ, Se-„cretarius cum ad tempus fuiſſem) ea per me in lucem venirent. Viſita-„bat me & Senior (ut vocant) conventus, Pr. Henricus Bruſten, qui „me conſolari nitebatur, ad conſtantiam in Papiſmo exhortans. Hujuſmodi „viſitationibus trium dictorum, præter quos nulli me adire licuit, paulu-„lum refocillabar, quamvis alioqui corpore omnino deficiens.

CAP. V.

Dimiſſionem mei referens à 1ª. ad 22ᵃᵐ. Julii.

„HActenus aliquoties viſitatus (ut dictum eſt) cum rumor truculentæ „illius & inauditæ cædis, ad minimum permiſſu Cardinalis Alberti „Auſtriaci, tum Gubernatoris Belgicarum Provinciarum prô parte Hiſpa-„ni, ſollicitatione & in impulſu Patrum Societatis Ieſu, ſeu potius Eſau, „Annæ virginis defoſſæ & ſuffocatæ in terra ad aures meas perveniſſet, re-„latu laici iſtius qui mihi miniſtrabat, Ego quid aliud (inquiebam illi) „expectare habebo? atque utinam tam felix eſſem qui cum illa mori poſ-„ſem, & non potius tam turpiter hic à vobis (inſciis bonis) interficerer! „quid quæſo, ajebam, mecum acturi eſtis, ſiquidem hic ita vitam cum „morte mutavero? etenim pleno die me ſepelire non audebitis, ne & men-„dacii (utpote qui me hic eſſe apud cives negaviſtis) & homicidii argua-„mini. cum ille, nocte, inquit, conſtituerunt te ſepelire, ſi hoc ita con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,tingat. Ego interim iterum literis rurſum compellare Myricam Provin-
,,cialem, me aut dimitteret, aut propalam conflagraret. Tum x. Julii à pran-
,,dio ſtrepitus ante carceris oſtium, cum Provincialis una cum Guard. Zan-
,,dio veniunt, ecce autem dat Deus hoc tempore fœtorem in carcere plus
,,quam alias intolerabilem, cum & æſtus intenſior; adeo ut uterque ſuda-
,,rio naribus obvoluto, ſe fœtorem ferre non poſſe edicerent. Et quidem
,,Zandius, eamus inquit, Pr. Reverende, impoſſibile eſt nos hic eſſe poſſe
,,diutius. Paucis itaque mecum de iterata poſtulatione meà expoſtulantes,
,,abierunt. Poſtero mane circa octavam die Veneris reverſus eſt Provincia-
,,lis, & reſeratis carceris clauſtris, ſe totam noctem propter me inſomnem
,,duxiſſe pronuntiabat. Et quidem (inquit) compellor te dimittere. In-
,,terim metuo, ne ſi in alium non ſatis firmum locum transferaris, nos de-
,,cipias, & te fugiens ſubducas. Cui ego: Non eſt quod hoc metuas, me
,,jam viribus prorſus deſtituto: ſi quid tale voluiſſem, occaſione per tuos
,,oblata, viribus adhuc integris, expediviſſem. Jubebat tum transferri per
,,duos laïcos (ire enim non poteram) in aliud è regione carceris conſti-
,,tutum cubiculum; ubi cum in lectulo poſitus conſpicerem clathris vitreas
,,feneſtras obfirmatas, ſubriſi: cauſam ſciſcitanti; quam quærunt (inquie-
,,bam) tui paraſiti ſatellites, tibi in me malis afficiendo, placere! negabat
,,ille ſe hoc fieri juſſiſſe. Cœpi hoc in loco vires paululum recolligere;
,,cœpit & mea captivitas paulatim innoteſcere; adeo ut de me dimittendo,
,,detinendove ſolliciti eſſent admodum. Proponebat mihi his diebus ſponte
,,Guard. Zandius vellemne abire Coloniam? idipſum etiam Provincialis
,,poſtea expiſcabatur, pollicitus ſe mihi obedientiam (ut vocant) datu-
,,rum. Quibus cum hac in re annuerem, reſque differretur, Secretarium
,,Provincialis me accedentem, quid cauſæ eſſet quo minus dimitterer, ro-
,,gabam: Exponebat ille: Si fide, te Bruxellas non iturum neque cauſam
,,tuam Legato ſupra dicto conqueſturum, & juramento te aſtringere voles,
,,nulla erit mora. Cui ego: eſto. Hinc mihi idem renuntiavit die XXI
,,menſis Julii, Provincialem reliquiſſe (ut me dimitteret) obedientiam in
,,manibus Guardiani Zandii. Itaque tandem die XXII. ejuſdem menſis
,,manè ſummo, horam circa quintam (quod fœlix fauſtumque ſit) ne civi-
,,bus nequitia & dolus illorum innoteſceret, exire debui, comitatus laïco
,,Bruxellenſi: qui me in devium duceret, ne rem Generoſo Domino Baroni
,,in Heere exponerem: duxit ille itaq; me in Berloo, totidem pene ab Heere
,,diſtante paſſibus quot à carcere: eo me deducto vale fecit: Cui ego, Guar-
,,nianum ſalutaret, Dei pro perfidia & dolo denuntiaret (aut certe reſipiſce-
,,ret) judicium, demandabam: Mirum: abit ille: me ſolo relicto (quamvis
,,non ſolo ſed Domino, ſtipato Angelis, mecum) idq; mandato majoris, cum
,,alioquin non facile quemquam ſolum iter facere permittant. Verum ſic evaſi
,,manus eorum, in nomine Domini.

CAP.

Cap. VI.

Seriem Itineris mei complectens uſque ad diſceſſum Leodio. à 29. Iulii ad 16^{ai}. Auguſt. ſtylo novo.

,,CUm prædictus laïcus, me ſalutato cum lachrymis, domum rediiſ-
,,ſet, ego commodam occaſionem quærere cœpi adeundi nobilem
,,familiam Domini de Heere, quo & libros meos, quos mihi mittendos
,,tantiſper ſe ſervare dicebat Guardianus abeunti, impetrarem, & rem
,,omnem (ne qua pateret calumniis via) integre Domino Baroni expone-
,,rem: & idem apud Graphæum Domini de Berloo exiſtens, favoris con-
,,ciliandi cauſa, memoriæ pignus ſudarium quod penes me erat offerebam,
,,& quadantenus injuriam mihi à Monachis illatam exponens, petebam
,,ductorem mihi ſine ſuo ſumptu conduceret, qui me inde in Heere per-
,,duceret; fit hoc: meque procul aſpiciente; ecce ipſuſmet Generoſ. Baro
,,obambulans ſuis ſtipatus miniſtris, oculis meis objicitur: Is me cum vi-
,,diſſet, benignis ulnis excipiens; ecquid hoc eſt inquiebat? mihi fuit per-
,,ſuaſum (te aliquoties evocare volenti) aut Bruxellæ aut Romæ te quæren-
,,dum: Abominanda, reſpondebam, illa Bruxella, (ego eam volente Deo)
,,non viſitabo poſthac: An vero verum fuerit (inquit) meorum præſagium.
,,ruſticorum, qui te captum fuiſſe muſſitabant? Sic eſt, inquiebam,
,,verum negotium totum cognoſces: obiter autem tum ſummam referen-
,,tem, magnificas ædes ſuas conſcenderemus, invitabat: Cui ego laſſus, fa-
,,cile annui. Sumpto hauſtu vini, decubui. Pollicebatur ſe me tuiturum
,,à quibuſvis periculis, quam diu in ſua eſſem ditione. Altera die cum me
,,mane ſalutaret, totum negotium illi expoſui: Prudenter vero quid jam
,,deinceps in animo haberem, ſcire ſe nolle dicebat; ut (inquiebat) alias
,,libere ſi neceſſitas cogat, dicere poſſim, me, quid tentare molitus ſis, ne-
,,ſciſſe: Tradebatur mihi a nobili Domino de Rivis liber Inſtitutionum
,,Chriſtianarum D. Iohannis Calvini: una cum Diſputationibus Sadeëlis:
,,hos (quantum per tempus licebat) perlegebam, nocte occultans ſub cer-
,,vicali. Diebus his, convivio inſtituto in publico conventu, Generoſus D.
,,Baro, me ſecum perpetuo manerem invitabat, pollicitus ſe me a jugo
,,monachorum, interceſſione Epiſcopi Leodienſis apud Papam, immu-
,,nem facturum: id ipſum Dominus in Berloo agebat; ego humaniter, ſed
,,omnino renuebam. Deambulationibus aliiſque exercitiis paululum dum
,,hic eſſem corporis vires reficiebam: Interim aliquoties mittens in mo-
,,naſterium (favore D. Baronis) famulum Domini equitem, qui peteret
,,meos libros, quos tandem v. Auguſt. recepi. Tertia Auguſti petitione
,,D. Baronis in Heere concionabar, de adoratione & cultu unius-Dei con-
,,tra adorationem Sanctorum, quod D. Paſtor, qui forte ſomnolentus fuerat,

,,non animadvertens, minus ægre tulit. Cum autem humaniſſime & magna
,,cum pietate a prædicto Barone ad undecim circiter dies exceptus fuiſſem,
,,communicatis conſiliis conſultum nobis viſum eſt, ne periclitarer, diſce-
,,derem. Die itaque IX menſis Auguſti, qui erat Sabbathi, comitatus ſuo
,,Secretario equeſter ab eo dimiſſus ſum, conducente me ex ædibus & be-
,,neprecante tota familia, ipſoque in hæc verba prorumpente, cum mihi
,,equo inſidenti, & ſub cuculla veſtibus humanis induto, aſtaret: Deus
,,novit quam me hujus a te ſeparationis & diſceſſus tædeat. Tum ego, fe-
,,rendum & mihi idem æquo animo, ut a te, mihi tam benevolo & bene-
,,fico dimovear. Hinc vale facto, proficiſcimur: Leodium venientes,
,,in hoſpitium D. Baronis nos recipimus. Raſis altero die capillis per Se-
,,cretarium compte quantum poterat, adeo D. Petrum de Chanée Nota-
,,rium, jam abjecta cuculla; ibi humaniter ab uxore, illo forte abſente,
,,exceptus, excuſabam, habitum (erant enim admodum Pontificii) muta-
,,tum propter pericula, debere enim me proficiſci Coloniam: hic rurſus
,,ad me capiendum ſtructæ inſidiæ. Moliebar iter aggredi Coloniam cum
,,Colonienſi nuntio, quem in conventum ſuum boni illi viri Franciſcani
,,vocatum, potu oneratum, eo adduxerunt, ut me ſecum iter agentem,
,,traderet; Id cum mihi ignoto, ab uxore nuntii (Deo volente) re-
,,velaretur, nuntium non amplius ſum allocutus. Hinc quidam Advoca-
,,tus, olim meus in Philoſophia condiſcipulus, monachis gratificari vo-
,,lens, me invitabat, inſidioſe Judam in ipſa menſa volens agere: ſed cum ne
,,id quidem ſuccederet, filio hoſpitis mei Iohanne convivium inſtantibus pre-
,,cibus diſſuadente, ecce circa quartam pomeridianam, inſani & ſemiebrii
,,monachi, ædes aggrediuntur, ut tanquam maleficum, funibus (habebant
,,quippe paratos) ligent, aut certe immorigerum pugione (habebant enim)
,,cogant: At ne ſic quidem abſentem capiunt, ſed ſpe fruſtrati, ira perciti ab-
,,ſcedunt. Reverſo mihi domum circa 6^{em} hoſpes negotium explicat, timens
,,eorum reditum: ego tum me recepi in cubiculum quoddam penè è domus
,,regione, aſcenſu anguſtum, una cum Iohanne prædicto, armatus, expecta-
,,turus quid ſors ferat: Poſtridie redeunt, quod heri actum erat apud Nota-
,,rium excuſant, & ut mihi aditum ad monaſterium ſuadeat, orant; ſe nimi-
,,rum intellexiſſe me ad hæreticos deſciſcere velle: ſalutem & incolumita-
,,tem animæ meæ quærere &c. Tandem nec hoc impetrantes, in oppido
,,(mihi quidem ignoto) Viſée ad Moſam, quâ recta iter Aquiſgranum eſt,
,,arbitrati me eo profecturum, inſidias ſtruxerant, mandato dato vigilibus
,,ut me tranſeuntem comprehenderent: idque expiſcabatur Iohannes Cha-
,,née prædictus, mihique indicabat. Cum ergo tanta undique quotidie
,,urgerent pericula, cœpi maturare diſceſſum.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Cap. VII.

Continens diſceſſum Leodio, Aquiſgranum, & inde Daventriam. à 16 Auguſt. ad 31am ejuſdem. ſtylo novo.

„DIem igitur XVI Auguſt. undequaque periculis me expoſitum videns,
„commiſi me, mutato paululum habitu, navi ordinariâ Trajectum ad
„Moſam, verſus: cogitans eos ut minimum me eo tranſiturum ſuſpicaturos:
„Ibi quippe Guardianus olim me in monaſterium recipiens Pr. Adrianus
„Hoſtadius, ore mellifluus, moribus affabilis & humanus, inviſus Stoicis
„iſtis omnibus, habitabat; ibi & Jeſuita ille meus ſeductor Pater Adrianus
„Hornanus Rectorem Societatis agebat, adeo ut minimum cogitaturi fue-
„rint merito, me illac tranſiturum. In navi (ut ſolet) multi & varii facti
„ſunt ſermones: videbar adjunctus talibus qui non admodum reverebantur
„Papam cum ſuis, ſcommata enim in iſtos projiciebantur plurima: Ego,
„cum, illis accommodans, forte in iſtam ſententiam ſimile quid proferrem,
„Ecce Angelus Raphaël mihi a Domino miſſus, pius vir Gothardus Gru-
„ningen civis Aquiſgranenſis aliis omnibus relictis, me prudenter monet,
„ſciam & expendam me adhuc in Papatu eſſe, ubi talia proferre fas non ſit,
„ſe poſt mecum acturum. Paulo poſt inquirentem de itinere Aquiſgra-
„nenſi rurſum compellat, indicans ſe eo profecturum, ac de eo me certio-
„rem facturum; petens indicarem quod hoſpitium acceſſurus eſſem: de-
„ſcripſi locum in ejus memoriali libello. Trajectum appulſus, & nomen
„mutans, & hoſpitium aliud Grapheo, propter periculum indicans, adii
„quendam Franciſcum *in den Haverſack*, non omnino a religione vera alie-
„num. Hic prædictus Gothardus ſecundo de me inquirens, mecum fatur.
„cui nude ut erat, rem exponebam, hilariter excipior ut frater: Multis be-
„neficiis in itinere exhibitis ducor ab eo ad XIX Auguſti Aquiſgranum;
„excipior ab ejus uxore, licet ignotus, humaniſſime: me in hoſpitium di-
„vertere non patitur: addit & hoc, quod reformatæ Religionis præcones
„domum ſuam ut mecum agant, vocet: id quod factum: Conciones eo-
„rum viciſſim adeo: conventum celeberrimum eorum qui Chriſto nomen
„dederunt XXIV. ejuſdem menſis, Auguſtiſſimi Sacramenti Cœnæ parti-
„cipes video: charitatem inter Eccleſiæ membra talem, ut dolens vicem
„noſtram, penè in lachrymas reſolvar, quoties eam recolo. Tandem (Deo
„duce) conductore quodam mihi a prædicto Gothardo conſtituto, (qui
„ſi forte caperer ſtatim dimiſſionem per redemptionem procuraret) me
„confero Daventriam, tranſiens Gielekirchen, Grevenbrouck, Keyſers-
„weert, Orſoy, Rijnberck, Weſel, Embrick, Getelen. Prima die menſis
„Sept. veni Daventriam. Ibi ſtatim, me adhuc trans Iſalam expectante, ru-
„mor fit de adventu. Pontificiæ duæ occurrunt, an non metuam periculum

,,(arbitratæ me forte veniſſe ad miſſandum) monent. Ego ad hæc: pax,
"nullum eſt periculum. Patre meo cum ſorore & tota familia exiſtente
,,Zutphaniæ (ubi tum feſtum) Pontificii plures me invitabant ad pran-
,,dium; ſed audientes rem ſecus quam ſperabant habere, recantarunt. Ego
,,animum & mentem meam ſimpliciter & ſincere expono piis & humaniſſi-
,,mis fratribus verbi divini inibi præconibus, qui gaviſi, mihi, ut Con-
,,rectoratus ad tempus in ſchola fungar officio, perſuadent. Illud aggreſſus
,,nomen meum in album Eccleſiæ refero poſt aliquot menſes, nihil motus
,,rogatu & pollicitis Pontificiorum, qui ſaltem a concionibus abſtinerem
,,ſummopere ſollicitabant: Tandem in Synodo Tranſiſalana examine præ-
,,eunte, poſt aliquoties factas propoſitiones, per manus impoſitionem ad
,,miniſterium admittor; facta revocatione Papiſmi publica, ad ſuggeſtum;
,,donec Dufhuſam evocor, experturus & ibidem certè præſentem mihi
,,Deo dexteram.

Quid retribuam Domino pro omnibus his?
Da Domine ut poſſim, & jube ut vis.

Et hæc quidem de ſeſe Albertus, qui menſe Octobri Daventriæ in ſcholam introductus eſt, eique privatim concionando, ad S.S. miniſterium ſe præparare permiſſus.

Anno cIↄIↄxcviii. Rector ſcholæ fuit Volcerus Weſtervoltius. edidit *Grammaticæ Latinæ à Ph. Melancthone conſcriptæ, & à Iac. Micyllo locupletatæ Compendium, cum integra Syntaxi ejuſdem Auctoris, & adjecto libello de Proſodia, &c.* nulla invidia erit ejus præfatiunculam adjicere, pertinet enim ad hiſtoriam. ſic ergo habet:

Candido Lectori.

Cum plurimum interſit candidæ juventutis, quæ ſtudio literarum operam datura eſt, ut in ſcholis cum aliarum artium, tum imprimis Grammaticæ præcepta quam fieri poteſt maxime compendioſa & perſpicua, quadum methodo ediſcenda proponantur, viſum eſt Ampliſ. Clariſ. & Prudentiſ. Senatui inclytæ urbis Daventrienſis ut totum hoc compendium Grammaticæ Ph. Melanchth. (viri à doctiſſimis quibuſque nunquam ſatis pro merito laudati) in noſtra ſchola prælegeretur. quod Senatus judicium & conſilium, cum plurimorum doctiſ. virorum ſuffragiis innitatur, mihi quoque quem huic ſcholæ Rectorem pro ſua authoritate præfecit, plurimis de cauſis approbatum fuit, præſertim cum mihi, ſicui alii, ſimplex & facilis diſcendi ratio ſemper vel maxime puerorum ingeniis accommodata eſſe videatur. D. xxv Martii, Anno cIↄIↄxcviii.

Volcerus Weſtervoltius Rector
ſcholæ Daventrienſ.

Sub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Subjecta eſt & Præfatio Petri Broveri Rectoris Zwollani, qua libellum eundem & ibi introductum fuiſſe teſtatur.

Scripſit idem Weſtervoltius *Carmen Eucharisticon de rebus feliciter geſtis à Princ. Mauritio in receptione Bredæ, Zutphaniæ, Daventriæ, Hulſtæ, Neomagi.* quod excuſum eſt ad calcem Comment. Car. Galli in Apocalypſin.

Antea Anno videlicet CIↃIↃXCV. fuit Rector ſcholæ Hagienſis. *Protocollum Collegii Theol. Leyd. part. 2. p. 50.*

XVI Octob. die, Albertus ab Ooſterwijck vocatur ad Miniſterium Eccleſiaſticum Enchuſæ obeundum, ac ea lege dimittitur, ut, ſi quando Daventriam vocetur, locum quem jam aditurus erat, cum ædificatione relinquat, & illuc redeat.

Anno CIↃIↃXCIX. Franciſcus Schurckmannus Miniſter verbi divini in Eccleſia Daventrienſi, vir acer & eloquens, cum XXII Januarii, concione habita in templo maximo, quod Lebuini vocant, inter duos cives medius ambularet, ab homine pontificiarum partium, Henrico Achteveldio, apud ſacrificulum quendam domicilium habente, retro eum ſequente, cultro ancipite, in hunc uſum præparato, ita in cervice ictus eſt, ut mucro è jugulo exiret, læſa linguâ. Vulnere accepto humi corruit Franciſcus, & aliquot poſt dies beatam animam Deo reddidit. Sicarius è templo & urbe ſe proripuit, ſed ab apparitoribus, conſcenſis equis eum in ſequentibus comprehenſus, ea quæ ſubjiciam confeſſus eſt, & capite luit. Statui autem proceſſum ipſum, ut habitus eſt, vernacule, in gratiam lectoris, præmittere, vel ea de cauſa, quod quædam vocabula curiæ noſtræ propria contineat, quæ a talium rerum peritis melius ex idiomate quo ſcripta ſunt, quam è verſione intelliguntur.

Copye uyt het Roode boeck der Stadt Deventer.

Anno 1599. *op Maendach den 29 Januarij des ſmorgens tuſſchen ſes ende ſeven uhren, door laſt ende bevel van Schepen ende Raedt, hebben die Heeren Burgermeeſteren inder tijdt, Jacob van Bockholt, in plaetſe van Evert Traeſſen, und Mr. Adolph Donckel, die Heeren van die weder-Mandt Otto Roeck, und Pauwl Rijkers, op die voorgaende twie pinliche geſcheen examinatien mit Henrick van Achtevelt ghedaen und gehalden, het derde examen* civiliter *ghedaen, und heft bekent als volghet:*

Henrick van Achtevelt, oldt negen en twintich jaren, heft los, ledich, op

op vryen voeten ſtaende, mit walbedachten ghemoede, goetwillich uyt hem ſelven, geſacht und bekant 'tgene hier naer volght waer te zijn.

In den eerſten, ſachte hy hier bevooren binnen die Stadt van Haerlem gewoont te hebben, und bekande doe in ſijnen ghemoeth opgeſat toe hebben, wanneer hy einen Predicanten die aldaer binnen Haerlem predigen, mit ein mes eenen ſteck gheven konne, dat wolde hy geerne ghedaen hebben, dan hebbe dat niet toe weghe connen brenghen.

Bekande mede binnen Haerlem willens ghewesen toe zijn, dat hy ſijnen Neve Mr. Thomas Bloemert, und ſijn Nichte de huyſvrouw van Johan Bruyninck, (overmidts die beyden hem ten meermalen tot arbeydt (vermaent) dat hy ſijnen voorſz. Neve Bloemert, mit ein mes wolde einen ſteck, und ſijn Nichte Bruyninck eine ſnee in die wange gegeven hebben.

Bekande dat hy hier binnen Deventer, voor ein Maendt ofte twie, in ſijn ghemoedt opghesat, und willens ghewesen zy, dat hy eine van deſer Stadt Predicanten, wie dat oock ghewesen waer, mit einen mes ein ſteck ghegeven hebben ſolde, hadde hy dat toe weghe brengen connen.

Bekande dat den Predicant Thomas, hier bevoorens op einen na-middach, in die groote Kercke ghepredigt hadde, ende doe hy van den Predick-ſtoel af quam, doe ginghe hy Thomas by die andere Predicanten in die Kercke wandelen, und hy Achtevelt ginghe oock wandelende, die Predicanten voorby, und ſtiete mit opſatte Thomas in't voorby gaen, met einen elleboghe op het lijf, denckende, hadde ick u op een ander plaetſe, und dat ick mijn ghemoet an u mochte koelen, ick ſolde u eenen ſteck gheven.

Bekande dat hy den morgen, doe hy den Predicant Franciſcum Schurckman, nae die Predicatie gheſteecken, hadde hy opſaeth gemaeckt, und was van ſulcx te doen, daer op uyt den huyſe des ſmorgens ghegaen, und het was hem al-ghelijcke veul, wie daer van den Predicanten predigde, den wolde hy eenen ſteck gheven.

Doe Franciſcus op den Predich-ſtoel ſtonde und predichde, is hy einmael uyt de Kercke ghegaen, denckende by hem ſelven, hadde ick u van den Predichſtoel, ick ſolde u een ſteck geven. doe ginghe hy weder in de Kercke und wachtede bes dat Franciſcus van den Predich-ſtoel af quam, und tot dat hy ſijn voornemen vollenbracht hadde, hy wolde Franciſcum, ofte einen anderen Predicanten het harte afgeſteken hebben, hadde hy dat te weghe brenghen connen, und vermidts hy dat ſoo niet doen en conde, ſtack hy Fran-

Franciſcum Schurckman van achteren in den hals, in meninghe hem ſoo om het leven te brenghen.

Bekande dat hy het mes daer mit hy Franciſcum, ghelijck voorſz. gheſteken, den rugge des mes van langer handt, om ſcherp te werden, op eene trappe, daer op geſlepen und gewettet hebbe.

Bekande doe hy Franciſcum voorſz. gheſteken hadde, und dat hy buyten die Brinck-poorte ontloopen was, doe hadde hy voor ſick ghenomen, nae Marckel by ſijnen Neve Splinter toe loopen, den toe ſpreecken, und daer nae wolde hy ſick by den vyandt in dienſt begeven hebben.

Leſtlich ſachte hy Achtevelt, dat den Predicant Franciſcus, voor hem ten meermalen ſijnen hoedt afgenomen ende ghegroetet hebbe, dan hy Achtevelt, en hebbe ſijnen hoedt niet weer willen af nemen, want hy en wilde Franciſcum gheene Ehr bewijſen.

Dieſe voorſz. Confeſſie is Henrick Achtevelt, ten vollen ſtoel des Rhaedes, op Dinſdach den 30 *dach Januarii voorgeleſen, und op ieder punct inſonderheyt gevraget und vermaent, niet anders toe ſeggen, noch te bekennen als die waerheyt, und heft vry und goetwillich, bekendt, ieder poinct alſoo waer toe zijn;* Conſ. *Auguſtinus* loco *Traeſſen* & *Donckel.*

Op Goedeſsdach den 31. *Januarij is die Confeſſie in vollen ſtoel des Raedes, Henrichen van Achtevelt voorgheleſen, die nae als vooren, die bekent alſoo waer toe zijn, und is in ſtoel des Raedes de ſententie beſloten, und den ſelven voor-middach voor op het Raedthuys heymael geholden, und is het heymael ter Hoogher Bancken bekleedet ghewesen,* Conſ. *Coenraedt Auguſtinus,* loco *Everdt Traeſſen, und Mr. Adolph Donckel, weder-Maent Otto Roeck, und Paul Rickers, alwaer Achtevelt weder de Confeſſie voorgheleſen, und by den Scherprechter mundlichen de Sententie uytgeſpraken worden; ſoo des volgenden daghes gheexecuteert worden.*

Schepen unde Raedt aengehooret en gelettet hebbende op die Confeſſie van Henrick van Achtevelt, und befindende die ſelve duſdanige toe zijn, condemnieren denſelven (woe wal hy veel ſmadelicker doot waerdich) dat hy ſal op den Brinck metten Sweerde gerichtet, het hooft afgehouwen, und alſo vanden leven ter doodt ghebracht werden; und doende vorder gratie, vergunſtighen und conſentieren, dat het doode lichaem op den Kerckhoff gebracht, unde begraven ſal worden. Actum atque Concluſum in Senatu *opten laeſten Januarij Anno* 1599. Conſ. *Auguſtinus,* loco *Traeſſen* & *Donckel.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Op Donnerſdach den eerſten Februarii 1599. *voor het Raedthuys heymael gheholden, dat becleedet ghewesen,* Conſ. *Coenraedt Auguſtinus,* loco *Everdt Traeſſen, und Mr. Adolph Donckel, weder-Maendt Otto Roeck & Pauwl Rickers, und den ghecondemnierden Achtevelt is opentlijck die Confeſſie und Sententie voor-gheleſen, und daer nae op den Brinck, inholt des Sententie gheexcuteert worden.*

Den Predicant Franciſcus voorſz. is op Vrydach den twieden Februarij, des avonts omtrent ſes uhren, in Godt verſtorven, und den volghenden Maendach des na-middaghs begraven in de groote Kerck, op de plaetſe daer hy ſoo onſchuldich gheſteecken is worden. Die Heere aller Heeren, wil hem mit allen Chriſt-gheloovigen, een blijde verrijſeniſſe verleenen.

Pro copia

Gelinck

Secret.

Id eſt:

Apographum ex Actis ſententiarum capitalium urbis Daventrienſis, quæ rubri codicis nomine appellantur.

„ ANno cIↄIↄxcix. die Lunæ xxix Januarii mane inter vi & vii
„ horas, mandato Scabinorum ac Conſiliariorum, Domini pro tem-
„ pore Conſules Iacobus a Bockholt, loco Everardi Traeſſen, & Mag. Adol-
„ phus Donckel: Domini menſis Junii Ottho Roeck & Paulus Rijckers,
„ poſt duo facta per torturam examina Henrici Achteveldii, tertium examen
„ civiliter peregerunt. confeſſus autem eſt ut ſequitur.

„ Henricus ab Achtevelt, ætatis ſuæ anno xxix, liber, ſolutus, animo
„ deliberato, ſponte ac proprio motu dixit, & confeſſus eſt, ſequentia vera
„ eſſe:

„ Primo dicebat, ſe antehac in urbe Harlemenſi habitaſſe, ac fatebatur,
„ ſe tunc in animo ſuo conſtituiſſe, ſicui concionatorum qui ibidem Har-
„ lemi concionabantur, cultro ictum potuiſſet infligere, ſeſe id libenter fuiſſe
„ facturum, ſed non potuiſſe ſe eam rem effectam dare.

„ Fatebatur quoque, ſe Harlemi in animo habuiſſe, cognatum ſuum Mag.
„ Thomam Bloemert, & cognatam ſuam uxorem Ioannis Bruyninck (quia
„ uterque ipſum ad laborem non ſemel eſſent hortati) illum quidem cultro
„ punctim vulnerare, illam vero cæſim in facie deformare.

„ Fatebatur, ſe hic Daventriæ, menſe uno aut altero elapſo, in animo
„ habuiſſe, ac cupidum fuiſſe, uni ex hujus urbis concionatoribus, qui-
„ cunque is foret, cultro vulnus infligendi, ſi id effectum dare potuiſſet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Fatebatur, concionatorem Thomam, antehac, tempore quodam pome-„ridiano, in templo majori concionatum fuiſſe, cumque de ſuggeſtu deſcen-„diſſet, una cum aliis concionatoribus in templo obambulaſſe, ſe Achtevel-„dium quoque ibidem ambulantem concionatores præteriiſſe, ac Thomam, „dum tranſiret, de induſtria, cubito impuliſſe, cogitaſſeque, ſi tui alibi „compos eſſem, & animum meum in te explere daretur, vulnus tibi infli-„gerem.

„ Fatebatur ſe eo mane quo concionatorem Franciſcum Schurckmannum, „finita concione, ſauciavit, animo in eam rem deliberato domo proceſſiſſe, „ac perinde ſibi fuiſſe, quis nam è concionatoribus concionem haberet, ei „quicunque is foret, ſe vulnus infligere decreviſſe.

„ Franciſco in ſuggeſtu ſtante ac concionante, ſemel templo exiviſſe ſe, „cogitantem apud ſe ipſum: ſi te haberem extra illam cathedram, punctim „te vulnerarem. Inde in templum reverſum, expectaſſe donec Franciſcus è „ſuggeſtu deſcenderet, & ipſe id quod animo deſignarat perficeret, velle ſe „nempe Franciſco, aut alii cuipiam è concionatoribus cor transfigere, ſi po-„tuiſſet. quia autem id eo pacto perficere non poterat, ſe Franciſco Schurck-„manno retro in cervicem cultrum adegiſſe, animo ei vitam adimendi.

„ Fatebatur ſe cultri, quo Franciſcum, ut ſupra, ſauciavit, partem obtu-„ſam, multo tempore in gradu quodam exacuiſſe, eo quo dictum eſt fine.

„ Fatebatur, ſe Franciſco prædicto ictum intuliſſe, & extra portam Brin-„coniam ſe proripuiſſe. tunc ſe animum habuiſſe Markeliam, ad cognatum „ſuum Splinterum confugiendi, eum alloquendi, ac poſtea hoſtili militiæ „ſe addicendi.

„ Denique dicebat ipſe Achteveldius, concionatorem Franciſcum ſeſe „non ſemel, pileo capiti detracto, ſalutaſſe, ſe autem Achteveldium ei vices „reddere noluiſſe, quum Franciſco honorem exhibere nullo modo vellet.

„ Hæc ſupraſcripta confeſſio Henrico Achteveldio in pleno Senatus con-„ſeſſu, die Martis XXX Januarii die prælecta fuit, ipſeque ad ſingulos arti-„culos ſeorſim interrogatus, admonituſque ne quid aliud diceret aut confi-„teretur, quam quod verum eſſet; libere autem ac ſua ſponte confeſſus fuit, „ſingulos Articulos ita ſe habere. Coſs. Auguſtino, loco Traeſſen, & „Donckelio.

„ Die Mercurii XXXI Januarii confeſſio in pleno Senatus conſeſſu Ach-„teveldio prælecta fuit, qui tunc, ut ante, confeſſus eſt eam veram eſſe: con-„cluſa autem in Senatus conſeſſu fuit ſententia. ac tempore antemeridiano „tribunal occupatum fuit, judicii ſuperioris nomine. cui inſederunt „Coſs. Conradus Auguſtinus, loco Everardi Traeſſen, & Mag. Adolphus „Donckel: Coſs. menſis Junii Otrho Roeck, & Paulus Ricardus, ubi ite-„rato prælecta fuit Achteveldio confeſſio, ac viva voce per carnificem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,pronunciata ſententia, quæ poſtridie ejus diei executioni mandata fuit. (ita ,,ea habebat:)

,, Scabini & Conſiliarii audita & expenſa confeſſione Henrici ab Achte- ,,velt, eaque tali qualis eſt deprehenſa, condemnant eundem (licet mortem ,,multo ignominioſiorem promeritum) ut in Brincone gladio feriatur, ca- ,,put ei amputetur, atque ita à vita ad mortem perducatur; ac ulteriorem ,,gratiam facientes, permittunt & conſentiunt, ut corpus mortuum ad cœ- ,,meterium perferatur, ac ſepeliatur. Actum atque concluſum in Senatu, ,,ultimo Januarii die. Anno cIɔ Iɔ xcix. Coſs. Auguſtino, loco Traeſſen, ,,& Donckelio.

,,Die Jovis, 1. Febr. cIɔ Iɔ xcix, ante curiam tribunal occupatum fuit, ,,cui inſederunt Coſs. Conradus Auguſtinus, loco Everardi Traeſſen, & Mag. ,,Adolphus Donckel, menſis Junii, Ottho Roeck & Paulus Rickers, ac ,,condemnato Achteveldio publice prælecta fuit ſententia; & poſtea in Brin- ,,cone ſententiæ tenor fuit executioni mandatus.

,,Concionator Franciſcus prædictus die Veneris poſt 2. Februarii, ve- ,,ſperi circiter horam vi. in Domino expiravit, ac ſequenti die Lunæ à ,,prandio ſepultus fuit in templo maximo, eo loci, quo tam innocens fuerat ,,ſauciatus. Dominus omnium Dominorum ei cum omnibus Chriſti fideli- ,,bus lætam reſurrectionem largiatur.

Pro copia

Gelinck

Secret.

xxi Martii hujus anni prodiit Daventriæ typis Ioannis Everardi Clop- penburgii, *Paraphraſis ardentis ſalutariſque Orationis Regii Prophetæ Davidis, ſupra Pſalm* li. *Auctore J. M. Bergero ab Eberſberch, verbi Dei Miniſtro olim in pago Warensfeld.* inſcripta Senatui Zutphanienſi, & Eccleſiaſtis ibidem, Petro Gellio, Gulielmo Baudartio. De Bergero hoc qui plura ſcire avet, legat Iac. Trigland. *Hiſt. Eccleſ. part.* 4. *p.* 805. B.

iv Junii de Ioanne Walleſio, Miniſtro in Boec-kerſpel juxta Enchuſam, cum vehementer à nonnullis commendaretur, vocando actum. Conſultus ſuper eo Io. Utenbogardus, qui tum temporis, una cum Walleſio in caſtris Ordinum verſabatur.

xiii Auguſt. Conſiſtorio Daventrienſi exhibita fuit Apologia à Caſp. Coolhaſio edita, quam juſſi ſunt fratres examinare, ſuumque de ea judi- cium proferre.

xvii Sept. nomine Conſiſtorii ſcriptum fuit Enchuſam, ad virum quen- dam honoratum, iſque rogatus, ut privatim, bona fide negotium Io. Wal- leſii Synedrio exponere vellet, an videlicet is huic Eccleſiæ ipſius judicio utilis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

utilis futurus eſſet? qui reſpondit, eum cum ædificatione Eccleſiæ cui jam miniſtrabat, præeſſe, verum in loco ubi plures eſſent Miniſtri fortaſſe non tanto cum fructu verſaturum.

Anno cIↄIↄc. prodiit Coloniæ Agrippinæ *Matthiæ Quadi Daventrienſis* ſculptoris & Geographi egregii *Compendium univerſi, ſive Geographicarum enarrationum libri ſex.* Tabulis ab ipſo cælatis adornati. Patriam ſuam profitetur lib. IV. ubi de Tranſiſalania agens: *Habet*, inquit, *hæc Provincia urbes mœnibus cinctas octo, harum omnium Daventria caput eſt, civitas ampla ac nobilis, ſumtuoſiſſimis exornata ædificiis, dives ac populoſa, Hanſeatici juris ac federis: incolæ ejus humani ſunt ac hoſpitales. unde oriundus eſt Geographus ille ac Mathematicus excellentiſſimus Iacobus Daventrienſis, qui cum civis ac popularis meus ſit, indecorum fortaſſe erit nimium in hujus urbis præconiis immorari,* &c.

XVII Auguſt. nominati ad miniſterium Daventrienſe (ut unus ex eis eligeretur) Io. Voſculius, Cornelius Bochorſt, Albertus Ooſterwijck, Carolus Agricola. ſed interceſſit Magiſtratus. itaque nihil actum.

XXII Octob. de Ioanne Weſtembergio. itidem fruſtra.

Anno cIↄIↄcI. XXI Aprilis actum de vocando ad miniſterium Rutgero Biermanno.

XIX Maji de Henrico Bokelmanno, Paſtore Hammonenſi, viro optimo, & Latine, Græce, Hebraice, Syriace doctiſſimo, librorum in illo genere rariorum avidiſſimo helluone, Mathematicarum quoque artium ſummo cultore, cujus vel ea de cauſa libentius memini, quod ejus nepoti Danieli Bokelmanno filia mea multo poſt nupta fuit. parentem habuit cognominem ſibi Henricum Bokelmannum Paſtorem in comitatu Depholtenſi, cui hoc Epicedium poſuit:

Sacra hac æde mei compoſta eſt urna parentis,
Non procul à tectis celſa Depholta tuis.
Bis denos annos ubi Chriſti, Paſtor, ovile
In Drebero rexit, dogmata pura ſonans.
Doctrina, & pietas, & vita innoxia fraudis
Hanc ornant tumbam, caſtaque relligio.
Mens at, pars melior, carnis jam mole ſoluta
In Chriſti carpit gaudia vera ſinu.
Da precor, alme Deus, chari ut veſtigia patris
Secter, eique olim jungar in arce poli.

Ut & alterum illud ſocero ſuo Patroclo Romelingio ſuperattendenti Depholtenſi:

*Patro*CLI *Ro*M*e*LI*ng* L*ap*I*s h*IC *tenet oſſa ſep*VL*t*I,
*Paſtor*I*s,* C*o*LI*t at ſp*I*r*I*t*V*s aſtra p*II.

Annos ætatis decies compleverat octo,
Vt tulit emeritum pallida Parca ſenem.
Adde quater denis tres annos, tempus habebis
Quo docuit patriam ſedulus ille meam.
Primus ibi lolium Chriſti extirpavit ab agris,
Et cuſtos puræ relligionis erat.
Et vigil inſidias cavit fraudeſque ferarum
Circumeunt ſtabulum quæ, pie Chriſte, tuum.
Chriſte, hoc orbatam, ſerva paſtore Depholtam
A rabidis canibus crudivoriſque lupis.
Et quicunque iſthæc cernis monumenta, precare
Vt jaceant ſoceri molliter oſſa mei.

Filios habuit Patroclum & Carolum, quorum ille (qui ſe & Bibliandrum ſubinde nominat, ad nominis vernaculi ſignificationem Græcè effictа voce) præfuit Eccleſiæ primo in Wye, inter Zwollam ac Daventriam (ubi ei ſucceſſit frater Carolus, & ex eodem fratre nepos poſtmodum Daniel) deinde in Wulfraet Montium. homo ad omnem elegantiam factus, ſive Muſicam, ſive picturam, artem item equeſtrem, quæ rara ſunt in illo quod ſibi elegerat vitæ genere, conſideres. nec in Poëſi contemnendus, ut docent quæ ab eo edita ſunt:

Paraphraſis Poëtica Pſalmi Davidis CI. *ad Ill. Marchionem Georg. Wilhelmum Electoratus Brandeburgici hæredem.*

Threnodia in præmaturum obitum Rever. Illuſtriß. Principis Erneſti Marchionis Brandeb. & S. Ioh. Ord. in Marchia, Saxonia, Vandalia &c. Magiſtri. excuſa hæc Dulſſeldorpii apud Bernardum Buſium, Anno CIↃ IↃCXIV.

Triumphus Groninganus, in quo I. *deſcribuntur Poëticè Divorum comitia, in quibus urbs Belgicæ confederationi deſtinatur.* II. *Ipſa obſidio, quomodo feliciter peracta.* III. *Mauritius Illuſtriß. Princeps Auraïcus, quomodo victoria parta, Hollandiam repetens iter fecerit per Friſiam, & quomodo ſit à ſtudioſis Academiæ Franekeranæ introductus.* Franek. apud Ægidium Radæum, Anno CIↃ IↃCXIV.

Sunt & penes me ejus Poëmata quædam MSS. in quibus eſt *Papo-machia, ad Sibrandum Lubbertum*, & *Elegia ad Ioannem Douzam, Nordovici Dominum.* cui reſpondit Douza hiſce verſibus Albo amicorum Ioannis Berndes, qui Elegiam Bokelmanni ei tradiderat, inſcriptis, quos operæ pretium eſt, tanti viri cauſa, à tenebris vindicari:

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Quod fauſtum & felix, Berndes, doctiſſime, ſalve,
Sive Bokelmanni nomine, ſive tuo.
Illius auſpiciis Elegos tua dextera nobis
Attulit, ô quanti nuncia dextra boni!
Vnum ægri hoc, refferre vicem quod copia nulla,
Res prohibent, vati nec licet eſſe mihi.
Quod ſi quando meæ conceſſerit ara Vacunæ,
Muſæ magna meæ pars Bibliander erit.

Extat & ejus *Explicatio in* XV *comma Tertii capitis Geneſeos*, Germanice ſcripta, & Duſſeldorpii ab eodem, quem modo nominavimus typographo in lucem emiſſa, Anno CIↃIↃCXVI.

Hæc occaſione non incommoda, ut arbitror, hic duxi commemoranda.

Porro XXI Julii deliberatum fuit de vocando ad miniſterium Eccleſiæ Daventrienſ. Arnoldo Ruſio. qui IX Octob. examen ſuſtinuit. & XX. ejuſdem menſis, auctoritate Claſſis in Preſbyterio (poſtquam ad juſtum tempus concionando ſe exercuerat, & in examine probatus fuerat) manuum impoſitione in Miniſtrum Euangelii receptus & confirmatus, ac ea conditione dimiſſus fuit, ut in accipienda vocatione, patriam locis aliis (ſi cætera eſſent paria) anteponeret. quod cum in ſe recepiſſet, ipſo illo die in vocationem ejus à Conſiſtorio conſenſum; & poſtridie à Magiſtratu.

Scholam porro Rectoris titulo moderabatur Bernardus Stedemeierus. Bremâ oriundus, cui nupſit matertera mea Sophia Heyingia, Ioannis Heyingii Conſulis filia natu minima.

Conrectoris autem partes ſuſtinebat Ioannes a Line, & ipſe Bremanus, cujus in facultate Poëtica venam oſtendet ſubjectum.

Votum pro felici CIↃIↃCI. Anni novique ſeculi auſpicio, in memoriam ſalutiferæ Nativitatis D. N. Jeſu Chriſti Salvatoris unici conceptum & Magiſtratui Daventrienſi inſcriptum.

Nunc iterum, integri completis menſibus anni,
Aurea lux, lapſis hominum verè aurea rebus,
Effundit jubar, & roſeo ſe lumine miſcet.
Salve lux optata, omni venerabilis ævo,
Quâ pater æthereus, genito ſine matre, ſibique
Majeſtate pari, ſimilique per omnia nato,
Omnia reſtituit bona primo perdita lapſu.
Vnicum id invenit medium divina poteſtas,
Quo fractum repararet opus, mortemque domaret,
Venerat in cujus vires & jura caducus:

Deten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Detentoſque diu tenebroſo in carcere manes
Eriperet vinclis ſtygis, æterneque referret
Ius vitæ miſeris, quod iniquus ademerat hoſtis.
Nunc juvet amplexus iterare, hominemque Deumque
Excipere hoſpitio, diaque caleſcere flamma.
Mens mea quid refugis? tibi vita ſaluſque perennis
Panditur, Ambroſium ſtillat tibi cortice nectar.
Excute quæſo metus, nec ſit tua tanta ſtuporis
Duricies, mors victa jacet: quid fidere differs?
Aſpice, ut arridet terris Clementia cœli,
Pande alacres ulnas, neſcis perterrita, neſcis,
Exiſtat pavidis quantus Deus, excipe, & intra
Pectoris ima tui devota mente reconde.
Sancte puer, quem non tacta pudor edidit alvo,
Telluris, cœlique potens, pelagique profundi
Arbiter, alme Deus, caro verbum ex virgine factum:
Te læti accipimus, tibi fracta mente litamus,
Per te accuſantis ſublata potentia legis
Nunc jacet, offenſique tacent jura abdita Patris,
Quem nobis reddis facilem, juſtumque furorem
Placatus cohibes: non ô mitiſſime flagrans
Illa tui pietas in nos jam ceſſet amoris.
Scimus, & heu fletu concretæ pondera noxæ
Proſequimur, meritoſque necem nos eſſe fatemur,
Supplicia ante oculos, & tartara plena timoris
Verſantur ſtygii, vitæ ſpes omnis ademta eſt.
Tu niſi Nate Dei, perituri victima mundi,
Degeneres revoces, præſtoque ſalutifer adſis.
Si proprium ſemper miſereri, & parcere lapſis,
Ante fuit: nunc carne Deus circumdate noſtra,
Imbellem tueare gregem, nec viſcera perdas
Viſceribus cognata tuis, juvet eſſe redemptos
Immenſa bonitate tua, ut tanto tibi major
Creſcat honos, noſtræ quo major ſarcina culpæ.
Actibus humanis fruſtra molimur, in alto
Gurgite ſubmerſi: nihil hic ſubſiſtere tutum,
Nil firmum mortale poteſt, Corrupta nocenſque
Facta Caro eſt, ſerpitque malum: nec lethifer anguis
Inſidiis parcit, ſed mille potentior inſtat
Fraudibus, ac dirum jaculatur ad intima virus

Pectora, ſe in facies omnes convertit, & aſtu
Obruit, artifici ſinuatque volumine terga.
Nos caro, nos mundus vanis, viſcoque malorum
Illaqueant, ſuadet ſcelus imperioſa libido,
Tetra animi trahit illuvies, adverſa voluntas
Nititur in vetitum, pravaque cupidine fertur.
Quin etiam infeſtis ruit inſatiabilis hoſtis
Viribus, impietate ferox Hiſpanus, & armis,
Nil niſi bella crepans, odio & crudeliter ardens,
Ex animo indomitum ſpirat ſine fine furorem.
Quid nos interea tua ſancta oracla profeſſi,
Non armis, numerove pares? num tendere palmas,
Aut certare manu? quid nos? tibi fidere ſoli
Chriſte decet, Martem ſub te tolerare Magiſtro
Detrectare nefas. tibi vis invicta, valenſque
Dextera, tu feſſas confortas robore vires,
Nos tibi deſerimur nunquam, (quis credere poſſit?)
Dum non obniti contra, perferre nec ictus
Sufficimus, tu das referamus ut hoſte triumphos
Victores, tu elata teris faſtigia Chriſte,
Quem nobis expers maculę tactuſque virilis
Virgineus venter, niveo conſtante pudore,
Protulit: ô ſeris Numen venerabile ſeclis!
Exhilarant noſtras merito pia gaudia mentes,
Qui ſumus injuſti, te juſto vindice juſti
Dicimur, atque tuis nata eſt nova gratia natis.
Noſtra reum te culpa gravis, nos gratia natos
Efficit: ô quanta eſt in te miſeratio noſtri!
Te memores canimus, merito tibi ſacra paramus
Annua, tu nobis cœleſtia regna Patremque
Concilias, hoſteſque mari confundis in alto.
Vndique jam lętis encomia dicite linguis,
Plaudite, cœleſti nova cantica fundite Regi,
Cujus fine caret, nec linguæ effabilis ulli
Gratia: grata hujus bene facta revolvite mente.
Aurea ſiderei lętetur regia Cœli,
Exultet tellus, & quicquid ducit in illa
A Domino vitam, unanimo det jubila plauſu.

XXVIII Julii quum Rhenoberca à Principe Mauritio in fidem recepta eſſet, Ordines Tranſiſalaniæ, ditionem ſuam, jam ſatis munitam, & Rhe-

num ſibi liberum conſpicati, ne deinceps tributum hoſti ſolveretur, neve clandeſtinæ cum eodem tranſactiones haberentur, decreto caverunt.

Anno cIↄ Iↄ c II. III Octob. commendatur Daventrienſibus ad ſcholæ moderamen Io. Crellius, Rector ſcholæ Campenſis.

XVIII Octobr. de quarto Miniſtro vocando actum.

XXII Novemb. Henricus Meilingius Paſtor in Ruerlo per literas interrogatus, num in hac Provincia vocationem accipere vellet, ſemeſtri ſe ſpatio adhuc Eccleſiæ ſuæ obſtrictum eſſe reſpondit.

Obiit hoc anno Everardus Reidanus, filius Iohannis Reidani, doctiſſimi urbis Daventr. Medici. Is, ſæviente in Belgio Albanâ tyrannide cum ſuis exul, addixit ſe obſequio D. Iohannis ſenioris Comitis Naſſoviæ, ac cum eodem, electo jam Gubernatore Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ, in patriam reverſus Anno cIↄIↄLXXVIII, ab eo nec non Nobiliſs. Gelriæ Ordinibus multis graviſſimis ac arcanis reipubl. negociis adhibitus, poſtmodum Anno cIↄIↄLXXXIV. cum Heroë Wilh. Ludovico Comite Naſſoviæ &c. ad regimen Friſiæ vocato, eodem perrexit, ac apud ipſum, excepto quod interea temporis per aliquot annos, tanquam Gelriæ Deputatus, in cœtu Illuſtriſs. Ordinum Generalium ſeſſionem habuit, uſque ad finem vitæ perſeveravit. præcipuo eum Generoſiſs. hic Comes ex domeſticis amore complectebatur, utpote virum cumprimis ingenio & prudentia valentem, & rerum pace belloque actarum tum recentum tum veterum longe peritiſſimum, quem cum conſilii aliquid expediundum erat à latere ſuo abeſſe raro patiebatur, quemque in menſa & quoties res ferebat de peregrinis aut vetuſtis differentem libenter & frequenter audiebat. cujus ingenio & opera inſtituta & artes veteris militiæ ex ſcriptorum monumentis eruebat, erutaſque in uſum revocabat. Scripſit Reidanus hic noſter patria lingua rerum Belgicarum commentarios ab Anno cIↄIↄLXVI. uſque ad finem Anni cIↄIↄLXXXIII. contractius, ac porro ab Anno cIↄIↄLXXXIII. uſque ad finem Anni cIↄIↄCI. diffuſius, quos, cum declinandæ invidiæ ac nonnullorum offenſionis cauſa dum in vivis eſſet edere noluiſſet, Generoſiſs. Comiti moriens commendavit, & is Nobiliſſimis fratribus Reidani cognatis D. D. Io. & Friderico Sandiis, illi Friſiæ, huic Gelriæ Senatoribus juxta auctoris voluntatem eos edendos teſtamento commiſit. prodierunt ergo Anno cIↄIↄCXXVI. annis poſt obitum auctoris XXIV. Deſiit enim eſſe in vivis vir optimus & doctiſſimus Anno cIↄIↄCII. ætat. ſ. LII. *Præfat. in ejus Hiſt. Excerpt. ex Teſtam. Comitis Wilhelmi. Ubb. Emmii Præf. in comment. de vita & morte Wilh. Comit.*

Anno cIↄIↄCIII. VIII Febr. vocatio quarti Miniſtri Eccleſiæ Daventrienſis a Synedrio expetita, ſed a Magiſtratu recuſata eſt.

Eodem

Eodem anno Ioannes a Doetecum Daventriæ edidit Romæ urbis, prout hodie jacet, cum omnibus viis ædificiiſque proſpectum, accuratiſſime delineatum Romæ ab Antonio Tempeſtâ, ab ſeſe vero æri inciſum. idem complures alias mappas Geographicas publici juris fecit.

IX Junii Magiſtratus Daventrienſis Conſuli urbis ſuæ ac regionis Tranſiſalanæ Delegato Conrado Auguſtino Zwollæ cum reliquo Delegatorum collegio tum temporis commoranti, per literas ſignificavit, Magiſtratum Colonienſem non ita pridem ad ſe ſcripſiſſe ſuper comitiis civitatum Hanſeaticarum Monaſterii a. d. XV Julii habendis, eumque monuere, cum Delegatis reliquarum civitatum ea de re agere, ac quid iis videretur ſciſcitari ne negligeret, accuratam enim ſuo judicio ejus negocii rationem habendam eſſe, ad conſervanda civitatum earumque incolarum privilegia, & negotiationem Hanſeaticam. Nec facile id ab ſeſe excuſari poſſe, quandoquidem locus conventus ita in propinquo ſitus eſſet. Quapropter conſultum ſibi videri ut prima occaſione cœtus trium civitatum ſuper hoc negotio convocetur, quo omnium de eo opiniones plenius intelligantur. expectare ſe hac de re ejus reſcriptionem, aut vero præſentis declarationem. locus & tempus paulo poſt immutata fuere, ut mox apparebit.

Anno CIↃIↃCIV. IX Januarii, de tertio miniſtro vocando Daventriæ actum, Ruſio (ni fallor) peſte ſublato.

XII Januarii trium civitatum delegati, videlicet Conradus Auguſtinus Daventrienſium, Mag. Abelus Hillebrandi, & Rodolphus Lambertus Campenſium, Hermannus ab Haerſolte, Licent. Ioannes Jeliſzen, Ioannes a Tongeren, & Arnoldus a Lauwick Zwollanorum nomine, in urbe Zwollana convenerunt, acturi de certis articulis ab A. Senatu Colonienſi ad tres civitates tranſmiſſis, ſuper comitiis Hanſeaticis XXVI Febr. proxime futuro in urbe Lubecenſi celebrandis. ubi primo deliberatum, Num conventus Gelrorum, (qui ſimiles literas, de dictis comitiis Hanſeaticis acceperant) XV hujus menſis Arnhemiæ habendus, ad eorum petitionem reſpiciendus eſſet, nec ne? ſuper quo decretum, expedire, ut cœtui illi, præfixo die, noſtri ſe adjungerent.

Deinde quæſitum, utrum legatio ea uni an pluribus videretur committenda? Reſponſum à Daventrienſibus Campenſibuſque, id ab uno, trium civitatum nomine, & communi earum ſumtu fieri commode poſſe. Zwollani dixerunt, ſe ea de re ad ſuos poſtridie plenius relaturos, ac Senatus ſui placitum ſignificaturos.

XIII Januarii, Zwollani retulerunt, placere Magiſtratui ſuo, ut ejuſcemodi conventus, per unum è tribus civitatibus ſeligendum, ſumtu communi reſpiciatur. quo audito, viſum conſeſſui, ut unus ex Senatu Daventrienſi deſumatur, qui nomine ac vice trium civitatum Arnhemiam ante præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

fixum diem ablegetur, qui cum Gelris negotium Hanſeaticum præparatoriè, & quam poſſit commodiſſime deliberet, eorum opiniones ſuper eo audiat, & conſequenter de omnibus ad ſuos referendum ſumat.

Ita decretum ac conſenſum a trium Civitatum delegatis, die ac menſe quo ſup. Zwollæ congregatis.

Subſcripſerat

P. Jooſtens *Secret. Campenſis*
ſuo ac ſociorum nomine.

XX Januarii, qui dies erat Veneris, Arnhemiæ comparuerunt & congregati ſunt delegati civitatum Hanſeaticarum Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ, nec non civitatis Daventrienſis, infra nominandi, deliberaturi de literis civitatis Colonienſis ad Neomagenſes & Daventrienſes datis, quæ reliquis civitatibus fuerant communicatæ ſuper Hanſeatica ſocietate, una cum Receſſu, nuper Monaſterii, a delegatis civitatum Hanſeaticarum diſtrictus Colonienſis, ibidem congregatis ſancito, ut & breviculo punctorum atque articulorum, ſuper quibus a. d. XXVI Febr. proxime futuri, in civitate Lubecenſi celebranda Hanſeatica comitia decreta & ſcripto convocata fuerunt: Poſt reſumtionem autem eorum quæ menſe Septembri anni elapſi, ad ſimiles literas civitatis Colonienſis, a delegatis civitatum Neomagenſis, Zutphanienſis & Arnemienſis hic acta ac ſtatuta fuerunt, tale facturi decretum, quo harum regionum civitates Hanſeaticæ in antiquitus ad ſe legitime devolutis juribus, privilegiis & immunitatibus conſervari, & civitati Colonienſi aliiſque Hanſæ ſociis, pro ratione temporis ac rerum, ſatisfieri poſſit.

Poſt conſuetam ergo gratiarum actionem, a Conſule Goltſtenio, nomine civitatis Arnhemienſis, præſentibus civitatum delegatis, pro comparitione ſua, factâ, cum reciproca delatione amicitiæ & correſpondentiæ, exhibitæ ac prælectæ fuerunt delegatorum comparentium commiſſiones inſtructioneſque, exceptis iis quæ ad Daventrienſes pertinebant, qui poſt ſalutationem & amicitiæ delationem declarabant, a tribus quoque ditionis Tranſiſalanæ civitatibus congregationem indictam habitamque fuiſſe in civitate Zwollanâ, ibique deliberatum, præſtaretne, Honoratiſſimis civitatibus Hanſeaticis inſtituta ad eas legatione, an vero accurato ſcripto reſpondere, ſuper quo nondum finaliter fuerit concluſum. ſe ergo a Daventrienſibus huc fuiſſe ablegatos ut audirent quæ præſentes civitatum Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphanienſis delegati in medium eſſent conſulturi, & cum iiſdem, ſalva delegantium ſuorum approbatione, eum in modum agerent ac ſtatuerent, qui ad commune bonum expedire videretur.

Conſequenter prælectæ fuerunt receptæ nuper literæ civitatis Colonienſis, alio-

aliorumque Monaſterii congregatorum civitatum Hanſeaticarum delegatorum. quarum unæ datæ erant Monaſterii I. Aug. CIↃIↃCIII. alteræ Coloniâ VI Septembris, una cum inſtrumentis annexis. Adhæc prælecti fuerunt articuli XVII. ſuper quibus proximis Comitiis Hanſeaticis eſſet deliberandum. ut & nova confederatio menſe Julio Anni CIↃIↃXCVIII. in civitate Lubecenſi, poſt reverſionem, ampliationem, & immutationem federis anni CIↃIↃLVII, delineata, & ſigillis delegatorum a civitatibus munita.

Quæ cum res ſint majoris momenti, cumque ſtatus harum regionum, & conditio graviſſimi belli non permittant, ut ſuper iis ea ratione deliberetur & reſolvatur, nedum ut ad defenſionem laudabilis ſocietatis Hanſeaticæ auxilia contribuantur, prout eadem ſocietas requirit, & prout hæ civitates promto ac ſincero animo facere optarent: tandem poſt varias collationes & deliberationes ſtatutum fuit, ſalva relatione uniuscujuſque ad ſuos Delegantes, eorumque approbatione, reſcribendum eſſe civitati Colonienſi, prout literæ de ea re conceptæ, viſitatæ, & approbatæ fuerunt.

Hiſce peractis, viſum quoque fuit, nomine omnium civitatum Hanſeaticarum diſtrictus Gelrici, procurationem eſſe conſcribendam ad impetrationem confirmationemque privilegiorum Danicorum & Norvegicorum, eamque literis ad civitatem Colonienſem datis inſerendam. Dictamque procurationem expediendam in forma, & omnium civitatum ſigillis munitam, ad civitatem Colonienſem tranſmittendam.

Præſentes erant, Neomago Ioannes Giſbertus Commiſſarius, Ricardus Heuck vir Conſularis. Bommeliâ Petrus Moillart, Mag. Io. de Bye Secretarius. Thielâ auctoritate inſtructi delegati Bommeliani. Zutphaniâ Wilhelmus Buecker, Adamus Caldenbach Coſs. Doeſburgo auctoritate inſtructi delegati Zutphanienſes. Arnemiâ Io. a Goltſtein Conſul pro tempore, Wilh. Huygen, Iodocus a Reit, Egbertus a Wetten, Iod. Budding. Hardervico nemo ablegatus erat, ſed ſententia eorum ſcripto tranſmiſſa. Elburgo Wychmannus a Wijnbergen. Daventriâ Conradus Auguſtinus Conſul, Mag. Io. ab Appeldorn Secretarius.

XXV Junii Daventriæ Ioannes Goſmannus Paſtor Hammonenſis, ad miniſterium Eccleſiæ delectus.

Is XII Novembris eo appulit, & prælectis ejus teſtimoniis, ſequenti Dominica publice in munere eccleſiaſtico confirmatus fuit.

Hoc anno & aliis multis bonas literas promovebat Daventriæ inſignis typographus Ioannes Everardus Cloppenburgius. Edita ab eo *Grammaticæ Melanchthonianæ compendium* de quo ad annum CIↃIↃCII. aliaque.

Anno CIↃIↃCV. XXV Junii, cum Princeps Mauritius, qui cum exercitu

ercitu erat in Flandriâ, de expeditione Spinulæ Rhenum verſus audiviſſet, haſce literas ad Gerardum a Warmelo Sallandiæ Satrapam dedit, quarum ille apographum miſit ad Depp. Ordd. Provinciæ Tranſiſalanæ.

COPYE

Maurits Prince van Orange, Grave van Naſſaw, &c. Marquis vander Veer, &c.

EDele, Erentveſte, vrome, ende diſcrete beſondere goede Vrundt, naer onſe brieven die wy u eergiſteren hebben gheſchreven, hebben wy verſtaen dat den Commiſſaris Generael Bartolomeus Sanchez, met vijf Compagnien Cavaillerie uyt s'vyandts Leger is vertrocken, ende noch eenige met hem uyt den Lande van Waes, waer onder is de Compagnie van Graef Henrick van den Berge, ende dat hy ſijnen wegh naer Tielemont ſoude ghenomen hebben, alwaer ſoo wy verſtaen eenighe vergaderinge van de nieuwe troupen die uyt Italien verwacht worden, ſal gemaeckt worden: Maer alſoo wy verſtaen dat de voorſz. troupen noch niet t'eenemael aenghecomen en zijn, ende dat voor als noch cleyne apparentie is, dat hy yet wes teghens Rhijnbercq ſoude moghen aenvanghen, ſoo hebben wy u hier mede willen adverteren, dat ghy niet naer en laet het Convoy van Wachtendonck, ſoo veele doenlijck ſal weſen, ondertuſſchen te bevorderen, ende goede neerſtige opſicht te nemen, dat het by den vyandt niet overvallen ende nedergeleght en worde. Wy hebben den Heere van Sweeten laſt ghegeven, by ſoo verre het den noodt ſoude vereyſſchen, dat hy hem met thien Compagnien voetvolcx opwaerts ſal begheven, ende daer over onder u beleydt te commanderen, waer af wy de patenten aen den Advocaet van Oldenbarnevelt gheſonden hebben, ende hem verſocht de voorſz. patenten aen de Capiteyn van de voorſz. Compagnien te ſenden, ende de ſelve in diligentie te doen marcheeren, ſoo wanneer het den dienſte van den Lande noodtlijcken ſal vereyſſchen: Sult daeromme niet naer laten, ſoo wanneer ghy voorſeecker ſult weten dat den vyandt naer den Rhijn ſoude marcheeren, ofte op Rhijnbercq yet wes te willen voornemen, den voorſz. van Oldenbarnevelt, ſoo oock den voorſz. van Sweeten in diligentie daer af te adverteren, op dat hy met de voorſz. Compagnien in tijdts by u mach aencomen: Wilt oock niet naer laten ons van alle het ghene ghy van des vyandts ghelegentheyt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ende voornemen ſult verſtaen mogen, by daghe ende by nachte in diligentie te adverteren. Ende hier mede Edele, &c. Vyt Watervliet den XXV *Junij*, 1605.

'tOpſchrift was aen den Droſt van Sallandt. U ſeer goede Vrundt *Maurice de Naſſau.*

Hiſce adjunctum erat ſequens mandatum.

COPYE.

SYn Excellentie ordonneert hier mede den Magiſtraten van de Steden van Nyemegen, Aernhem, Bommel, Doeſburch, Deutecom, Rijnberck, Groll, Zutphen, ende anderen dien't ſal moghen aengaen, dat ſy niet naer en laten alſulcke Compagnien van Cavaillerie in hare Steden voor ſeeckere dagen te logeren, als henluyden by den Droſſaert van Sallandt, in den name van ſijne voorſz. Excellentie ſullen toe-geſonden worden, omme aldaer te blijven, ende by den voorſz. Droſſaert, jegens des vyandts attentaten ghebruyckt te worden, naer dat hy ſal bevinden tot den meeſten dienſt van den Lande noodich te weſen. Actum in't Legher tot Watervliet den xxiij *Junij*, 1605. *Onder ſtondt:* Maurice de Naſſau. *Noch leeger:* Ter Ordonnantie van Sijn Excell^tie^ Melander. *Ende was het Cachet van Sijn Excell^tie^ op't ſpatium ghedruckt.*

IV Auguſt. Princeps Mauritius Dordracum, & inde Daventriam cum parte copiarum venit, ubi ad ſe vocato Comite Henrico Friderico fratre, cum maxima militum parte qui Rheni ripam cuſtodiebant, Lingæ, quam Spinula indagine cinxerat, obſidionem quam celerrime ſolvere cogitabat, ſed cum multa ſe objicerent impedimenta, ita ut ante XXI menſis diem exercitus non moveretur, ipſa nocte de amiſſa ea urbe ei nova fuerunt allata. Præfectus loci Martinus Cobbe, Satrapa item Albertus ab Itterſum, aliique centuriones Linga egreſſi, quod officio ſuo in ſervanda urbe defuiſſe arguerentur; omnes captivi Daventriam fuerunt adducti, ad cauſam dicendam. ubi cum ad tempus in cuſtodia fuiſſent, tandem dimiſſi fuerunt.

XIV Septemb. cum nunciaretur Principi Mauritio, Spinulam, præſidio Lingæ atque etiam Aldenſaliæ quam occupaverat impoſito ad Rhenum contendere, eodem die Io. Erneſtum Comitem cum XII peditum ſignis Daventriam ac Zutphaniam miſit, ad loca vicina reliqua protegenda, & exercitum

citum Spinulæ uſque Rhenum inſequendum. Hic XV Septemb. Daventriam acceſſit, inde magnis itineribus ad Rhenum pervenit. Princeps quoque Mauritius cum exercitu reliquo Covordia,quo ſe contulerat XVIII menſis, Daventriam, inde Zutphaniam, hinc Deutecomum, tetendit, & ſic ad Rhenum copias applicuit.

XXVI Septemb. Defuncto Michaële Keckio, detertio Euangelii Miniſtro ei ſurrogando actum in ſynedrio Daventrienſi. nominatus Godſcalcus Altius.

Pro tempore miniſterium rogati ſuſceperunt Chriſtophorus Hallein, Gerardus Lindenhovius.

Anno CIↃIↃXCVI. VII & XIV April. Aſſuero Matthiſio ſtudioſo Theologiæ, nomine ſynedrii (cui concio ab eo habita placuerat) indicata ejuſdem ſynedrii ad eum ſuo tempore vocandum inclinatio. Ipſe ſe, ſtudiis abſolutis, (quod poſt ſeſqui-annum futurum ſperaret) vocationem in patria urbe aliis prælaturum ſignificavit.

Cum III Auguſt. Grolla à Spinula obſeſſa eſſet, Mauritius è Friſia ad ſe vocavit Gulielmum Naſſoviæ Comitem, cum delecta manu, Rhenobercâ quoque, Bataviâ inſula, Daventriâ ac Zwollâ non ſpernendas copias, quibus obſidionem ſolvere in animo habebat, ſed fruſtra, cum interim, nulla apparente neceſſitate, fortiſſimum illud Gelriæ propugnaculum hoſti deditum eſſet.

Hunc annum præferunt MSS. *Poſtillę ſive enarrationes in Euangelia ab Adventu uſque ad Paſcha, ſumma ac diligenti cura ex variis doctiſſimiſque auctoribus collectę, ac ſolerti induſtria deſcriptę per Hermannum Agnęum à Craneley Rectorem Collegii ſacrarum virginum Domus Gerardi Magni.*

Anno CIↃIↃXCVII. XXVI Martii die, Rever. & Nob. Ditericus à Gent, Præpoſitus & Archidiaconus Eccleſiæ S. Lebuini Daventriæ, defuncto Doctore Hermanno Scharſio, Vicarium illius Præpoſituræ ordinavit D. Gerardum Bruyns, Canonicum ſupplementatum prædictæ Eccleſiæ S. Lebuini. *Lib. feud. Præpoſiturę.*

Circa hoc tempus celebratus fuit Hagæ-Comitis conventus præparatorius ad Synodum Nationalem, ad quem, nomine Provinciæ Tranſiſalanæ delegatus fuit Thomas Goſwinius, Miniſter Eccleſiæ Campenſis, qui, quod poſtmodum partes Remonſtrantium amplexus ſit, operæ pretium erit hiſce inſerere excerptum ex ejus literis XI Junii datis ad Thomam Roothuſium Paſtorem Daventrienſem (quarum autographum penes me eſt) ita autem, è Belgico verſum, habet: *Vereor, dilecte frater, ne nobis Arminius, ſi talem Synodum Nationalem, qualem exoptat, fuerit nactus, magnarum moleſtiarum auctor ſit, ac cauſa confuſionis inter multos. Verum quod me præcipue conſolatur hoc eſt, quod tantam concordiam deprehenderim inter fratres omnes è provinciis reliquis, (ex-*

ceptis

ceptis quatuor illis, quorum judicia ſeorſim ſcripto conſignata ſunt.) Videtur Arminius aliquid habere adverſus Catecheſin, & Confeſſionem Belgicam, de quibus eum dicentem audivi, humana tantummodo in iis verba eſſe. Placide autem à fratribus rogatus, ut quid ſibi vellet exponeret, confidenter reſpondit ſe ad id non teneri. An non Catecheſin Heidelbergenſem Eccleſiis Belgicis ejicere meditetur, promtum tibi erit judicare ex illis verbis, quibus aſſeruit, Non decere nos, ut Catecheſin habeamus, in quam mutandi, minuendi, augendi, pro re nata, nobis poteſtas non ſit. quæ verba ab eo prolata ſunt. dicentibus reliquorum fratrum nonnullis: cavendum nobis eſſe, ne in Catecheſin Heidelbergenſem temere quid committamus, neque enim opus noſtrum eſſe, fuiſſe viros magnæ pietatis, eruditionis, ac bonæ conſcientiæ qui eam, divino verbo conſentaneam compoſuiſſent, receptam quoque eam ab Eccleſiis Belgicis, libere, ac poſtquam accurate ad normam verbi Dei fuiſſet exacta, per ejuſcemodi viros, qui & ipſi manum ferulæ ſubduxiſſent. In ſumma, frater, hæc & talia nonnunquam intercurrerunt, non ſine quadam animorum commotione, quæ longum eſſet ſingula recenſeri, &c. De hoc conventu v. Trigland. *Hiſt. Eccleſ. part. 3. p. 356. & ſeqq.*

XXI Julii in Synodo Campenſi Art. 5. & 10. decretum fuit, ut Claſſes ſingulæ ſtudioſe inquirerent, numqui vel Paſtores vel Preſbyteri difficultatem aut diſſenſum foveant circa Catecheſin & Confeſſionem reformatæ religionis Belgicam; ſique tale quid deprehenderetur, mature ejuſcemodi malo occurrerent.

Approbavit porro eadem Synodus, quicquid pluribus votis in conventu præparatorio Nationalis Synodi XXXI Maji Anno CIↃIↃCVII. ſtylo novo fuerat decretum, ac ſerio omnia Synodi membra interrogavit, quiſquamne ex eis aliquid haberet quod adverſus Catecheſin & Confeſſionem Belgicam religionis reformatæ putaret movendum? Ad quæ omnes univerſim in Synodo congregati, coram Deo & ſua conſcientiâ teſtati ſunt, ſe doctrinam illis formulis comprehenſam pro vera & S. Scripturæ conſentanea agnoſcere.

VII Octobr. (ſive XVII ſtylo Gregoriano) Amſtelodami convenerunt concionatores qui ſuffragiis in conventu præparatorio prævaluerant, & inter illos Thomas Goſuinius, de quo ſupra. quid ibi actum ſit prolixe refert Trigland. *Hiſt. Eccl. part. 3. p. 364. B. & ſeqq.*

XXVI Octob. vocatus Daventriam in tertium Eccleſiæ Miniſtrum Aſſuerus Matthiſius. XXIII Novembr. confirmatus.

Anno CIↃ IↃCVIII. XIV Nov. lecta in Conſiſtorio Daventrienſi Epiſtola Eccleſiæ Zwollanæ, continens decretum quoddam Ordd. Tranſiſalaniæ, quo injungebatur, ut ante convocationem Synodi Provincialis, gravamina Claſſium primo tranſmitterentur ad DD. Ordinum delegatos, qui eis viſitatis, ſi ſibi neceſſum videretur, in Synodum celebrandam conſentirent. Quod decre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tum, quum Ordini eccleſiaſtico fraudem faceret, ab Eccleſia Daventrienſi approbari non potuit; placuitque de eo reliquas Claſſes faciendas eſſe certiores, quo communicatis conſiliis hoc quicquid erat decreti, adhibitis rationibus apud Ordines ut abrogaretur opera dari poſſet.

Anno cIↄIↄcIX. XI & XII Julii in Synodo Zwollana Art. V. ad reſumtionem V. Art. Synodi Campenſis, placuit, ut ſinguli ſingularum Claſſium Miniſtri, denuo perlegant Catecheſin, quæ in Belgii Eccleſiis docetur, nec non Confeſſionem fidei Belgicam, & utramque approbent. Quod ſiquis facere renuerit, cum eo ut jus & æquum eſt procedatur.

Hoc anno & compluribus aliis, ludum literarium Daventriæ moderatus eſt Gualtherus Sylvanus, vir in literis humanioribus inſigniter eruditus, & Poëta eximius, quod facile agnoſcent, qui vel unum ejus Epigramma, delineationi urbis Daventrienſis ſubjectum attente legerint. eſt autem tale:

Telluris almæ non pudenda filia,
Soror gigantum, fratribus diſpar tuis,
Alumna libertatis, & vindex ſimul,
Sed ſerva ſummi non ſuperba Numinis,
Nutrix ſororum ter trium, cultrix trium,
Fœcunda Mercurialium, nihilo minus
Fœcunda Martialium parens virûm,
Privigna ſortis impotentis interim,
Viciſſitudiniſque ludicrę pila,
En, nube pulsâ purus apparet dies,
Vultum noverca Matris induit piæ
Pacata magnis, ominor, laboribus:
Iam pone veſtem temporis teſtem mali,
Stolamque ſume candidam, & videntium
Oclos morare, ſtringe & invidentium,
O inclytum Tranſiſalaniæ decus
Ocelle civitatium Daventria.

Quatuor lateribus turris templi maximi idem à Senatu rogatus ſententiam aſcribere, hunc verſum aſcripſit:

FIDE DEO. VIGILA. CONSVLE. FORTIS AGE.

Doesburgi Gelrorum, quæ urbs ei patria eſt, nunc conſulari poteſtate vivit.

Æſtivo tempore hujus anni, Genevæ ſupplicio affectus fuit Ludoïcus du Terrail, qui nomine Sabaudiæ Ducis, urbem, in alta pace occupare fuerat conatus. multa ſibi parata ſtratagemata adverſus urbes nonnullas federati Belgii fuit confeſſus, de quibus Genevates eos quorum intererat certiores fece-

fecerunt: inter alias, urbem Daventrienſem per inſidias perdere fuerat meditatus, de qua re tota Senatus Genevenſis ad illam perſcripſit, quam rem quia latius evolvi non caret periculo, ea quæ mihi ſuper ea comperta ſunt hic non deſcribam.

II Octob. Chriſtophorus Stickius Daventrienſis (Diterici filius, de quo infra) J.U.D. eques, Erneſto Marchioni Brandeburgico à conſiliis, una cum Ioanne Ringio J.U.D. Conſiliario Wolfgangi Wilhelmi Ducis Neoburgici, apud Illuſtriſs. Ordd. Belgii Principum ſuorum nomine egit de ſubſidio adverſus Leopoldum Auſtriæ Archiducem, qui Cæſaris nomine arcem Juliacenſem occupaverat: quod & obtinuit.

Idem interfuit ſolennitati acceptionis feudi Brandeburgenſis à Rege Poloniæ, aliiſque magni momenti actionibus. Nunc Breſkeſii, in ſuo dominio quietus vivit.

XIX Octob. & utroque ſequenti menſe, agitata multis diſſidiis vocatio Chriſtophori Hallenii, affinis Conradi Vorſtii.

Anno CIↃIↃCX. XV Januarii in vocationem Chriſtophori Hallenii conſenſum.

XXII Januar. in quartum Miniſtrum Daventriæ electus eſt, poſt deprecationem culpæ, in iis quæ perperam ab eo in hoc negocio fuerant geſta, Chriſtophorus Hallein. XXVI à Magiſtratu approbata vocatio. XI Februar. confirmatus.

XXVI Junii in Synodo Vollenhoviana Art. VIII. concluſum, quandoquidem controverſiæ circa religionis negotium, quarum mentio eſt in primo gravamine Zwollano, proprie in Auſtrali ac Boreali Hollandia agitentur, ut earundem ſuppreſſio ac correctio Synodis dictarum regionum relinquatur, earumque fidei committatur. Interim expedire, ut ex hac Synodo ſcriptis literis moneantur, ut huic malo quamprimum commodum remedium adhibere ſtudeant.

XI Septemb. in comitiis Campenſibus conditum edictum, nequis liberos ſuos ad ſcholas aut collegia Jeſuitarum ſtudiorum cauſa mittat, ut qui in iis reſident intra certum tempus revocentur; ne Jeſuitæ immutato veſtitu in hiſce regionibus verſari audeant &c. omnia propoſitis pœnis pecuniariis vel arbitrariis adverſus tranſgreſſores.

Hoc anno editus fuit liber Lutheri de ſervo arbitrio, linguâ Belgicâ, Daventriæ (ſi vera eſt inſcriptio) apud Ioannem Chriſtiani ibidem Bibliopolam.

Anno CIↃIↃCXI. XXV Febr. Eccleſia Amſtelodamenſis & Delegati Synodi Hollandicæ literas miſerunt ad Delegatos Synodi Tranſiſalanæ, quibus petebatur, ut quiſpiam ex illis, ante certum tempus Hagæ-Comitis compareret, qui una cum aliis fratribus, apud Ill. Ordd. Gener. ſollicitaret con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

vocationem Nationalis Synodi. Hiſce literis ſynedrio Daventrienſi exhibitis, placuit eaſdem reliquis noſtræ Synodi delegatis communicari, una cum hoc noſtro ſuffragio: Expectandum videri exitum Collationis, inter Hollandiæ aliquot miniſtros inſtitutæ: qui ſi optato fructu careret, viciſſim deputatos Synodi Hollandicæ ſcripto monendos eſſe, ut particularem ſuam Synodum convocent; quam ſi contingeret impediri, in eo caſu è ſingulis Provinciis delegandos nonnullos, qui Hagæ-Comitis convocationem Nationalis Synodi ab Ordd. flagitarent.

Menſe Aprili Chriſtophorus Hallenius ſupremum diem obiit.

XII Junii in Claſſe Daventrienſi, ad primum gravamen Claſſis Stenovicanæ (quo nova ſubſcriptio in ſignum concordiæ ſuadebatur) viſum fuit, quandoquidem ſubſignatus fuerat Articulus, quo aſſerebatur, neminem inter nos quicquam adverſus Cathecheſin aut Confeſſionem Belgicam habere, alia ſubſcriptione opus non eſſe.

XXIX Julii Conradus Vorſtius in urbe Daventrienſi (quo Utembogardus, & Zeyſtius Syndicus Leydenſis, cum eo, ſuper erroribus qui ei imputabantur acturi, ſe contulerant) tres Articulos de Trinitate, Deitate Chriſti, ejuſque plenaria pro peccatis noſtris ſatisfactione in chartam conjecit, quibus ut multi hinc inde concionatores ſubſcriberent allaboravit, quod qui fecerant (à compluribus autem fiebat ſimplici animo, quod nihil adverſum Orthodoxiæ continerent) eos in omnibus ſecum ſentire perſuaſum voluit. v. hac de re Trigl. *Hiſt. part.* 4. *p.* 595.

Anno CIↃIↃCXII. ult. Auguſt. Marcus Gualtherus, Rector ſcholæ Campenſis (qui poſtmodum Arminianiſmum amplexus eſt) literas dedit ad Nob. D. Io. Witte, quibus ei gratias agit pro miſſo Epigrammate quod concinnaverat in Bellarminum & Arminium. eos vocat Gualtherus duos Armi-minaces homines, infauſti nominis, Epigramma ipſum & legiſſe, & deſcripſiſſe ait, & velut divinum oraculum ſepoſuiſſe. optat ut id in omnium hominum manus perveniat, & veritas ejus ſerio expendatur, profuturum id rei & quieti publicæ, niſi omnes cucurbitarum capita geſtarent &c. è quibus hominis hujus levitas apparere poteſt.

XIV Septemb. in Synodo Campenſi delegati ſunt qui Hagam-Comitis ſe conferrent, ibique convocationem Synodi Nationalis apud Ordd. General. una, cum reliquarum Provinciarum delegatis urgerent, Io. Goſmannus Miniſter Eccleſiæ Daventrienſis, & Io. Langius Paſtor Vollenhovianus. Iterum ibidem interrogati fratres numquis quid haberet adverſus Catecheſin & Confeſſionem? pariter negarunt. idem examen ut in claſſibus fieret conſtitutum. Campenſes, quod adverſus decreta Synodorum, Dordracenæ, Anno CIↃIↃLXXIV. & Middelburgenſis Anno CIↃIↃLXXXI. celebratarum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tarum, quæſtiones ſuſceptoribus infantium in baptiſmo proponi ſolitas intermitterent, reprehenſi. Statutum quoque ne emergentes in Eccleſiis ſuper his vel illis caſibus difficultates ad Steenfordienſem aut exteras alias, ſed omnium primo ad harum regionum Academias miſſitarentur.

x i Octobr. Chriſtophoro Hallenio defuncto de ſucceſſore in miniſterium Euangelii Daventriæ actum, nominatim de Jeremia Plancio eccleſiaſte Mulhemi, prope Coloniam Agrippinam.

x v Novemb. Seniores Eccleſiæ Hornanæ, ſcriptis literis à ſynedrio Daventrienſi ſciſcitati ſunt, veruſne eſſet rumor qui ad ipſos dimanarat, Eccleſiam Daventrienſem in animo habuiſſe vocationem Ioannis Walleſii, ſui tum temporis eccleſiaſtæ. cui rumori ipſi fidem adhibere non poſſint &c. ad haſce quid reſponſum ſit, infra dicemus.

Interim ad miniſterium ibidem commendatur Gerardus Stenius Schuttorpienſis. ſed cum quidam è familiaribus ejus, ſuper eo interrogatus, narraſſet 1. eum abſente parente, matri Socinianam hæreſin perſuadere conatum fuiſſe. 2. eum, parentem, doctrinam de juſtificatione explicantem, manifeſti erroris inſimulaſſe, illamque quam Orthodoxi in Eccleſiis tradunt, S. literis in æternum probari non poſſe audacter dixiſſe. 3. eidem oſtenſis Vorſtii dictatis, Socini paradoxa pro virili commendare ſtuduiſſe: res ea tota ad Thom. Roothuſium Miniſtrum Eccleſiæ Daventrienſis perlata, in cauſa fuit, ut commendatio illa eventu deſtitueretur.

Hoc anno Præpoſituram Daventrienſem morte D. Ditherici à Gent vacaſſe reperio.

Anno cIↃIↃcxiii. vi Maji, Jeremias Plancius ad miniſterium vocatus. viii Julii rogatus ut adventum maturaret, eo quod D. Goſmannus cœcitate à Deo viſitatus eſſet, xviii Octobr. Daventriam appulit. xiii Decemb. abſolute in miniſterio confirmatus fuit.

Prodierunt hoc anno Hanoviæ Victoris Giſelini commentarii in Prudentium, in quibus, quæ Daventriam ſpectant, hæc occurrunt: *Interea tamen hoc boni evenit, ut forte fortuna in editionem quandam* (Prudentii) *Daventrienſem, annis abhinc* lxx *evulgatam inciderim, quæ ubique mihi tantum opis tulit, quantum ullus alius.* hæc Giſelinus. mihi editionem illam Prudentii videre nondum contigit.

Anno cIↃIↃcxiv. vii Febr. continuante cœcitate Io. Goſmanni, de vocando v. Euangelii Miniſtro Daventriæ actum. xxi ejuſdem deliberatum de tentando Andrea Suavio, Paſtore Lochemenſi apud Gelros. juxta quem xxviii Februar. nominati fuere Alb. ab Ooſterwijck Paſtor Delphenſis, Arnoldus Kemnerus, & Abrahamus Montanus. Ex his Suavius iv Martii vocatus fuit. ſed literis xxx Maji acceptis intellectum, Lochemenſes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

menſes in dimiſſionem ejus nullatenus conſentire velle. itaque & ipſe, Eccleſia ſua invitâ diſcedere gravatus, Eccleſiæ Daventrienſi pro honorifica vocatione gratias egit.

XXV Julii Satrapa Sallandiæ literas Magiſtratus Campenſis miſit ad Senatum Daventrienſem, quibus petunt, ut Synodus, permiſſu AA. Delegatorum a. d. Kal. Auguſti celebranda, intermitteretur, in quam petitionem &, Zwollani, & ipſe quoque Satrapa conſentiat, idque ob haſce rationes: 1. quia Synodus non ab Ordd. ſed ab eorum tantum Delegatis conceſſa ſit. 2. quia gravamina Nobb. Dominis nondum ſunt exhibita, id quod judicetur fieri oportere.

XXII Auguſt. vocatur Iacobus Revius, ad miniſterium Daventrienſe, qui XXIV Octob. eo appulſus, Paſtoribus ibidem accenſetur.

Anno CIↃIↃCXV. IV Januar. Io. Walleſius literas dedit ad Daventrienſe ſynedrium, quibus refert, ſe ante biennium & menſes aliquot, à viro quodam ſpectabili, nomine miniſtrorum Daventrienſium requiſitum fuiſſe ut inclinationem ſuam indicaret, ad accipiendam vocationem ad miniſterium Daventrienſe &c. eam rem ſe tunc temporis ſcripto communicaſſe Coſs. & „Tribb. pleb. civitatis Hornanæ in hæc verba: Die Saturni proxime præ„terito huc veniſſe virum gravem, cum ſerio & expreſſo mandato Miniſtro„rum Daventrienſium, ſciſcitatum ſententiam ſuam, num videlicet, quo è „ſtatu hoc irrequieto, ad quietiorem perveniret, in animum inducturus „eſſet hanc Eccleſiam relinquere, & præcedente legitima vocatione, ſe „Daventriam transferre? Quum autem ſalvâ conſcientiâ hoc ſuum legiti„mum miniſterium ſibi deſerere fas non eſſet, ut nec probo huic viro ullam „diſcedendi ſpem facere, antequam certus eſſet, Daventrienſes non eſſe „facturos ſui adipiſcendi cauſa inutiles ſumtus, ideo ſeſe convertere ad ipſo„rum Amplitudines &c. Hæc cum quidam malevoli reſciviſſent, Daventriam miſiſſe de re tota ſciſcitatum, atque inde literas impetraſſe ſub ſanctiori civitatis ſigillo, quas pro concione quibuſvis ſe legendas dare paratos eſſe jactitent, quibus nimirum ſeſe falſimoniæ convictum ſe tenere putent. Rogat ergo ut de veritate hujus facti per literas ad ſe miſſas teſtari velint, quo ſe tueri poſſit adverſus calumnias eorum, qui perſonale odium quo ſeſe proſequantur, titulo φιλορθοδοξίας velare ſatagant &c.

XVI ejuſdem menſis reſpondit ſynedrium Daventrienſe ad literas Walleſii, & circa negotium de quo quærat, hæc geſta eſſe ait: Duos videlicet è Miniſtris ipſorum abſente tertio, qui auditu percepiſſent ea quæ ferrentur de eruditione & aptitudine ſingulari Ioannis Walleſii ad miniſterium Euangelii, per virum gravem ex eo ipſo D. Walleſio inquiri curaſſe, num animo propenſo foret ad miniſterium Eccleſiæ Daventrienſis amplectendum, & num ſalva ædificatione ab Eccleſia ſua dimitti poſſet, ſi à nobis (inquiunt)

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ipſum inde ad nos vocari contingeret. ita nec aliter ſe rem habere, de qua eum certiorem facere voluerint &c. De Walleſio hoc v. Trigl. *Hiſt. part.* 4. *pag.* 834. *& ſeqq.*

XIV Junii Campis periculoſe in templo tumultuatum eſt. Quum enim pro concione Daniel Sauterius Miniſter illius loci inter alia doctrinam Eccleſiæ reformatæ a conſequentiis quibus gravatur defendiſſet, finito ſacro coïtionem faciunt cives nonnulli è factione adverſa, qua viri, qua feminæ, & clamoribus omnia replent, cumque alii ſeſe iis objicerent, a verbis ad verbera deventum. ſedato tumultu, Magiſtratus tres è maxime ſeditioſis ad curiam vocat, & culpæ convictos ad turrim captivorum abduci juſſit. Poſtridie Everardus Voſculius alter Eccleſiæ Miniſter, (qui una cum Thoma Goſuinio nova Remonſtrantium dogmata tunc defendebat) circiter CL civibus ex eadem factione ſtipatus curiam accedit, admiſſus cum duobus aliis, minis adhibitis Senatum adigit tres illos dimittere, & eorum loco Diaconum quendam, per quem ajebat plebem ad pugnam incitatam fuiſſe, captivum ſiſtere. utrumque factum. ita quidem, ut è veſtigio tres illi dimitterentur, & poſtridie etiam Diaconus, poſtquam de innocentia ejus abunde conſtitiſſet.

Fervente hac συῤῥάξει celebratur Zwollæ Synodus. in qua Martinus Ioannis Harlingenſis Eccleſiaſtes in Roveen, proteſtatus eſt adverſus Claſſem Zwollanam, a qua, (quod ſe a ſuſpicione doctrinæ erroneæ & vitæ minus honeſtæ non ſatis liquido purgaſſet) quominus ad Synodum deputaretur fuerat interceſſum. Synodus omnibus expenſis, factum Claſſis Zwollanæ approbavit, ac Martino, ut ſe quamprimum ſiniſtris hiſce rumoribus expediret, & turbulentis extra Eccleſiam ſuam actionibus temperaret præcepit. Ibidem decretum ſuperioris Synodi, quo injunctum fuerat Campenſibus, ut trinam ſtipulationem liturgia noſtra expreſſam, more reliquarum Eccleſiarum baptiſmo præmitteret, repetitum ac confirmatum fuit. Sancitum quoque, ne pax noſtrarum Eccleſiarum turbaretur, ut conviciis & contumelioſis dictis in cathedra, ſive adverſus hanc ſive illam partem abſtineretur. Quumque nuperi tumultus Campis exorti fama ad Synodum perveniſſet, requiſitus fuit A. illius urbis Senatus a Synodo, placeretne ei, delegatos aliquot è Synodo admittere, qui hoc quicquid erat diſſidii componerent? reſpondit Magiſtratus, placere ſibi, ut res in plena Synodo examinaretur ac ibidem terminaretur. ſed cum & tempus ad hoc deficere, nec plenè Synodo de facti circumſtantiis conſtare diceretur, negocium ad Magiſtratum ipſum remiſſum eique commendatum fuit. Statutum porro, petendum ab Ordd. ut Synodales conventus quotannis ſtatuto tempore haberi permitterent. Lex quoque lata, nequis ſcriptum quodcunque, vel a ſe vel ab alio compoſitum emitteret, niſi id primo a Claſſe Synodove fuiſſet appro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

approbatum. Denique ut iteraretur apud Ordd. petitio, liceret noſtris, accedente reliquarum Provinciarum conſenſu, Synodum Nationalem apud Præpott. Ordd. Generales urgere.

In deputatum Synodi (quaſi re benè ac gnaviter Campis geſta) electus tunc fuit Everardus Voſculius, cum duobus aliis qui eaſdem partes fovebant. Neque poſt hanc Synodum alia in Tranſiſalanis celebrata fuit ante annum CIↃIↃCXVIII.

XIV Auguſt. literæ Amſtelodamenſis Eccleſiæ ad Daventrienſem pervenerunt, quibus illa petebat, ut ſingulæ Provinciæ binos ſuo & aliarum Eccleſiarum nomine ablegarent Amſtelodamum a. d. IV Sept. ſtyl. vet. pariter acturos de ratione procurandæ Synodi Nationalis &c. placuit haſce literas Claſſi communicari, in qua die XVI ejuſdem menſis, injunctum fuit Miniſtris Daventrienſibus, rogarent Ordinum Delegatos, ut præcedentes deputati (à Synodo Campenſi habita Anno CIↃIↃCXII. XIV. Septembr. ad hoc delecti) continuari & auctoritate Ordd. fulti, ad dictum conventum ſe conferre poſſint. Quumque Io. Goſmannus cœcitate à Deo viſitatus eſſet, ideoque inidoneus, ut Miniſtri Daventrienſes alium ejus loco è ſuis ſeligant, qui cum Io. Langio iter hoc capeſſat. Totum vero hoc vicinis Claſſibus ſignificari placuit, ut quid & ipſæ ſuper hac re ſentirent cognoſceretur.

XXVI Auguſt. Cum urbs Brunſvica obſideretur à Duce ſuo, urbes Hanſeaticæ quæ ſunt in Gelria, una cum urbe Hanſeatica Daventria, invitatæ ad conventum Hanſæ Teutonicæ, Lubecæ a. d. XI Septemb. habendum, Arnemiæ decreverunt, viros aliquot graves eo ablegandos, qui ſuper hac difficultate in medium conſulerent, & negocium multum expetitæ fœderationis cum iiſdem amplius urgerent. Nominati ad eam rem Domini, Ioannes Biel J. U. D. urbis Neomagenſis Syndicus; Fridericus Sandius Conſiliarius & Tutor Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ, Ditericus Stickius eques, Conſul Daventrienſis. Legati hi Daventriâ Profecti VII Septemb. & Lubecam appulſi XIII ejuſdem. ſecutus eſt eos Fridericus Henricus Arauſionenſium Princeps, cum equitatu Ordd. Federatorum, & aliquot peditum manipulis, quibus urbi Brunſvicenſi & Hanſæ Teutonicæ ſubveniretur, ſi hoſtilia a quoquam paterentur. idque tam Duci, quam Regi Daniæ, qui & ipſe in caſtris erat, per literas a legatis ſignificatum fuit. At Dux, antequam eas literas accepiſſet, audito Principis adventu, obſidionem ſolvit. Delegati fedus cum civitatibus Hanſæ Teutonicæ feliciter pepegerunt XXVII Decemb. Brunſvici. XI Januar. anni ſequentis Hamburgi. XVIII. Januar. Bremæ. XX Januar. patriam repetierunt, ac intra paucos dies eo appulerunt.

Menſe Decembri hujus anni, loco Diterici a Gent defuncti, electus eſt in

in præpoſitum Daventrienſem, & Archidiaconum S. Lebuini, Rever. ac Nobilis D. Bernardus Bentinck, filius nobilis ac honorati Henrici Bentinck in Werckeren, Satrapæ regionis Sallandiæ.

Edita hoc anno eſt Zwollæ Apologia Iacobi Wyfferdingii, de quo ad miniſterium vocando agitabatur, cumque ſuſpicione Arminianiſmi & Socinianiſmi gravaretur, publico ſcripto Latinè vulgato, ea ſe labe purgare annisus eſt. Idem poſtea civitati illi a ſecretis fuit.

Anno cIↃIↃcxvi. viii Januarii deliberatum fuit Daventriæ de aſciſcendo in quintum Eccleſiæ Miniſtrum Io. Acronio, Eccleſiaſte quondam Groningano, poſt Veſalienſi, unde occupata ab Hiſpanis urbe excluſus, Daventriæ ſedem fixerat. Scripſit dum Groningæ Euangelium prædicaret, librum linguâ Germanicâ, de vocatione miniſtrorum, & jure patronatus, editum ibid. apud Ger. Ketel, Anno cIↃIↃciv. Poſtmodum Daventriæ, lingua Latina, Elenchum Orthodoxum Pſeudo-religionis Romano-Catholicæ. Denique Franequeræ, (ubi Theologiæ Profeſſorem poſtea egit) Probuleuma de ſtudio S. Theologiæ recte privatim inſtituendo. Franequerâ Harlemum ad miniſterium Eccleſiæ vocatus, ibidem vitam cum morte commutavit. ſed hæc ſequentibus temporibus contigere. ut ad noſtra revertamur, xv Januar. plura ſuffragia in ſynedrio obtinuerunt, ut is Eccleſiæ Miniſtris accenſeretur. quibus cum xxii^a. ejus menſis ii qui proxime ſeniorūm munere deceſſerant, ſua vota, recepto ibi more adjunxiſſent, res ei per Delegatos è Conſiſtorio indicata fuit, ſuper qua motis quibuſdam difficultatibus, tempus ſumſit deliberandi.

„xxvi menſis Januarii in camera capitulari, domus Domini Florentii, „in civitate Daventrienſi congregati fuerunt, Nobiliſs. Henricus Bentinck „Satrapa ditionis Sallandicæ, nomine filii ſui, nobilis Bernardi Bentinck, „nonnullis nobilibus conſanguineis ſuis comitatus. inſuper Honorati, „Conſultiſs. ac Prudentiſs. Domini, Martinus Stegeman, Engelbertus „a Doetecum, Iacobus a Lith, & Hermannus a Bloos, Delegati A. Sena„tus ejuſdem civitatis Daventrienſis. nec non Canonici Eccleſiæ S. Lebui„ni, nimirum D. Gerardus Bruyns, & Nob. Unico Ripperda, una cum „Quæſtore facultatum Capitularium Henrico Vrieſwijck, deliberaturi ſimul „de rebus quibuſdam ad Præpoſituram pertinentibus. Habitaque commu„nicatione, placuit, ut regimen bonorum Præpoſituræ maneat conſolida„tum in vicariatu, eoque in ſtatu quo id fuerat tempore Dominorum Præ„poſitorum præteriti temporis: Quod autem attinet adminiſtrationem bo„norum Præpoſituræ, ea quoque manſura eſt in urbe Daventrienſi, prout „antiquitus conſuetum eſt. Super ea autem omnia dictus Dominus Satrapa „nomine ac vice dicti ſui filii, Vicarium confirmavit, & veluti de novo con„ſtituit memoratum D. Gerardum Bruyns, Canonicum Capitularem. qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,tanquam Vicarius generalis dictæ Præpoſituræ, adminiſtrationem bono-,,rum continuabit, prout hactenus factum eſt: Fide jubens dicto D. Præ-,,poſito, tam ratione jurium feudalium quæ ipſi obtingent, quam ipſarum ,,facultatum adminiſtrationis. Quod vero ad portionem, Capitulo ex bonis ,,Præpoſituræ quotannis competentem, ea hoc tempore, ac per proviſio-,,nem relinquitur qualis fuit vigore tranſactionis cum præcedenti Præpo-,,ſito ſancitæ, ut videlicet è XIX perſonis, ſingulis erogentur XI menſuræ ,,ſiliginis ac hordei, duo modii ac ſemis ſiliginis non eventilati, IV mo-,,dii hordei aut avenæ non repurgatæ, & III floreni aurei menſuralium ,,nomine; reliqua Præpoſito applicentur, quopacto tempore defuncti Dite-,,rici a Gent, Præpoſiti ultimi fuit factum. Quod ſi interim invaſio aliqua ,,earum facultatum quarum receptio eſt penes Vicarium ab hoſte contigerit, ,,id damnum ſolum Capitulo intelligitur redire. Conſequenter idem D. Sa-,,trapa in qualitate prædicta, ſcribam feudalem continuavit & confirma-,,vit Ioannem Condewijn civitati Daventrienſi a Secretis. Conventum ,,porro eſt, ut dicti D. Satrapæ filius, ſimul ac majorennis factus fuerit, ,,hic in civitate, in domo Præpoſituræ reſideat: utque eadem domus plene ,,è reditibus Præpoſituræ reparetur ac conſervetur. Actum a Dominis ſupra ,,nominatis, eorumqne ſubſcriptione firmatum, anno, die, & loco qui-,,bus ſupra. Subſcriptum erat diverſis manibus: Henricus Bentinck no-,,mine filii. Antonius a Doornick. Gerardus Bruins Canonicus. Unico ,,Ripperda. Et inferius: Juſſu ſupra dictorum DD. Delegatorum Sena-,,tus, Kondewijn civitati Daventrienſi a Secretis.

Pro copia collata

Ioannes Steen, *Sacra Imperiali auctoritate Notarius Publicus, in fidem propria manu ſcripſit ac ſubſcripſit.*

XII Febr. Matthiſius ſynedrio exhibuit vocationem ad Miniſterium Eccleſiæ Zwollanæ, ſed dimiſſionem ab Eccleſia Daventrienſi non impetravit, ut nec IV Martii, cum denuo eam flagitaret.

XI Martii Ordd. Tranſiſalaniæ in comitiis Campenſibus congregati ad exemplum Ordinum Hollandiæ & Provinciæ Trajectinæ decretum edunt pro pace Eccleſiæ, in quo qui doctrinam de æterna Dei (ut ajebant) Prædeſtinatione more recepto docebant, inſimulantur de ea ſublimius diſputare quam Chriſtus Magiſter ac Doctor noſter nos ipſe docuit: jubenturque concionatores tam hujus quam adverſæ partis, diſputationes ejuſcemodi tum de Prædeſtinatione, tum de aliis controverſiis ad arcana Dei ſpectantibus, prorſus intermittere, neque quicquam de eis vel pro concione movere, vel ſcripto typiſve publicare, ſub pœna depoſitionis a miniſterio &c.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ad hæc exequenda, injunctum eſt Satrapis, & civitatum Delegatis, ut in ſua quique juriſdictione concionatores omnes ac ſingulos ad ſubſcribendum & obtemperandum huic decreto compellerent. quod tentatum vario eventu. è civitatibus Campenſes admodum fervide hoc negocium egerunt, Daventrienſes & Zwollani lentius & circumſpectius. Qui Remonſtrantium partes fovebant, alacriter ſubſcripſere, ſed nihil minus fecere quam quod promittebant, cum à ſeminandis ſuis opinionibus nunquam ceſſarent. ex aliis nonnulli minis adacti ſubſcripſere, ſed non multo poſt in claſſibus culpam confeſſi ſunt, quidam ſubſcripſerunt ſed cum reſtrictione, alii Orthodoxæ quam ſemper defenderant doctrinæ ſummam una cum nomine ſuo decreto ſubjecere. ſed præcipua quæ curſum hujus moliminis abruperunt adjicere præſtat. Ea fuerunt Satrapiæ Vollenhovianæ & Civitatis Daventrienſis à reliquis comitiorum membris ſeparatio. ea hoc pacto contigit:

Rodolphus Echtenius Vollenhoviæ Satrapa, vir bonus & Orthodoxus, quantum poterat executionem hujus decreti diſtulerat, cujus etiam exemplar nemini è juriſdictionis ſuæ Miniſtris, licet multum diuque rogatus, voluerat exhibere. tandem, urgentibus aliis Satrapis, ditionis ſuæ concionatores convocavit a. d. VIII Aprilis Vollenhoviæ comparituros. comparet tota Claſſis & in unum cubiculum congregatur. eo mittit decretum Satrapa, utque ei ſubſcribant injungit. Concionatores, nunquam antea viſum decretum, invocato prius nomine divino, legunt, releguntque, ac omnibus mature expenſis, ſummo conſenſu judicant ei ſe ſalva conſcientia ſubſcribere non poſſe. id quod Satrapæ ſignificarunt, neve tali diplomate gravarentur enixe petierunt. Cui placuit ut rationes recuſationis ſuæ ſcripto conſignatas ſibi traderent, quas AA. Ordd. exhibere, atque ita ſuo ſe munere perfunctum eſſe edocere poſſet. id quod ab illis luculento ſcripto eſt factum: cui ſubjecta erant nomina *Ioannis Langii*, *Ioannis Voſcuyl*, *Iacobi Heſſels*, *Henrici Greveſteyn*, *Ioannis Volceri*, *Lucæ Langii*, *Henrici Vinckii*, *Henrici Alutarii*, *Iacobi Reyneri*, *Wilhelmi Lubberti*.

Hoc ſcriptum, cum intempeſtivo cujuſdam fervore, cui id Henr. Alutarius communicaverat, Amſtelodami furtim deſcriptum, & typis quoque mandatum fuiſſet, idem Alutarius miniſterio motus fuit, licet juramento confirmaſſet, ſe inſcio & nolente eam rem contigiſſe. alter qui ſe Zutphanienſibus quibuſdam Miniſtris id communicaſſe fatebatur, certus tamen ibi non fuiſſe excuſum, menſis ſpatio à miniſterio fuit ſuſpenſus. Alutarius apographum ſententiæ popoſcit, ſed obtinere non potuit. Nec ulla Eccleſiæ Blanckenhamenſis, cui præerat, Claſſis item, Deputatorum Synodi aliorumque interpoſitio, ad rigorem hujus ſententiæ ſaltem mitigandum, quicquam profecit. Eccleſiæ, ejus loco, diverſæ partis Miniſter Gerardus Arſenius obtruſus fuit. ipſe poſt longam patientiam, Woerdam in Batavis, hinc Roterodamum,

damum, & inde Gorcomium regimini Eccleſiæ adhibitus fuit, ubi & mortalitatem depoſuit.

Miniſtri Eccleſiarum Vollenhovianæ, Stenovicenſis, Haſſeltanæ, Covordienſis, Cuneranæ, quique in Swarteſluys, Blockſijl &c. Eccleſiæ inſerviebant, in ſana doctrina immoti perſtiterunt, & à Magiſtratibus ſuis, ne jugum decreti Campenſis ſubire cogerentur, fuerunt defenſi.

Daventriæ, cum tres Miniſtri eſſent incorruptæ doctrinæ tenaces, Thomas Roothuſius, Jeremias Plancius, & Iac. Revius; unus vero Aſſuerus Matthiſius novis opinionibus addictus, facile ab hoc perſuaſum fuit Magiſtratui, decretum Campenſe, quod non modo in doctrina prædeſtinationis, ſed & in aliis quæ aliquid myſterii habent, ſilentium partibus imponat, hac in parte corrigi ac leniri poſſe, &, modo doctrinæ prædeſtinationis cum annexis aſtringeretur, utrique parti tolerabile fore, & ad pacem Eccleſiæ facturum, ita, omiſſo illo additamento decretum fit ab illius civitatis Senatu; quod cum IX Aprilis die Miniſtris proponeretur, Matthiſius quidem avide recepit, reliqui vero approbare gravati ſunt, & eas rationes poſtridie Magiſtratui ſcripto exhibuerunt, per quas id urgere deſtiterunt, ac priſtinam Orthodoxis verbi divini Miniſtris libertatem ſalvam reliquerunt.

XI Aprilis Georgius Solingius, Miniſter Eccleſiæ Deldanæ in Claſſe Daventrienſi, prolixa ſcripta ad Ordd. Epiſtola, rationes reddidit, cur nec ipſe, nec ulli eccleſiaſtæ, honore Dei, conſcientiarum ſuarum tranquillitate, & auditorum ſalute ſalvis, ſanam doctrinam de prædeſtinatione & annexis ei capitibus, apud auditores jam ante in fundamentis Chriſtianæ religionis inſtitutos, ſilentio involvere poſſint.

Menſ. Jul. habitus fuit Amſtelodami conventus Delegatorum ex omnibus Synodis, cui nomine Provinciæ Tranſiſalanæ intererat Io. Langius. de quo v. *Hiſt.* Trigland. *p.* 89. *& ſeqq.*

Kalend. Novemb. Marcus Gualtherus Palatinus ſcholæ Campenſis Rector edidit tractatum, cui titulus: *Temeritas recalcitrans, ſive Dialogus inter ſanam rationem & ſtultam temeritatem, De carentia liberi arbitrii primorum parentum ante lapſum, & de Deo* ἀμαρτοκινήτῳ, *contra Tapeinophroſynen Ioannis Urbani, Eccleſiaſtæ Hattemenſis.* excuſus eſt Goudæ apud Andream Burier.

VII Novemb. ad Coſs. &c. oppidi Diepenemenſis nomine concionatorum Daventrienſium ſcriptum fuit, de vocatione Hugonis Galli, quam, quod decreto Ordd. ſubſcribere gravaretur, impediverant ne effectum ſortiretur, eiſque ſignificatum, neminem à Claſſe admiſſum iri, qui ad illam ſubſcriptionem ſe perduci pateretur.

Hoc anno renovata fuit Daventriæ porta piſcaria, cui operam ſuam accom-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

commodavit ingenioſa virgo. quæ virili induta habitu, ſtipendia merebat ſub cohorte Iacobi Eyndii. de qua paulo plenius hic agendum. Filia centurionis Simonis Portæ (is navi Rheno cuſtodiendo non longe a propugnaculo Schenckano præerat) Catharina Simonis dicta in urbe Neomagenſi, civi cuidam (vel, ut ab Eyndii optione me audire memini, extra urbem nobili cuidam) ſeſe in ancillam elocarat: tempore famulatus ſui elapſo, patre ac hero ſuo inſciis, diſcedens, virilem ſumit veſtem, Simonis Portæ nomine ſe appellari facit, artem ſutoriam addiſcit. ſed illius opificii pertæſa, cædendis lapidibus ſe applicat, qua in arte haud parum profecit. hinc militaris vitæ avidior, ſub eo quem diximus centurione ſacramentum dicit. cujus cohors tum temporis Daventriæ in præſidio agebat: ubi, occaſione refectionis portæ quam diximus, ingenii ſui inſigne ſpecimen dedit. Inde Reeſſam tranſlata, à militari ſtudio non receſſit. induſtriam quoque ſuam in exædificatione novi ibidem templi egregie demonſtravit. parenti ſuo, quoties ſe offerebat occaſio ſalutem, nomine filii ſui, nunciari fecit, illo identidem reſpondente, filium ſibi nullum, filiam tamen fortaſſe alicubi ſupereſſe, quæ quonam evaſiſſet ſe penitus latere. Variæ parenti de ea ſuſpiciones occurrebant, vel cum amatore quopiam eam ſolum vertiſſe, vel ab hero forte corruptam, ac deinde peremtam; ſed nihil certi de ea unquam potuerat reſciſcere, quum nemini illa ſexum ſuum indicaſſet, neque ullus mortalium tale quid in ea comperiſſet. Tandem Reeſſæ poſtquam Anno cIↄIↄcxxv. morbo correpta diem ſuum obiiſſet, mulierum curioſitate, quæ eam, quod imberbis eſſet, eunuchum ſibi videri inter ſe cavillabantur, effectum eſt, ut nudato cadavere, mulier eſſe comperiretur. Id protinus patri mandatum, qui ne exequiis intereſſet morbo præpediebatur. biduum tamen, ultra conſtitutum tempus, ejus expectatus fuit adventus, cujus cum ſpes non eſſet, funus elatum, ac cum omnibus ceremoniis more militari, in novo, & ipſius arte exornato templo humatum fuit. ſequebatur Senatus urbis univerſus, centuriones omnes qui vel in continenti vel in flumine Rheno militabant. nec non plerique alii qui ad rei famam aliunde advolarant. ita ut magnifica ſane ejus fuerit funeratio. Magiſtratus, ad rei memoriam ſumtuoſo lapide tumulum hujus Amazonis obtegi fecit, cui vitæ ejus ordo ac ſeries fuit inciſa.

Anno cIↄIↄcxvii. xv Februarii die, Aſſuerus Matthiſius Senatui Daventrienſi & Tribb. pleb. ſcriptum exhibuit, quo negabat ſe deinceps miniſterium ſuum ſalvâ conſcientiâ obire poſſe, niſi injungeretur ab A. Magiſtratu tribus ſuis collegis, ut æquali cum ipſo jure ſe gererent, ſive in reticendis, ſive in proponendis pro concione Articulis controverſis.

Gliſcentibus porro per Eccleſias Tranſiſalanas diſſidiis, miniſtri qui ſanæ doctrinæ adhærebant, conſultum judicarunt Illuſtriſſ. Principem Mauritium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

tium ſuper eo negotio compellari. delegerunt autem ad eam rem Rever. ac inſignem virum Hieronymum Vogellium, Miniſtrum tum temporis Eccleſiæ Haſſeltanæ, cujus iuſtructio (Belgicè concepta) ita habebat:

,, Quandoquidem harum exhibitor, verbi divini in provincia Tranſiſala-
,,na Miniſter, neceſſaria quædam in Hollandia habebat expedienda: Iccirco
,,nos infraſcripti, tanquam cooperarii in ejuſdem Provinciæ Eccleſiis, ad
,,promotionem honoris divini & religionis verè Chriſtianæ, neceſſarium,
,,exiſtimavimus, hunc noſtrum fratrem ſerio affectu rogare, ne intermitte-
,,ret, poſtquam in Hollandiam veniſſet, petere Hagam-Comitis, ibidem
,,Celſiſs. Principem, tanquam Præfectum hujus regionis cum omni debita
,,reverentia ac demiſſione ſalutare, atque ab eo gratioſam audientiam re-
,,quirere, ſuper iis quæ ad bonum eccleſiarum hujus Provinciæ cum eo actu-
,,rus eſt. Ac primo quidem, ſuper præſenti illarum eccleſiarum ſtatu,
,,Deinde, ſuper decreto, ab hujus regionis Ordinibus, anno præterito
,,CIↃIↃCXVI. XI Martii die Campis ſancito, typis vulgato, ac publi-
,,cato, quo ea miniſtrorum hujus Provinciæ obligatio poſtulatur, cui nemo
,,eorum (qui quidem ſanæ, puræ ac reformatæ doctrinæ addictus ſit) ſalva
,,conſcientiâ poterit ſubſcribere. Prout iidem Miniſtri, cum id ab ipſis
,,exigeretur, majori ex parte, id facere recuſarunt. Quumque etiamnum
,,metuamus, ne dicti D. D. Ordines ejuſcemodi recuſationi minus ſint ac-
,,quieturi, ſed repetito mandato, ſub pœna promtæ depoſitionis, eandem
,,ſubſcriptionem denuo injuncturi; ut demiſſe Celſiſs. Princeps rogetur,
,,ad profectum honoris divini, tranquillitatem ac bonum eccleſiarum, per
,,literas apud dictos D.D. Ordd. Zwollæ proximo x. Martii die ſtylo vet.
,,congregandos, clementer pro ſeſe intercedere, petereque, ut executionem
,,decreti illius intermittant, nec quenquam ad ei ſubſcribendum conſtrin-
,,gant; quo fidi ac pii reformati Paſtores in miniſteriis ſuis permanere,
,,neque concionatores Arminiani eorum loco intrudi poſſint. Præterea, ut
,,Celſiſs. Principi placeat, tanquam Præfecto hujus Provinciæ, dictos D.D.
,,Ordd. monere, ut ad exemplum vicinarum Provinciarum, Gelriæ, Co-
,,mitatus Zutphaniæ, Friſiæque, in ſana ac verè reformata religione perſe-
,,verent. neque ullam novitatem permittant introduci. quo omnis motus
,,omneque infortunium in urbibus ac pagis evitari poſſit. Speramus autem
,,Celſiſs. Principem, demiſſas ejuſcemodi preces clementer accepturum,
,,ac effectui daturum: quum nulli dubitemus, fore ut literæ ejus interceſ-
,,ſoriæ à D. D. Ordd. noſtris attente conſiderentur, atque animo propenſo
,,effectui mandentur. Quo facto omnes pii probique Miniſtri verbi divini
,,ex animo lætabuntur, & occaſionem ſibi oblatam agnoſcent, Celſiſs. Prin-
,,cipi immortales agendi gratias, Deumque fideliter ac perſeverantur oran-
,,di, ut eundem in felici ac diuturno regimine gratioſe conſervet, ad reipub.

& Ec-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„& Eccleſiæ Chriſtianæ felicitatem, pacem ac concordiam. Actum in
„Tranſiſalania III Martii cIↃ IↃ c XVII.

Subjecta erant nomina Thomæ Roothuſii, *aliorumque hujus Provinciæ Miniſtrorum.*

Princeps Mauritius humaniter hanc compellationem accepit, & ad Ordd. Tranſiſalaniæ literas dedit quæ ipſius verbis hic poni merentur. ita autem habent:

Maurits Prince van Orangen, Grave van Naſſau, Meurs, &c.

EDele ende beſondere goede Vrunden: Alſoo wy hebben verſtaen, dat V: E: althans eenen Landt-dach zijn houdende, hebben wy goet gevonden by de ſelve occaſie, ten aenſien van de ſwarigheden die wy bevinden in deſen Lande van Hollandt over het poinct van de Religie te zijn ontſtaen, volghens onſen ſchuldigen plicht, daer op wy onſe commiſſie ende inſtructie als Stadthouder ende Gouverneur van den Lande van Over-Yſſel hebben ontfangen, V: E: hier mede ernſtlijck te verſoecken ende vermanen, binnen den ſelven Lande, ſoo in den Steden als ten platten Lande, ſoo goede toeſicht te nemen, ende ordre te ſtellen, datter geene nieuwigheden in de ware Chriſtelijcke gereformeerde Religie ingevoert en werden, maer ter contrarie, dat de ſelve mach werden gemaintineert, in conformiteyt van de Nederlandtſche Confeſſie ende Heydelberchſche Catechiſmus, gelijck van den aenvanck der reformatie tot noch toe geſchiet is. tot welcken eynde wy ſouden goet vinden, dat de gewoonlijcke Kercklijcke vergaderingen, in Claſſen ende Synoden, na behoorlijcken gebruycke toegelaten worden. Ende ſoo daer eenige perſonen mochten werden bevonden die daer inne van ander gevoelen mochten weſen, dat 't ſelve by hun mocht blijven, ſonder op den Predick-ſtoel te brenghen, ofte anderſints eenighe beroerte onder de goede Gemeente te veroorſaecken, totter tijdt men by een Synode Nationael in deſe ſaecken anders ſal hebben verſien. Op dat ondertuſſchen aldaer in den Lande van Over-Yſſel in conformiteyt van ander Provintien in goede ruſte ende eenigheyt noch ſtaende, moghen belet werden ende voor-gekomen de ſwarigheden die ter ſaecke van dien alhier in Hollandt dagelijcx zijn voorvallende. het welcke niet dan tot meerder verſeeckeringe ende ruſte van

V: E:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

V: E: ende die van de Landtſchap van Over-Yſſel ſal komen te ſtrecken. Hier mede, Edele &c.

In s'Graven-Hage, den XX *Martii*, cIɔ Iɔ CXVII.

Id eſt:

,, Mauritius Arauſionenſium Princeps, Comes Naſſoviæ, ,, Meurſæ, &c.

,, NObiles & ſingulariter dilecti Amici: Quandoquidem intelleximus, ,, Nobil. Veſtras impræſentiarum comitia celebrare, viſum nobis fuit, ea ,, occaſione, ratione habita difficultatum quas deprehendimus in hac Hollan- ,, diæ Provincia, ſuper negocio religionis exortas eſſe, ex officio nobis in- ,, cumbente, cujus nomine commiſſionem ac inſtructionem noſtram, ti- ,, tulo Præfecti regionis Tranſiſalanæ accepimus, ſerio à vobis petere, voſ- ,, que monere, ut tam in civitatibus quam pagis operam detis ac proſpicia- ,, tis, ne novitates ullæ circa religionem vere Chriſtianam & reformatam in- ,, troducantur, ſed contra, ut ea protegatur in conformitate Confeſſionis ,, Belgicæ & Catecheſeos Heidelbergenſis, prout ab initio reformationis ,, uſque ad hæc tempora factum fuit. quo fine videretur nobis conſultum, ut ,, conſuetæ congregationes eccleſiaſticæ in Claſſibus & Synodis, juxta uſum ,, debitum permitterentur. Quod ſi qui forte reperirentur, qui hac in re di- ,, verſum ſentirent, ut ii ſententiam ſuam penes ſe continerent, neque eam ,, de cathedrâ vulgarent, aliterve motuum aut turbarum in Eccleſia auctores ,, eſſent, uſquedum per Synodum Nationalem in hiſce aliter proſpectum ,, fuerit. Quo interea temporis iſtic in Provincia Tranſiſalana, aliarum Pro- ,, vinciarum hactenus tranquillarum ac concordium exemplo, impediantur ,, ac præveniantur difficultates, quæ hac de cauſa hic in Hollandia quotidie ,, emergunt. Id quod non niſi ad majorem quietem ac ſecuritatem veſtram ,, ac incolarum regionis Tranſiſalanæ ceſſurum eſt. Hiſce, Nobiles &c.

,, Hagæ-Comitis XX Martii cIɔ Iɔ CXVII.

XIV Aprilis, cum vulgo innotuiſſet Matthiſium Senatui Daventrienſi & Tribb. pleb. ſcriptum exhibuiſſe, de quo ad XV Februarii egimus: item eum dixiſſe, ſtatuiſſe ſe, quoties opportunum eſſet, opiniones ſuas publice exponere; interrogatus ſuper hiſce in Preſbyterio Matthiſius, & num in eo propoſito perſiſtere in animum induxiſſet, affirmavit. unde conſultum viſum fuit ſynedrio, ut vitando ſcandalo, hac vice adminiſtrationem S. Cœnæ alii cederet, ſententiam ſuam in ſuggeſtu proponere caveret, ſed eam legitimis ſuis judicibus diſcutiendam reſervaret. Cui ſententiæ negavit ſe acquieſcere poſſe.

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Quæ res cum ad apertum ſchiſma tendere videretur, viſum fuit eam cum A. Magiſtratu communicandam, ex eoque ſciſcitandum, num pati poſſet, duas diverſas doctrinas in Eccleſia illa publice doceri.

XVI Aprilis Senatus Daventr. convocatis etiam ad id Tribb. pleb. una cum illis, non modo judicium Preſbyterii in cauſa Matthiſii abſolute comprobavit, verum etiam, ad conſervandam religionis reformatæ puritatem & ſchiſma evitandum, eundem Matthiſium à miniſterio hujus Eccleſiæ dimittendum cenſuit, idque juxta propriam ejus petitionem, quam ſcripto comprehenſam XV. Febr. die Senatui & Tribb. pleb. ipſe exhibuiſſet &c. Qua de re ad Conſiſtorium perlata, ita de ea fuit judicatum: (utar verbis „quæ in Acta relata ſunt) Quanquam hæc Aſſueri dimiſſio, neque a Preſby„terio, neque a Claſſe, verum ab A. Magiſtratu & Tribb. pleb. facta ſit, „nihilominus quandoquidem Aſſuerus controverſiam ſuam nec ad Preſbyte„rium, nec ad Claſſem, ſed ad plenum Magiſtratus ac Tribb. pleb. conven„tum detulit, atque iis demiſſionem ſuam petiit, niſi in temerario ſuo pro„poſito ſibi conſentirent, Hinc Preſbyterium, cauſam non inveniens, cur „huic dimiſſioni Aſſueri ſe opponeret, ei (modo ne hæc dimittendi ratio „ad præjudicium juris eccleſiaſtici poſthac in conſequentiam trahatur) con„ſenſit, quo puritas doctrinæ conſervetur inviolata, & ſchiſma, ac diſſidia in „Eccleſia per eam evitentur. Atque ita ipſum quoque ſynedrium dictum „Matthiſium pro exauctorato habet. Is, non multo poſt ad Miniſterium Eccleſiæ Campenſis, unde diſceſſerat Sauterius, Harlemenſis Eccleſiæ Miniſtris allectus, Daventriâ evocatus fuit.

XXIII ejuſdem menſis Satrapa Sallandiæ, ad concionatores diſtrictus ſui (qui in eccleſiaſticis magna ex parte ſubeſt Claſſis Daventrienſi) literas dedit, quibus nomine Ordinum vetat, ne ad Claſſicalem ſimilemve ullum conventum ſe conferant, niſi impetrato ante aſſenſu Ordinum, ab iis Delegatorum, aut ſuo, ſub pœna ſuſpenſionis annui ipſorum ſtipendii.

Tubantiæ quoque, & Haexbergæ Satrapæ a Sallandiæ Satrapa, & civitate Campenſi (adhibito etiam nomine Zwollanæ, licet illa in proxime præteritis Comitiis aliter ſenſiſſet) per literas incitati, cum alter Hengelcæ ac Deldenæ Henr. Meilingium alter Diepenemi alium quendam non compellata Claſſe Daventrienſi, intruſiſſet, ad eum ablegatus a Daventr. ſynedrio XXVIII April. fuit Jeremias Plancius, ut una cum A. Magiſtratus Delegatis eos ad obſervandum in talibus eccleſiaſticum ordinem admoneret.

XII Maji Magiſtratus & Eccleſiæ Delegati redierunt, cumque referrent, Satrapam Tubantinum in dubium vocare, num Eccleſiæ illius regionis Claſſi Daventrienſi ſubeſſent, id ex Actis Synodalibus demonſtratum fuit, & dicto Satrapæ ſcripto ſignificatum.

XIX Maji Preſbyterium Daventrienſe literas dedit ad Satrapam Sallandiæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

per quas, luculentis rationibus inductis eum hortatur, ut ab inhibitione comparendi in Claſſicis conventibus, qua Satrapiæ ſuæ Miniſtros gravarat, deſiſteret. verum nihil hiſce literis profectum eſt, unde Claſſis Daventrienſis celebrata non fuit uſque ad annum cIↃIↃcXVIII. XI Martii.

XXI Maji Deputati Ordinum Tranſiſalaniæ, ad Ioannem Puytmannum Miniſtrum Eccleſiæ Goranæ apud Tubantes, quod decreto Campenſi ſubſcribere recuſaſſet, literas miſere, quibus ei ſignificarunt, ſtipendium quod in ipſius ejuſque liberorum uſum è facultatibus Campi S. Ioannis ei gratioſe ad tempus indulſiſſent, ſeſe jam revocare, neque deinceps ei continuare poſſe.

XXII iidem ad Vollenhovianum Satrapam dant literas, quibus eum culpant, quod Henrico Alutario, in deſpectum decretorum ſuorum, exercitium miniſterii ſui hactenus continuare permiſiſſet, ac ſerio monent, ut templum Blanckenhamenſe occludi faciat, Alutarium ædibus Paſtori attributis ejiciat, in rebellione continuantem cuſtodiæ tradat, ac cum ipſorum conſenſu adverſus eum de jure procedat. petunt autem ab eo reſponſum per tabellionem qui haſce deferebat.

XXVI. Jeremia Plancio Daventriæ peſte mortuo, de alio Miniſtro vocando agitur.

XXVIII. eligitur Ioannes Acronius.

IV Junii (ſive XIV ſtylo Hollandiæ) Princeps Mauritius ad Ordd. Tranſiſalaniæ literas dedit quas operæ pretium erit ipſius primo verbis ex apographo quod ad manus meas pervenit, poni, ac deinde Latinè verti. ita autem habent:

Maurits, &c.

EDele, &c. Alſoo wy onderrecht zijn, dat uyt kracht van ſeeckere Reſolutie by de Landtſchap van Over-Yſſel in den verledenen Jare cIↃIↃcXVI *genomen, ende deſen lopenden Jare* cIↃIↃcXVII *geconfirmeert, midtſgaders ter cauſe vande weygeringe die eenige Predicanten aldaer ſouden doen van de ſelve t'onderteeckenen, ofte daer na hare predicatien punctuëlijck te rechten, als weſende een ſaecke ſtrijdende jegens hare conſcientien, eenige der ſelver Predicanten daer over van hare dienſten ontſet ende berooft ſouden worden: Soo verſoecken wy u luyden, deſe ſaecke rijpelijck te willen inſien, ende niet te gedogen, datmen aldaer eenige Predicanten van hare dienſten ontſette ofte beroove, alleenlijck om dat ſy weygeren te teyckenen eene reſolutie die tegen hare conſcientie is ſtrijdende; Dewijle men niet en kan de Predicanten dwingen anders te leeren*

leeren dan de Nederlandtſche Confeſſie ende Heydelberchſche Catechiſmus zijn mede-brengende, daer op ſy aenghenomen zijn geweeſt, ende ſoo tot noch toe gheſchiet is: totter tijdt toe men by een Synodum Nationael daer in anders te doen ſoude mogen goet vinden. Want wy niet en twijfelen, ofte ghy-luyden houdet daer voor, beneffens ons, dat de ſelve Confeſſie ende Catechiſmus met ſoo rijpe deliberatie ende moderatie ingeſtelt zijn, dat (by u luyden daer wel op gelet zijnde) daer tegens niet kan werden geoordeelt, vele min door eeniger particulieren gevoelen, ſonder wettige authoriteyt bekleedt; immers voor alſnoch niet en behooren ſoo heftich tegen-geſproocken, vele min verworpen te worden. Te meer, aengeſien de voorſz. Confeſſie ende Catechiſmus ſoo eenpaerlijck by alle de ware Gereformeerde Kercken, niet alleen deſer, maer oock oock anderer nabuyrige Landen ende Koninckrijcken zijn aengenomen, ende met ſoo loflijcken zegen Godts, tos noch toe geobſerveert geweeſt.

Wijders, aengeſien wy oock verſtaen, datter althans by die van de voorſz. Landtſchap van Over-Yſſel eenen Landt-dach ſoude werden gehouden, ende wy ons verſeeckeren, dat in der ſelver Vergaderinge de ſaecken van den jegenwoordigen droevigen ſtaet der Gereformeerde Religie in deſe Landen onder andere poincten mede verhandelt ſoude worden: Soo en hebben wy door die ſelve occaſie niet connen ledich ſtaen, u luyden hier mede van gelijcken het gemelte poinct der voorſz. Religie, ſoo vele ons mogelijck is, te recommanderen: Ende oock te verſoecken, dat ghy-luyden van uwent wegen by de voorſz. Landtſchap, alle goede ende uyterſte devoiren willet aenwenden, daer mede de ſelve mogen goet vinden, datter ter eerſter gelegentheyt, achtervolgende 't verſoeck deſſelven Landtſchaps Provinciale Synode, gedaen in de Jaren cIↃIↃcxII. *ende* cIↃIↃcxv. *iterative, een Synodus Nationael mach werden uytgeſchreven, daer inne de voorſz. droevige queſtien van de Religie na behooren mogen werden onderſocht, ende ſoo goede reſolutie daer op genomen, daer mede men de gealtereerde Kercken ende goede Gemeynten deſer Landen wederomme eenichſins tot ruſte ſoude mogen brengen. Want ſonder dien middel, ſoo d'ervarentheyt lange geleert heeft, anders genen ter weerelt kan bedacht ofte te wercke geſtelt worden om ſulcx t'effectuéren, ofte de voorſz. ruſte te treffen. Ende dat dien volgende des voorſz. Landtſchaps Gedeputeerden alhier gelaſt mogen worden harer Principalen goet-vinden over d'uyt-ſchrij-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſchrijvinge des voorſz. Nationalen Synodi, beneffens de Gedeputeerden die ten ſelven fine van wegen andere Provintien alhier zijn, in de Vergaderinge van mijn Heeren de Staten Generael te brengen, ende helpen toeſtemmen. Hier mede

Edele &c.

'sGraven-Hage, den XIV *Junij* cIↄIↄcXVII.

Id eſt:

„ Mauritius, &c.

„ NObiles, &c. Quandoquidem relatum nobis eſt, vigore decreti cujuſ-„dam ab Ordd. Tranſiſalaniæ, anno ſuperiori cIↄIↄcXVI facti, & „anno hoc currente cIↄIↄcXVII confirmati, nec non ratione recuſa-„tionis nonnullorum concionatorum, eidem ſubſcribere, aut ſecundum illud „punctuatim conciones ſuas inſtituere renuentium, eo quod res ea ipſorum „conſcientiæ vim faciat, fore ut aliquot ex eiſdem concionatoribus ea de „cauſa miniſteriis ſuis moveantur; idcirco petimus à vobis, ut negotium „hoc mature introſpiciatis, neque patiamini iſthic ullos concionatores mu-„neribus ſuis privari, ea tantum de cauſa, quod recuſent ſubſcribere decreto „ſuæ conſcientiæ repugnanti. Siquidem non poſſunt cogi Miniſtri Euangelii „ad aliud docendum ab eo quod Confeſſione Belgica & Catecheſi Heydel-„bergenſi continetur, qua conditione ad miniſterium recepti fuerunt, & „prout hactenus fuit obſervatum, tantiſper, donec per Synodum Nationa-„lem, ut ſecus fieret, poſſet conveniri. Nulli enim dubitamus, quin vos „nobiſcum ſtatuatis, Confeſſionem ac Catecheſin adeo matura deliberatio-„ne, eaque moderatione eſſe concinnatas, ut (re à vobis probe expenſa) „adverſus eas judicari non poſſit, nedum ut per quorundam particulares „opiniones, nulla legitima auctoritate munitas, ſaltem pro hoc tempore, „ita vehementer proſcindantur aut etiam rejiciantur. Idque eo magis, quod „dicta Confeſſio ac Catecheſis ita unanimiter ab omnibus verè reformatis „Eccleſiis, non modo harum, verum etiam aliarum vicinarum regionum „ſint receptæ, tamque laudabili cum Dei benedictione hactenus obſervatæ.

„ Adhæc, cum & innotuerit nobis, habenda propediem dictæ regionis „Tranſiſalanæ comitia, ac certi ſimus fore ut in iiſdem negotium præſentis „triſtis ſtatus reformatæ religionis per haſce Provincias inter alia tractetur, „non potuimus illa oblata occaſione intermittere, quin vobis dictum reli-„gionis negotium, quam poſſumus maxime commendaremus, peteremuſ-„que, ut quantum in vobis erit, apud eandem Provinciam omnem operam „detis, quo ei placeat, primâ opportunitate, juxta petitionem Provincialis „Synodi ejuſdem Provinciæ, factam anno cIↄIↄcXII, & cIↄIↄcXV.

„itera-

„iteratam, convocari Synodum Nationalem, in qua triſtes hæ religionis „controverſiæ debite examinentur, ac eæ de iis ſanciantur deciſiones, per „quas Eccleſiæ turbatæ, & populi harum regionum poſtliminio ad tran„quillitatem aliquam perduci poſſint. Siquidem præter illud medium (pro„ut diuturna experientia docuit) nullum aliud excogitari aut adhiberi po„teſt, ad rem eam perficiendam, ac dictam tranquillitatem inſtaurandam. „Utque ſecundum hæc dictæ Provinciæ Delegatis qui hic ſunt, in mandatis „detur, placitum ſuorum principalium, ſuper convocatione dictæ Synodi „Nationalis, una cum Delegatis, eodem fine, nomine aliarum Provincia„rum hic præſentibus, in Conventu D. D. Ordd. Generalium exhibeant, & „ſuis ſuffragiis adjuvent. Hiſce, Nobiles &c.

„ Hagæ-Comitis XIV Junii CIↃIↃCXVII.

Dies quem hæ literæ præferunt, videlicet XIV Junii erat IV ſtylo Tranſiſalaniæ. poſtridie quam illæ à Principe ſcriptæ erant, in Conventu Ordd. Generalium de eadem re fuit actum, ubi Tranſiſalaniæ Deputati ſuper negocio Synodi Nat. interrogati, dixerunt, ſe de iis quæ fuerant diſceptata Principales ſuos certiores feciſſe, qui x^a. hujus menſis eſſent conventuri, quorum proinde reſponſum ſibi expectandum, neque impræſentiarum de re propoſita ab ſe poſſe reſponderi. Die ſequenti, reſumta eadem quæſtione, reſponderunt, accedere ſe ad illas Provincias (Hollandicam puta, ac Trajectinam) quæ de tota re amplius deliberandum cenſerent.

XI Junii Conventus Ordd. Tranſiſalaniæ celebratus fuit Railtæ, in quo quid actum ſit, ſequens excerptum (quod Ordd. Generalibus poſtea fuit exhibitum) indicat. ita autem habet:

„ Comparuerunt D. D. Martinus Gregorii, Fredericus Sandius, ambo „Juris Doct. & Ditericus a Bemmel, Deputati Cancellarii & Conſiliario„rum Ducatus Gelriæ, & Comitatus Zutphaniæ, qui exhibitis literis fidu„cialibus nomine ac vice ſuorum Principalium, propoſuerunt, ac requiſi„verunt, ut Ordo equeſtris ac Civitates (Tranſiſalaniæ) & ipſæ conſentire „vellent in convocationem Synodi Nationalis, cujus adminiculo præſentes „controverſiæ eccleſiaſticæ aſſopiri & tolli poſſent, ac mala ulteriora omni„gena, quæ ex eis oriri nata erant, præveniri. Prælecta fuit & Epiſtola ſuæ „Excellentiæ, data primâ Junii CIↃIↃCXVII. tendens ad eundem finem. „Super quibus ab equeſtri Ordine ac civitatibus decretum, & dictis Deputa„tis reſponſum fuit, equeſtrem Ordinem ac civitates in celebrationem ejuſ„modi Synodi Nationalis conſentire non poſſe. Actum in Conventu Rail„tenſi XI Junii CIↃIↃCXVII.

Quod in hoc excerpto literæ Principis ad primam Junii referantur, quarum apographum XIV^am. (id eſt, IV^am. ſtylo noſtro) præfert, vel hic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

vel illic ab exſcriptore peccatum eſſe oſtendit. quod inſpectis autographis poſſet emendari.

Pronunciato hoc Ordinum noſtratium decreto, Daventrienſes ſe a reliquo corpore, hac quidem in parte, ſejungere, & cum Provinciis ac Civitatibus quæ bonis partibus favebant res rationeſque communes habere ſtatuerunt.

XIII ergo Junii Senatus Daventrienſis ad Satrapam & nobiles regionis Vollenhovianæ ſcribit in hæc verba:

„ Nobiles, honorati, prudentes, amici ac vicini dilectiſſimi, Satrapa „& Nobiles Vollenhoviani:

„ Speravimus fore ut Ordines hujus regionis Tranſiſalanæ, in conventu „XI. hujus menſis Railtæ celebrato, præcipue ratione habitâ ſeriæ admo-„nitionis petitioniſque ſuæ Excellentiæ, in convocationem Nationalis Sy-„nodi unanimiter conſentirent, quum ea ſit, noſtro judicio, unicum ac „certiſſimum medium, ad tollendas componendaſque eccleſiaſticas con-„troverſias, paucis abhinc annis circa puram, veterem, reformatam reli-„gionem enatas; Sed quoniam contrarium evenit, nos nihilominus, Chri-„ſtiano Zelo erga eandem religionem (quandoquidem in eodem conventu „ſuffragiis fuimus ſuperati, nec ut ſolennis noſtra proteſtatio in Acta re-„ferretur potuimus obtinere) permoti fuimus, ut Delegatos noſtros ſeor-„ſim Hagam-Comitis ablegaremus, qui die craſtino hinc ſunt profecturi, „cum pleno mandato, ibidem apud Ordd. Generales, una cum Provinciis „Gelriæ, Zeelandiæ, Friſiæ, Groningæ ac Omlandiæ, nonnulliſque Hol-„landiæ civitatibus, urgendi convocationem Nationalis Synodi, eoſque „quantum in nobis erit in ea promovenda adjuvandi. Quum autem conſtet „nobis, Nobilitatem tuam, ac maximum numerum nobilium Vollenho-„vianorum ad eandem quoque convocationem inclinare, non inconſultum „arbitrati fuimus, V. V. Nobb. communiter per præſentes ea de re cer-„tiores facere, amice rogantes placeat V. V. Nobb. ad propagationem „puri ac ſancti verbi divini, extirpationem ac ſuppreſſionem motarum ha-„ctenus controverſiarum, quempiam è V.V. Nobb. ad dictum finem Hagam-„Comitis ablegare, aut ſaltem noſtris Delegatis ibidem veſtro ſuffragio ſcri-„pto conſignato accedere; qua ratione perturbata reſpubl. poſtliminio pri-„ſtinæ tranquillitati reſtituetur, Eccleſia Chriſti ædificabitur, Deo ſuus ho-„nos, nobis vero ſingularis amicitiæ ſpecimen præſtabitur. Ad haſce autem „Nobb. V. V. reſponſum petentes, aut vero ut idem ad Delegatos noſtros „Hagam-Comitis quam primum mittatur expectantes, Nobb. V. V. divinæ „tutelæ commendamus. XIII Junii CIϽIϽCXVII.

V. V. Nobb. perpetuo faventes amici ac vicini

Coſs. Scabini & Conſiliarii civitatis Daventrienſis.

XVI Junii Henricus Ioannis, Paſtor Eccleſiæ Gennemudanæ, cum Miniſtris Campenſibus per literas expoſtulavit, quod ipſorum opera, filio ſuo annuum ſtudiorum ſubſidium ademtum eſſet, ea maxime de cauſa quod ipſe (Henricus) Iſelmudæ ſub dio puram Euangelii doctrinam docuiſſet.

XVI. Acronio Miniſterium Daventrienſe recuſante, de Petro Wirtzio Mulhemenſi Eccleſiaſte eligendo conſultatur.

XVII. Satrapa & melior pars Nobilium Vollenhoviæ ad Principem Mauritium literas dederunt, quorum hoc eſt apographum:

„ Generoſiſs. ac Celſiſſime Princeps,

„ Magna fidelitas, & inæſtimabilia merita laudatiſſimæ domus Naſſovi„cæ, nominatim T. Excell^tiæ. hiſce unitis Provinciis ſemper præſtita, apud „nos & poſteros in ſempiterna memoria permanebunt, & per totum terra„rum orbem celebrabuntur, quamdiu conſiſtet mundus. Vidimus quæ geſſit „T. Excell. in bello, videmus jam quid T. Excell. faciat in pace, ad impe„diendum tantum infortunium, quantum hiſce regionibus nunquam tem„pore belli ſupervenit, quod procul dubio multo majus fuiſſet, niſi T. Excell. „magna cum prudentia ac vigilantia, bonæ cauſæ manum tetendiſſet. Nomi„natim videmus, quantam adhibuerit T. Excell. diligentiam, ad nobis in hac „Provincia bono ſuo conſilio ſubveniendum, ſcribens ad tres Satrapas, & „equeſtris Ordinis viros in illorum ditionibus commorantes, adque tres ci„vitates primarias, earumqne communitates, pariter repræſentantes regio„nem Tranſiſalanam. Dolemus etiam ex animo, id ipſum à quibuſdam tam „leviter fuiſſe acceptum, neque apud conventum Ordd. noſtrorum plus „fuiſſe operatum. Quantum autem ad nos attinet, Satrapa & equeſtris Ordo „ditionis Vollenhovianæ, quorum nomina hiſce ſubjecta ſunt, non magno „quidem impræſentiarum numero, eo quod nonnulli bonis alioqui parti„bus addicti, privatis ſuis negotiis expediendis huc illuc profecti ſint, agno„ſcunt etiam hac in parte gratis & bene affectis animis, magnam T. Excell. „fidelitatem, duobus Articulis quorum T. Excell. meminit, aſſenſum ſuum „accommodantes: videlicet, pios ac fideles Ieſu Chriſti Miniſtros, adverſus „conſcientiam ſuam, ſancito à nobis decreto non eſſe aſtringendos, nedum „ut ad ejus ſubſcriptionem, ſub pœna præſentaneæ depoſitionis adigantur; „ſed ei acquieſcendum ſubſcriptioni, quam certis Concordiæ formulis ſub„jecerunt, pollicentes ſe Sacroſancto Dei verbo, cujus ſumma breviter con„tinetur Confeſſione Belgica & Catecheſi Heidelbergenſi conſtanter adhæ„ſuros, & eccleſiaſtas in ejus profeſſione pro virili ſua parte protecturos. Se„cundo & ipſi cum Excell. T. cenſemus, triſtiſſimas circa religionem con„troverſias non aliter quam per legitimum cœtum eccleſiaſticum terminari „poſſe, ideoque ſumme neceſſarium eſſe, ut Synodus Nationalis quam„primum, antequam res in majus adducantur diſcrimen, procuretur,

„quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„quam ad rem quantum poſſumus diligentiæ nos adhibituros pollicemur, „ac perquam demiſſe rogamus, ut placeat Exc. T. in bene cœpto opere „progredi, nulli dubitantes, quin Deus O. M. benedictionem ſuam ad id „ipſum clementer largiturus ſit, multiſque oculos aperturus, quo negocium „hoc ad bonum & optatum finem perduci poſſit. Hiſce

„ Generoſiſſime ac Celſiſs. Princeps, Exc. T. Omnipotenti Deo com„mendamus, divinam ejus Majeſt. ex animo venerantes, ut ad bonum ha„rum regionum & Eccleſiæ ſuæ, Exc. T. in bona proſperitate & felici re„gimine ad ſalutem ſuam æternam, terrorem hoſtium, & gaudium amico„rum ſuorum diu incolumem ſervet. Vollenhoviæ XVII Junii, Anno „CIↃIↃCXVII.

Subſcriptæ erant à D. Satrapa *Ioanne ab Echten,*
Rodolpho ab Iſſelmuden ſeniore,
Ioanne ab Echten juniore,
Siſone ab Vterwijck,
Balduino Sloet.

VII Julii de vocando ad miniſterium Henrico Roſæo, aut Winando Alſtorphio Daventr. agitatur. quorum ille ad illud munus electus fuit.

VIII Aug. edita Daventriæ à Jac. Revio ſermone vernaculo Confutatio tractatus Theodori Herberti Miniſtri Goudani, pro ſententia Remonſtrantium circa quinque controverſos Articulos.

XI Auguſt. de Caſpare Sibelio Miniſtro Juliacenſi in Miniſtrum Eccleſiæ Daventrienſis aſciſcendo actum fuit. qui XXVII ejuſdem menſis fuit electus.

XIX (qui eſt ſtylo Gregor. XXIX) Septembr. in Conventu Ordinum Generalium denuo diſceptata quæſtio de convocanda Nationali Synodo. Ubi declararunt Tranſiſalani, ſe nihil aliud in mandatis habere, niſi ut eo loci indicarent, Dominos ſuos Principales in celebrationem Nat. Synodi conſentire non poſſe; Ideoque nec placere eis ut è ſingulis Provinciis deputentur, qui nomine Ordd. General. præparatoriè puncta aliqua, ejuſmodi Synodo habendæ accommoda in chartam conjicerent, nedum ut ipſi illi actioni intereſſe velint, aut ſuam ad hoc negotium operam præſtare. Quod ſi quid contrarium fieri contingeret, contendebant dicti Deputati, judicium ex votorum pluralitate circa hanc rem fieri non debere: quocirca id quod inde oriri poſſet, Provinciæ Tranſiſalanæ non præjudicaturum. Interim ea ſpe ſe fretos, fore ut in aliud medium conducibilius ad amoliendas omnes eccleſiaſticas hactenus agitatas quæſtiones, conveniatur. Quod ad Auctoritatem Magiſtratus in rebus eccleſiaſticis attineat, de ea nihil hactenus in regione Tranſiſalanæ motum fuiſſe controverſiæ. Veruntamen non dubitare ſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſe, futurum ut ſuæ Nobb. eandem tueantur, prout aſſiduo, durante Reformatione, ab eis diligenter factum fuerit.

Hæc Tranſiſalanorum declaratio omni effectu caruit, quum è placitis ac votis quatuor Provinciarum, Gelriæ, Zeelandiæ, Friſiæ, Groningæ ac Omlandiæ, convocatio Nationalis Synodi fuerit decreta.

XXII Sept. (qui ſtylo Hollandiæ erat II Octob.) in cœtu Ordinum Generalium comparuerunt Gerlacus Doys, Henricus a Markel, Nicolaus a Bockholt Coſs. & Henricus ab Haexberge Secretarius civitatis Daventrienſis, ab eadem delegati: nec non Hermannus Blommert & Gerardus Coning Coſs. Haſſeltani, delegati à ſua civitate: qui exhibitis literis ſuis fiducialibus, quarum illæ II. hæ IV. menſis Sept. erant datæ, primum ore, mox & ſcripto ea quæ ſequuntur propoſuerunt:

„ Celſi, ac Potentes Domini. Nos infra nominandi Delegati civitatis „Daventrienſis, in mandatis habemus, ut nomine D. D. noſtrorum Princi- „palium ad Celſ. Pott. Veſtras nos conferamus, & poſt exhibitas literas fidu- „ciales &c. Celſ. Veſt. Pott. cum debita reverentia remonſtremus, quopacto „Principales noſtri, ea quidem ſpe fuerint, fore ut in conventu equeſtris Or- „dinis ac civitatum regionis Tranſiſalanæ XI Junii ſtylo antiquo anni hujus „CIↃIↃCXVII. Railtæ celebrato, in convocationem Nationalis Synodi „conſentiretur, ut per eam, tanquam unicum, & ut nunc res ſe habent, maxi- „me expediens remedium, controverſiæ ac diſſenſiones in Eccleſiis ortæ „aſſopirentur, ac omnia ulteriora mala, quæ inde conſurgere nata ſunt præ- „caverentur. Veruntamen, non obſtantibus quibuſcunque, tam ab ipſis, „quam ab aliis fidelibus ac patriæ amantibus perſonis, præſtitis officiis, & „hortamentis, contra omnem ſpem, votorum pluralitate fuerit decretum, „*Ordinem equeſtrem ac civitates in hujuſmodi Nationalem Synodum conſentire non* „*poſſe*. Adverſus quæ civitatis Daventrienſis Delegati, de mandato Principa- „lium ſuorum, ut & nonnulli nec pauci ex Ordine equeſtri, quam expreſſiſ- „ſime proteſtati ſunt. Quapropter D. D. noſtri Principales, quos in eo „Tribb. pleb. ibidem ſunt inſequuti, ſolliciti de propagatione divini honoris, „conſervatione receptæ ſemel doctrinæ reformatæ, prout ea ab exordio re- „formationis in hoc noſtro Belgio prædicata ac tradita fuit, per quam & „Deus hiſce regionibus tam clementer benedixit, eaſque ab Hiſpanorum ty- „rannide liberavit, non potuerunt in ſuffragiorum illam pluralitatem con- „deſcendere, ſed fuerunt adacti, per nos Celſ. Veſt. Pott. rotundè decla- „rare, ſeriam ſuam ſententiam eſſe, ſimulac à Celſ. Pott. Veſt. ſuper Na- „tionali Synodo quicquam fuiſſet decretum, ſeſe Provinciis, membris, ac „civitatibus ejuſdem convocationem approbantibus, conformandi, eam- „que una cum illis promovendi. Unde Celſ. Veſtr. Pott. colligere promtum „eſt, convocationem dictæ Synodi National. a regione Tranſiſalana, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„conſentientibus ſed ſciſſis ſuffragiis recuſatam repudiatamque fuiſſe.
„Idque eo magis, quod pars major nobilium Vollenhovianorum, miſſis
„literis D. D. noſtris Principalibus promotionem dictæ Synodi Nat. commendarint,
prout & urbs Vollenhoviana ſeorſim, ſcripto nos requiſivit, ut
„nomine ſuo in promotione Nationalis Synodi uteremur. Cumque intelligatur,
Provincias Gelriæ, Zelandiæ, Friſiæ, Groningæ ac Omlandiæ,
„Synodum Nat. decreto jam ſanciiſſe, nonnullas quoque civitates Hollandiæ
in earum ſententiam pedibus iviſſe, & fieri poſſe ut propediem Provinciæ
illæ ac civitates per Delegatos hoc negotium peracturæ conveniant;
„Hinc factum ut Delegati civit. Daventr. ſibi non amplius cunctandum
„rati, una cum Deput. civitatis Haſſeltanæ præſentibus, vigore literarum
„ſuarum fiducialium, & ſeparatæ inſtructionis, Celſ. Veſt. Pott. ſignificare
„voluerint, ſeſe univerſos ac ſingulos, nomine Principalium ſuorum, Provinciis,
membris, ac civitatibus quæ convocationem Nat. Synodi decreverunt,
approbarunt, aut eandem adhuc approbaturæ ſint, plenè aſſentiri,
„cum eis ſe conformare eiſque calculum ſuum apponere. Petentes, ut Celſ.
„Veſt. Pott. placeat hanc ſuam, nomine & qualitate ſupradictis, factam declarationem
ortam è ſyncero affectu erga bonum patriæ, in bonam partem
accipere & debitè in acta referri curare. Quandoquidem reſpectivi
„eorum D. D. Principales, dictam Synodum Nat. pro virili ſua parte promovere
ſunt paratiſſimi. Quo fine dicti Delegati, quibuſcunque oblatis
„occaſionibus, perſonas ſuas, & omnia quæ ab ſeſe præſtari poſſunt officia
„Celſ. Veſt. Pott. offerunt. manentes interim

„Veſt. Celſ. Pott obſequio dediti, Delegati reſpectivarum civitatum
„Daventrienſis & Haſſeltanæ. Subjecta erant nomina ſupra à nobis expreſſa.

Deputati Provinciæ Tranſiſalanæ, petierunt apographum literarum fiducialium
& Propoſitionis jam recenſitæ, quo ipſis conceſſo, poſtridie Ordd.
Gen. conventui exhibuerunt ſequens ſcriptum:

„Delegati Ordinis equeſtris & civitatum Provinciæ Tranſiſalanæ hic
„præſentes, lectis ac intellectis iis quæ in Celſ. Veſt. Pott. cœtu, à Deputatis
civitatum Daventrienſis & Haſſeltanæ, ſuorum Principalium & quorundam
aliorum nomine nuper tum viva voce tum ſcripto, ſuper celebratione
Nat. Synodi fuerunt remonſtrata ac tradita, Declarant, ſe deprehendere
repugnare ea privilegiis, ac juri Provinciæ Tranſiſalanæ: ac eſſe
„inſuper novitatem indecentem adverſus ejuſdem politicum regimen ac avitas
conſuetudines: Præcipue perperam omnino ea fieri ab iis, qui ad conventum
Ordinum, tanquam ſubſtantiale membrum nec vocantur, nec comparent.
Quocirca dicti Delegati, nomine ac vice Regionis ſuæ, quæ dilectam
patriam & publicum bonum, aſſiduo fideliter ac ferventer, pro vi-

„ribus

„ribus tueri ſtuduit, & etiamnum ſtudet, ſuper hiſce ſibi ſtatuerunt pro-„teſtandum; Requirentes ut id ipſum, ad ſui exorerationem actis intera-„tur, reliqua autem remittentes ad ea quæ Principalibus ſuis ſuper eis pla-„citura ſunt.

XXIX Septemb. Miniſtri Campenſes edunt ſententiam ſuam de capitibus controverſis, opinioni Remonſtrantium conformem, eamque tanquam *antiquam veritatem*, doctrinæ Reformatorum titulo *novæ falſitatis* opponunt.

IX Octobr. Henricus Ioannis, eccleſiaſtes Gennemudæ in Claſſe Campenſi, ob conſtantiam in Orthodoxa religione miniſterio movetur, & ædibus Paſtoritiis extruditur.

XII Octobr. Aſſ. Matthiſius Apologiam ſuam edidit, cui paulo poſt, nomine Eccleſiæ Daventrienſis reſponſum eſt.

IX Octobr. Caſparus Sibelius Daventriæ in miniſterio confirmatus fuit. Is functioni eccleſiaſticæ præfuerat Randeradii annos duos, Juliaci annos VI. reliquum tempus Eccleſiæ Daventrienſi impendit. Edidit ſermones in multos & varios S. Scripturæ contextus, quorum præcipui duobus tomis excuſi ſunt Amſtelodami, apud Henricum Laurentium.

XXVII decernitur in ſynedrio Daventr. monendum per literas Satrapam Tubantinum, ne permitteret in ſua Satrapia Miniſtros Eccleſiis obtrudi adverſus ordinem eccleſiaſticum, & citra Claſſis auctoritatem.

Ultima Octobr. & I. II. III. &c. Novembr. (qui dies incidunt in X. XI. XII. &c. ſtylo Gregoriano) in conventu Ordin. General. convocatio Synodi National. plurium Provinciarum ſuffragiis antea decreta, iterum ſtabilita fuit. quibus è Tranſiſalania vota ſua adjungebant civitates Daventria, Vollenhovia, Stenovica, & Haſſeltum. Delegati Ordd. Tranſiſalaniæ huic decreto, proteſtatione interpoſita, denuo interceſſerunt, ac ſeparatas actiones Daventrienſium cum ſociis civitatibus, ſe pro rebelli oppoſitione ſubditorum adverſus legitimum ſuum Magiſtratum habere profeſſi ſunt. v. *Hiſt.* Trigl. *part.* 4. *pag.* 992. *uſque ad* 998. *incluſ.*

VII Novembr. Everardus Voſculius Campis à Delegatis Ordd. requiſivit, ut Satrapæ Tubantino injungerent, Henrico Meilingio (ob Arminianiſmum Arnhemiâ ejecto) miniſterio in Hengelo & Delden, per proviſionem, ut loquuntur, committeret, utque Engelbertus Poth Steenvordienſis auctoritate eorundem Delegatorum vacanti Eccleſiæ in Geethoorn (ditionis Vollenhovianæ) imponeretur. Id cum à Delegatorum maxima parte, præſente & approbante Sallandiæ Satrapa, fuiſſet acceptatum, Conſul Daventrienſis, Delegatorum unus, nomine Senatus ſui contra proteſtatus fuit, utque proteſtatio ſua in Acta referretur petiit, quod ei fuit denegatum. quibus de rebus Senatum Daventrienſem certiorem fecit, miſſis ad eum literis VIII Novembr.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

x. Novembr. hæ literæ a Senatu, ſynedrio Daventrienſi communicatæ fuerunt; à quo rogatus fuit Magiſtratus, ut ad decretum Delegatorum reſponderent, nolle ſe a Campenſibus Claſſi Daventrienſi manus immitti, quum Daventrienſes auctoritatem hactenus in Campenſem Claſſem non exercuerint, neque in miniſterium Meilingii (viri in quem multa merito dici poſſent) ullo modo conſenſuros, ſed omni diligentia ei interceſſuros, curaturos vero, ut alius quiſpiam Eccleſiaſtes idoneus debito modo eo introducatur, neque paſſuros ut is adigatur ad ſubſcribendum edicto Ordd. ſuper religionis negocio &c. Petitum &, ut cum Satrapa Sallandiæ A. Senatus expoſtularet, quod Claſſis Daventrienſis ordinariam convocationem inhibuiſſet, id quod ipſi minime approbarent, nec Satrapæ id juris eſſe agnoſcerent.

Sententiâ ſynedrii in Senatu prælecta, urgentibus quoque idem Tribb. pleb. literæ Magiſtratus ad utrumque Satrapam, Delegatos Ordd. & ipſum Meilingium miſſæ fuerunt, petitioni Preſbyterii conformes.

Ne Engelbertus Poth in Claſſem Vollenhovianam irreperet, Claſſis ea, accedente Satrapæ & eorum quorum intererat conſenſu, ad miniſterium Geethornianum vocavit Nathanaëlem Giſium, Paſtorem Roldæ in Drentia, Provinciæ Tranſiſalanæ alumnum, filium Otthonis Giſii, eccleſiaſtæ, dum viveret, Haſſeltani. Hac de cauſa acerbas ad Satrapam dederunt literas Delegati Ordinum xix Novemb. quibus non minus acriter reſpondit, ſuamque & Claſſis auctoritatem tutatus eſt Satrapa xxi ejuſdem menſis. cujus literas aliæ ab eiſdem Delegatis poſtridie miſſæ, minis repletæ exceperunt. Interea hinc a Delegatis, inde a Satrapa pugnantia ſuper hoc negocio mandata ad Geethornianos volitant. Daventrienſes vero Satrapam hiſce literis in propoſito animarunt:

,, Nobiliſſime &c.

,, Innotuerunt nobis ex parte, ea quæ a T. Nob. de conſenſu Prætoris, ,, æditorum, & membrorum Eccleſiæ Geethornianæ circa vocationem ,, Nathanaëlis Giſii ad miniſterium eccleſiaſticum illius loci geſta ſunt. nec ,, non oppoſitiones & impedimenta a D. D. Ordd. Delegatis T. Nobilitati ,, in hoc laudabili propoſito facta, eo quod ad dictum miniſterium Potthium ,, quendam (quem audivimus T. Nobilitate præſente, a membris Eccleſiæ, ,, Prætore, æditiuis, & mandatariis ibidem ad ſua remiſſum fuiſſe) adverſus ,, ordinem eccleſiaſticum, citra cognitionem Claſſis conantur intrudere. ,, Quamobrem neceſſarium putavimus Nob. Tuam per literas ſalutare, pe- ,, tereque, ut quemadmodum Nobilitas tua cœpit providere, ut in ſua Sa- ,, trapia vacantibus Eccleſiis de piis, vita & doctrina inculpatis, & a Claſſe ,, approbatis Miniſtris proſpiciatur, placeat T. Nob. hac in re animo ma- ,, ſculo perſeverare. nec ullo modo ambigere, quin Deus Opt. M. T. No-

,, bilit.

,,bilit. laborem ad honorem nominis ſui, propagationem ac ædificationem ,,Eccleſiæ ſuæ & ſalutem T. Nobilit. ſit directurus. Cui & per præſentes cer- ,,tum ac ratum eſſe voluimus, ſi T. Nobil. in tam laudabili opere perrexerit, ,,videlicet in obſervandis circa vocationes miniſtrorum Canonibus eccle- ,,ſiaſticis, nos eos fore, qui ad laudem ſummi Dei, Eccleſiæ ipſius propa- ,,gationem, & correctionem multorum abuſuum qui diverſis temporibus ,,circa res eccleſiaſticas irrepſerunt, T. Nob. quacunque oblata occaſione ,,manus auxiliatrices porrecturi ſint.

,,Adhæc peramanter petimus, quandoquidem T. Nob. cum maxima ,,parte Nobilium Vollenhovianorum, ad tollendas hodiernas tædioſas & ,,offendiculi plenas circa religionem controverſias, nobiſcum nullum melius ,,aut expedientius medium eſſe agnovit, quam ut juxta pium ac fidele con- ,,ſilium Potentiſſimi Magnæ Britanniæ Regis, ad exemplum quatuor Pro- ,,vinciarum, Gelriæ, Zeelandiæ, Friſiæ, Groningæ ac Omlandiæ, nec non ,,multarum præſtantium Hollandiæ civitatum, Synodus Nationalis convo- ,,canda ſanciatur, ut quæ ſit unica medicina per quam Eccleſia Chriſti, quo- ,,cunque tempore quæſtiones aut diſſidia circa puram religionem in ea ,,emerſerunt, ad illam confugiens ſanata ac clementer liberata fuit: ut ic- ,,circo T. Nobilit. & nobiles bonis partibus faventes, in timore Domini, ,,in ſemel ſtatuta ſibi ſuper hoc negotio ſententia conſtanter velint perſeve- ,,rare, non obſtantibus quibuſcunque difficultatibus, quæ T. Nobilit. & bo- ,,narum partium reliquos nobiles ab ea videantur abſterrere poſſe. pro ,,certo habentes, Deo Zebaoth, ad cujus honorem hæc omnia fiunt, non ,,defutura media, per quæ triſtes haſce controverſias, invitis omnibus ini- ,,micis ac adverſariis, Eccleſia ſuá ſupra omnem ſpem ſit ejecturus, ac ,,tandem omnibus bonis ac rectis animo optatum ac ſalutarem exitum ,,largiturus. Qua de re ſumus quam perſuaſiſſimi, ac parati quoad hoc cum ,,T. Nobilit. & bonarum partium nobilibus, rei iſtius eventum ab Omni- ,,potente Deo patienter expectare, neque interea temporis deſiſtere ab iis ,,omnibus faciendis, quæ ad cauſæ illius promotionem in noſtra poteſtate ,,erunt. De quibus neceſſarium judicavimus Nob. T. certiorem facere: ,,minime ambigentes, quin ſimile reſponſum à T. Nob. & bonarum par- ,,tium nobilibus ſimus accepturi. Deum venerantes, ut Nob. T. ſancta ſua ,,protectione conſervet. VI Decembr. CIↃIↃCXVII.

Nobilit. T. faventiſſimi & optime
affecti amici,

Coſ. Scabini & Conſiliarii civit.
Daventrienſis.

VIII Decembr. Henricus Roſæus Miniſter Eccleſiæ Hagienſis rogatur, ut conſentientibus quorum intererat, ad tempus, neceſſitate ita poſtulante, Eccleſiæ Daventrienſi inſervire vellet. id quod fuit impetratum.

Anno cIↃIↃcXVIII. menſe Januario Satrapa Vollenhovianus Senatui Daventrienſi in hæc verba reſpondit:

„ Nobiles &c.

„ Quod Nobb. Veſtrarum noviſſimis literis datis VI Decemb. cIↃIↃcXVII, „quæ quidem mihi perquam gratæ & acceptæ fuerunt, non citius reſpon„derim, in cauſa fuerunt hæ rationes: primò, quod ſperavi me cauſam „Geethornianam ad ſtatum meliorem perducturum eſſe, Veſtroſque Nobb. „ea de re cum gaudio certiores eſſe facturum, id quod, proh dolor! con„trario prorſus modo evenit. Giſius a Drentinis ægre admodum poterat „obtineri, Claſſe & cui præerat Eccleſiâ in ejus dimiſſione tergiverſanti„bus: ipſe vehementer percellebatur animadverſa vehementia D. D. Dele„gatorum in promovendo Potthio. accedebat imprudentia Prætoris Geet„horniani, aliaque obſtacula, per quæ factum ut apud Eccleſiam ſuam ipſe „quidem permanſerit, Delegati autem Ordd. ea arrepta occaſione, tanto „magis urſerint Potthii vocationem. Feci ego quantum in me fuit ad eam „impediendam, Prætore, mandatariis & æditiuis huc ad me evocatis, ve„rum loco eorum præſentiæ binas à Prætore literas accepi, quorum hic vo„bis apographa mitto. Tandem, ubi intellexi Potthium ibidem fixiſſe do„micilium, & per propugnaculum Blockſilianum ſupellectilem eo advehi „curaſſe, ad tam inordinatam ſubreptionem adverſus Eccleſiaſticos Cano„nas, voluntatemque & conſenſum Claſſis factam impediendam, literas ad „Prætorem, aliaſque ſeorſim ad Mandatarios & æditiuos miſi, quarum „utrarumque etiam hic apographa videtis. Illi perquam contemtim mea „mandata habuerunt, & quanquam per tabellarium mihi renunciari cu„raſſent, ſe iis eſſe pariturus, nihilominus, illo vixdum digreſſo per uni„verſam parœciam miſerunt qui ſignificarent; ſi quibus animus eſſet ver„bum Dei audiendi, ii poſtridie ſe ad templum conferrent: ita ut ex illo, „& porro per dies Nativitati Chriſti ſacros Potthius ibi concionatus ſit, in „eoque etiamnum perſeveret, cum dolore multorum piorum, ac totius ibi„dem reformatæ Eccleſiæ. quid hominis ſit iſte Potthius cognoſcent Nobb. „V. V. è duobus apographis teſtimoniorum hiſce inſertis, quorum alterum „eſt D. Hermanni Ravenſpergeri Doct. ac Profeſs. S. S. Theol. in Acade„mia Groningana, alterum D. Ruſii Miniſtri verbi divini in Aſſen (ubi „convenit Collegium D. D. Delegatorum Drentiæ) quem audio pium ac „eruditum virum eſſe. Narratum nobis quoque fuit, quo pacto Potthius „ſe Bremæ geſſerit; verum, quamprimum naves hinc iterum ſoluturæ ſunt, „operam dabimus, ut a Doct. Martinio & Profeſſoribus ibidem certa docu-

„menta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„menta nanciſcamur. Annon miſerandum eſt, eſſe qui doctrinam Socinianam, loco religionis vere reformatæ hoc pacto conentur invehere! Quid „mihi jam circa hoc negotium ſupereſt agendum? tantamne inobedientiam „dimittam impunitam? Conſilium veſtrum ſuper eo requiro. Secundo, „quod attinet convocationem Nationalis Synodi, de ea non ſemel cum „nobilibus hujus loci contuli, quos deprehendo omnes, uno ſolum aut „altero exceptis, quos & ipſos perſuaſum iri arbitror, optime erga id negocium affectos. Ego deinceps ad promotionem Orthodoxiæ, & defen„ſionem boni ordinis omnem operam inſumam, nec dubito, quin V.V. „Nobb. mihi manus auxiliares ſemper præſtituræ ſint. Id quod prorſus „futurum confido. Deum orans &c.

V. V. Nobb. &c.

Ioannes ab Eckten.

Literas à Satrapa ad Geethornianos, & horum ad illum, ultro citroque miſſitatas, brevitatis ſtudio omittam, ut & teſtimoniorum alterum, contentus id quod Ravenſpergeri eſt, oculis lectorum ſubjeciſſe: miſſum id erat, ad Io. Volcerum, eccleſiaſten in Swarte-ſluys: eſt autem tale:

„ Salutem. Rever. & Doctiſs. Vir, frater in Chriſto plurimum co„lende:

„ Quod me rogas nomine Claſſis Vollenhovianæ, quid de Engelberto „Poth olim Steinfurti meo diſcipulo ſentiam; id vero hujuſmodi eſt, quod „non parvo cruciatu animum angit. Si de familia ejus, quæ honeſtiſſima „eſt, ſi de induſtria ejus, quæ ſumma ſemper fuit quamdiu ſub mea fuit di„ſciplina, ſi denique de ſcientia ejus in linguis originalibus & humaniore „literatura, quæ non eſt prorſus trivialis, rogares, volupe mihi eſſet reſpon„dere. Nunc vero, quia de fide ejus doctrinâve, ſive orthodoxa, ſive hete„rodoxa, & nominatim Sociniana rogas, excrucior animi neceſſitatem „mihi imponi à vobis, ea reſpondendi quæ ſi ſilentio premerem, fortunam „diſcipuli (quod utique, vel ſolo hoc nomine, quod diſcipulus fuit, ma„ximopere vellem) promoverem. Quum tamen ex literis tuis intelligam, „Chriſti, veritatis, & Eccleſiæ cauſam agi, ſincere dicam quid ſentiam. „Quam diu Steinfurti profeſſuram Theologicam adminiſtravi, fuit irrequie„torum aliquot ſtudioſorum manipulus, qui gryphos Socinianos in deliciis „ac oraculis habuit. Inter hos ſtudioſos Engelbertus Poth Dux & Princeps „mihi ſemper viſus. Neque id negarunt illi qui ex grege iſto ad mentem „rediere & frugem. quorum unum itemque & alterum nominare poſſum ſi „opus ſit. Neque id diſſimulavi in literis quas ad D. Doctorem Martinium „dedi, quum Poth ex ſchola Steinfurtana ad Bremanam, ſtudiorum conti„nuandorum gratia, migraret: ne ſcilicet inter ſtudioſos ejus ſcholæ aliquid

„ino-

„inopinæ heterodoxiæ ſpargeretur. Putabam enim intereſſe Eccleſiæ, ut „D. Martinius monitus ejuſdem Pottii ſedulam rationem haberet. quoad „reliqua de iis Pottium commendabam. Num vero inter illud tempus quo „Bremæ alibique vixit, ipſe etiam ad frugem redierit, ego equidem neſcio, „ſperare velim, ſi auſim. Habes ſententiam meam, vir Rever. qua ut Claſſis „veſtra (quam officioſe ſaluto) utatur in emolumentum Eccleſiæ, animi- „tus precor. B. V. Groning. poſtrid. Kal. Januar. Anno cIↃ IↃ c xviii.

T. in Domino Ravenſperger.

Teſtimonia hæc Senatus Daventrienſis Delegatis Ordd. tranſmiſit, qui reſcripſerunt xxvii Januarii, ſe ſuper iis Potthium coram ſe citaſſe, eum vero palam voce ac ſcripto, interpoſito quoque juramento negaſſe ſe unquam hæreſibus Socini conſenſiſſe, eaſve propugnaſſe, honeſta quoque & ampla teſtimonia Academiarum, illuſtrium gymnaſiorum, & conſiſtoriorum, nominatim D. Martinii, & Senatus ſcholaſtici Steinfurtani exhibuiſſe, quæ A. Senatui Daventr. communicent. unde non poſſint non benè de ipſo ſentire. ſin contrarium de eo demonſtretur, nolle ſe ei patrocinari, nec paſſuros ut mercenarii, Libertini, aut Sociniani (quorum hæreſes deteſtentur ac rejiciant) in ovile Chriſti ſeſe ingerant. hæc ſumma erat. teſtimonia quorum meminerunt, quia illorum apographa non invenio, hic ſubjicere non potui. Interim videt, opinor, lector quemvis Socinianum jurare poſſe, ſe hæreſibus Socini non conſentire. utpote quem nullas hæreſes foviſſe, tales pro comperto habeant.

Circa hæc acres Epiſtolæ ſcriptæ fuerunt à duobus Voſculiis, fratribus: quorum hic, Ioannes nomine, & ætate major Stenovici reformatam religionem magna cum fide & fervore docebat, ille, Everardus videlicet Campis novis opinionibus ſerendis operam dabat. ille fratrem ab errore revocare, hic illum a conſtantia abducere moliebatur, maxime autem Socinianiſmus, & negotium Potthii agitabatur. duæ illarum penes me ſunt, quarum illa data fuit xxx Januarii, hæc xix Febr.

Henricus Joannis in Claſſe Campenſi miniſterio abdicatus, in Tranſiſalania commorari non fuit auſus, eo quod Satrapa Iſelmudæ, homo religione Pontificius, qui tamen Remonſtrantibus adverſus Orthodoxos libenter manum commodabat, eum magna cum animi impotentia perſequi non deſineret. in Gelriæ ergo oppidum Elburgum cum familia ſe contulit, ubi Satrapa apud Magiſtratum, & cum nihil ibi obtineret, poſtea apud Ordd. Gelriæ ei actionem neſcio quarum injuriarum impegit. Henricus autem, ita ei, oblato eiſdem Ordd. libello reſpondit, ut ipſis ſe ingenium hominis in apertum protuliſſe dicat, *qui* (verba ejus ſunt) *abſque rubore contra veritatem in tali conſeſſu loquatur &c.* Scripti ſunt hi libelli xi Febr. & iv Martii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

II & IX Martii in ſynedrio Daventrienſi decretum fuit, Claſſem a. d. XI. ejus menſis poſtliminio convocandam eſſe, conſentiente jam tandem in convocationem illam Satrapa Sallandiæ.

X Martii celebrata fuit in Dominio Cuynre Claſſis Vollenhoviana, ubi concluſum, delegandos eſſe ex ipſis nonnullos ad proxime futura comitia, qui & viva voce & ſcripto ibidem demonſtrarent veras cauſas controverſiarum ac ſchiſmatum in Eccleſia Dei per haſce regiones, peterentque demiſſe, ut decretum Anni CIↃIↃCXVI aboleretur, Synodus Nationalis promoveretur, ac in anteceſſum Synodo particulari obex ne poneretur. Nec non ut duo illegitime in illam Claſſem intruſi Miniſtri, Potthius & Arſenius, removerentur, aliique iis debito ordine ſufficerentur. Adverſus Papiſtas quoque qui è vicina Friſia eo confluebant, & quingentorum aut ſexcentorum, ut ferebatur, hominum conventicula habebant, ſeria remedia adhiberentur. Delegati fuerunt ad hoc negocium Io. Langius & Io. Voſculius.

XI Martii in Claſſe Daventrienſi unanimiter concluſum fuit, à Miniſtris Daventrienſibus ejuſdem Claſſis nomine, una cum Delegatis aliarum nonnullarum Claſſium, Ordd. hujus Provinciæ in proximis comitiis eſſe rogandos 1. ut in convocationem Nat. Synodi, juxta concors decretum ab ipſis Daventriæ Anno CIↃIↃCXII ſancitum, conſentire vellent. 2. ut Claſſibus circa aſſumtionem & dimiſſionem miniſtrorum Eccleſiæ ſua libertas ſuuſque ordo præterita Nationali Synodo conſtitutus ſalvus & inviolatus eſſe poſſet &c.

Ibidem Henr. Meilingius qui Hengeloam, & alter qui Diepenemum contra Canonas ſe ingeſſerant, illegitimi Miniſtri declarati fuere. Ut & ratio Claſſi reddita fuit dimiſſionis Aſſ. Matthiſii ab Eccleſia Daventrienſi. qua audita, omnes ei acquieverunt.

XXVII Aprilis celebtata fuerunt Daventriæ comitia Ordd. Tranſiſalaniæ, ad quæ ſe contulit Princeps Mauritius, tanquam illius quoque Provinciæ Gubernator, petiitque inter alia, ut in Synodum Nationalem, & exauthorationem privatorum militum conſentiretur. quorum utrumque obtinuit, licet recalcitrante civitate Campenſi. Decretum de Synodo ita habet:

„ Quandoquidem ſua Excellentia, Princeps Arauſionenſis &c. ab Ordine „equeſtri ac civitatibus quam inſtantiſſimè requiſivit, ut Nobb. ſuæ Pott. „unâ conſentire vellent in celebrationem Nationalis Synodi, declarans & „pro certo affirmans eadem ſua Excellentia, Synodum illam non alio ſpectare, neque alium in finem tendere, quam ad accommodationem & pacificationem præſentium controverſiarum eccleſiaſticarum, ac diſſidiorum „circa negocium religionis, nec non ad pacem & unionem Provinciarum „harum federatarum, nequaquam autem ad eaſdem Provincias earumque „membra in ſua celſitudine, privilegiis ac juribus ullo modo præjudicandas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„aut lædendas, quemquamve religionis cauſa gravandum: Adhæc cum „aſſerat dicta ſua Excell. reliquas adhuc difficultatem moventes Provin„cias, bonis rationibus & inductionibus & ipſas eo permotum iri, ut „omnia unanimiter, citra ſchiſma aut ſeparationem Provinciarum poſſint „peragi, itemque id quod in dicta Synodo concludetur validitatem non „habiturum, antequam idem a Provinciis conjunctim approbetur ac ra„tificetur: Hiſce de cauſis Ordo equeſtris ac civitates, ad hujuſcemodi „propoſitionem & certiorationem dictæ ſuæ Excell. una conſentiunt & ap„probant, ut eo pacto, & conformiter iis quæ jam dicta ſunt, ad pacem „& concordiam Provinciarum unitarum, atque ad accommodationem pa„cificationemque præſentium controverſiarum eccleſiaſticarum & diſſidio„rum circa negocium religionis, Synodus Nationalis haberi poſſit: ea lege, „ut puncta quoque & articuli, antehac ſuper celebratione Synodi concepti „& ſanciti, præcedanea habita deliberatione reſumantur, &, ſi opus fue„rit, corrigantur.

Exhibiti fuerunt in hiſce comitiis libelli ſupplices Orthodoxorum miniſtrorum ab una, & Campenſium ab altera parte, ſed, ut dixi in ſententiam potiorem pluribus ſuffragiis itum eſt.

Obtulit iiſdem comitiis Henricus Meilingius vocationem ad Eccleſiam Deldanam, inconſulta Claſſe, à proprietariis illius territorii inſtitutam, ejus approbationem ab Ordd. petens. ſed nihil impetravit, decernente congregatione ut Ordo eccleſiaſticus, veteri more obſervaretur. unde Miniſtri Claſſis Daventrienſis, conſentientibus Ordd. Delegatis, ad tempus eam Eccleſiam adminiſtrarunt; donec ei Præfectus fuit Io. Henr. Rappæus.

Finitis comitiis Princeps Daventriâ Zwollam, hinc Haſſeltum, ac deinde Campos profectus eſt. & hujus quidem urbis Senatum admonuit, ut ſe moderate ac humaniter erga Contra-remonſtrantes (ut vocabantur) gererent, quod ſe facturos ſunt polliciti. Inde ergo ſolvens Amſtelodamum appulit.

Menſe Majo, miſſus Iacobus Revius Hagam-Comitis, à ſynedrio ibidem petiturus dimiſſionem Henrici Roſæi, ad Eccleſiæ Daventrienſis miniſterium vocati, quod a Revio factum, qui & Illuſtriſs. Principem Mauritium ſuper ea re convenit, ſed nihil, in illa Hagienſis Eccleſiæ conſtitutione, potuit obtinere.

Eodem menſe prodiit Hieronymi Vogellii Paſtoris Haſſeltani Reſponſio ad libellum miniſtrorum Campenſium, de veteri veritate & nova falſitate.

XVIII Junii, Roſæo Daventrienſibus negato, actum de Io. Henr. Rappæo Deldenſi, & Wernero Teſſchenmachero Clivenſi Miniſtro. quorum hic III Julii vocatus fuit, ſed fruſtra.

XIII Julii, qui erat XXIII ſtylo Hollandiæ, Hagæ in conventu Ordd. Generalium reſumtum fuit decretum de exauctorandis Ultrajecti alibique militibus privatis, quam ad rem cum octo eſſent Delegati qui Principi Mauritio ea in re aſſiſterent, Tranſiſalani iis unum è ſua quoque Provincia adjunxerunt.

XI Aug. (qui Hollandis eſt XXI.) editum nomine Ordd. Generalium (Prouincia Tranſiſalaniæ, cum quatuor aliis calculum ponente) decretum de exauthorando privato milite in Hollandia, prout Ultrajecti factum fuerat. execurio è veſtigio ſecuta eſt.

XIX Auguſti quidam Diepenemi contra Canonas obtruſus, coram Claſſe Daventrienſi vocationem ſuam illegitimam eſſe confeſſus eſt.

Tunc & ibidem Deputati Claſſis ordinarii poſtliminio electi fuere, quod ad tempus commode fieri nequiverat.

I. Septemb. idem de quo modo diximus coram Claſſe Daventr. denuo confeſſus eſt vocationem ſuam Actis Synodalibus minime conſentaneam, atque adeo illegitimam fuiſſe, rogans ut quod peccatum fuerat ſibi ignoſceretur. Poſt accuratum examen, & maturam conſultationem, placuit eundem quo ſe ſerio agere demonſtraret, à miniſterio è veſtigio deſiſtere. quo facto, acturam Claſſem id quod ad ædificationem maxime facere videretur.

Ibidem propoſitis quibuſdam Theſibus & Antitheſibus circa hodiernas controverſias, ab omnibus in partem Orthodoxam pedibus itum, niſi quod duo articulum de gratia efficaci & regeneratione cenſuræ Nationalis Synodi ſubjecerint, articulum autem de Prædeſtinatione approbarint, in quantum is congruit doctrinæ Catecheſeos Heidelbergenſis.

Præparata in hac Claſſe ſunt omnia, ad proxime habendam Synodum Provincialem.

XII Sept. Seniores duo Eccleſiæ Campenſis Orthodoxæ (quæ ſe à Remonſtrantibus ſegregarat) à ſynedrio ſuo, ad Daventrienſe ablegati. rogarunt ut ſibi ad tempus uſus unius ex illius Eccleſiæ Miniſtris concederetur, donec legitimis Paſtoribus inſtructi eſſent. quod illis conceſſum eſt, & XIV ejuſdem menſis electus ad hoc Caſp. Sibelius.

XV Sept. quum vocationem ad miniſterium Daventrienſe Teſſchenmakerus abnueret, vocatus fuit Winandus Alſtorphius.

Eodem die Delegati quidam à Claſſe Daventrienſi convenerunt, cum poteſtate agendi in cauſa Diepenemenſi id quod ipſis rectum videretur: Coram quibus duo comparuerunt, nomine Borchmannorum, Conſulum, & Eccleſiæ illius loci, ac novam præſentationem ejuſdem Paſtoris exhibuerunt, quæ lecta, & pro legitima (quoad formam) agnita fuit.

Inde cum concionatore ipſo prolixe actum, ſuper iis in quibus ordini eccle-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

eccleſiaſtico contraveniſſe eum conſtabat, quæ ſibi ignoſci petiit, maxime ſuper orthodoxa véritate, in qua ſe omni ex parte noſtris aſſentiri religioſe proteſtatus eſt. quibus peractis de novo ad miniſterium illud vocatus, & impoſitione manuum in eo confirmatus fuit, utque vocationis ſuæ approbationem de more à Satrapa peteret ipſi injunctum.

XIX Septemb. (ſive XXIX ſtylo Gregoriano) miſſæ ſunt ab Ordd. Generalibus, ut ad reliquas Provincias, ita & ad noſtram, literæ quibus jejunium per Belgium federatum indicitur, habendum 1. Novemb. ad orandum Deum ut Synodi Nat. futuræ actionibus benedicat.

XXVI Septemb. Ioannes Schraderus eccleſiaſtes in Maccum, ad quoſdam è noſtris Miniſtris literas dedit, quibus conqueritur de Epiſtola calumniarum & virulentiæ in reformatam religionem plena, quam Martinus Ioannis Miniſter Eccleſiæ in Roveen ad nonnullos è ſuo ſynedrio miſerat, ejuſque apographum eis communicavit. ſcripta fuerat Epiſtola Martini, X. Aug. hujus anni.

III Octobr. celebrata fuit Vollenhoviæ Synodus Provincialis, ad futuram Nationalem præparatoria. ubi cum è Claſſe Campenſi utriuſque ſententiæ comparerent Delegati, hoc eſt, tam à parte Remonſtrantium, quam Contraremonſtrantium, qui ſeſe ab illis ſepararant, orta ſuper ea re diſceptatione, viſum fuit utroſque interrogari: 1. An hanc Synodum, & futuram quoque Nationalem pro legitimis agnoſcerent. 2. An utrique ſeſe ſubmittere parati eſſent? ad quæ Contraremonſtr. affirmative reſponderunt. Remonſtrantes primum & ipſi receperunt, modo quæſtiones controverſæ non hic deciderentur, ſed Synodo Nationali reſervarentur. Ad poſterius, quia noſcerent quopacto ibi res gerendæ eſſent, dixerunt velle ſe primo pleniorem ejus rei cognitionem habere, qua habita, ſe ſequuturos quod juſtum eſſet.

Quæſitum adhæc, utri pro Claſſe Campenſi habendi eſſent? ac placuit utrinque binos admitti, ac delecti ex una parte Thomas Goſwinius, Marcus Gualterus: ex altera Hieronymus Vogellius (qui pro tempore Eccleſiam illam adminiſtrabat) & Georgius Goykerus.

Multa hic adverſus actiones Remonſtrantium Campenſium mota ſunt, ad quæ cum reſpondendo non ſatisfacerent, judicati fuerunt egiſſe adverſus charitatem, veritatem, & ordinem Eccleſiæ. Ioannes Schotlerus in nonnullis culpam agnovit. Goſwinius tempus ſibi concedi petivit, quo cum collegis conferret, quod ipſi fuit conceſſum.

Negotium Martini Ioannis Paſtoris in Roveen, ad Synodi Delegatos, ac duos è Claſſe Zwollana fuit rejectum. cauſa Ioan. Meilingii & Henr. Jodoci in Claſſem Campenſem intruſorum ad eoſdem Synodi Delegatos & duos è Claſſe Campenſi. Gerard. Arſenius, cujus cauſa ab Ordd. Synodi judicio fuerat permiſſa, miniſterio motus, & Io. a Nieuwenveen ei ſuffectus fuit. Depoſitus

ſitus quoque fuit Engelbertus Poth, in cujus tamen exauctorationem commiſſarii Ordd. abſolute conſentire fuerunt gravati, polliciti interim ſe de re tota ad Comitia proxima relaturos, ac daturos operam, ut eo citaretur, rationes Synodi circa deportationem ſuam auditurus.

Campenſes qui à partibus Remonſtrantium erant, nullum ad Synodum gravamen attulerunt.

Reverſus domo Thomas Goſwinius quæſivit, pluresne ſupereſsent accuſationes contra ſeſe & collegas ſuos? reſponſum plures eſſe, nominatim circa doctrinæ impuritatem etiam extra quinque articulos, cujus è veſtigio poſſent convinci. Goſwinius ut id ſcripto fieret petiit, ac tempus ad reſpondendum concedi. Sed placuit rem totam Synodo Nationali reſervari.

Interrogatus porro, quid reſponſi afferret ſuper iis quorum nomine cum collegis uti conferret ipſi conceſsum fuerat, exhibuit duo ſcripta, prius a ſeſe, poſterius a duobus collegis ſuis, Voſculio & Matthiſio concinnatum, quibus ea quæ violatam (ut ferebatur) ab ipſis charitatem & eccleſiaſticum ordinem tangebant, ut poterant excuſabant, in doctrina vero quam defendiſsent ſe perſiſtere profitebantur. quibus ſcriptis perlectis judicavit Synodus eos nulla ex parte aut ſatisfeciſſe, aut commiſſa reparaſſe, manereque ſub reatu ut ante.

Omnes porro fratres Synodales, ſeſe Contraremonſtrantibus aſſentiri declararunt, ſolo excepto Thoma Goſwinio, qui ſe a parte Remonſtrantium ſtare aſſerebat. Theod. Wyermannus judicium ſuum ſuſpendebat, ſeque ſubmittebat Synodo Nationali.

Ad Synodum Nationalem Delegati fuerunt Caſp. Sibelius Paſtor Daventrienſis, Herm. Wyfferdingus Zwollanæ, Hier. Vogellius Haſſeltanæ, Ioannes Langius Vollenhovianæ. quibus adjuncti fuerunt viri honorati reformatæ religionis, Nob. Wilhelmus a Broeckhuyſen, & A. Ioannes vander Lauwick Conſul Campenſis.

In Ordinarios Synodi Delegatos conſtituti fuere è Claſſe Daventrienſi Iac. Revius, è Campenſi Georg. Goykerus, è Zwollana Victor Petri, è Vollenhovianâ Io. Voſcuyl.

v. Octob. Actum a Deputatis Claſs. Daventrienſ. de commendando Deldenſibus, loco Meilingii, Io. Henrico Rappæo, Paſtore in Hellendoorn.

x. Octob. Daventriæ congregati fuerunt Deputati Synodi, & cum eis bini è Claſſibus Campenſi & Zwollana, ubi citatus comparuit Martinus Ioannis Harlingenſis Paſtor in Rovene, cui cum ea quæ adverſus Eccleſiæ reformatæ doctrinam aliterque deliquerat eſſent propoſita, ad confeſſionem culpæ adduci non potuit. poſtridie tamen in nonnullis ſe peccaſſe agnovit, ac eorum veniam petiit. Injunctum ei eſt ut idem coram Eccleſia ſua publice profiteretur, & donec id factum eſſet, ab exercitio miniſterii ſui abſtineret. quod

cum ſe factum recepiſſet, Victori Petri negotium datum eſt, ut confeſſionem Martini è ſuggeſtu, præſente ipſo, incolis Rovenii indicaret.

Eodem die, Winandus Alſtorfius Daventriæ in miniſterio confirmatus eſt.

XII Octobr. coram Synodi Deputatis vocatus comparuit Ioannes Meilingius, qui ad tempus Miniſterium Eccleſiæ Gennemudanæ obierat, ac exhibere juſſus eſt teſtimonium legitimæ dimiſſionis è Claſſe Zutphanienſi, nec non legitimæ vocationis Eccleſiæ Gennemudanæ, ac approbationem Claſſis Campenſis. Exhibuit ergo literas Satrapæ Iſelmudani, & alteras Magiſtratus Gennemudæ, per quas ad miniſterium vocatus fuerat, ab Eccleſia aut Claſſe nihil habuit quod proferret. quod ad dimiſſionem è Claſſe Zutphanienſi, oſtendit literas quæ eum ob heterodoxiam miniſterio motum & Claſſe ejectum teſtabantur. Juſſus ergo fuit intra duas aut ad ſummum tres ſeptimanas teſtimonia exhibere magis ſatisfactoria, ac interea temporis à miniſterio abſtinere. quod ultimum primo gravatus, poſtea tamen ſeſe quæ ſibi injungebantur præſtiturum promiſit.

XIII Octob. citatus comparuit Henricus Jodoci, qui ad tempus Miniſterio functus fuerat in Ens, juſſuſque proferre dimiſſorias è Claſſe Drentina, & vocatorias ab Eccleſia Enſana, approbationemque Claſſis Campenſis, cum neutrum exhibere poſſet, ac ſcriptis è Drentia literis, eum tanquam apoſtatam &c. a miniſterio in Wapſterveen fuiſſe depoſitum ſignificaretur, juſſus fuit ab illegitimo ſuo miniſterio ſuperſedere, donec ea teſtimonia, de quibus ante, Deputatis Synodi exhibuiſſet.

XIV Octob. Deputati Synodi coram conventu Ordinum ſe ſtiterunt, ac præter alia ſibi à Synodo injuncta, cenſuras ab ſeſe adverſus Martinum Harlingenſem, Ioannem Meilingium, & Henricum Jodoci pronunciatas eis indicarunt. rogantes ut eas ſua auctoritate tueri vellent. Cumque Engelbertus Poth à Synodo, & Henr. Meilingius à Claſſe Daventrienſi à miniſteriis ſuis depoſiti, in iiſdem tamen continuarent; ut ea quoque in re Synodi ac Claſſis auctoritati manus adiutrices præberent. Ad quæ Ordd. iis quæ adverſus tres priores à Deputatis Synodi eſſent acta, nihil contradicere reſponderunt, Henr. Vero Meilingium & Potthium ſeſe citaturos, ut coram ſeſe cauſam ſuam agerent. reſponderunt Deputati, nihil vetare quo minus ipſorum Nobb. illis quæ in eorum cauſa peracta erant proponerent, ſeſe vero non habere in mandatis, ut eam rem in conventu illo diſceptarent.

Cum durantibus illis comitiis, Deputatis Synodi innotuiſſet, Martinum Harlingenſem, adverſus ea quæ ſibi injuncta erant, quæque ipſe in ſe receperat, denuo concionatum fuiſſe, id ab iiſdem Depp. conventui Ordd. fuit indicatum, qui decreverunt, rem illam penitius eſſe inveſtigandam, ac ſi ita ſe habere comperiretur, eum prorſus ab officio removendum.

VI Novembr. Synodus Nationalis Dordraci congregata, è Provincia noſtra

noſtra citavit, Remonſtrantium acturos cauſam, Thomam Goſwinium, & Aſſuerum Matthiſium.

IX Novembr. Deldenſes Henr. Meilingium repetita vocatione in Miniſtrum elegerunt.

XVI Novemb. Tubantiæ Satrapa, monitus ut a fovendo Henr. Meilingio deſiſteret, id ſe facturum promiſit, ac ſe inclinare in Kemnerum, qui eccleſiæ illi antea præfuerat, ſignificavit.

XVIII Novemb. Deputati Synodi Zwollæ congregati, cum de inobedientia Martini Harlingenſis plene edocti eſſent, eum eccleſiaſtico munere penitus privarunt, ac a Claſſe Zwollana, ut Eccleſiæ ejus de Orthodoxo Miniſtro quamprimum proſpicerent, petierunt.

Quum Io. Meilingius & Henricus Jodoci in miniſterio continuarent, ſcriptum eis fuit, ut intra quatuordecim dies teſtimonia ipſis injuncta exhiberent, ac interim exercitium muneris eccleſiaſtici intermitterent, alioqui non jam pro ſuſpenſis, ſed pro omnino depoſitis habendi.

Quandoquidem Engelbertus Poth adverſus decretum Synodi Provincialis in miniſterio Eccleſiæ Geethornianæ continuabat, placuit ſuper ea re cum Delegatis Ordinum agi, petique, ut ab iis ei cathedra interdiceretur.

II Decembr. duo è Deputatis Synodi Iac. Revius & Georg. Goykerus coram Delegatis Ordd. Daventriæ comparuerunt, ac negotium Henr. Jodoci & Engelb. Poth ibidem urſerunt, a quibus tamen nihil obtinere potuerunt, dicentibus ſe nihil ſuper ea re in mandatis habere, ſed ad conventum comitiorum eam deferendam.

Eodem die iidem Deputati Synodi a Claſſe Daventrienſi intellexerunt Henr. Meilingium coram comitiis proxime celebratis, poſt diſceſſum Deputatorum Synodi, cauſam ſuam favorabilem in modum propoſuiſſe, quo audito, Claſſem Daventrienſem (quam proprie hoc negotium ſpectabat) ſupplici libello petiiſſe ut dies aſſignaretur, quo, præſentibus D.D. Ordd. Delegatis, Claſſicaliter cum dicto Meilingio ageretur, id quod a D. D. Ordd. fuerat conceſſum, ac illum diem nunc adeſſe. Itaque eorundem rogatu, dicti Synodi Deputati, una cum fratribus Claſſicalibus, Collegio Delegatorum ex Ordd. ſe ſtiterunt, ubi & comparuit Meilingius, cui diſtincte propoſita fuit illegitima ejus in Eccleſiam Deldenſem intruſio &c. Ad quæ ille reſpondere quidem viva voce abnuit, ſed ut ſcripto ageretur poſtulavit. quod cum a Miniſtris, ut inuſitatum, & extrahendo tempori duntaxat inſerviens recuſaretur, Delegati autem Ordinum Meilingio hac in parte obſecundarent, abrupta cum illo actione, Miniſtri ad Magiſtratum Daventrienſem ſe contulerunt, a quo impetrarunt, ut aliquot è ſuis ad Delegatos Ordd. ablegarent,ondituros eoſdem, ne diutius tergiverſationibus Meilingii locum darent, & Eccleſiæ Deldenſis commodis

ob-

obeſſent. Delegatis in ſententia perſeverantibus, Magiſtratus Henr. Meilingio in curiam accerſito, miniſterio Eccleſiæ Deldenſis interdixit, ac ni pareret, ſe quod è re eſſe judicaret facturum ei indicavit.

VIII Decemb. nomine Deputatorum Claſſis ſcriptum ad Deldenſes, & vocationem Meilingii ab eis inſtitutam vitio factam eſſe eis indicatum, monitique, ut alium reformatæ religioni addictum Claſſi proponerent; id ſi facere negligerent, fore ut nomine Claſſis, Ioannes Henricus Rappæus (cujus dona Deldenſibus non ingrata eſſe percepiſſent) ad ipſos mitteretur. Cum poſt aliquot hebdomadas nihil reſponſum eſſet, eligitur a Claſſe Rappæus, & ab Eccleſia cui præerat dimiſſionem, a Satrapa vero vocationis ſuæ approbationem petere jubetur.

x. Decemb. Deputati Synodi, quibus iniquum videbatur, Engelbertum Poth invita Synodo, Claſſe, atque etiam Satrapa ſuo diutius Geethornæ tolerari, decreverunt, ei depoſitionem ſuam, a Synodo factam inſinuandam, eique injungendum, ut promte ab illegitimo ſuo Miniſterio deſiſteret, ne quem haberet ignorantiæ prætextum, ſi alia media, ratione muneris & conſcientiæ adverſus eum adhiberentur. Atque hæc eodem die ad eum ſcripto tranſmiſſa ſunt.

FINIS LIBRI QVINTI.

DAVEN-

DAVENTRIAE ILLVSTRATÆ,

SIVE

HISTORIÆ URBIS DAVENTRIENSIS

LIBER SEXTVS.

ANno cIↄIↄcxix. Cum recrudeſcerent diſſenſiones inter Comitem Friſiæ Orientalis Ennonem, & civitatem Embdanam, Ordd. Generales eo Legatos miſerunt, è Gelria Ioannem Glummerum, ex Hollandia I. G Hoïngium, è Zelandia Albertum Joachimi, è Trajectinâ Provincia A. a Suylen de Nyevelt, è Friſia G. liberum Baronem a Swartſenburch, è Tranſiſalaniâ Engbertum a Doetecum Conſulem Daventrienſem, qui litem compoſuerunt; ac ut conventis melius quam hactenus factum fuiſſet staretur, D.D. Ordd. Generales operam daturos ſpoponderunt.

vi Januarii Deputatis Synodi Tranſiſalanæ Daventriæ congregatis, à Depp. Claſſis Daventrienſis propoſitum fuit, Henr. Meilingium, invitis Claſſe Daventrienſi, Satrapa Tubantino, & Magiſtratu Daventrienſi continuare in illegitimo miniſterio pagi Hengelo, ac templo ibidem juſſu Magiſtratus clauſo, in cœmeterio concionari.

Nomine Depp. Claſſis Campenſis conqueſtum fuit, Ioannem Meilin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

gium, & Henricum Jodoci, concionatores antehac Gennemudæ & Enſæ, non obſtante depoſitione ipſis inſinuata, in miniſterio perſeverare. quin & Meilingium auſum fuiſſe Campis concionem habere.

Deputatus Claſſis Zwollanæ detulit querimonias Martini Harlingenſis ſuper depoſitione ſua, nec non difficultates quas nonnulli circa eam moveant.

Deputati Claſſis Stenovicani queſti ſunt Engelbertum Poth in illegitimo ſuo miniſterio etiamnum perſiſtere, Synodo conviciantem &c. Delegatos vero Ordd. requiſitos ut ea quæ adverſus dictas perſonas decreta fuerunt tueri vellent, iterato reſpondiſſe ſe id in mandatis non habere.

Deputati Synodi omnibus rite expenſis, conſultum exiſtimarunt, difficultates Daventrienſium, Campenſium, & Stenovicanorum, cum Delegatis ex hac Provincia ad Synodum Nationalem communicari, quo illorum opera, auctoritate Nationalis Synodi interveniente, Eccleſiæ regionis noſtræ à dictis hominibus exonerentur.

Quod ad negotium Martini Harlingenſis, declararunt Depp. Synodi, quandoquidem cauſæ depoſitionis ejus poſtmodum non ſolum non ſublatæ, verum etiam aggravatæ fuerunt, ſe depoſitionem illam adhuc pro legitime facta ac valida habere. placuitque Prætorem Haſſeltanum à Depp. ſcripto rogari, ut loco vacanti, juxta Canones Eccleſiaſticos, de idoneo Miniſtro curaret provideri.

Quandoquidem duo relicti Campis Eccleſiæ Miniſtri Everardus Voſcuyl & Io. Schotlerus, & ipſi ad Synodum Nat. citati ſunt, quo propediem profecturi citantur, & Orthodoxa ibidem Eccleſia ordinario Miniſtro hactenus deſtituitur, placuit ſynedrio ſignificari, Deputatos Synodi paratos eſſe, ſi ipſis placeat, è ſingulis Claſſibus ut Eccleſia adminiſtretur procurare. rogandos porro eoſdem, ut commodis mediis impedire velint, ne Ioanni Meilingio deinceps conciones in illa urbe habendi poteſtas fiat.

Præter literas ad Synodum Nationalem datas, miſſæ & fuerunt ad Ill. Principem Mauritium, quibus rogabatur, ut moneret ſupremos hujus Provinciæ Magiſtratus, atque etiam congregatos in Nationali Synodo Theologos, ut utrique manus nobis adjutrices porrigerent, quo turbulentorum miniſtrorum inſolentiæ obex poneretur, ordo eccleſiaſticus ſtabiliretur ac obſervaretur, ad exonerandas Eccleſias quæ à piis & Orthodoxis Paſtoribus ad ædificationem ſuam ac ſalutem adminiſtrari in votis haberent.

XXIX Januarii cum Henricus Meilingius & Martinus Harlingenſis a Delegatis Ordd. miniſteriis ſuis deſiſtere juſſi eſſent, è Synodo Nationali Daventriam venit D. Caſparus Sibelius, in mandatis habens, ut difficultatibus quas Synodo commendaveramus, quoad ejus fieri poſſet, in ipſa Provincia remedium afferret. Quamobrem III Febr. Ordd. Delegati per libellum

ſuppli-

ſupplicem requiſiti fuerunt, ut in eodem Zelo ac diligentia quam demonſtraſsent in cauſa dictorum illegitimorum ac turbulentorum miniſtrorum continuare vellent, etiam circa negotium Enſæ, Gennemudæ, Geethornæ. Quo in hac Provincia (prout & a bonis Magiſtratibus reliquarum Provinciarum fiebat) particulares difficultates, quoad ejus fieri poſſet, terminarentur, neque neceſſum foret Synodum Nationalem peculiaribus ejuſmodi oneribus gravari. Subſignatus erat dictus libellus ſupplex:

Iac. Revius Dep. Synodi ordinarius,
Caſp. Sibelius Dep. ad Synodum Nat.
de expreſſo mandato ſuorum condeputatorum.

v. Februarii a Delegatis Ordd. miſſa fuerunt ad dictos tres illegitimos miniſtros mandata, quibus miniſteriis ſuis excedere jubebantur; moniti quoque fuerunt ab eiſdem Ordd. Delegatis Deputati Synodi ut locis vacantibus ac nominatim inſulæ Enſæ de Miniſtris idoneis quamprimum proſpicerent.

xi Febr. Depp. Synodi, Zwollæ congregati, intellectis iis quæ a Delegg. Ordd. ad ipſorum petitionem erant facta, Danielem Goykerum Gennemudanis miſerunt, qui ad tempus eorum Eccleſiam adminiſtraret, donec vel ipſum, ſi placuiſset, vel alium Orthodoxum Miniſtrum ipſi vocarent.

xix Febr. Dordraci in Synodo Nationali Deputatis Eccleſiæ Campenſis prælecta eſt ejuſdem Synodi de contumacia miniſtrorum Campenſium Voſculii & Schotleri ſententia. Qui & apographum ejus petierunt: ſimulque, ut de hac re quamprimum ad A. Mag. Campenſem ſcriberetur. Sententia ipſa Actis Synodi Nat. non eſt inſerta. ita autem ſonat:

„Viſis & lectis literis Io. Schotleri datis xviii Januarii, & Everardi „Voſculii ac Conſiſtorii Campenſis, datis xxv ejuſdem, & examinatis dili„genter rationibus, quibus dictorum Voſculii & Schotleri, ſecundo jam, & „quidem peremtorie, adeoque & ſub pœna contumaciæ citatorum emanſio „excuſatur; auditis etiam quæ in contrarium a Deputatis Eccleſiæ reformatæ „Campenſis (quam dolentem hactenus vocant) allata ſunt, omnibuſque „quæ porro expendenda ac ponderanda erant, accurate expenſis & ponde„ratis; Declarat Synodus Voſculium & Schotlerum ſupradictos contu„maciæ reos, eoque dignos qui a miniſterii eccleſiaſtici functione ſuſpen„dantur, quemadmodum & eos de facto nunc ſuſpendit; ſerio injungens, ut „a concionibus habendis cæteriſque miniſterii eccleſiaſtici partibus exer„cendis obeundiſve in poſterum abſtineant: Hac tamen addita cautione, ut „ſi intra xiv ab inſinuatione decreti hujus diem, ſe hic ſiſtant, cauſamque „ſuam cum reliquis collegis agendam ſuſcipiant, a ſuſpenſione & contu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„maciæ reatu actu ipſo ſint abſolvendi & in integrum reſtituendi; ſin vero „ne ad diem quidem iſtum compareant, habeantur nunc & tunc, & deinceps pro ſuſpenſis. Pronunciatum in Synodo Nationali, Dordraci XIX „Febr. CIↃIↃCXIX.

Sebaſtianus Damman, Synodi ſcriba.

III Martii Zwollæ coram cœtu Deputatorum Synodi comparuerunt Delegati Eccleſiæ Campenſis, exhibentes literas Synodi Nationalis, quibus monebantur rogare Deputatos noſtræ Synodi, ut Eccleſiæ ſuæ de Miniſtris ad tempus proſpicerent: quod ut jam antea libere ab iiſdem Deputatis iis fuiſſet oblatum, ita & nunc lubenti animo ab iis acceptum fuit. Unde Eccleſia illa deinceps adminiſtrata fuit à Victore Petri, Iacobo Revio, Io. Volcero, Io. Voſculio, adiutis ſubinde à Georg. Goykero.

x. Martii, comitiis Ordd. in urbe Campenſi congregatis ſe ſtiterunt Victor Petri & Georg. Goykerus, requirentes, ut depoſitio Engelberti Poth, Io. Meilingii, & Henr. Jodoci, partim a Provinciali Synodo, partim ejus mandato, a Depp. ejuſdem Synodi ſancita, ab Ill. Ordd. approbaretur, quod & impetrarunt.

XX Martii, quum reſcivisſent Depp. Synodi, Senatum Campenſem literas dediſse ad Delegatos ex hac Provincia ad Synodum Nationalem, quibus eoſdem de ſtatu Eccleſiæ illius reddiderant certiores, judicarunt etiam ſibi ad eoſdem de eadem re plenius ſcribendum eſſe; ſignificaruntque, A. Magiſtratum antehac, rogatum ut aboleret prælectiones in Eccleſiis publicis, reſpondiſſe, ſe promto ac alacri animo, ſimulac Synodi Nat. ſuper ea re judicium cognoviſset, id effectui daturum, exercitium reformatæ religionis in Eccleſiis vacantibus inſtauraturum, ac conciones ibidem frequentaturum: quod ſi Tribb. pleb. ne id fieret forte intercederent, ſe eos, auctis præſidiis in officio continere ſtatuiſse &c. ſequutam fuiſse ſeriam Synodi petitionem, poſt quam quum boni aliquid expectaretur, rem plane præter ſpem ac promiſsum Magiſtratus cecidiſse; qui Tribunis pleb. petitionem Synodi ſignificarit quidem, ſed præterea contrarium libellum ſupplicem eorum qui Remonſtrantium partibus adhærebant eis prælegerit, quem ſupra modum laudabant. Tribb. pleb. Magiſtratum interrogaſse, quid ſui hac in re conſilii eſset? reſpondiſse Magiſtratum, conſultum ſibi videri, ut a Synodo peteretur continuatio prælectionum, id Tribb. plebis non diſplicuiſse. cum è numero Tribb. pleb. quidam antea collegio illo ejectus, nunc vero volente Principe poſtliminio admiſsus, quiddam quod ad rem faceret proloqui vellet, alium factionis Arminianæ in pleno conventu, elato pugno ei ictum intentaſse, ſed impeditum fuiſse. Schmelſingum Præfectum militiæ in hiſce oris Daventriam reverſum eſse, relicta in urbe unica cohorte, quum

quum diceret ſe in mandatis habere, ut nihil in eo negotio præter placitum Magiſtratus ageret. continuare interim prælectiones in Eccleſiis, conſpirationes occultas, & apertas minas. è quibus ſiquid (ad exemplum Hornæ & Alcmariæ) ulterioris calamitatis emergeret, eos conſcientias ſuas coram Domino liberare voluiſse, ac fratres in Synodo congregatos rogatos ac monitos velle, ut alacriter cauſæ huic manum admoverent, & quod poſſent in tanti mali remedium opis adferrent &c.

XXIV Martii Deputati Synodi Campis congregati, rogatu Depp. Claſſis Campenſis ſcripſerunt ad Nicolaum Ioannis Miniſtrum in Camperveen, inaudiſse ſe, cives aliquot Campenſes, relicta ſua Eccleſia ad ipſum infantes ſuos ſacro lavacro tingendos deferre, ac ſtatuiſse proximo Paſchate cœnam Domini apud ipſum celebrare, quod cum ad nutrienda diſſidia videretur ſpectare, moneri eum, ut ejuſcemodi actionibus abſtineat, ac præterea teſtimonia dimiſſionis & vocationis ſuæ intra decimum quartum diem exhibeat, ſub pœna ſuſpenſionis à munere eccleſiaſtico.

XV Martii, qui erat IV Apr. ſtylo novo, literæ a Delegatis hujus Provinciæ ad Synodum Nat. ad Depp. Synodi Provincialis pervenerunt, quibus eorum diligentiam ac Zelum laudant, ac negotium ſibi commendatum, ſe ſerio conſideraſse, ac commoda media ad id promovendum adhibuiſſe ſcribunt, nec dubitare ſe, quin Orthodoxa Eccleſia Campenſis ejus rei fructum propediem ſit perſenſura.

XIX Aprilis coram Depp. Synodi Zwollæ congregatis comparuit Nic. Ioannis, cui varia ab ipſo commiſsa recenſita fuere, utque profiteretur ſe eorum pœnitere, quo facto ſuper controverſa ejus in V. Articulis opinione ei moleſtia non eſset exhibenda, ſed ea res tota Nationali Synodo, ad quam pertineret, reſervanda. quibus ille auditis ſententiæ Deputatorum acquievit.

XX Aprilis comparuerunt Delegati Eccleſiæ Campenſis, ac conqueſti ſunt de inſolentia prælectorum Remonſtranticæ factionis, qui non modo uſurpare pergant munus eccleſiaſticum, in explicanda ſuo modo S. Scriptura, verum & nuper admodum prolixam ac ſeditioſam epiſtolam, a Remonſtrantibus Dordraci reſidentibus tranſmiſſam, populo prælegiſsent &c. Conſilium flagitantes in re tantæ confuſionis ac periculi. Deputati Synodi receperunt, ſe pro virili ſua parte, ac per media maxime appoſita, negotium hoc ad bonum Eccleſiæ illius directuros, quod & factum eſt.

Delegati Conſiſtorii Zwollani, Deputatis Synodi indicarunt varias querelas ad ſe delatas adverſus unum ex illius Eccleſiæ Miniſtris, eum vero ad Claſſem provocaſſe, quæ jam, ipſis conſentientibus convocanda eſſet; ſed interceſſiſſe Magiſtratum, ac priuſquam ea convocaretur, ſibi ea quæ ibi tractanda eſſent exhiberi velle. ſuper hac re ſe conſilium Depp. deſiderare.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ii re expenſa, judicarunt ea quæ adverſus dictum Miniſtrum afferrentur, maxima ex parte talia eſſe, ut nec ab Eccleſia, nec à Claſſe, ſed à Synodo Nationali dijudicanda forent. maxime cum ea dictæ Synodo jam innotuiſſent, quæ & ipſa judicaſſet ea ſui fori eſſe, ac penitiorem eorum cognitionem ad ſe deferri petiiſſet.

XXI Apr. literæ à Depp. Synodi, ad eos qui Delegati erant ad Synodum Nationalem miſſæ ſunt, quibus ea quæ Campis gerebantur explicant, ſuntque hæc ſequentia: Mandatum de habendo die jejunii ibi non totum, ſed mutilatum de curiá prælectum fuiſſe; in cœtu Remonſtrantium tantummodo fuiſſe indicatum, inſtitutum eſſe diem jejunii. eo die ipſos oraſſe pro D. D. Ordd. & Principe Mauritio ut converteret eos Deus, quo negotium recte intelligerent &c. XI Aprilis in eodem cœtu mane annunciatum fuiſſe, fore ut a meridie legerentur literæ, quæ ad juvenes ac ſenes, parvos & magnos pertinerent. Super his in utroque templo horis pomeridianis magnam hominum turbam confluxiſſe, inter quos erant nonnulli & Coſs. Ibi reſignatam Epiſtolam valde prolixam, qua qui eam ſcripſerant, dicebant, non dubitare ſe, quin quod ſatis eſſet a fratribus ſuis eſſent viſitati, non potuiſſe ſe tamen committere ut non florentem Eccleſiam Campenſem confirmarent eique animos adderent. gratias ſe iis agere, quod pœne omnes manſiſsent conſtantes, monereque ut iis quæ libello ab ſeſe edito continerenter adhærerent; referentes ſe de cætero ad præcedentes ſuas literas, quibus inſerti fuiſsent XXII Articuli adverſus Synodum Nat. è quibus pateret quam inique ac prave in ea adverſum ſeſe actum ſit, recte facturos ſi eos Eccleſiæ per autographum communicarent, ſi centum apographa non ſufficerent, curarent ut octingenta vel mille conficiantur; ſeſe, Paſtores Remonſtrantes, decreviſse quæ ſecum acta eſsent omnibus ſuis Eccleſiis deſcripta tranſmittere &c. Atque hæc erant quæ ex Epiſtola ibi prælecta qui aderant potuerunt aſſequi. Coſs. rem hanc non exigui momenti eſse arbitrati, nonnullos ex hoc cœtu accerſiverunt in curiam, ac Epiſtolam ſibi tradi juſserunt, id illi facere recuſarunt. unus è prælectoribus, ſartoris opificium exercens, obtulit, ſe eam A. Senatui prælecturum, adverſus quem unus è Coſs. excandeſcens, tu bufale, ait, cenſen deeſse nobis Actuarium qui Epiſtolam prælegere ſciat? quo illi animadverſo, Senatui Epiſtolam tradiderunt, ea lege, ne deſcriberetur, ſed continuo ſibi reſtitueretur: ſin minus, velle ſe negotium toti ſuæ Eccleſiæ ſignificare; ac potiuſquam tolerarent Epiſtolam in manus Prædeſtinatorum pervenire, malle ſe ignem ante portam curiæ extruere, ibique Epiſtolam comburere. acceperunt conditionem Coſs. & Epiſtolam poſtquam prælecta eſset, non deſcriptam reddiderunt; addito tamen mandato, ut ea, una cum altera præcedente aſſervarentur, quo, ſi res ita ferret, denuo in manus Coſs. tradi poſset, ni fieret, ſtatuiſse D. D. ab illis qui

qui præſentes erant culpæ pœnas exigere &c. Rogabant Depp. Synodi, ut Delegati ad Synodum Nat. omnem diligentiam adhiberent, quo Epiſtola illa Synodi auctoritate interpoſita exigeretur, ac quod æquum eſset ſuper iis quæ eâ continebantur, ſtatueretur.

XXII Maji Synodus Nationalis, poſt exterorum Theologorum diſceſſum, in concionatores Remonſtrantium qui Campis remanſerant ſententiam tulit, die Mercurii ante meridiem. Seſs. 169. quam ita è Belgico tranſtulimus:

„Quandoquidem Everardus Voſculius & Ioannes Schotlerus Miniſtri „Campenſes coram hac Synodo accuſati, jamque aliquoties ad eam citati „non comparuerant (cujus contumaciæ ratione jam antehac a concioni„bus habendis fuerunt ſuſpenſi) placuit eorum cauſam examinari è ſcriptis „huic Synodo exhibitis; lectiſque eo fine inſtrumentis accuſationis, nec „non præcipuis eorundem documentis, judicatum eſt, eos prorſus ac omni„no miniſterio movendos eſſe, atque hoc judicium A. Magiſtratui, Eccle„ſiæ, & Claſſi Campenſi ſignificandum; Adhæc rogandum Magiſtratum, „placeat ei providere, ut eorum loco quamprimum alii idonei & Ortho„doxi Paſtores legitime conſtituantur; ac loco prælectionum quæ in tem„plis fiunt, conciones publicæ per omnia templa inſtaurentur.

Magiſtratus Campenſis, accepta hac Synodi ſententia, omnia templa, excepto eo quod a Fratribus nomen habet (in quo concionabantur Orthodoxi) claudi juſſit. Quod cum Remonſtrantes ægre ferrent, XX Junii die primum, quatuor diverſis locis conventus habuerunt, tum in domibus privatis, tum etiam ſub dio. cumque vim minarentur, niſi templa ſibi contingeret aperiri, Schmelſingus militiæ Præfectus in illa regione, juſſu Principis, tres eo peditum cohortes miſit, qui a tumultu & diſſidiis urbem tuerentur.

XXII Junii inſtauratus Daventriæ Senatus Scholaſticus, & Rectoratu abeunte Gualth. Sylvano, actum de vocando Iacobo Henningio, Rectore in loco cui nomen *den Dam.* qui vocationem illam accipere renuit.

XXIII Junii pro more petierunt Depp. Synodi a comitiis Ordd. ut nonnullos è ſuis ad proxime habendam Synodum Provincialem ablegare vellent, quod obtinuerunt, ea lege ut Ordinariis ipſorum Delegatis primo gravamina ibi definienda exhiberentur.

VI Julii in Claſſe Daventr. de hac Ordd. exceptione quæſitum fuit, quæ novitatem habere, eoque admitti non poſse fuit judicata. idem & reliquæ Claſses cenſuerunt. In eadem Claſse, nonnulli, qui per ſeparatas ſubſcriptiones aliterve cum Remonſtrantibus colluſiſse erant deprehenſi, examinati, & ſub reatu ad tempus relicti fuerunt.

IV Aug. his ipſis, culpam confeſſis, & meliora in futurum pollicitis, Claſſis

Claſſis ignovit, hac conditione, ut ſcripto quo eorum confeſſio continebatur, nomina ſua ſubſcriberent, quod & factum.

à XVI uſque ad XX Aug. Daventriæ Synodus fuit celebrata; in qua Præſes fuit Iac. Revius, Aſſeſſor Pet. Plancius, Scriba Io. Volcerus. hic D.D. Ordinum Commiſſarii primo proteſtati fuere ſuper eo, quod gravamina Claſſium Ordinariis Ordd. Delegatis non fuiſſent exhibita, unde potuiſſent præſentiam ſuam Synodo negare, ſed ne ea, hac rerum conſtitutione retardaretur, ſe hac vice eam voluiſſe reſpicere, ſed ſub ea expreſſa conditione, ne hæc ipſorum comparitio Dominis ſuis Delegantibus in futurum præjudicaret, neque in conſequentiam traheretur. Deinde, ſi quæ difficultates politicæ occurrerent, nolle ſe, nec poſſe de iis, niſi præhabita communicatione cum Delegantibus ſuis quicquam ſtatuere.

Reſponſum fuit nomine Synodi, præterquam quod nec in aliis, nec in hac (quod quidem ſciant) Provincia id unquam fuerit uſitatum, unde hoc tempore ea res ad novitatem ſpectare videretur, eam & inutilem Ordinibus, & oneroſam eccleſiis fore, ac talem qua libertate ſua privarentur: quandoquidem, eæ cauſæ quibus ab ipſis Ordd. remedium afferendum eſſet, antequam eo perferrentur examini D.D. Delegatorum forent obnoxiæ. conqueſtum & de eo fuit, quod Delegati Ordd. gravamina nonnulla ad Synodum Nation. deſtinata deleviſsent, ac petitum ut apud Ordd. operam darent ne deinceps Eccleſiæ illo onere gravarentur. Porro ſiquid politici occurreret, quod ipſorum Nobb. in mandatis non haberent, rogari eos ut de eo ad ipſorum Ordd. conventum referre velint.

Prælectæ fuerunt literæ Claſſis Drentinæ, quibus ea conqueritur de calumnioſis vocibus Paſtorum in Staphorſt, Ehorſt, & Camperveen adverſus religionem reformatam. Injunctum fuit Claſſi Zwollanæ quantum ad duos primos, inquirere, commiſſumne id ab iis ſit poſt reconciliationem factam in Claſſe ſuperiori. poſtremi cauſa uſque ad ejus adventum differebatur.

Citati fuerunt ad Synodum, præter hunc etiam Marcus Gualtherus, ſcholæ Campenſis Rector, & duo prælectores Iacobus Gelenius, & Petrus Bernardi, rationem reddituri eorum quæ adverſus Synodum Nationalem & legitimum ſuum Magiſtratum commiſiſſe accuſabantur. Senatus quoque Campenſis per literas rogatus, ut Miniſtros depoſitos Gerardum Arſenium & Engelbertum Poth ſua auctoritate compeſcerent, nequid amplius in Eccleſia turbarum darent.

Ad reviſionem Interpretationis Novi Teſt. loco Io. Langii, Ultrajectum vocati, a Synodo electus fuit Caſp. Sibelius.

Canones Synodi Nation. prælecti, ac ab omnibus recepti, politicis ad Synodum Delegatis ſuum quoque aſſenſum teſtantibus. qui & rogati fuerunt

apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

apud D. D. Ordd. operam dare, ut doctrina eis contenta ſola publice doceretur, ac contrariæ omnes impedirentur.

Diſſenſio inter ſynedrium Zwollanum & unum ex illius urbis eccleſiaſtis, qui in negotio factionis Remonſtrantiæ non ſatis conſtanter ſe geſſerat, injunctâ ei culpæ agnitione ac deprecatione fuit terminata.

Miniſtris qui Synodo Nat. nomine Provinciæ noſtræ interfuerant, pro fideli navata opera, gratiæ nomine Synodi actæ.

Decretum porro de ſubſcriptione Catecheſeos, Confeſſionis, Canonum Synodi Nat. de urgenda apud Senatum Campenſem apertione duorum templorum, reſtitutione actorum Preſbyterii, item ſigilli Claſſicalis & Synodalis, quæ Remonſtrantes penes ſe detinebant &c.

Lectæ ſunt literæ Marci Gualtheri Rectoris Campenſis, calumniarum & impudentiæ plenæ, quibus Synodo ſe ſiſtere, eique obtemperare renuit. unde indignus judicatus fuit qui ſcholæ regimini diutius præeſſet, & decretum ut Senatus per literas rogaretur eum officio movere, juxta decretum Synodi Nat. ab Ordd. Gener. & ipſis quoque approbatum.

Prælectores Iacobus Gelenius & Petrus Bernardi; cum & ipſi contumelioſis literis citationem ſuam eluderent, tanquam perturbatores ordinis eccleſiaſtici, & hoſtes divinæ veritatis condemnati fuere, rogatuſque Magiſtratus, ut curam gereret, nequid ab iis Eccleſia in poſterum detrimenti caperet.

Nicolaus Ioannis Miniſter in Camperveen, quod litteris ad Synodum datis, ſe a ſententia Remonſtrantium receſſurum negaſſet, neque Canonibus Synodi Nat. ſe velle ſubſcribere addidiſſet, miniſterio exauctoratus fuit, idque tum ipſi tum Satrapæ Iſelmudano per literas ſignificatum.

Miſit ad hanc Sydodum literas Henricus Ioannis, ob Orthodoxiam Gennemuda ejectus, & tunc temporis Paſtor in Ooſterwolde, quibus refert, proxime præteritis comitiis, cum ab Ordd. petiiſſet per libellum ſupplicem liberum commeatum in Satrapiam Iſelmudæ, D. D. Ordd. placuiſſe ut Satrapa Sallandiæ & Delegati ex Magiſtratu Zwollano litem inter ipſum & Iſelmudæ Satrapam componere anniterentur. addit ſe Elburgi interlocutoriam ſententiam adverſus illum obtinuiſſe, & quamvis de tranſactione nihil petiiſſet, nihilominus hac in parte voluntati D.D. Ordd. paruiſſe, & controverſiam paſſum fuiſſe componi, ea tamen lege, ut compromiſſarii apud D. D. Ordd. ſibi aliquod ſolatium pro damno accepto impetrarent. Habuiſſe eoſdem in mandatis ut & cum Gennemudanis ipſum reconciliarent. Hos vero obtuliſſe, ſe cum ipſo ſeorſim velle agere, quod tamen non feciſſent, ac verbis minacibus eorum quæ ſibi ab ipſis deberentur exſolutionem negaſſent. Petere ſe ut operam dent fratres in Synodo congregati quo ſibi ſatisfiat, ne cogeretur ad Ordd. Generales & Principem Mauritium con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

confugere, id quod illibenter eſſet facturus, ne videretur querelam inter ſe & Iſelmudanum recens ſopitam renovare velle, maxime quum periculum eſſet, ne interrogatus ea ibidem recenſere cogeretur, quæ Princeps ad ſuam injuriam pertinere eſſet judicaturus &c. Prælectæne ſint hæ literæ, & quid ſuper eis ſtatutum fuerit in ſchedis meis non invenio.

XVI Auguſt. vocatus fuit Daventriam ad Rectoratum Henricus Guthberletus, gymnaſiarcha Hammonenſis.

XIV Sept. Rector Campenſis Marcus Gualtherus à Magiſtratu ibidem officio motus fuit. Gerardus Arſenius, cum decreto Ordd. Generalium cui Miniſtri depoſiti tenebantur ſubſcribere, nomen ſuum ſubjicere negaſſet, niſi ſub eluſoriis quibuſdam conditionibus, quas in chartam conjectas Magiſtratui exhibebat, juſſus fuit ſimpliciter decreto ſubſcribere prout jacet, quod tandem fecit. cumque chartam ſuam ad ſe recipere juberetur, idque facere renueret, Conſul eam ipſo vidente laceravit, dicens, non juxta ſuam ſchedulam A. Magiſtratum, ſed illum juxta decretum Ordd. ſe gerere debere.

XXI Sept. Hypodidaſcalis ſcholæ Latinæ Daventr. Confeſſio, Catecheſis, & Canones Synodi Dordracenæ perlegendi traduntur, ut eis proximo conventu ſubſcribant.

XII Octob. Guthberletus Rectoratui Daventrienſi inauguratur. poſtridie, & ipſe, & præceptores formulis religionis ſubſcribunt. Eodem menſe typis vulgantur leges ſcholæ Daventrienſ. pro Rectore, præceptoribus, diſcipulis.

XXVII Novembr. ſtylo novo, Iacobus Revius Daventriâ vocatur ad miniſterium Eccleſiæ Leydenſis. Subſcripſerant ejus vocationi Hermannus Kuchlinus, Ludovicus de Dieu, Feſtus Hommius, Ioannes Derramout Miniſtri, Gerardus Leonarts ſenior. Delegati Daventriam ad hoc negocium procurandum fuerunt Daniel Colonius Paſtor, & Ioannes de Laet ſenior Eccleſiæ Leidenſis. verum dimiſſionem ejus non potuerunt impetrare.

XXX Novemb. Daventriæ præceptores Gallici & Belgici in formulas religionis reformatæ ſua ſubſcriptione approbandas adiguntur. XIV Decembr. Magiſtratus decreto ſancitur, nequis hac in parte ſit exemtus.

Hoc menſe Ioannes Grevius, Miniſter quondam Heuſdanus, ob Arminianiſmum in exilium ejectus, clam in hasce oras regreſſus eſt, & præter alia quæ inviſit loca, etiam Campos venit, ubi undecim clandeſtinas conciones in ædibus Remonſtrantium privatis habuit, ut in ſententia Hagæ-Comitis Anno ſeqq. adverſus eum lata, ex ejus confeſſione recenſetur.

Anno CIↃIↃCXX. IX Januar. Ill. D. D. Ordd. Generales, per Delegatos è ſuo cœtu, nec non Erneſtum Caſimirum Comitem Naſſovium, & Nic.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Nic. Schmelſingum militiæ Tranſiſalanæ Præfectum, ac alios nonnullos mutarunt ex parte Senatum Campenſem, quinque è Magiſtratu, & XXIII Tribb. plebis dignitate motis, aliiſque reformatæ religioni addictioribus eorum loco ſubſtitutis.

XXII Febr. qui dies eſt S. Petri ad Cathedram, Tribb. pleb. Daventriæ in hanc formulam, ante creationem Magiſtratus jurarunt:

„ Quos in Scabinos, Conſiliarios, & Tribb. plebis electuri ſumus, eos „nos electuros tanquam prudentiſſimos, utiliſſimos, & optimos ad bonum „civitatis noſtræ, quique defenſores ſint veræ, Chriſtianæ, reformatæ re„ligionis, ejus videlicet quæ hactenus in unitis hiſce Provinciis publice „fuit tradita, atque in Synodo Nationali Dordracena Anno cIↄ Iↄ c XIX. „approbata & ſtabilita. Ita nos Deus adjuvet.

Hoc jusjurandum exinde quotannis repetitum ac Tribb. pleb. delatum fuit, prout & inſertum viſitur libro Jurium ac conſuetudinum civit. Dav. *part.* I. *tit.* 3.

Eodem anno Petrus Holtzemius Daventrienſis Medicinæ Doctor Coloniæ in Ubiis deſcripſit *Fontem medicatum S. Antonii, vulgo Tillerborn dictum, prope Andernacum.* Coloniæ apud Herm. Mylium.

Idem vulgavit tractatum duobus libris comprehenſum, *de Prognoſi, ſive præſagiis ac prædictionibus vitæ & mortis, longitudinis & brevitatis, reſolutionis & permutationis morborum. verſu rhytmico conſcriptum, cum Exegeſi ad ſingulos verſus.* ibid. apud Grevenbrochium, cIↄ Iↄ cv.

Eſſentiam Hellebori redivivam, ſecundo extractam ſive rectificatam &c. ibid. cIↄ Iↄ cXXIII.

Pharmacopœiam ſive Diſpenſatorium Colonienſe. cui accedit

Examen ſimplicium medicamentorum Carmine rhytmico.

Nomenclaturam Chymicorum & abſtruſorum vocabulorum, cum Notis Chymicis. ibid. Anno cIↄ Iↄ cXXVII. apud Birckmannum.

De admiranda curatione ſcroti poſt gangrænam delapſi Epiſtolam. Extat *Cent.* V. *Obſervat. Chirurg. Guil. Fabricii Hildani, pag.* 250. Francof. apud Matthæum Marianum, cIↄ Iↄ cXXVII.

XXV Aprilis in Claſſe Daventr. decernitur, omnibus qui ſub illa Claſſe auctoritate publica ægrotorum viſitationi ac conſolationi vacabant, Canonibus Synodi National. aliiſque religionis reformatæ formulis ſubſcribendum eſſe.

XXIII Junii Campis Synodus celebrata fuit, ad quam quum Delegati Ordd. quod eis non fuiſſent exhibita gravamina, venire gravarentur, Deputati fuerunt Præſes & Aſſeſſor, qui eis ſignificarunt, Synodum decreviſſe

ablegare nonnullos ad conventum Ordd. qui ipſis demonſtrarent, nihil hac in parte ab hac Provincia fieri quam quod in reliquis uſitatum eſſet &c. qua audita promiſſione, (quæ Actis Synodalibus eſſet inſerenda, & cujus apographum ipſis eſſet communicandum) ut ad Synodum ſe conferrent perſuaſi fuerunt. Hic multa de modo procedendi cum pertinacibus Arminianis, de eorum, ut & Lutheranorum ac Anabaptiſtarum conventiculis (quibus ſe Remonſtrantium non pauci adjungebant) aliiſque ſimilibus acta ac ſtatuta fuerunt.

A Preſbyterio Groningano ad Claſſem Vollenhovianam pervenerunt literæ, ſcriptæ à Corn. Hillenio, quibus petebatur, ut de Engelb. Potthii (qui vehementer flagitabat ad cœnam Domini admitti, ſub promiſſione ſubſcribendi Canonibus Synodi Dordracenæ) converſatione in miniſterio Geethorniano certiores fieri poſſent. quibus reſcriptum fuit XXVIII Sept. & illegitima ejus in illam Eccleſiam irreptio, quæque de Socinianiſmo ejus fide dignis teſtimoniis conſtarent &c. fuſe fuerunt enarrata. conſilio dato, ne eum (quo videbatur tendere) ad miniſterium Eccleſiæ admitterent, niſi & viva voce & ſcripto errores ſuos revocaſſet, & eorum quæ deliquerat culpam fuiſſet deprecatus. ſcriptæ erant literæ à Gerardo Vockingio, Miniſtro Eccleſiæ Vollenhovianæ, Claſſis p. t. Scriba.

Anno CIↃIↃCXXI. XX Januarii ad Claſſem Vollenhovianam literas ſcripſit Engelbertus Poth, hiſce verbis. (vulgari idiomate) conceptas:

,, Univerſis fratribus Claſſis Vollenhovianæ, gratia, pax, & miſericor-
,,dia à Deo &c.

,, Reverendi, docti, pii ac prudentes D. D. Eccleſiaſtæ, viri fratres:
,,præmiſſa debitæ reverentiæ ſignificatione, memores vos eſſe arbitror, quo
,,pacto Geethornæ miniſterio Euangelii fungens, ante biennium aut præter
,,propter, munere meo, ob illegitimam vocationem meam fuerim amotus.
,,quæ autem eo quo ibidem vixi tempore geſta ſint, longum eſſet jam re-
,,cenſere. quod & exiſtimo ſupervacaneum fore, cum V.V. R.R. proculdu-
,,bio eorum probe memores ſint. Quum autem tempus tranſactum mecum
,,recolens, apud me deprehendam, me adverſus Deum & ſanctum ejus ver-
,,bum, adverſus charitatem Chriſtianam & ordinem eccleſiaſticum, ac ſpe-
,,ciatim adverſus V.V. R.R. verbis & factis graviter deliquiſſe, fuit id in
,,cauſa, ut, ad exonerandam conſcientiam meam V.V. R.R. per haſce ſigni-
,,ficarem, omnia quæ ibidem acta ſunt mihi ex animo dolere; rogo itaque
,,& requiro perquam demiſſe, velint R.R. V.V. (prout & ego omnibus
,,qui me offenderunt, propter Chriſtum ignovi) omnium tam in genere
,,quam in ſpecie mihi veniam impertiri, ac dictos exceſſus, ignorantiæ, hu-
,,manæ fragilitati, juvenili fervori, ac Zelo præpoſtero adſcribere.

,, Quum igitur Servator noſter Chriſtus nobis injunxerit ut ſimus amici ad-

,,adverſario noſtro cito; Matth. 5.25. ac quotidie oremus, Pater, remitte
,,nobis debita noſtra, ſicut & nos &c. Imo nullam gratiam ſperare nobis li-
,,ceat, niſi remiſerimus proximo noſtro ſuos lapſus: Matth. 6. 12. 14. 15.
,,quin & teneamur fratribus noſtris ignoſcere quotieſcunque reſipuerint;
,,Matth. 18. 22. Luc. 17. 3.4. ac deniqne jubeamur, quæcunque volueri-
,,mus ut faciant nobis homines, ita & eis facere; Matth. 7. 12. Luc. 6. 31.
,,Idcirco non dubito, quin V.V. R.R. ut Chriſtianos facere æquum eſt, pe-
,,titioni meæ ſint ſuffragaturæ, mihique bono ad haſce reſponſo gratifica-
,,turæ. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, dilectio Dei, & communio Spi-
,,ritus ſancti ſit cum omnibus vobis. Amen. Datæ Groningæ Anno CIƆ
,,IƆCXXI. XX Januarii. Subſcriptum erat:

Amicus veſter ac frater

Engelb. Poth.

XVI Martii, ſtylo novo, cum Delegati Eccleſiæ Leydenſis ad vocandum Zutphaniâ D. Henr. Fabricium, Daventriam tranſirent, de mandato ſynedrii, denuo è Iac. Revio expiſcati fuere, an non illo tempore melior ipſis affulgeret ſpes, repetita petitione dimiſſionem ejus obtinendi. quod ne tum quidem ex voto ſucceſſit.

V. Junii Magiſtratus Campenſis Marco Gualthero nuper gymnaſiarchæ civitate & juriſdictione ſua interdixerunt, ob cauſas quas anno ſequente publicarunt, ut ibi videbimus.

VI Junii Daventriæ decretum, ne qui diſcipuli ad gymnaſium Latinum admitterentur, qui concionibus ſacris intereſſe, & reformatam Catecheſin ediſcere gravarentur.

Circa hæc Nic. Schmelſingus Principis nomine Præfectus militiæ Tranſiſalanæ, accepto ſalvo conductu Archiducis Alberti, & Henrici Bergæ Comitis, Daventriâ ad aquas Spadanas, valetudinis curandæ cauſa profectus, ab octodecim Regiis equitibus apprehenſus ac Tienam Brabantiæ deductus fuit; ſed poſtquam Archidux de re tota certior factus fuit, ejus juſſu liber ad ſua reverſus eſt.

XIX Octobr. obiit Amſtelodami Ioannes Petri Swellingus Daventrienſis, qui inter ſeculi noſtri Muſicos palmam, multorum judicio, obtinuit, ſacris organis Amſtelodami ad S. Nicolai Præfectus. Edidit inſigne opus Pſalmorum Davidicorum, vocibus IV. V. VI. VII. VIII. modulatorum, aliaque illius artis ſpecimina.

Literæ Paſtorum ac Profeſſorum Genevenſium, ſcriptæ ad Synodum Tranſiſalanam, aliaſque harum regionum, XXIV Octob. hujus anni perlatæ fuerunt ad Synodi noſtræ deputatos, quas hic verbotenus referemus, ita autem habent:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,, Reverend. Viri, Domini & fratres in Chriſto conjunctiſſimi & pluri-
,,mum colendi :

,, Triſtiſſima Eccleſiæ à compluribus menſibus facies nos dudum ſuſpen-
ſos & defixos tenuit, ſollicitudine laborantium, anxietate periclitantium,
,,mœrore & luctu proſtratorum undique fratrum noſtrorum, & in viſita-
,,tionis tam diræ tempore obliti ferme curarum & diſcriminum proprio-
,,rum, effuſi in preces, gemitus, & miſerationem tot cladium, de ſpeculâ
,,noſtra attendimus numquæ ſalus Iſraëli, & tot procellarum undique con-
,,globatarum diſſipatio cœlitus appareret. Admirabundi & ſtupentes, immu-
,,nes nos, præter morem, calamitatis publicæ, & in peſtilentiſſimorum
,,conſiliorum fabricis prætermiſſos: Quum nec opinato, poſt varios ru-
,,muſculos, percrebeſcere cœpit, nihil intentatum ſectam Jeſuitarum &
,,Pontificis Miniſtros in nos reliquiſſe, ſollicitaſſe, & tantum non in per-
,,niciem noſtram expugnaſſe amicos veteres in odium religionis. Speciem
,,inſidioſiſſimæ molitioni, ab Epiſcopi reſtitutione, quæ fax fuit feralis
,,belli Gallici, quæſitam, devotionis & pœnarum æternarum metum ma-
,,gnatibus incuſſum, ſi vel fœdera antiqua tueri, vel bene meritis favere,
,,vel ſuimet ipſius & rerum ſuarum cauſa nobis auxilio eſſe in animum in-
,,ducerent. Poſtmodum copioſum militem exterum conſcribi, delectus
,,agi, foſſores magno numero cogi, expediri commeatum pecuniarium
,,& annonarium, Pontificem in partem ſumtuum & auxiliorum venire,
,,legatum primarium Clementis VIII nepotem, veluti ad bellum ſacrum
,,deſtinatum, & excidio nos, per obſidionis extrema devotos, fidis nun-
,,ciis ad nos perlatum. Eventus rei veritatem comprobavit. Circumfuſi
,,etenim externo milite, ſola adulti autumni tempeſtate reſpiramus. Interea
,,excubiis frangimur, impenſis exhaurimur, laboribus atterimur, & ſilenti-
,,bus commerciis contabeſcimus, arte proculdubio inſidioſa hoſtium no-
,,ſtrorum, ut vere redeunte impetum dudum animo agitatum in nos facilius
,,effundant. Contraximus nos in officia pietatis, Deum Patrem Dom.
,,noſtri Jeſu Chriſti ex penitiſſimis animis oravimus & oramus, ut miſeri-
,,cordiarum ſuarum non immemor, peccatis noſtris condonatis, nobis
,,propitius, pro ſolenni ſuo more, difflet iſtas minas & molitiones, nec
,,velit hanc matrem cum filiis elidi, clavum nobis in domo ſua relinquat,
,,nec, nomine noſtro uti malo deleto, nomini ſuo glorioſo apud immanes
,,hoſtes maculam & contumeliam contrahat, nec tantum alibi conflictan-
,,tibus filiis ſuis, ægritudinis & deſolationis inſanabilis per noſtrum exci-
,,dium materiem inferat. Glorificet imo virtutes ſuas ſupra demerita noſtra,
,,adverſus inſanos hoſtium truceſque inſultus & blaſphemias. Nec dubita-
,,mus fidelis populi & optimarum reliquiarum preces alte cœlum penetraſſe,
,,Dei Patris noſtri aurem advertiſſe, & decretum ſalutare expreſſiſſe. cujus
,,argu-

„argumentum equidem minime inane judicamus populi noſtri ad labores
„patientiam, in munitionibus excitandis & vallo inſtaurando indefeſſam
„alacritatem, Magiſtratus pervigilem ſollicitudinem, omnium ordinum &
„ætatum unanimem conſenſum, ad fortiter pro patria, pro libertate, pro
„Euangelio, pro exemplo pugnandum, & extrema quæque perpetienda.
„Fratrum fortiſſimorum, veſtri cumprimis imitatione, ad frangendos, di-
„vinæ virtutis robore, molares canum & leonum noſtri ſanguinis ſitibun-
„dorum, qui, ut feræ degeneres, mitis & pavidæ Eccleſiæ carnem plenis
„rictibus per otium & delicias ſecure devorare conſueverunt. Sollicitavi-
„mus dehinc fratres vicinos & fœderatos noſtros Helvetios, qui & ipſi
„per latus noſtrum petuntur, quorum ruinam noſtra de proximo traheret.
„Agnoſcunt equidem ſua pericula noſtri objectu veluti à limine facile &
„compendioſe propulſari poſſe. Sentiunt Auſtriacos, aſpirantibus ſucceſſi-
„bus, inhiare recuperationi regionis opportuniſſimæ, olim ſibi. virtute
„gentis, ereptæ; Sabaudum lacinias circumſitæ oræ de ſuo antiquo patri-
„monio repetere: Papam per ſuos emiſſarios in gentem ſimplicem & cre-
„dulam graſſantes, atrocium inter ſe diſcordiarum incendium excitaſſe:
„Sed & ipſi habent Leopoldum in armis & procinctu, cervicibus ſuis im-
„minentem, & factiones inter ſe crudas & acres. Exhauſti ſumtibus in
„lento bello Rhætico: plerique inter ipſos finitimi hoſtibus & circumſeſſi.
„Nec tamen deeſſe nobis inſtituerunt, ſed promtiſſimos animos in rem no-
„ſtram declararunt pro viribus & copia. Tantum monuerunt ut & ipſimet
„omnes noſtras opes explicaremus, & vires contenderemus, & aliorum
„etiam fratrum benevolentiam in opem pertentaremus. Quare poſt longas
„& verecundas deliberationes, induximus in animum, gentis, procerum,
„& eccleſiarum veſtrarum charitatem, olim temporibus arctiſſimis nobis
„perſpectam, denuo pulſare & retentare. Teſtem Deum appellamus, quam
„grave nobis fuerit hoc pudoris repagulum perrumpere, & detergere hanc
„verecundiæ nubeculam. Vos ſolos quippe ingentis belli molem ſuſtinere,
„vos à reliquis in vos colluviem pleramque peſtis omnium eccleſiarum de-
„rivare ultro, vos terra marique immanem hoſtem laceſſere, vos vicino-
„rum amicorum neceſſitatibus premi & dudum gravari, vos iſtis optimis
„& fortiſſimis ſtudiis & cœptis ſcopum eſſe infeſtiſſimorum odiorum, &
„in ancipiti periculoſiſſimi. Hæc certe attendimus diligenter, ſtupentes ad
„Dei miraculum & ad virtutem veſtram. Hæc fatemur ultro idonea eſſe
„comprimendæ omni audaci petitioni, imo &, ſi facultas ſuppetat, obligare
„ad conferendas opes & auxilia omnia. at vero extrema rerum noſtrarum
„neceſſitas, regni Gallici per feralem belli tumultum perturbatio, multo-
„rum amicorum per artes Jeſuiticas abalienatio, & graviſſimum illud vul-
„nus quod per noſtram internecionem inflictum iri, & vobis & Eccleſiis
„omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„omnibus Chriſti minime dubitamus, effecere ut & hanc non minimam
„miſeriæ noſtræ partem patienter devorandam judicaremus, adire fratres
„noſtros, & libere conferre conſilia de ſalute anguli iſtius adeo opportuni
„& neceſſarii, operam etiam & opem corrogare, quo imminenti naufra-
„gio, ſi Deus faverit nos ſubducamus. Nempe hanc rationem inimus, ſa-
„lute Eccleſiæ noſtræ, omnium Eccleſiarum gaudium & ſolatium, quam-
„plurimarum vicinarum ſalutem & quietem, aliarum aſylum & perfugium
„conſtare.. Omnibus certe hic exſtare, à ſchola, ab aliis rei eccleſiaſticæ
„inſtrumentis, ſtativa quædam, & armamentarium minime contemnen-
„dum. Hanc arcem in iſtis regionibus peti, ut perrupto hoc aggere, effun-
„dat ſeſe clades in intima eccleſiarum hactenus intacta, animos ferociſſi-
„mos ex noſtri everſione aſſumturos hoſtes, & noſtram veluti viſceratio-
„nem ipſis irritamento acri fore ad reliqua disjecta membra dilanianda &
„voranda. Pignore hoc mirabili curæ divinæ fidelibus ſublato, argumentum
„ſumturos faventis ſibi, vel certe ſuſque deque habentis Dei; animo ante ca-
„pimus quod deſiderium fratrum, qui mœrores, quæ in memoriam noſtram
„exprobratio, ſi paſſi fuiſſemus modicæ opis ab ipſis opportunè expetitæ
„neglectum nobiliſſimam Eccleſiam peſſundari. quare Domini & fratres
„conjunctiſſimi, Ampliſs. noſtro Senatui poſt gravem deliberationem
„D. Turretinum collegam & fratrem noſtrum ad veſtros in hanc rem deſti-
„nanti, non gravatè hoc literarium officium commodavimus, ad vos pie-
„tatis Miniſtros, charitatis adminiſtros, & omnis operis boni inter veſtros
„procuratores: per viſcera Chriſti rogantes, ut fratrem noſtrum dilectiſ-
„ſimum veſtra charitate complectamini, Mandata quæ à Magiſtratu habet,
„veſtris appellationibus & commendationibus promoveatis, corda poten-
„tiorum pulſetis, in exprimendis noſtris ſupra orationem & fidem omnem
„extremis neceſſitatibus, veſtram operam conferatis, efficiatis denique
„ut ex ubere veſtro alveo ſtillicidium aliquod ad ſiccitates noſtras derive-
„tur. Recreabitis viſcera noſtra; exultantibus ſuo numero, & fœderibus,
„& copiis ſuis hoſtibus dabitis quod opponamus & nos, habere nos fidos,
„promtos & miſericordes fratres, fœdera ſanctiſſimis argumentis pigne-
„rata. Veſtram gentem Deus in ſede impervia collocavit, ad vos derivavit
„opes gentium, copias maris, vos toti ſuæ Eccleſiæ laboranti aſylum, vos
„promtuarium extare voluit, vobis magna, vos magnos fecit: Illuſtres
„potiſſimum ſtudio illo alacris charitatis expromtæ in veſtros egenos, in
„fratres longinquos, in hoſtes olim noſtros, dum periculo à potentiori &
„communi hoſte laborarent. Veſtrarum mirabilium copiarum hoc eſt di-
„vinum diadema, communicare. Ab illo qui ſolus τὸ θέλειν largiri valet,
„largitur vero ſemper illis quibus facultatem impertit in gratia & bene-
„dictione. Per vos quamplurimis ſuperſunt multa, per neminem vobis quic-
quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„quam deeſt. Aquas veſtras multas oppoſuit Deus aquis vaſtis & frementi-
„bus Antichriſti: & uni vos hodie mœrentia corda & dejectos calamita-
„tibus Eccleſiæ Dei oculos in vos convertitis, ad recreationem, & ſpei
„melioris erectionem. Ad vos & nos accurrimus, rogantes ut petitionem
„Magiſtratus vobis per D. Turretinum exponendam, ipſiuſque omnem
„tractationem, veſtris ſtudiis & officiis quam efficaciſſimam reddere ſtu-
„deatis. Habebitis ſponſorem & muneratorem Deum Patrem communem.
„Habebitis omnes Eccleſiam noſtram novo beneficio devinctiſſimam,
„veſtra ope firmatam in fortiſſimis conſiliis & decreto. Nos vero ad Deum
„Patrem miſericordiarum, ad omnis boni largitorem perpetuas & fidas pre-
„ces fundemus, ut, quod magnum bonum, ſalutare opus in vobis & per
„vos cœpit, illud tueatur, augeat, propaget, vos omnibus Eccleſiis oſten-
„tui benigno & jucundo, hoſtibus prodigioſo terriculamento eſſe velit, ve-
„ſtras Eccleſias in puritate veritatis, in pace ſpiritus, in robore & virtute
„Chriſti magis ac magis ſtabiliat, & per veſtrum ſanctiſſimum miniſterium
„& fideles labores in diem uſque Chriſti ſtantes, florentes, & incorruptos
„conſervet. Valete in Chriſto, Domini & fratres plurimum colendi. Ge-
„nevæ XXIV Octob. CIↃIↃCXXI.

V. V. R. R. Obſervantiſſimi Paſtores &
Profeſſores Eccleſiæ ac ſcholæ Ge-
nevenſis, eorumque nomine

Ioannes Deodatus,
Simon Goulart,
Petrus Prevaſtius.

Deputati Synodi noſtræ officio ſuo in commendanda Genevenſium pe-
titione non defuerunt, ut infra videbitur. mirabiliter autem Deus O. M.
eos ab obſidione quam timebant immunes præſtitit. Licet enim Pontifex
unum è clero ſuo ad Regem Galliæ ablegaſſet, qui flagitaret, ut conniven-
tibus oculis aſpiceret, Sabaudiæ Ducem, qui cum duodecim M. peditum,
& tribus M. equitum in procinctu erat, urbem vi invadere, noluit id Rex,
ob conſiderationes politicas, permittere. quod Genevatibus ſaluti fuit.

Anno CIↃIↃCXXII. XVIII Febr. Magiſtratus Campenſis in lucem
edidit rationes cur V. Junii anni ſuperioris Marcum Gualtherum, ſuum
quondam gymnaſiarcham urbe ac territorio ſuo ejeciſſent, in quibus calum-
niarum in rempubl. & Eccleſiam, Pelagianæ, Arrianæ & Socinianæ hære-
ſeos è propriis manuſcriptis reus agitur, additurque, eum a Magiſtratu ſuper
hiſce interrogatum, adverſus conſcientiam ac veritatem horrendis execra-
tionibus ſe ipſum devoviſſe ſi ea ita haberent, atque ita coram oculis ac au-
ribus Magiſtratus ſui perjurio ſe alligaſſe, id quod, poſtquam de ſingulis

 con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

convictus eſſet, confeſſus ſit, ac flexis genibus veniam flagitarit. ſe ſententiam tunc temporis in eum latam penes ſe continuiſſe, quod meliora in poſterum de eo ſpararent; Nunc vero contraria omnia deprehendentes, ac eum in locis vicinis ubi degat in malitia ſua perſeverare certiores factos, quod & literæ ejus ult. Nov. Anno CIↃIↃCXXI. ſcriptæ ſatis ſuperque teſtentur, in quibus Magiſtratum ac univerſum regimen Campenſe ſcurrilibus dicteriis inſectetur &c. per hæc ſe adactos fuiſſe hæc ejus facinora typis evulgare, quo nequitiæ hominis obicem ponant, & ut alii ſibi à tam turbulento ſpiritu caveant &c.

Eodem tempore Daniel Pipardus Miniſter Eccleſiæ Gallo-Belgicæ Campenſis edidit tractatum, quo ea quæ de hæreſibus ac maledictis Gualtheri à Magiſtratu paucis erant indicata, ex ipſius Gualtheri manuſcriptis demonſtrat, ejuſque errores è verbo Dei refutat. excuſum fuit hoc ſcriptum juſſu & auctoritate Senatus, ejuſque præfixo privilegio munitum.

XXIII Aprilis in Senatu ſcholaſtico Daventrienſi leges ædium Cuſanæ, & Hieronymianæ prælectæ ac correctæ fuerunt, & decretum ut typis excuderentur.

XVI Julii peditum equitumque manus Grollâ egreſſa, clarâ die pecora Daventrienſium abegit, idque adverſus pacta ſuper quibus inter vicina præſidia conventum fuerat, & pollicita Decani Aldenzalienſis, qui paulo ante Daventriæ cum eſſet, Magiſtratui ac populo affirmarat, pecus eorum libere paſcendi jus habere uſque ad ult. Auguſti. Hi cum ſibi hac in parte illuſum quererentur, inventa fuit excuſatio, qua diceretur, geſta hæc fuiſſe juſſu Henrici Bergæ Comitis, qui cum particularibus præfectis præeſſet, illorum contractibus derogandi poteſtatem haberet. itaque, vellent, nollent Daventrienſes pecus ſuum numerata pecunia redimere adacti fuerunt.

Obſeſsâ hac tempeſtate à Marchione Spinula urbe Bergo-Zomanâ, cum eam Princ. Mauritius, adiutus copiis Manſveldiæ Comitis liberare decreviſſet, partem præſidiorum urbis Daventriæ aliarumq; in limite poſitarum eo avocavit, quorum loco ex Hollandiæ urbibus aliquot civium cohortes eo fuerunt miſſę.

VIII Sept. Daventrienſes nuncium accepere de invaſione hoſtium in oppidum Ommenſe. Eo Princeps miſit IX turmas equitum, ductore Randuico, quibus ejuſdem Principis juſſu addidit Schmelſingus CC. ſclopetarios, Daventriâ ac Zutphaniâ, & totidem Zwollâ petitos, quibus in hoſtem movit; qui periculo intellecto templo Ommenſi ſe concluſerat, ubi eum obſedit Schmelſingus, & vim ac tormenta bellica minatus, omnes in deditionem accepit, hac lege, ut vitâ ſalvâ, arma, equos, & quæcunque habebant traderent, ac ſtipendium menſis unius viritim redemtionis pretium exolverent, pro quo ductores eorum, donec id repræſentatum eſſet, manerent captivi. ita miles dimiſſus, ad numerum peditum octingento-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

gentorum, & xxx aut xl equitum: obſides Zwollam miſſi, noſtri cum præda ovantes Daventriam redierunt.

xxi Octob. Manſveldiæ Comes cum peditatu ſuo Daventriam appulit ubi ſex dies hæſit, interim miſſæ eo ab Ordd. Generalibus pecuniæ pro navata ipſis opera in ſolvendâ obſidione Bergo-Zomanâ, qui & donarunt eum tribus tormentis majoribus, ac totidem campeſtribus. ſumtus ab ipſo & magnatibus ac nobilibus quos ſecum habebat Daventriæ factos expunxerunt, officiariis quoque, tubicinibus, tympanotribis aliiſque liberaliter habitis. diſcedenti Meppenam currus, vehicula & commeatum ſuppeditarunt. Dum ipſe Daventriæ erat, miles ejus in navibus pernoctare fuit adactus, exceptis ægrotis, quorum ingens numerus erat, ii enim in urbem admiſſi, & perbenigne curati fuerunt.

Circa hoc tempus enituit virtus Iacobi Steenbachii Daventrienſis, centurionis maritimi, & navium aliquot ſupremi ductoris; quibuſcum menſe Majo hujus anni Orientem verſus ſolverat, navigia nonnulla noſtratium oneraria deducturus in tutum: quo feliciter confecto, in patriam cogitans, xiv Septemb. navim ad Zantenam, Græci nominis inſulam, juxta quam Claſſes fretum tranſmiſſuræ plerunque ſolent convenire, appellit. Verum à præfecto loci parum humaniter acceptus, qui eum à litore, comparandi commeatus cauſa egreſſum, arcebat, eo quod metueret nequi Belgicis navibus ineſſent infecti contagio peſtis; una cum navibus onerariis quæ ipſum comitabantur, Meliten curſum direxit, à cujus præfecto vetitus fuit ſub arce aut in portu anchoram jacere. Hinc inſulam Irim tetendit, ubi invito præfecto (nam tractus hic totus magis Hiſpanis quam noſtris favere videbatur) aqua recenti, & annona tenuiter ſatis ſuis proſpexit. Quo facto, una cum nautis inſtitutum iter peragere decrevit, & xv Octob. ſublatis anchoris, anguſtias freti emenſus, ſpatio v. dierum, vento deficiente, nihil promovit. Ubi ſimulac à Claſſe Hiſpanica quæ in ſinu Gibraltar ſtationem habebat noſtri conſpecti fuere, ejus ductor, optionem ſuum Ioannem de Fachardo cum parte navium miſit, Hollandos ſecum abducturum, quod is ſatis fideliter conatus eſt. Navis imperatoria xlviii æneis tormentis, & quingentis militibus erat inſtructa. huic adjunxerat tres naves ampliſſimas quas galeones vocant, quarum ſingulæ xxxvi. tormentis æneis, & cc. militibus armatæ erant & navem Gallicam unam, quæ xxii tormenta & c. viros vehebat. quinque haſce naves mane è ſinu Gibraltar ſolventes cum Steenbachius vidiſſet, nautas omnes ad navim ſuam convocavit, deliberaturus cum eis quid hac occaſione cenſerent agendum. Decretum autem fuit, cum navibus hoſtilibus numero pares eſſent, expectandum ſibi hoſtem, & belli aleam tentandam. xxix, cum animadverteret Hiſpanis etiamnum ſtare ſententiam ſuos invadendi, ſcapha naves ſin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

gulas circumvectus, nautas & epibatas ſigillatim, juramenti patriæ ſibique præſtiti commonefecit, tempus adeſſe quo fortiter pro vita, mercimoniis, & D. D. Ordinum honore dimicarent. pollicebatur autem ei qui vexillum è ſummitate hoſtilis mali detracturus eſſet, præmium c. regalium argenteorum. Ita ſumtis omnes animis polliciti fuere ſe ſtrenuorum militum officia facturos. quo audito animo alacri ad navim ſuam reverſus, preces publice concipi juſſit, ac exinde milites ſuos ita animavit, ut cum Duce ſuo vivere ac mori ſe paratiſſimos profiterentur. Nec verbis fides defuit, nam atroci prælio commiſſo, Hiſpani confractis navibus & CCLXXII. ſuorum intra bihorium deſideratis ſe receperunt, quos Steenbachius, ſanguinem, quo conſtratum erat mare, veluti ſemitam præ ſe habens inſecutus eſt, donec nox pugnam diremit. Poſtridie, cum è freto in altum vela dare noſtri molirentur, obvias habuerunt XVII hoſtiles naves, viam eis intercludere tentantes, quibus cum ſe imparem videret Steenbachius, conſultis nautis, ad fretum retro ſe recepit, ac Algieram curſum inſtituit: una cum XIII navibus Turcicis, quas XVII illæ naves Hiſpanæ fuerant inſecutæ, è quibus una in Turcarum venerat poteſtatem. Algieræ Steenbachius à Baſsâ, & Senatu quem Dovanam vocant prolixe acceptus Archithalaſſum Turcicum viciſſim in navi ſua magnifice tractavit. qui cum ipſo egit, ut quiſpiam Ordinum nomine legatus eo cum navibus aliquot armatis mitteretur. quod & non multo poſt factum fuit, cum Clariſs. Vir Cornelius Pynackerus honorifice comitatus eo ſe conferret, capitulationes D. D. Ordd. cum Algerienſibus renovaturus.

Anno cIↄIↄcXXIII. XVII Januarii, Steenbachius in inſulam Texeliam ſalvus cum ſalva mercatorum Claſſe appulit, ubi naviculariis ſtipendia ſolvit, ac in continentem progreſſus, coram Collegio rerum maritimarum, Ordinibus, & Principi Mauritio quæ ſibi evenerant expoſuit, à quibus quas par erat gratiarum actiones pro re bene geſta, adjunctis ulterioris promotionis promiſſis accepit, Navium porro, pro quibus tam fortiter pugnarat, Domini, torque aureo, ſexcentorum florenorum pretio, eum donavere.

Paulo ante, videlicet XVIII Decemb. cIↄIↄcXXII. reſponſum fuit à Deputatis Synodi noſtræ ad Epiſtolam Genevenſium, in hæc verba:

„ Reverendis & Clariſſimis Viris, Paſtoribus & Profeſſoribus Eccleſiæ „ac ſcholæ Genevenſis, Dominis ac fratribus in Chriſto obſervandis.

„ Reverendi & Clariſſimi Viri, Domini & fratres in Chriſto colendi; „Annus eſt quod nobis literæ veſtræ calamitatis nunciæ, conſtantiæ teſtes, „fraterni affectus indices, graviſſimiſque verbis & ſententiis plenæ redditæ „ſunt. Quanquam autem proprios dolores noſtrarum rerum haberemus, ta- „men veſtræ civitatis miſeriis non poteramus non commoveri: conſtantiam „etiam & firmitatem animi veſtri mirati ſumus, ob ἑνότητα ſpiritus, ὁμόνοιαν

& af-

,,& affectum ἀνυπόκριτον exultavimus lætitia, & triumphavimus gaudio. Et
,,dolet nobis, quod è veſtigio primaque die reſponſum dare non licuit, præ-
,,ſertim quia nihil homini amico opportuno eſt amicius. Sed temporis &
,,neceſſitatis excuſatio nos facile defendet. Conſcriptæ erant literæ ad ve-
,,nerandam noſtram Synodum, quæ tertio demum anni quadrante cogeba-
,,tur: Hanc deſideria & benevolentiam veſtram celare reverentia prohibe-
,,bat, pietas & æquitas diſſuadebat. Stato ergo tempore literæ veſtræ in ſo-
,,lenni noſtro & anniverſario conventu lectæ, & cum altis ſuſpiriis, magno-
,,que fratrum applauſu exceptæ ſunt. Atque ut vobis de Tranſiſulanarum
,,Eccleſiarum συμπαθεία & propenſa voluntate conſtaret, in mandatis no-
,,bis dederunt, ut Epiſtolæ veſtræ literis humaniſſimis reſponderemus. Me-
,,mores ſumus (credite nobis viri fratres) vinctorum tanquam una cum
,,illis vincti. ægritudine afficimur propter contritionem Joſephi, per la-
,,tera veſtra noſtras Eccleſias peti videmus, agnoſcimus, dolemus. Dolo-
,,rem dolori addit, quod totam Antichriſti turbam in perniciem ſponſæ
,,Chriſti conſpiraſſe, callida & periculoſa conſilia cepiſſe, vireſque omnes
,,collegiſſe & eduxiſſe; contra, contribules non paucos inter duas ſarcinas,
,,audiendo ſibila gregum deſidere, paucos ſerio bonaque fide in aſſerenda
,,Filii Dei gloria laborare videamus. Experientia ſtultorum Magiſtra vel
,,nobis tacentibus docet, quæ & quanta hinc malorum Ilias orbem Chri-
,,ſtianum circumſtet: animi diſſociantur, federa ſancta franguntur, Eccle-
,,ſiæ diſſipantur, innocentes & inermes in exilium pelluntur, civitates ever-
,,tuntur, in regnis & regionibus pax, in templis veritas, in foro leges ſilent.
,,Quis, vel micam pietatis & humanitatis habens, iſta ſiccis intueri oculis
,,ſuſtineat? Illud vero nos erigit, quod non poſſint detegi ex cordibus ho-
,,rum ignavorum & meticuloſorum cogitationes, niſi ubi Chriſtus, qui in
,,ſcopum poſitus eſt, certatim in membris ſuis à contradicentibus figitur.
,,Certo etiam & ſancto conſilio cuſtos ille Iſraëlis auxilia ſociorum ſubtrahit,
,,ut ad ipſius præſidium, tanquam ſacram anchoram confugere pii diſcant.
,,Qua in re ſi quæ aliæ, næ veſtra Eccleſia laudem meretur, quæ ut tugu-
,,rium in vinea, ut tegillum in cucumerario, ut civitas obſeſſa reliqua facta,
,,omne ſuum præſidium in Dei potentia, fidem & ſpem in benignitate ejus
,,jam à multis annis probatâ, robur in precum & gemituum ſanctorum
,,ſcuto collocat. Quamdiu ex hoc propugnaculo hoſtem adorti fueritis,
,,non eſt quod vobis ab hoſte metuatis. Bene tamen facitis, quod, Deo pla-
,,cato, cœloque vobis propitio reddito, Deum per media agere, ac defen-
,,ſionem ſuis præſtare, agnoſcatis. Quapropter non reprehenſione, ſed lau-
,,de digni eſtis, non inverecundiæ, ſed pervigili ſollicitudini & Chri-
,,ſtianæ pietati dandum eſt, quod collectis & explicatis veſtris opibus & vi-
,,ribus, etiam fratrum veſtrorum & federis ſociorum fores & corda pulſetis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„eoſque in auxilium vocetis. Et tantum abeſt ut vitio hoc vobis vertere „potuerimus, ut potius inſpectis & lectis veſtris literis, petitionem veſtram „in ſinum procerum noſtrorum humiliter exoneraverimus, neceſſitatem & „pericula Eccleſiæ Genevenſis (quæ à multis retro annis plurimarum ma„ter, exulum aſylum, & pietatis ac veritatis hoſpitium dici meruit) fideli„ter expoſuerimus, ac, ut ex ubere divitiarum ſuarum fonte rivulum be„nedictionis ad eam derivent, reverenter adhortati fuerimus. Neque abiit „in fumum pia noſtra ſollicitatio, ſed animos Patrum patriæ expugnavit, „ac ſubſidium levidenſe expreſſit. Illud vero quantum quantum ſit, Am„pliſs. veſtro Senatui bonâ fide traditum, & ſerenâ fronte ab eodem ac„ceptum eſſe confidimus. Noſtis, viri fratres, quam res noſtræ in acie „(quod dicitur) novaculæ ſint, quo cum potente & aſtuto hoſte ne„gotium nobis ſit, & quam nihil intentatum ille relinquat, ut memo„riam nominis Jehovæ & populi noſtri deleat. Hinc ſumtibus ita ex„haurimur, ut non ea quam optamus & par eſt liberalitate erga alios uti „valeamus. Æqui ergo bonique conſulite exiguum illud quod ad ſuble„vandam veſtram neceſſitatem à noſtris proceribus profectum eſt. Nos „precibus noſtris juſtam veſtram cauſam ſupremo judici & vindici com„mendabimus, eâ lætâ ſpe freti, illum veſtram civitatem ab hoſtium ir„ruptione, gregem ſuum à luporum rapacium invaſione gratioſe vindica„turum. Valete, Reverendi, Clariſſimi Viri fratres, & nobis ex animo „colendi. Dominus vos ſuo præſidio tueatur, Spiritu ſuo gubernare „pergat, & ſanctiſſimis veſtris laboribus benedicat. Ita vovemus ex animo.

V. V. Revv. Obſervantiſſimi Fratres, Deputati Synodi Tranſiſulanæ, &c.

Zwollæ XIII Kal. Jan. CIↃIↃCXXIII.

XIX Decembr. cum innotuiſſet Deputatis ſynedrium Campenſe agere cœpiſſe cum Thoma Goſuinio, ſuper ejus cum Eccleſia reconciliatione, literas eo miſerunt, quibus petunt, ut cum ille à Synodo Tranſiſalana ob heterodoxiam & multa offendicula reatui fuerit ſubjectus, ab ulteriore cum eo collatione deſiſterent, eique ſerio injungerent, ut confeſſionem ſuam ſcripto comprehenſam ad Synodum dirigeret, & Deputatis Synodi eidem exhibendam traderet, quo debito ordine in ejus negocio procedi poſſet. Reſponſum fuit à Campenſibus, ea quæ ab ipſis in hoc negocio geſta eſſent, ſummopere facere ad ædificationem & tranquillitatem Eccleſiæ ac populi Campenſis, ſeque fructum non contemnendum ex eis concepiſſe &c.

Ineunte Anno CIↃIↃCXXIII. Thomas Goſwinius, qui cum aliis nonnullis Remonſtrantium concionatoribus Anno CIↃIↃCXIX. in exilium ejectus fuerat, poſt multas ſollicitationes certis conditionibus Campis poſt-

liminio

liminio admiſſus fuit, conſentientibus Ordd. Generalibus & Senatu Campenſi. quæ de hac re ad manus meas pervenerunt hæc ſunt:

Scriptum Thomæ Goſwinii:

„ Quandoquidem Delegati à Rev. Preſbyterio Eccleſiæ Chriſti in urbe „Campenſi Rev. D. Petrus Plancius Miniſter ibidem S.S. Euangelii, & ho-„noratus Vir Mag. Gualtherus Wiſſing ſenior, mihi iterato Hardervici XIII „Decemb. cIↃ IↃ c XXII. nomine dicti Preſbyterii pro certo aſſeruerant, fore „ut me in notis quinque Articulis tolerarent, neque litem moverent ſuper „iis quæ Philippus Melanchthon de illo argumento in locis ſuis commu-„nibus tradidiſſet, ac proinde ex me ſciſcitati fuerant, qualeſnam eſſent diffi-„cultates, de quibus viva voce, conceſſo libero commeatu cum ipſis agere „deſideraſſem, eo fine ut ex iis extricari poſſem, iiſdem ſequentes difficul-„tates propoſui:

„ 1. Quoniam non ſolus ego ab auditu verbi divini emanerem, ſed & „varia membra Eccleſiæ, ut dicta ſententia non in me modo toleretur, nec „mihi ſoli ſuper illa lis non moveatur, verum etiam ut eadem ſententia in „omnibus hactenus ſeparatis Eccleſiæ membris lubenti animo toleretur, „neque iis ſuper illa lis moveatur, ut & illi & ego pro fratribus in Chriſto „agnoſcamur, ea viciſſim lege ut ſinguli ex ſua parte aſſerant, nihil ſibi ul-„terioris controverſiæ cum reformata Eccleſia intercedere, præter eam quæ „eſt in quinque notis Articulis.

„ 2. Ut in concionibus caveatur, ne ad cujuſquam perturbationem ſen-„tentia Melanchthonis circa quinque notos Articulos traducatur.

„ 3. Ne omnes illi qui declarant ſe Melanchthoni in dictis Articulis „aſſentiri, odioſis Arminianorum aut ſimilibus nominibus appellentur, aut „tecte depingantur, qua agendi ratione, meo judicio mutua concordia im-„pediri, aut inita jam labefactari facile poſſet.

„ Si Reverendo Preſbyterio Campenſi placuerit, ſcripto me certiorem „reddere, ſe jam propoſita accipere, eaque obſervatum iri, declaro pro „mea perſona, me illa conditione in Eccleſia Chriſti Campenſi ad publi-„cum auditum verbi divini acceſſurum. Actum ut ſupra.

„ Hæc omnia inter nos amice peracta teſtamur manibus noſtris pro-„priis.

Thomas Goſwinius.

„ Fatemur hæc omnia coram nobis acta, deputatis ad audiendnm & re-„portandum.

Petrus Plancius P. F. Eccleſiaſtes Campenſis.

Mr. Gualterus Wiſſinck ſenior.

„ Sen-

„ Sententia mea ſuper quinque Articulis, quam cenſeo convenire cum „iis quæ Philippus Melanchthon de hac materia in locis ſuis communibus „tradidit, talis eſt:

„ Univerſo genere humano in Adamo lapſo in corruptionem ac damna-„tionem, Deum jus habuiſſe, ſecundum juſtitiam ſuam id in calamitoſo „illo ſtatu relinquendi.

„ Sed ei volenti abyſſum impromeritæ ſuæ miſericordiæ in lapſo genere „humano manifeſtare, viſum fuiſſe, juxta beneplacitum ſuum pro eo me-„dium parare, per quod homines denuo poſſent ex ejuſmodi miſeria libe-„rari, ac ordinaſſe in eum finem Filium ſuum unicum ac dilectum in Ser-„vatorem.

„ Benignum ac miſericordem Deum, pro beneplacito voluntatis ſuæ, „æternum ac immutabile decretum condidiſſe, non aliis quam credentibus „paratæ in Chriſto ſalutis participes faciendi, excluſis juſte ab ea omnibus „infidelibus, inobedientibus, impœnitentibus.

„ Ut tale decretum executioni mandari poſſet, Deus miſericors Filium „ſuum miſit, qui per ſacrificium mortis ſuæ ſufficientem ſatisfactionem „præſtitit pro omnibus hominibus in miſeria & condemnatione jacen-„tibus.

„ Verum, ne quis ſibi imaginari poſſet, gratiam ejuſcemodi per mor-„tem ac ſacrificium Chriſti acquiſitam, unicuique profuturam, ſive is cre-„deret, ſive non crederet, revelavit Dominus Deus in verbo ſuo, omnes „illos qui credunt in Chriſtum, beneficiorum morte ejus acquiſitorum „participes fore, qui non credunt, non modo iis privandos, ſed & dam-„nandos eſſe, quandoquidem Chriſtum mundi Servatorem contemſerunt „ac rejecerunt.

„ Fidem ejuſcemodi, per quam ſolam beneficiorum Chriſti ad ſalutem „poſſumus fieri participes, nemo à ſe ipſo aut per proprias ſuas vires ha-„bere poteſt, ſed eſt ea omni ex parte merum ac gratuitum donum Dei, „quod Spiritus Sanctus in hominum cordibus operatur, per prædicationem „verbi divini.

„ Verbum hoc jubet Deus unumquemque audire, & omnia credere quæ „in illo ſunt revelata, quo ad præparatam & oblatam ſalutem perveniat.

„ Non modo perducit Deus per miniſterium verbi ſui homines ad fidem „ſalvificam, ſed & plenè gratiam conferre vult, ad perſeverandum in fide illa „uſque ad finem, docens paſſim, quibus in rebus quiſque ſe debeat exer-„cere quamdiu eſt in carne hac morti obnoxia, & à quibus ſibi cavere de-„beat ne ſe ipſum gratia divina privet, docens itidem, quid tempeſtivè ei „faciendum ſit, poſtquam in peccatum aliquod fuerit prolapſus.

Subſignatum erat: *Thomas Goſwinius.*

„Ego

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ Ego infra ſcriptus, Th. Goſwinius promitto ac certifico hiſce præſenti-
„bus, ſi Potentiſs. D. D. Ordd. Provinciarum uniti Belgii clementer placue-
„rit, perſonæ meæ per eaſdem Provincias unitas & earum territoria liberum
„commeatum concedere, me promtum ac paratum eſſe, decreto quod
„Potentiſs. eorum Dominatt. exauctoratis concionatoribus Anno CIↃ
„IↃCXIX. propoſuerunt, ſubſcribere, meque plenè juxta ejus tenorem
„gerere; durante tempore quo mihi commeatum illum permittere ipſis vi-
„ſum fuerit. Conſequenter etiam polliceor, ſi Magiſtratus civitatis Cam-
„penſis, ad ſeriam meam petitionem, mihi gratioſe conceſſerit, ut durante
„ſalvo conductu à Potentiſs. D. D. Ordd. impetrato, in ipſorum urbe ſe-
„dem figam, ſub ſpe, per Dei gratiam arctius me cum Eccleſia Chriſti ibi-
„dem reconciliandi, me Articulis mihi a Reverendo ibidem Preſbyterio
„propoſitis ſincere & bono animo obſequuturum, juxta ſubſcriptionem
„à me quoad hoc jam factam. meque civitati Campenſi, ejus civibus ac in-
„colis fidum futurum, nullum motum, ſeditionem, clandeſtina aut publica
„vetita & indebita conventicula cauſaturum, eiſve adhæſurum. Quod ſi
„ullo tempore deprehenſum fuerit, me aliter quam juxta tenorem prædicti
„Potentiſs. D. D. Ordd. decreti, & promiſſionem a me præſtitam actio-
„nes meas inſtituere, impetrato libero commeatu de facto cenſebor exci-
„diſſe, atque etiam in alias pœnas, pro judicii cenſura incidiſſe. Omnia
„citra dolum malum. In veram dictorum fidem hiſce propria manu no-
„men meum ſubjeci. Actum in urbe Elburgenſi, IV Januarii, Anno
„CIↃIↃCXXIII.

Conditiones D. Thomæ Goſwinio, nomine ſynedrii Campenſis propoſitæ, cum ipſius reſponſis.

„ 1. Ut dictus Thomas diligenter quotidie ad auditum verbi divini ac-
„cedat, ipſe cum tota domo ſua, nec non etiam alios hactenus emanentes,
„eodem adducere ſatagat.

„ 2. Ne de doctrina & confeſſione noſtra, neve de ejuſdem doctoribus
„contumelioſe aut contemtim loquatur: ſed honorem eorum ſemper ſtu-
„deat defendere.

„ 3. Ut omni occaſione notum faciat, nos corde ac ore rejicere, pro-
„ut & ſemper cum reformata Eccleſia rejecimus, abominationes illas, qua-
„rum nomine complures a nobis ſine cauſa fuerunt averſi.

„ 4. Neque Chriſtianæ noſtræ religionis capita privatim de iis inter-
„rogatus, in diverſam ac repugnantem ſenſum explicet, ab eo qui in hac
„noſtra Eccleſia publicè docetur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Subſcriptæ erant:

„ Primam conditionem recipio me pro virili mea obſervaturum, ex-„cepto, ſi me incidentes aliquæ occupationes impediverint.

„ Ad reliquas ſimplici affirmatione reſpondeo, ac declaro me adhærere „Confeſſioni Belgicæ, olim a me ſubſignatæ, neque nomen Philippi Me-„lancthonis a me uſurpabitur, ad vitandum ſchiſma.

Thomas Goſwinius.

Hæc qualiſqualis reconciliatio Goſwinii non eum fructum attulit qui ſperabatur, nam nec ipſe ſe in totum reformatæ Eccleſiæ adjunxit, nec ex Remonſtrantibus multi ejus exemplum ſequuti ſunt, ſed contumelias magis & odia eorum in ſe concitavit, nec Preſbyteria reliquarum civitatum eandem hac in parte cum Campenſibus viam inſtitere, quorum unum, Daventrienſe videlicet, Magiſtratum ſuum ſcripto rogavit, ut ſiqui Remonſtrantium ejectorum vel ipſi vel per alios liberum commeatum forte petituri eſſent, ne eis is in ipſorum civitate concederetur, antequam plene & ſine ulla reſtrictione Eccleſiæ Dei fuiſſent reconciliati, & ſufficientibus indiciis de eorum converſione conſtaret. idque obtinuerunt XI Febr. hujus anni.

Everardus Voſculius & ipſe placito Ordd. ſubſcripſit, & in Hollandia domicilium fixit.

II Aprilis comparuit in conventu Deputatorum Synodi Tranſiſalaniæ Wilhelmus Baudartius Miniſter Eccleſiæ Zutphanienſis, ac nomine Deputt. Synodi Gelricæ varia propoſuit, ſuper modo & conditionibus recipiendi eos qui ab Arminianiſmo ad Eccleſiam reformatam reverterentur. ea Deputati Synodi Tranſiſalanæ per duos ex ipſorum numero ſingulis ſuæ Provinciæ Claſſibus indicanda, & fratres Gelros de ſucceſſu tempeſtivè certiores faciendos decreverunt.

V. Maji ſtylo novo. Deputati Synodi Noort-Hollandiæ literas dederunt ad Depp. Synodi Tranſiſalanæ, quibus ſuo & aliarum quarundam Eccleſiarum, quarum maxime intererat, nomine, ſuper modo receptionis Remonſtrantium qui cum Eccleſiis reconciliari peterent, conſultum fore judicant, ut conventus quaſi Synodalis haberetur Amſtelodami a. d. XVII Maji proxime inſtantem, ad quem ut duos è ſuo numero ablegare velint rogant, quo in re tanti momenti æqualitas deinceps obſervari poſſet.

XIII Maji, patefacta immani adverſus Principem Mauritium conſpiratione Ordd. Generales diploma miſerunt ad Ordd. Tranſiſalaniæ, quo diem jejunii & precum ac gratiarum actionis ſe in diem ejuſdem menſis XXXI. per univerſum Belgium federatum indixiſſe ſignificant, eumque & ab ipſis publicari ac obſervari deſiderent.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Inter exauctoratos & in exilium actos Miniſtros partis Remonſtrantium in civitate Campenſi præter Goſwinium & Voſculium erat etiam Io. Schotlerus, qui Steinfurti domicilium ſibi delegit, ubi annis proxime elapſis ſe continuit, ſtipendia trahens ex ærario communi Arminianorum. Is XVI Maji hujus anni literas dedit ad Caſparum Sibelium Eccleſiaſtem Daventrienſem, quibus petit, ut ſua vice apud Delegatos Ordd. interveniat, quo ſibi liber commeatus concederetur, in ipſorum ditionem ſe conferendi, ac ipſorum Nobb. adductis rationibus ſatisfaciendi, quo ex eo ſtatu in quo aliquantiſper vixiſſet exauſpicari poſſet &c. Hæ literæ, quod generalibus, atque, ut videbatur, ambiguis verbis conceptæ eſſent, ſine reſponſo fuerunt ſepoſitæ.

XXVI Maji Io. Schotlerus alteras literas ad Sibelium dedit, quibus animi ſui propoſitum, de deſerenda ſocietate Remonſtrantium, ſeque poſtliminio Eccleſiæ reformatæ adjungendi aperit, rationes luculento ſcripto conſignatas ad eum mittit, petitque ut eas primo Magiſtratui Daventrienſi communicet, ac apud eum interveniat, ut in ea civitate admitti poſſit. Scriptum Schotleri, quia conſervari meretur, hic verbotenus è Belgico verſum ſubjungemus:

„ Rationes firmæ ac ſolidæ,
„ Quare Ioannes Schotlerus, nuper Eccleſiaſtes Campenſis, relicta ſocietate
„ Remonſtrantium, ſe poſtliminio adjungit Eccleſiæ reformatæ.

„ Traditæ
„ Nobb. ac Pott. D. D. D. D. Delegatis equeſtris Ordinis ac civitatum
„ Provinciæ Tranſiſalanæ, D. D. ſuis colendiſs.
„ Anno CIↃIↃCXXIII menſe Majo.

„ Paulus Eph. 5. 11.
„ *Ne participate opera infrugifera tenebrarum, ſed potius etiam arguite.*

„ Nobiles Potentes Domini,
„ Ego ſubſcriptus ſervus Jeſu Chriſti, in conſcientia mea me coactum ſentio, Nobb. Pott. V.V. hoc meo ſcripto obedienter compellandi, demiſſe obſecrans, ut mihi oſtium gratioſæ audientiæ & veſtræ clementiæ aperiatur.

„ Poſtquam, Nobb. ac Pott. D.D. octo retro annis ſub generoſo Comite ac Domino Adolpho Comite in Benthem &c. in Eccleſia reformata Euangelium ſingulari cum fructu, citra offendiculum, & ſacramenta ſecundum Chriſti inſtitutionem, atteſtantibus id tum D. Comite, tum univerſa Claſſe, docui & adminiſtravi, tandem, præcedente vocatione, in loco cui nomen Camperveen ad miniſterium Eccleſiaſticum promotus fui, ubi ſeſquianni ſpatio, non ſine ædificatione, Deo benedicente, munere meo perfunctus fui. Exinde triennii tempore Campis inter Remon-

,,ſtrantes (ut vocantur) concionatorem egi atque ita ad aliquot annos ab
,,Eccleſia reformata (proh dolor!) ſeparatus fui, meque cum uxore & quin-
,,que parvulis liberis peregrè continui. Id quod (Nobb. ac Pott. D. D.)
,,factum non fuiſſet, ſi mihi de ſcopo Remonſtrantium, eorumque calli-
,,dis conſiliis conſtitiſſet. Quum autem experientia doceat, mutuam eorum
,,tolerantiam nihil aliud eſſe quam mantelum opinionum eorum ſcandalo-
,,ſarum, ac pernicioſarum, & attentati ab ipſis dominii, non eſt quod quiſ-
,,quam miretur, me relicta Remonſtrantium ſocietate me poſtliminio ad-
,,jungere Eccleſiæ reformatæ, a qua multa, tam ſpiritualia quam corporalia
,,beneficia accepi.

,, Quod jam primo attinet doctrinam Remonſtrantium, verum eſt, mul-
,,tos eorum urgere, nullum in novo Teſtamento debere eſſe Magiſtratum,
,,adverſus Scripturam Rom. 13. 1. 2. 3. 4. 5. *Omnis anima poteſtatibus ſuper-*
,,*eminentibus ſubjecta eſto &c.* 1 Pet. 2. 13. 14. *Proinde ſubjecti eſtote cuivis hu-*
,,*manæ ordinationi propter Dominum* &c.

,, 2. In Novo Teſt. nullos eſſe debere Doctores. quo ipſo Sacroſanctum
,,miniſterium funditus aboletur. adverſus doctrinam Novi Teſt. Rom. 12.
,,7. 8. *Sive* (habentes) *miniſterium,* verſemur *in miniſtrando: tum is qui docet*
,,*in docendo.* Eph. 4. 11. *Is igitur dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas,*
,,*alios autem Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores &c.* v. & 1 Pet. 4. 11.
,,1 Tim. 3. 1. & 5. 17.

,, 3. Facultates debere eſſe communes, ſicut tempore primorum Chri-
,,ſtianorum. Act. 4. 32. Verum non vident hi homines, non fuiſſe illud
,,præcepti, ſed liberæ uniuscujusque voluntatis, dicente Petro Ananiæ &
,,uxori ejus Act. 5. 3. 4. *Anania, cur implevit Satanas cor tuum ut mentireris in*
,,*Spiritum Sanctum, & interverteres ex pretio iſtius prædii? Nonne ſi ſervaſſes ma-*
,,*nebat tibi, & venundatum erat in tua poteſtate?*

,, 4. Et quandoquidem plerumque error errorem parit, verum quoque
,,eſt, multos S. S. Trinitatem in dubium vocare. adverſus textus qui do-
,,cent Deum unum eſſentia, & trinum perſonis eſſe. 1 Cor. 8. 6. Eph. 4. 6.
,,Matth. 28. 19. 2 Cor. 13. 13. 1 Io. 5. 7.

,, 5. Ut & ſatisfactionem Chriſti, quam inter alia, hæc Scripturæ loca
,,confirmant: Eſ. 53. 4. *Veruntamen morbos noſtros ipſe pertulit, & dolores ipſos*
,,*noſtros bajulavit* hoc eſt, pœnas peccatorum noſtrorum in ſe recepit. hunc
,,enim verum ſenſum eſſe verborum Prophetæ, patet ex Levit. 5. 1. *Cum pec-*
,,*caverit quiſpiam, & audierit vocem blaſphemiæ, cujus ipſe teſtis ſit, ſive viderit,*
,,*ſive cognoverit; ſi non indicet, utique feret iniquitatem ejus.* id eſt, iniquitatis
,,pœnam. v. & Lev. 19. 8. & 20. 17. Thren. 5. 7. Ezech. 18. 20.

,, 6. Peccatum originis: adverſus totum cap. v. Pauli ad Rom. Niſi
,,enim ineſſet homini hoc peccatum, aut niſi eo infectus eſſet, non eſſent
,,morti

,,morti obnoxii etiam infantes. hinc patet ineſſe eis peccatum originale.
,,Rom. 5. 14. *Regnavit autem mors ab Adamo uſque ad Moſen, in eos etiam qui*
,,*non peccaverunt ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, &c.*

,, Quum ergo Nobb. Pott. D.D. demonſtratum ſit, dictos Articulos in
,,verbo divino fundatos eſſe, iique ſemper in Eccleſia Chriſti fuerint traditi,
,,& à tot Chriſtianorum millibus recepti, jamque multi Remonſtrantium
,,ab eis deflectant, eoque novum ſchiſma, ad perturbationem reipubl. in-
,,vexerint, me hujus meæ ab illis ſeparationis ſufficientes cauſas arbitror
,,habere, dicente Paulo Rom. 16. 17. *Precor autem vos, fratres, ut obſervetis*
,,*diſſidiorum & offendiculorum auctores contra doctrinam quam vos didiciſtis: & de-*
,,*clinetis ab eis.*

,, Siquis dixerit, ſufficere ſolam prædeſtinationem ad fovendum tale
,,ſchiſma, ei reſpondeo, me quoque fuiſſe in illa ſententia: verum ſi recte
,,prædeſtinationem intellexiſſem, in reformata Eccleſia perſtitiſſem, neque
,,doctrinæ prædeſtinationis fuiſſem oblocutus, nedum calamum adverſus
,,eam ſtrinxiſſem. Ignoravi ſiquidem, negato electionis Articulo, prout ea
,,in Eccleſia reformata docetur, conſequens eſſe, ut negetur Deus omnia
,,infallibiliter præſciviſſe. magnum autem peccatum eſt ita de Deo ſentire.
,,quum autem doceat Scriptura Deum omnia certo prænoviſſe, oportet
,,prædeſtinationem quam Eccleſia reformata docet immotam conſiſtere.
,,Idque mihi demonſtrandum ſumo:

,, Si Deus infallibiliter prænovit quæcunque ab hominibus fiunt, neceſſa-
,,rio ſequitur, omnia antequam fiant in ſeſe certa & infallibilia eſſe, & juxta
,,decretum divinum eventura: Atqui Deus præſcit quæcunque ab homini-
,,bus fiunt; ſequitur ergo omnia antequam fiant, in ſe ipſis certa & infal-
,,libilia eſſe, ac conſequenter, juxta Dei decretum eventura.

,, In propoſitione duo veniunt probanda. 1. Deum omnia præſcire.
,,2. Inde ſequi, omnia antequam fiant in ſeſe certa & infallibilia eſſe, ac
,,conſequenter eventura.

,, De primo, præſcire videlicet Deum omnia, perſpicue docet Dei ver-
,,bum: Pſalm. 139. 2. Eſ. 41. 23. & 44. 7. & 48. 3. 5. Dan. 2. 45. & 7.
,,8. 9. Capp. Eſ. 46. 9. 10. Hiſtoria Suſannæ & Danielis v. 42. Syrach
,,23. 29. Jo. 14. 29 Ita Deus præſcivit multorum Apoſtaſiam. Matth. 24.
,,10. 11. 1 Tim. 4. 1. item mortem Chriſti. Act. 3. 18. & peccatum An-
,,tichriſti. 2 Theſſ. 2. 3. &c. quibus ex locis Wicleſus hoc argumentum
,,formavit: Scivit Deus Antichriſtum peccaturum, ideo & peccabit. con-
,,ſequentia legitima eſt; & antecedens neceſſarium, quamobrem etiam con-
,,ſequens neceſſarium eſſe oportet. Argumentum hoc uſque adeo firmum
,,ac ſolidum eſt, ut Armacanus per annos viginti in eo ſolvendo ſe fatigarit,
,,ſed nullum reſponſum refutationi accommodum potuerit reperire; ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„tandem, vi argumenti coactus, dixerit: Deum poſſe in ſuâ præſcientia „errare. id quod citra blaſphemiam adverſus ſolum ſapientem & omniſcium „Deum, dici non poteſt.

„ Idem alio efficaci argumento poteſt evinci:

„ Quicquid Spiritus Sanctus prædixit, id oportet fieri,

„ Prædixit Spiritus Sanctus, Judam Apoſtolum Chriſtum Magiſtrum „ſuum proditurum, & Judæ adminiſtrationem alium accepturum.

„ Id ergo fieri oportebat.

„ Propoſitio indubitata eſt:

„ Aſſumtio probatur ex Pſal. 41. 10. & 69. 26. & 109. 8. vaticinium „oportebat impleri. Io. 13. 18. & 17. 12. Act. 1. 16. 17. 20.

„ Firma ergo eſt concluſio.

„ Secundum, nempe è præſcientia Dei ſequi, omnia antequam fiant in „ſeſe certa & infallibilia eſſe, ac proinde fieri debere, hoc modo demon„ſtratur: Non potuit Deus omnia certo præſcire, poſito quod eſſent in„certa. quod enim incertum eſt id certo præſciri nequit. ſive: nullum fu„turum poteſt præſciri niſi vere futurum ſit. Teſtatur id quoque Aug. lib. 15. „de Trinit. c. 13. *Non ideo novit Deus creaturas quia ſunt, ſed ideo ſunt quia ille* „*novit*. Quicunque id quod dictum eſt impugnant, ajunt, non ideo rem „quampiam eſſe futuram quia eam Deus prænovit, ſed Deum eam noviſſe „antequam fieret, quia erat futura. Unde liquet Doctores hoſce cauſam „rerum futurarum ponere in homine ejuſve voluntate. falſo, quia infalli„bilis præſcientia Dei hominis creationem ejuſque voluntatem antecedit, „& ab æterno in Deo fuit. quomodo igitur id quod adhuc futurum erat „cauſa divinæ præſcientiæ eſſe poteſt?

„ Quæ cum ita ſint, Nobb. ac Pott. D. D. profiteor me nihil adverſus „Eccleſiam reformatam habere, à qua peto in nomine Ieſu Chriſti poſtli„minio recipi. Fieri ſiquidem poteſt, ut Doctores ad tempus à ſe invicem „ſejungantur, ac denuo, Deo volente, mutuam communionem colant. pro„ut videre licet Act. 15. 36. 37. 38. 39. 40 41. in Paulo & Marco. Quam„vis enim illi ad tempus à ſe mutuo diſtracti fuerint, nihilominus in amici„tiam denuo coierunt, & conjunctis operis Eccleſiæ Chriſti ædificandæ „incubuerunt. v. Col. 4. 10. item Tit. 4 11.

„ Hactenus demonſtravi vobis, Nobb. ac Pott. D. D. doctrinam Re„monſtrantium mihi anſam porrigere, ſocietatem ipſorum deſerendi: cui „accedit immanis ac horrenda improbitas imo impietas ad quam nonnulli „ex eorum Miniſtris aliique complures prolapſi ſunt. quæ cum orbi uni„verſo notiſſima ſit, licet mihi improbis hiſce hominibus applicare ſequen„tes ſententias: Io, 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis, & cupiditates patris veſtri* „*vultis exequi*. *Ille fuit homicida à principio, & in veritate non perſtitit &c.*

„Rom.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„Rom. 3. 15. 16. 17. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Contritio &*
„*miſeria in viis eorum. Et viam pacis non cognoverunt.* 1 Io. 3. 12. *Cain ex im-*
„*probo illo erat, & mactavit fratrem ſuum. Cujus autem rei gratia occidit eum?*
„*quia opera ejus mala erant, fratris autem ejus juſta.*

„ Verum laus & gloria ſit Deo, quod propoſitum eorum ſit patefactum „& juſto Dei judicio punitum. quemadmodum loquitur David Pſal. 7. 15. „16. 17. *Ecce, parturiet vanitatem; ut concepit laborem, ita mendacium pariet.* „*Ciſternam fodit, & excavavit eam: dejecit eo ſe, in fovea operaturus* opus ſuum: „*Redibit labor ejus in caput ejus; & ſuper verticem ejus injuria ejus deſcenſura eſt.*

„ Hiſce ergo, Nobb. ac Pott. D. D. ſecunda præcipua cauſa declarata „eſt, per quam motus fui ad redeundum ad Eccleſiam reformatam. Nobb. „Pott. V. V. obnixe rogans, ut in nomine Chriſti, ad ædificationem Eccle- „ſiæ Dei & ſuſtentationem oneroſæ meæ familiæ me clementer recipiant. „Nobiles ac Pott. D. D. Deum veneror, ut ad miſericordiam animos veſtros „inclinet, & regiones haſce ab infortunio præſervet, ad gloriam divini no- „minis, & Eccleſiæ profectum ac ſalutem. Amen.

Nobb. Pott. V. V. obediens ac
humilis ſervus
Ioannes Schotlerus.

Sequutus eſt libellus ſupplex ad Senatum Daventrienſem, quem rogabat ut in ea civitate tantiſper permitteretur commorari, dum alibi in Provincia Tranſiſalana pedem figeret. datus is erat XXIX Maji. quem comitabantur literæ ad Sibelium eodem tendentes, qui ſuo & collegarum nomine eum monuit ut ante omnia ſcripto cauſam ſuam Synodo Daventriæ a. d. XVII Junii habendæ communicaret, neque prius in territorium ſe conferret quam liberum commeatum ab Ordd. Generalibus petiiſſet & impetraſſet, rem enim cæteroqui manifeſto periculo non carituram. omnia porro officia ejus cauſæ promovendæ offert &c. ſcriptæ erant literæ XXXI Maji. paruit huic conſilio Schotlerus, & literis datis VIII Junii adjunxit confeſſionem fidei ſuæ circa Articulos controverſos, Synodo exhibendam, in hæc verba:

„ Confeſſio Ioannis Schotleri circa quinque controverſos Articulos, „qua etiam paſſim ſeria ejus pœnitentia ſuper triſti ſchiſmate, & dato ſcan- „dalo oſtenditur. Miſſa ad Reverend. Clariſs. Doctiſ. piiſs. D. D. Paſto- „res ac ſeniores congregatos in Synodo, in urbe Daventrienſi, amicos „meos in Chriſto.

Gal. 6. 1. 2.

„ *Fratres, etiamſi præoccupatus fuerit homo in aliqua offenſa, vos ſpirituales* „*reconcinnate hujuſmodi hominem cum ſpiritu lenitatis: conſiderans* unusquiſque

„*temet-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„*temetipſum, ne & tu tenteris. Alii aliorum onera portate: & ita complete legem* „*Chriſti.*

Anno cIↃIↃcxxIII, menſe Junio.

„ Revv. Clariſs. Doctiſs. Viri fratres.

„ Ego infraſcriptus indigniſſimus ſervus Ieſu Chriſti, in conſcientia mea „commoveor, ut R. R. V. V. omnibus ac ſingulis à Deo Patre precer gra„tiam, pacem, & communionem Spiritus Sancti, ejuſque divinam Majeſta„tem obſecrem, ut V. V. R. R. moveat, quo miſer ego ac deſertus oſtium „benignæ audientiæ ac gratiæ hac vice apertum inveniam.

„ Quum Paulus Apoſtolus, ante converſionem ſuam, carnali Zelo im„pulſus Eccleſiam Jeſu Chriſti fuiſſet perſecutus, ejuſque doctrinam bla„ſphemaſſet, idem poſt converſionem ſuam tantum dolorem & pœniten„tiam ſuper peccatis admiſſis oſtendit, ut non modo ſe peccatorum primum „ſive maximum 1 Tim. 1. 15. verum etiam minimum inter Apoſtolos. „1 Cor. 15. 9. appellarit, in exemplum iis qui lapſi ſunt. 1 Tim. 1. 16. ut „per Dei clementiam ad reſipiſcentiam adducti, delicta ſua non involvant „ſilentio, ſed confiteantur ea. Pſal. 32. 3. atque apud Deum & Eccleſiam „ejus gratiam & refocillationem quærant.

„ Quum igitur ad exemplum Pauli, vitam meam anteactam peni„tius introſpicio, multum abeſt ut dicere poſſim innocentem me eſſe & à „dato ſcandalo immunem: ſiquidem cum gemitu & vero animi dolore con„fiteor, me oppoſuiſſe memet Eccleſiæ reformatæ, à qua multa beneficia „tam ſpiritualia quam corporalia accepi. quid me huc permovit? quis „mihi ad tantam levitatem impulſor fuit? inſcitia mea, & hominum quoddam „genus quod inſolentes opiniones in Eccleſiam Dei invehere ſatagit, & „viam pacis non cognovit. Rom. 3. 17.

„ Siquis à me probationem eorum quæ dixi flagitet, reſpondeo, me li„bello quodam Nobb. Pott. D. D. Ordinum hujus Provinciæ Delegatis „inſcripto cui titulus: *Rationes cur Io. Schotlerus* &c. eam prolixe ſatis at„tuliſſe, qui libellus à Rever. &c. Eccleſiæ Daventrienſis Miniſtris vene„randæ huic Synodo legendus ac ponderandus haud dubie exhibebitur: in „quo vener. Synodus poterit obſervare, me, ſiquidem ſciviſſem, negatâ „prædeſtinationis, prout ab Eccleſia reformata traditur, doctrinâ, ſequi „Deum non omnia præſciviſſe, nunquam ab ea diſceſſurum fuiſſe. Siquis „eam ob cauſam contemtim de me loquatur: jamne tandem incœpit ſape„re? annon hæc antea ei nota fuerunt? huic facile potero os obthurare: „quando conſtat inſignes ſæpe doctores priorem ſententiam revocaſſe & „mutaſſe. Sufficit mihi unum exemplum citare: Auguſtinus ad tempus do„cuit, fidem antecedere prædeſtinationem, quid eum ad hoc impulit? quod

„Arti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,Articulum de prædeſtinatione non tam ſedulo antea expendiſſet quam ,,poſtea ab eo factum fuit. ita enim loquitur lib. 1. de prædeſt. c. 3. *Non-* ,,*dum diligentius quæſiveram nec inveneram qualis ſit electio gratiæ.* At cum pater ,,ille melius eam percipiſſet, deſerta priore opinione dixit: *Electionem gratiæ* ,,*non ſolum opera humana, ſed fidem prævenire, ex qua omnia opera bona incipiunt.* ,,Exemplum hoc Auguſtini non me pudet imitari, ac quæ antehac de præ- ,,deſtinatione docui & ſcripſi retractare, ejuſque contrarium amplecti: ,,nempe,

,, 1. Electionem antecedere fidem, ut quæ tanquam fructus ex illa ſe- ,,quatur. demonſtratur hoc:

,, Si electi ſumus, non quia eramus, ſed ut eſſemus ſancti, non con- ,,ſiderati fuimus ut ſancti & fideles. verum prius. Eph. 4. 1. ergo & po- ,,ſterius.

,, 2. Chriſtum eſſe quidem fundamentum & cauſam ſalutis noſtræ, non ,,tamen electionis demonſtratur:

,, Si dilectio Dei erga nos, dationem ac miſſionem Chriſti antecedat, ſe- ,,quitur Chriſtum non eſſe cauſam electionis, ſed ejus medium. verum an- ,,tecedens. Io. 3. 16. Eph. 1. 5. 11. ergo & conſequens.

,, 11. Non eſſe mortuum Chriſtum pro omnibus hominibus, ſed tan- ,,tum pro electis. probatur:

,, 1, Ad filios Abrahami pertinet promiſſio de liberatione facta per ,,mortem Chriſti. Gal. 3. 16.

,, Electi, (cum ſint ex fide. Tit. 1. 1.) ſoli ſunt filii Abrahami. Gal. 3. 7.

,, Ergo ad ſolos electos pertinet promiſſio de liberatione facta per mor- ,,tem Chriſti. unde & neceſſario ſequitur Chriſtum pro ſolis electis mor- ,,tuum eſſe.

,, 2. Pro quibus Chriſtus ſeſe ſanctificavit, id eſt, in ligno crucis obla- ,,tus eſt, pro iis etiam eſt mortuus:

,, At ſanctificavit ſe tantum pro iis qui ipſi dati ſunt à Patre. Io. 17. 12. 19.

,, Pro iis ergo ſolis mortuus eſt.

,, 3. Pro quibus Chriſtus non oravit, pro iis etiam non eſt mortuus; ,,quippe, quum duæ hæ partes officii ſacerdotalis Chriſti à ſe invicem divelli ,,non poſſint.

,, At pro reprobis non oravit, Io. 17. 19.

,, Unde nec pro iis eſt mortuus.

,, 4. Pro quibus Chriſtus eſt mortuus, iis non intentantur crimina, ,,nec ii condemnantur. Rom. 8. 34. Unde apparet, Chriſtum mortuum ,,eſſe pro iis qui ſunt extra omne periculum condemnationis:

,, At reprobi non poſſunt dici ἀνέγκλητοι, nec ἀκατέγκλητοι. ſed ſoli ,,electi. Rom. 8. 33.

„ Non ergo pro reprobis, ſed pro electis mortuus eſt Chriſtus.

„ 5. Qui Chriſti oves & membra ſunt, pro iis quoque eſt mortuus. Io.
„10. 15. Act. 20. 28. Eph. 5. 25. 30.

„ Electi ſunt Cſriſti oves & membra:

„ Pro iis ergo eſt mortuus.

„ III. Nullas eſſe in homine vires, inclinationem & appetitum nullum
„ad bonum. probatur:

„ Quicunque ambulant in vanitate cordis ſui, & obtenebrati ſunt in
„mente ſua, ita ut tenebræ appellentur, nullis viribus, inimici Dei, &
„ſervi peccati, inepti ad quicquam cogitandum, inſipidum, tardum, du-
„rum & lapideum cor habentes, nullam inclinationem ad bonum habent:

„ At tales ante converſionem noſtram omnes ſumus. Eph. 4. 17. 18.
„c. 5. 8. Rom. 5. 6. 10. 2 Cor. 3. 5. Luc. 24. 25. Rom. 2. 5. Ezech. 36. 26.

„ Nullas ergo homo vires habet ad verum ac ſpirituale bonum.

„ IV. Converſionem fieri ea vi cui homo quem Deus convertere vult
„nequit reſiſtere. probatur:

„ Si Deus nos convertit ea efficacitate roboris virium ipſius, quod ex-
„eruit in Chriſto quum ſuſcitavit eum ex mortuis, ſequitur converſionem
„eſſe irreſiſtibilem: At illud Scriptura docet. Eph. 19. 20. Matth. 4. 19. 20.
„Apoc. 3. 9. Ergo & hoc.

„ Et hæc eſt cauſa ob quam homo ante converſionem vocatur mortuus.
„Eph. 2. 1. Io. 5. 25. & Deus dicitur nos vivificare. Eph. 1. 5.

„ V. Electos cadere poſſe, at non excidere; demonſtratur:

„ 1. Quod impoſſibile eſt, id fieri nequit: Impoſſibile eſt electos ſe-
„duci. Matth. 24. 24.

„ Quare id fieri nequit.

„ 2. Quiſquis eſt in manu Dei, is ex ea rapi non poteſt. Io. 10. 28. 29.

„ Electi ſunt in manu Dei. Ergo &c.

„ 3. Quibuſcunque Deus pollicetur obedientiam, & æternam perman-
„ſionem Spiritus S. cum ipſis, ii excidere non poſſunt.

„ At hæc electis Deus pollicetur. Jer. 32. 40. Hoſ. 2. 19. Io. 14. 6.

„ Non poſſunt ergo penitus excidere & Spiritum S. amittere.

„ Atque hæc eſt, Rever. Viri fratres impræſentiarum ſententia mea de
„quinque Articulis, quarum impugnatio triſte ſchiſma excitavit. Quumque
„& ego per ignorantiam meam & carnalem Zelum ſeductus huic doctrinæ
„verbi Dei & reformatæ Eccleſiæ contradixerim, viciſſim confiteor, cum
„dolore cordis mei, animam meam per id uſque adeo eſſe conturbatam, ut
„dicere cogar: (Job 3. 3.) Utinam periiſſet dies, quo à Remonſtrantibus
„Campos ad miniſterium fui vocatus, & hora qua dicebatur: Exauctorate
„D. Doct. Guilielmum Stephani, & ſucceſſorem ei date Schotlerum.

Et,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„Et, ſi liceat mihi à ſimili hæc declarare, affirmo pœnitentiam meam tam „multiplicem eſſe, quam conciones meæ fuerunt quas Campis habui.

„ Scribo hæc cum acerbis lachrymis, ſeriæ meæ reſipiſcentiæ teſtibus „ſuper triſti ſchiſmate & datis offendiculis.

„ Ecquid ergo nunc requiritur? nihil aliud, meo judicio, niſi ut, quem„admodum à Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti remiſſionem omnium meo„rum peccatorum ſupplex rogavi, & etiamnum rogo, animo contrito & „humiliato (quem Deus non deſpiciet. Pſalm. 51. 19.) ita etiam in ejus „nomine Reverend. Synodum & omnes Eccleſias reformatas demiſſe ro„gem, ut & ipſæ mihi ignoſcant, quemadmodum nobis Chriſtus ignovit. „Col. 3. 13.

„ Recipite me ergo, Viri fratres honorati, veluti Ioannem Marcum, „qui a Paulo ad tempus disjunctus, tandem ab eodem, ad ædificatio„nem Eccleſiæ denuo receptus fuit. Act. 15. 38. 39. 40 41. Col. 4. 10. „2 Tim. 4. 11.

„ Fortaſſis, velut alter Oneſimus, propterea ſeparatus fui à vobis ad tem„pus, ut me Eccleſia reformata perpetuum recipiat.

„ Compellate amici, electi mei, meo nomine Celſos ac Pott. D. D. „Ordd. Belgii federati, ac Sereniſs. Principem, ut permittatur mihi liber „commeatus ad revertendum ad Eccleſiam reformatam, curam mei gerite, „ô viri Dei, ut per pias conciones poſtliminio inſtaurem id quod deſtru„ctum eſt. Neque enim tranquilla eſſe poteſt anima mea, antequam denuo „à Rever. Synodo, ut inſtrumento divino, in membrum Eccleſiæ refor„matæ fuero aſſumtus, ut multi ſimplices ac probi Chriſtiani videant & „obſervent abeſſe a me pertinaciam, & in oculis meis abominationem „eſſe omnes qui Caïni & Eſavi veſtigiis inſiſtunt. prout & de eo in dicto „meo libello facta eſt mentio.

„ Rever. Clariſs. Doctiſs. Piiſs. Viri fratres: precor Patrem Domini „noſtri Jeſu Chriſti, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, „& ſpem bonam per gratiam, ut per Spiritum ſuum R. R. V. V. inclinet „ad Chriſtianam compaſſionem, & corda veſtra ſtabiliat in omni ſermone „& opere bono. 2 Theſſ. 2. 16. 17. Steinfurti. VIII Junii Anno CIↃ „IↃCXXIII.

V. V. R. R. obſequentiſs amicus

Iohannes Schotlerus.

Libellus ſupplex Ordinibus Generalibus exhibitus:

„ Illuſtriſſimi, Celſiſs. Potentiſs. gratioſi Domini, Ego infraſcriptus in„digniſſimus ſervus Jeſu Chriſti, in conſcientia mea permoveor, ad Celſ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,Pott. V.V. hoc meo ſcripto quam poſſum demiſſe compellandas, Deum ,,O. M. corde contrito & humiliato veneratus, ut Celſ. Pot. Veſtras incli- ,,net, ad miſero mihi & deſerto oſtium benignæ obedientiæ, ac gratiæ ape- ,,riendum.

,,Poſtquam, Celſ. Pott. D. D. centennium ſub Generoſo Comite Adolpho ,,Comite in Benthem, Steinfurt, & Limburch &c. in Eccleſia reformata ,,Euangelium ſingulari cum fructu abſque ſcandalo docuiſſem, & ſacramenta ,,juxta Chriſti inſtitutionem adminiſtraſſem, cujus rei teſtimonium habeo ,,tum ab ipſo D. Comite, tum a Claſſe univerſa, tandem, prævia vocatione ,,in loco cui nomen Camperveen, ditionis Tranſiſalanicæ, ad miniſterium ,,Eccleſiaſticum promotus fui, ubi ſeſquianni ſpatio, non ſine ædificatione, ,,per Dei inſignem benedictionem eo munere functus, poſtea, triennio toto, ,,inter Remonſtrantes, quos vocant, in civitate Campenſi publicè docui, atq; ,,ita ad aliquot annos (proh dolor!) à reformata Eccleſia fui ſeparatus, ,,meque una cum uxore & quinque parvis liberis magna cum anguſtia pere- ,,gre ſuſtentavi. Id quod, Celſ. ac Pott. Clementiſs. D. D. non contigiſſet, ,,ſi mihi Remonſtrantium propoſitum ac verſuta conſilia nota fuiſſent. ,,Cumque doceat experientia, mutuam eorum, quam vocant, toleran- ,,tiam nihil aliud eſſe, quam velamen prodigioſarum, ſcandalique ac pe- ,,riculi plenarum opinionum quas fovent, ac dominii quod affectant (pro- ,,ut in libello directo ad Nobb. Pott. D. D hujus Provinciæ Ordinum De- ,,putatos, cui titulus, Rationes cur Ioannes Schotlerus &c. demonſtravi) ur- ,,get ac cogit me tam pietas ipſa quam nominis mei exiſtimatio, quæ à ,,pietate abeſſe nequit, ſocietatem Remonſtrantium deſerere, meque poſt- ,,liminio Eccleſiæ reformatæ reconciliare, ad nominis divini laudem, Ec- ,,cleſiæ ædificationem, & promotionem ſalutis meæ. Utque hoc meum ,,propoſitum dignum homine Chriſtiano effectui dari poſſit, confeſſionem ,,meam, poſtquam ad mentem meliorem per Dei gratiam redii, Rever. ,,Synodo quæ XVII Junii ſtylo vet. Daventriæ celebrabitur, tranſmiſi, in ,,eaque paſſim ſeriam meam reſipiſcentiam à triſti ſchiſmate & dato offen- ,,diculo, plene (ut ſpes eſt) demonſtravi, ac à Rever. Synodo, ut & omni- ,,bus reformatis Eccleſiis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti admiſſo- ,,rum veniam flagitavi; prout & impræſentiarum à Celſ. Pott. V. V. de- ,,miſsè peto, ut mihi ignoſcant, ſicuti nobis Chriſtus ignovit, proindeque ,,miſericordiam, quæ gloriatur adverſus judicium, in Celſ. Pott. ſuæ oculis ,,invenire me ſinant, quo liberum ab ipſis commeatum revertendi ad refor- ,,matam Eccleſiam poſſim impetrare.

,,Illuſtr. Celſ. Pott. Clementiſs. D. D. flecto genua mea ad Patrem Do- ,,mini noſtri Jeſu Chriſti, ut animos veſtros inclinet, ac tanquam rivos aqua- ,,rum inflectat, quo miſer ego ac deſertus homo demiſſam meam petitio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„nem poſſim obtinere. Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, quem noctes „atque dies pro Celſ. Pott. V.V. ſupplex compello, conſervet vos, nec „non Sereniſs. Principem, ac univerſum Belgium per ſanctos Angelos ſuos „ab omni periculo & infortunio. Steinfurti VIII Junii ſtylo antiquo. „Anno CIↃIↃCXXIII.

V.V. Celſ. Pott. obediens
obſequenſque

Ioannes Schotlerus Miniſter quondam Campenſis. „

Antequam libellus hic ſupplex ad Ordd. mitteretur, celebrata fuit Daventriæ Synodus Provincialis, quæ initium habuit XVII Junii. in ea, præter alia decretum conditum 1. de conditionibus ſub quibus recipiendi eſſent Remonſtrantes. 2. de Schotlero ſpeciatim. prius ita habet:

„Ad tertium, quomodo prudenter agendum ſit cum Miniſtris Arminianis „exauctoratis, qui nonnunquam liberum adepti commeatum in haſce oras „revertuntur, placuit, ut ii 1. polliceantur ſe tranquille victuros. 2. ad certum tempus quo pacto ſe gerant experimentum ſumatur. 3. ne in membra Eccleſiæ recipiantur, antequam confeſſionem ſuam ſcripto conſignatam Conſiſtorio expendendam exhibuerint, ac coram ſuggeſtu, eo loci ubi „miniſterium exercuerunt, rotundè culpam confiteantur, idque in propria „perſona, ſi animi præſentia valeant, quod tamen arbitrio cujuſque Eccleſiæ relinquitur. 4. ut promittant, ſe illos quibus offendiculo fuerunt, viciſſim ædificaturos eſſe. 5. ut ii qui ſcripta aliqua ediderunt, eadem publicis ſcriptis retractent. 6. ut etiam approbent ac ſubſignent Canones „Synodi Nationalis. 7. comprobent Actiones a Synodis, Nationali, Provinciali & Claſſibus, adverſus ipſos habitas.

„Alterum hiſce conceptum eſt verbis: Relecta ſunt ſcripta D. Ioannis „Schotleri, videlicet, literæ particulares, libellus ſupplex ad Celſ. & Pott. „D. D. Ordd. confeſſio ejus, nec non, rationes aliquot propter quas ſocietate Remonſtrantium deſerta, ſeſe reformatæ Eccleſiæ denuo adjungere „deſideret. Quumque à Rever. Synodo petat, ut libellus ſuus ſupplex ad „Celſ. ac Pott. D. D. Ordd. cum commendatione Rev. Synodi tranſmittatur, placuit Rev. Synodo, 1. ut id fiat ſcripto apud Deputt. hujus Provinciæ Hagæ-Comitis commorantes, qui libellum illum D. D. Ordd. exhibeant, hac conditione, ut commeatus primo non diutius concedatur „quam ad ſpacium ſeſquimenſis, idque in urbe Daventrienſi (cujus Magiſtratus ſuper ea re primo, nomine Rever. Synodi compellabitur) ut ibi „cum eo ſuper ſcriptis ejus collatio inſtituatur, confeſſio ejus recenſeatur, „ac preſſior ejus declaratio poſtuletur, in qua etiam debitè auctores illos tenebitur indicare qui notatis ab ipſo opinionibus ſunt infecti, ſive ex eorum

 „ſcriptis,

,,ſcriptis,ſive aliis documentis. Quibus Deputatis Synodi peractis, iidem ea ,,Deputt. Claſſium ſuarum communicabunt, qui deinde eorundem partici-,,pes facient eos quorum intererit,præcipue Eccleſiam Campenſem, & ejuſ-,,dem civitatis Magiſtratum, ut, ſi conſultum viſum fuerit eum cum uxore ,,ac liberis denuo in haſce oras admitti, id exinde a Celſ. Pott. D.D. Ordd. ,,abſolute petatur. A quibus ſi tempore 5. hebdomadum nullum veniret ,,reſponſum, ex numero Deputatorum unus aut duo delegabuntur, qui ,,Hagam ſe conferant ad cauſam hanc promovendam.

Apographum literarum Delegatis Hagam-Comitis, ad Depp. Ordd. Tranſiſalaniæ miſſarum.

,,ACcepimus (Domini) nudiustertius per præſentium latorem ſcriptum ,,hiſce adjunctum, à Rev. Synodo iſtic celebrata ad nos tranſmiſſum, ,,una cum libello ſupplice quem Io. Schotlerus, nuper Miniſter Arminianus ,,in urbe Campenſi, præterito menſe Majo vobis exhibuit: & conſequenter ,,heſterno die a D. D. Ord. General. petivimus permiſſionem pro dicto ,,Schotlero, ut is in Provincia Tranſiſalana, loco qui vobis commodiſſi-,,mus videbitur, ſpatio ſex hebdomadum ſe ſiſtere ac commorari poſſit; id ,,quod a D. D. Ordd. Gener. hodie, juxta tenorem decreti hiſce adjuncti ,,fuit conceſſum. quod decretum una cum reliquis ſupra memoratis V. V. ,,Nobb. tranſmittimus, ut circa id negotium porro agatur, & ſupra dicti ,,Schotleri adventu diſponatur, prout V. V. Nobb. videbitur expedire &c. ,,Antequam hic conſenſus obtineretur, ex aula Provinciali Hollandiæ ab ,,Ordd. Gen. quæſitum fuit, an idem Schotlerus ullo pacto reus aut conſcius ,,eſſet detectæ nuper execrandæ conſpirationis? ad quæ dicta aula D.D.Ord. ,,indicavit, ſe ex omnibus informationibus conjuratorum ſupplicio affecto-,,rum nihil quantum ad dictam conſpirationem deprehendere, quod Schotle-,,rum gravare poſſit: verum hoc unum, quod in ſocietate Miniſtrorum Re-,,monſtrantium notus fuerit, ex eorumque collectis ſingulis trimeſtribus ac-,,ceperit 106 flor. 5 aſſes. fit quotannis 425 flor. &c. Impræſentiarum au-,,tem nihil novi quod ſcribi mereatur habentes &c. haſce finimus, Deum ,,O.M. venerati, ut V. V. Nobb. benedicat diuturno, proſpero ac felici re-,,gimine.

V. V. Nobb. obſeqq.

S. ab Haerſolte. Iohannes Lulof. H. ter Cuylen.

Hagâ v. Julii CIↃ IↃ C XXIII.

Inſcriptio.

,,DD. DD. Deputatis Ordinariis Nobb. DD. Ordd. Tranſiſalaniæ, congre-,,gatis

Zwollæ.

Exem-

Exemplum Decreti DD. Ordd. Generalium.

„ Ordines Generales federati Belgii, ad petitionem Deputatorum Synodi „Tranſiſalanæ celebratæ in civitate Daventrienſi XXIV Junii proxime elapſi, „permiſerunt ac vigore præſentium permittunt Ioanni Schotlero conciona- „tori pridem Arminiano, ut ad tempus VI hebdomadum proxime ſequen- „tium in certum Tranſiſalaniæ locum ipſi aſſignandum libere ac ſine impe- „dimento ſe conferre ibique commorari poſſit; quo interim per aliquot „ejuſdem Synodi Deputatos, quibus id negotii datum eſt, collatio cum ipſo „inſtituatur, ita ut ei in itinere, commoratione, aut diſceſſu ſuo, nullum „impedimentum aut moleſtia exhibeatur. Actum in cœtu dictorum Celſiſs. „D.D. Ordd. Gener. ſub eorundem ſigillo, paragrapho & ſignatura eorum „Graphiarii. Hagæ-Comitis XV Julii CIↃIↃCXXIII.

R. Burmannia vidit.

Ad mandatum dictorum Celſ.
D. D. Ordd. General.

Aerſens.

Locus ſigilli.

Exemplum Decreti Deputt. Tranſiſ.

„ Quandoquidem Celſiſ. ac Pott. D. D. Ordd. Generales federati Belgii „ad petitionem Deputatorum Synodi Tranſiſalanæ Ioanni Schotlero, Mi- „niſtro pridem Arminiano a. d. $\frac{15}{5}$ hujus menſis conceſſerunt, ut tempore „VI hebdomadum ad certum Tranſiſalaniæ locum ſibi aſſignandum libere, „& citra impedimentum venire ei liceat, eo fine ut cum eo dictæ Synodi „Deputati collationem inſtituant; Iccirco Deputati Ordd. Tranſiſalaniæ „dicto Schotlero aſſignarunt locum propugnaculi ad Swarte-ſluys quo juxta „tenorem dicti decreti D. D. Ordd. Gener. libere ſe poterit conferre, ibi- „que commorari durante tempore a D. D. Ordd. General. ipſi conceſſo. „Actum in conventu Depp. Provinciæ Tranſiſalanæ. XVI Julii Anno „CIↃIↃCXXIII.

Th. Varuer vidit.

Ad mandatum Depp. Tranſiſalaniæ,

Roelinck.

Locus ſigilli.

XVIII Octobr. Schotlerus Enſchedâ Daventriam ſcripſit, & moram ſui adventus excuſavit, eo quod a milite Aldenzalienſi per decem ſepti-

manas captivus fuiſſet detentus, utque id Ordd. Depp. indicaretur flagitavit. Detentio hæc facta erat, cum Steinfurto Tranſiſalaniam peteret, nec niſi numeratis C C C. florenis ab hoſtium manibus potuit extricari.

XXIV Novemb. Depp. Synodi convenerunt in Swarte-ſluys, ubi & comparuit Schotlerus. cui propoſita fuerunt a Deputt. ea quæ ſequuntur: 1. Ut in conſcientia ſua ſerio rem expenderet, ac conſideraret, num in omni ſinceritate coram Deo deſideraret cum Eccleſia Dei reconciliari, ac eodem cum animi affectu ad reliqua reſpondere. 2. an ullos adhuc haberet ſcrupulos adverſus doctrinam Eccleſiæ reformatæ. 3. in iis quæ Art. 57. nuperæ Synodi Daventrienſis comprehenduntur, ſuper conditionibus ſub quibus Miniſtri Remonſtrantium reſipiſcentes ad ſinum Eccleſiæ recipiendi ſint, contentus ſit obedire. Reſpondit Schotlerus, ſe & animo integro in toto hoc negotio agere, & Articulo Synodi obſequi paratum, & ſcrupulum adverſus doctrinam Eccleſiæ reformatæ nullum ſibi eſſe reliquum.

Quibus auditis, interrogatus fuit, poſſetne demonſtrare, opiniones tales apud Remonſtrantes inveniri, quales protulerit ſcripto cui titulus *Rationes* &c. ac ſigillatim reſpondit, quoad primam de officio Magiſtratus, vidiſſe ſe literas a Directoribus Remonſtrantium ſcriptas, quibus inter alia ajunt, reſciviſſe ſe, nonnullos è concionatoribus ſuis Remonſtrantibus dictum Articulum in dubium vocare, ut & ſequentem, monentes eos ut ab illa ſua opinione deſiſterent. affirmavit etiam, viſum ſibi eſſe librum manuſcriptum, ac è Miniſtro quodam Arminiano, qui eum legerat, ſibi innotuiſſe, refutari in eo ab Epiſcopio argumenta eorum Arminianorum, qui negarent in Novo Teſt. oportere Magiſtratus eſſe: unde & acciderit, ut quidam illorum ab ea ſententia diſceſſerint.

Quod ad 2. & 3. debere videlicet inter Chriſtianos eſſe communionem bonorum, ac deinde, ordinarium Euangelii miniſterium in Novo Teſt. non eſſe neceſſarium, reſpondit, Roterodami talem Remonſtrantium ſectam eſſe, quæ & ordinarium Eccleſiæ miniſterium repudiet, libertate prophetandi quibuſvis conceſſa, citra ullum vel examen vel vocationem in Eccleſia uſitatam, & communionem bonorum propugnet.

Quartum, quintum, ſextum, ſeptimum iis literis quarum ſupra mentionem fecerat, contineri aſſerebat.

Quum autem Depp. Synodi in mandatis haberent correctionem confeſſionis ipſius, ac fuſioris ejuſdem declarationis comprehenſæ ſcripto cujus titulus: *Rationes* &c. factum eſt, ut poſtquam nonnulla ad correctionem & declarationem utriuſque ſcripti fuiſſent notata ac ei prælecta, omnia ea acceperit & approbarit.

XVII Decemb. Schotlerus in Eccleſia Campenſi, ſub ambone clara voce hiſce verbis culpam ſuam publicè confeſſus fuit:

„ Reve-

„ Reverendi ac pii Chriſtiani,

„ Sto hic coram omniſcio Deo ejuſque Chriſtiana Eccleſia, ad lapſum „meum & culpam ſincere coram Domino confitendam, ac demiſſe rogan- „dum, ut ea mihi condonetur.

„ Etenim, præter culpas meas ac peccata, quæ tanquam miſer peccator „quotidie committo, ac quorum veniam à Patre miſericordiarum quotidie „peto, convictus ſum inſuper in animo meo, idque cum dolore confiteor, „me adverſus Deum & Eccleſiam reformatam, ac nominatim Campenſem, „graviter hac in parte deliquiſſe, quod non conſtanter perſeverarim in ve- „ritate Chriſtianæ ac reformatæ religionis, ſed ab ea me paſſus fuerim „abduci, per conſiderationes mundanas, & una cum reliquis meis coopera- „riis, veritatem illam, quæ eſt veritas Dei, verbo ejus divino comprehenſa, „impugnarim; quod adverſus reformatam Eccleſiam & religionem, quæ in „Confeſſione Belgica, & Catecheſi Heidelbergenſi traditur, inque Canoni- „bus Synodi Dordracenæ preſſius declaratur, quæque non modo in his re- „gionibus, ſed per orbem univerſum, ubicunque reformatio obtinet, do- „cetur ac prædicatur, quamque tot martyrum millia ſuo ſanguine ſancive- „runt, quamque adeo impræſentiarum pro unica, vera, divina religione „agnoſco, quod inquam, adverſus eam reformatam Eccleſiam & religio- „nem, Zelo carnali impulſus, inſurrexerim. Quod una cum aliis, meis tum „temporis, in improbo illo opere adiutoribus, conatus fuerim tectè ac ſub „larva Antiquæ veritatis, Novam falſitatem invehere, quod eo fine, una „cum reliquis ejus temporis Miniſtris, calumnioſum illum libellum prelo „ſubjecerim, manu mea ſubſignarim, fraudulento titulo Antiquæ veritatis „quam defendimus, & novæ falſitatis quam repudiamus, exornatum; quum „revera nihil is eſſet aliud, quam callidum ſtratagema, ad reformatam Ec- „cleſiam, per calumnioſam detorſionem eorum quæ pii & Spiritu Dei ex- „cellenter dotati Doctores (quorum nomina in benedictione, & animæ in „quiete ſunt) tradiderunt, tanquam per eorum latus transfigendam, contu- „meliis & conviciis obruendam, quo vulgus imperitum indies magis ac ma- „gis ab ea abſterreretur. è quo (proh dolor!) pullulavit triſtiſſimum hujus „Eccleſiæ ſchiſma, diſperſio ovium, firmiorum debilitatio, infirmorum „ſcandalum, & omnium quibus ullo modo religio curæ fuit contriſtatio.

„ Quod ſi ergo, qui uni ex minimis iſtis offendiculo eſt, ei præſtaret ut „mola aſinaria de collo ejus ſuſpenderetur, atque in profundum maris pro- „jiceretur, quantopere, quamque graviter miſer ego homo peccavi! quale „judicium mihi accerſivi! quantas pœnas commerui, ſi mecum in judicium „ingredi Dominus vellet, qui, Doctor cum eſſem, tantum ſcandalum, „coram tot parvis ac magnis poſui!

„ Eapropter, ad tempus non exiguum ſuper eo in animo meo commo-

,,tum me ac coarctatum ſenſi, jamque profiteor corde & ore, dolere mihi ,,ex animo, quod uſque adeo adverſus Deum & verbum ejus, adverſus re-,,formatam Eccleſiam & Doctores ejus, nec non membra ejuſdem deli-,,querim, tamque vehementer me eis oppoſuerim. Declaro etiam, me ,,nominatim pœnitudine affici, ſuper eo quod Eccleſiam hujus urbis tanto-,,pere contriſtarim eique tanto offendiculo fuerim.

,,Revoco iccirco ac retracto omnes ejuſcemodi conciones, publicatas ,,ac privatas admonitiones, ſcripta, collationes, nominatim calumnioſum ,,libellum de *Nova falſitate*, & ſimilia quæ ei ſcopo inſervierunt.

,,Obſecrans veris cum animi gemitibus primo & ante omnia Patrem ,,gratiæ, & Deum omnis conſolationis (refugium omnibus peccatoribus ,,reſipiſcentibus) ut propter Chriſtum dilectum ſuum Filium fœda hæc & ,,grandia debita ac delicta mihi condonet: Demiſſe deinde à ſancta hac ,,congregatione petens, & ab omnibus quos dictis meis tranſgreſſionibus ,,offendi, ut & ipſi propter Chriſtum mihi earum veniam faciant, & me-,,cum Omnipotentem ac æternum Deum compellent, ut me a peccatis li-,,beret, & virtute Spiritus ſui Sancti me conſoletur, magis magiſque in ,,veritate confirmet, ut confirmatus etiam alios confirmare poſſim. prout ,,hoc ipſum, per gratiam Dei me facturum ſpero & polliceor, & in fide ,,hac me victurum ac moriturum. quod mihi clementer largiatur Deus Pa-,,ter, Filius, & Spiritus Sanctus, benedictus ac laudatus ab æterno in æter-,,num Amen. Hæc confeſſio hoc modo fuit peracta: Primo concio pœni-tentialis fuit habita a Petro Plancio ex 22. cap. Lucæ, de lapſu & conver-ſione Petri, qua abſoluta Schotlerus, monitus ut Eccleſiam alloqueretur, ſupra recenſitam confeſſionem ad verbum, magno cum animi motu, ſub ſuggeſtu pronunciavit. Eo facto Miniſter Eccleſiam ad receptionem ejus & reconciliationem hortatus eſt, & viciſſim Schotlero nomine Dei & Eccleſiæ eam annunciavit, adjecta brevi admonitione, ut perſiſteret in hac denuo confeſſa veritate. tandem tota actio precibus & gratiarum actione ad Deum fusâ finem habuit.

Hoc Anno invenio Meinardum quendam Cronenburch Vicarium S. Lebuini Daventrienſis appellari. a clero pontificio, ut puto, nudo titulo (quod illis ſolenne eſt) donatum.

Anno cIↃIↃcxxIv. Iv Febr. Henricus Bergæ Comes, rigidiſſimæ hyemis beneficio uſus, Velaviam invadere tentavit, dum in itinere eſſet, copiarum partem in Friſiam miſit, ſiqua forte etiam in eam irrumperent, quibus impediendis, è præſidiis Doeſburgi, Zutphaniæ, Daventriæ, Zwollæ, Stenovicæ xv equitum cohortes eodem miſſæ ſunt, quarum adventu non expectato hoſtis ad ſua reverſus eſt.

vII Febr. prope pagum Dieren, totum exercitum per Iſalam glacie

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

concretum in Velaviam traduxit. Interim aliæ copiæ hoſtiles ſecundam in Friſiam impreſſionem minabantur, itaque ex Daventrienſibus, Zwollanis, Zutphanienſibus, aliiſque præſidiis iterum ſelectus miles qui illorum conatibus ſeſe objiceret.

Cives Daventrienſes, ut & aliarum urbium Velaviæ confinium ad tranſitum Bergenſis arma expedierunt, excubias duplicarunt, tormenta, pontes, portas, mœnia ut recte ſe haberent curarunt, glaciem foſſarum diſſecuerunt, inani ut plurimum opera, cum quod de die diſſectum fuerat, de nocte denuo congelaſceret. Tandem cum frigus diſſolvi inciperet, hoſtis, nulla re magna præſtita, niſi quod cædibus ac incendiis omnia fœdarat, Iſalam retro tranſiit & ad ſua ſe recepit. Liberationem hanc elegantiſſimis hiſce verſibus celebravit Io. Iſacius Pontanus:

Moſa, Iſala, & Rhenus, Vahalis, munimina noſtra
Vnus cum terrâ campus & area erant:
Omnia jam ferro & flammis devota patebant,
Qui rigor in cœlis, ardor in hoſte fuit.
Staret & in tenues Velavia verſa favillas,
Ni reſpexiſſet ſummus ab arce parens:
Ille tubam emiſit, glaciemque niveſque reſolvens,
Perfudit ſubito corda ſuperba metu.
O ter felices hoc qui Victore triumphant,
Atque illi, vigilant qui vigilante Deo!

XXII Martii Confluentiâ, è monaſterio S. Nicolai miſſæ fuerunt literæ ad Magiſtratum Daventrienſem, quibus petebatur, ut reditus burſæ Cuſanæ una cum ſorte ipſis reſtituantur, propterea quod, de voluntate teſtatoris ad alendos in ſtudiis adoleſcentes non amplius impendantur. communicatæ fuerunt hæ literæ Senatui ſcholaſtico, à quo Confluentinis reſponſum, perperam ea de re ad eos relatum fuiſſe, cum non modo media ad eum uſum à Cardinali Cuſano legata, ſed & plura è facultatibus civitatis ſtudiorum provectioni inſumantur, quæ ſi illi Magiſtratui refundere velint, ex æquo & bono facturos.

Eodem die decretum, ne liberi Pontificiorum beneficiis vel ſubſidiis ſtudiorum fruantur, quique ea habeant, iis priventur.

Kalend. Jun. initium factum eſt Synodi Tranſiſalanæ in urbe Campenſi. ubi inter alia expenſæ fuerunt petitiones Io. Schotleri. quarum prior, qua ad miniſterium Eccleſiæ denuo admitti flagitabat, ad Nationalem Synodum propediem, ut ſperabatur, habendam, dilata fuit, ab ea enim de modo in talibus obſervando decretum iri: altera, de ſubſidio in filium ejus conferendo, ut Ordd. à Depp. Synodi commendaretur, eis injunctum fuit.

 Inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Interceſſio Depp. Synodi Tranſiſalanæ apud Delegatos Ordd. ejuſdem Provinciæ.

„ Nobb. ac Pott. D.D.

„QUandoquidem Io. Schotlero concionatori quondam Campenſi ab „Ill. Pott. D.D. Ordd. General. ut & à Veſtris Nobb. &c. conceſſus „fuit liber commeatus, eo fine, ut Deputati Synodi hujus Provinciæ cum „ipſo juxta ea quæ in mandatis habebant, conferrent ſuper confeſſione fidei „ipſius, & culpæ quoque agnitione, ad debitam ſatisfactionem Eccleſiæ „Dei, quam una cum aliis offenderat: ad quæ ſequuta eſt ejus confeſſio no„minatim de Articulis pridem in controverſiam vocatis, doctrinæ Eccleſiæ „reformatæ conſentanea, ut & publica culpæ agnitio coram univerſa Eccle„ſia Campenſi, qua eidem plene ſatisfactum eſt, ita ut jam Eccleſiæ Dei ſit „reconciliatus: Iccirco à V.V. Nobb. &c. demiſſe petimus, ut dictus Io. „Schotlerus exilio ſuo exolvatur, ac coram Nobb. Pott. V. V. decretum „ſubſignet quod ab Ill. & Pott. D.D. Ordd. eum in finem ſancitum fuit.

„ Deinde, quandoquidem idem aliquot abhinc annis exiguum nactus fuit „ſtipendium, ac nuper Aldenzaliæ menſes aliquot cum uxore ac liberis „captivus, magnam paſſus fuit jacturam tum pecuniæ quam ſecum habe„bat, tum reliquarum facultatum, quas diſtrahere coactus fuit, ut carcere „liberaretur, ita ut in extremam inciderit egeſtatem, reverenter etiam ac „demiſſe rogamus Nobb. V. V. Pott. placeat eis ex commiſeratione Chri„ſtiana, ipſi ſtipendiolo aliquo ſubvenire, donec in Synodo Nationali „(quam poſt conſenſum Ordd. hujus aliarumque Provinciarum à D.D. „Ordd. Generalibus obtentum iri ſperamus) ſtatutum fuerit de tempore „quo ejuſmodi reſipiſcentes ſint probandi, ut in Chriſtiana aliqua vocatio„ne ſibi ſuiſque victum honeſte parent. Rogantes iterato, placeat Nobb. „V.V. Pott. oneroſæ ejus familiæ animo miſericordi rationem habere, „eique de neceſſariis ad vitam ſuſtentandam providere.

In magnis mutationibus rerumpublicarum, ſolenne eſt multos oriri vates, qui magis ex eis quæ quotidie vident & audiunt, quam ex afflatu divino futura præſagiunt. Inter illos hoc tempore erat Zieglerus quidam, qui hac illac circumcurſitans ad nos quoque venit. & in urbibus aliquot vel honoraria vel viatica opulenta ſatis accepit, apud Daventrienſes autem ſecus accidit, ubi cum cœpiſſet plebem promiſcuam ſuis nugis dementare, juſſus eſt a Magiſtratu urbe excedere. Judicium quod tum temporis de eo ferebam non abs re erit cognoſcere, ex Epiſtola ad virum quendam eximium a me ſcripta. eſt autem talis:

„ S.P. Rever. D. frater, non poſſum non ſententiam meam T. R. „ſignificare de Zieglero, de quo multa mihi ſcripſiſti, & cujus chartas „mihi

,,mihi communicaſti. Videtur mihi negocium ejus non modo fundamento ,,carere, verum etiam prorſus abſurdum eſſe. Loquitur de regno cujuſdam ,,Origenis: quis hoc credet, cum de eo nullus in S. Scriptura apex repe- ,,riatur? majori cum ſpecie veri agebat David Georgius, regnum Davidis ,,ſuo nomini applicans. Eo autem magis ſuſpectum eſt hoc nomen, quod ,,Origenes vir fuerit multis hæreſibus contaminatus, eoque nomine ab an- ,,tiqua Eccleſia condemnatus, cujus errores hodie per hunc agyrtam eique ,,ſimiles in lucem revocantur. Puerile quoque ac ridiculum eſt, quod in de- ,,claratione primæ ſuæ tabellæ vocem regni *Origenici*, explicat per vocem ,,*Originalis*, ac ſi eſſet a Latino *Origo*, cum tamen ipſe nomen illud ſcribat ,,per ω. Quod porro ſcribit fore ut pueri ſive infantes ſeſe ſequantur &c, ,,convenit cum eo quod teſtantur hiſtoriæ de homine quodam, ſi non ma- ,,ligno genio, qui id ipſum fecerit Hamelæ. ut tibi notum eſt. qualem ſe ,,ipſum hac ratione facit, niſi plagii reum? Quod ſtatuat teſtamentum ,,tertium, tertium Davidem, nuptias agni in hoc mundo, & reſtitutionem ,,integritatis Adami & Evæ, ſub viſione aut ſigura infantium nudorum &c. ,,id & ipſum ad Davidis Georgii phantaſias alludit, qui nudos ſe infantes ,,parieti hærentes vidiſſe affirmat &c. Latetque ſub eo, vel Adamitica nu- ,,ditas, vel perfectio in hac vita. quæ quomodo cum reformata religione, ,,cujus ſe Zelatorem (ſi DIS placet) profitetur, cohæreat, vel infans ani- ,,madvertat. Quid dicam de eo, quod viſionem ſuam habuit poſtquam ,,in diverſorio laute fuiſſet exceptus, amenti ſimilis, renuens cubitum ire, ,,& tandem ut erat veſtitus, lecto injectus! hæc magis referunt mænadas, ,,Bacchanal, & vates paganos ob immundo ſpiritu agitatos, quam Prophe- ,,tam divinum. Quod de multis eruditis gloriabatur, qui ſecum ſentirent, ,,quorum tamen nullum nominare noverat, ex eo falſimoniam hominis ,,æſtimare licet. Prout & falſum eſſe puto, quod refert, eſſe hic Doctorem, ,,ſive adeo Studioſum Medicinæ, cujus mater ſit vidua, qui ipſum invitarit, ,,ut ſecum hac hyeme commoretur; talem enim in hac urbe neminem no- ,,vimus. Neque eſt quod ſibi perſuadeat, fore ut hic hyemem tranſigat, ne- ,,dum ut pecunia Senatum emungat, certus enim ſum eum hic non tolera- ,,tum iri. Fratrum Crucis roſeæ, Prophetarum, ſomniatorum, chiliaſtarum, ,,ac id genus hominum nimis quam magnus proventus eſt. Speramus, Deo ,,adjuvante, urbem noſtram ab iis puram conſervare, ſi aliud non poſſu- ,,mus. Mitto tibi exemplar Orationis Heinſianæ nuper editæ, quorum ali- ,,quot ad me miſit D. Rutgerſius Orator Regis Sueciæ inter amicos diſtri- ,,buenda. æqui bonique conſules. Expecto . . . . . tuas. quid eas mo- ,,ratur? Vale cum tuis. Daventriæ Kal. Nov. cIↄ Iↄ c XXIV.

T. in Chriſto

I. Revius.

Hoc anno Daventriæ tabe abſumtus obiit Iacobus a Steenbach, maritimis expeditionibus clarus, ut ſupra vidimus.

Eodem, & multis inſequentibus annis, feudis Præpoſituræ Daventrienſis, titulo Vicarii præfuit Gerardus Donckel J. U. Lic. Conſul ejus urbis.

Edidit eodem Anno Jacobus Revius *Epiſtolas Gallicas illuſtrium ac Doctorum virorum ad Joſephum Juſtum Scaligerum*. excuſæ ſunt Hardervici, apud viduam Thomæ Henrici, ſumtibus Henrici Laurentii Bibliopolæ Amſtelodamenſis.

Anno cIↃIↃcxxv. xvi Maji, defuncto Thoma Roothuſio Eccleſiæ Daventrienſis Miniſtro, de ſucceſſore ei deſignando actum. nominati Io. Roothuſius defuncti filius, Paſtor Eccleſiæ Zwollanæ, Henr. Fabritius, Hugo Gallus.

xxiii Maji electus Io. Roothuſius qui obtineri non potuit.

xviii Julii nominati ad miniſterium Hugo Gallus, Io. Voſculius, Chriſtophorus Ledebur, Jodocus Ekelius. Et hic quidem Kalend. Aug. electus, xxiii autem Octobris in miniſterio confirmatus fuit. Edidit dum Daventriæ vixit libellum vernaculo idiomate, cui titulum fecit, *Der ſondaren trooſtelijcke Morgen-wecker, &c.* excuſus eſt apud hæredes Sebaſtiani Wermbouts typographi.

Pervenit circa hoc tempus ad Paſtores Eccleſiarum Tranſiſalaniæ Delegatus Ruppellenſium, cum literis à Senatu illius urbis ſcriptis in hæc verba:

,, Domini, præſens ſtatus in quo nos conſtitutos videmus, poſt occupa-,,tas inſulas Rezæ ac Oleronæ, ac diſſipationem Claſſis noſtræ navalis, in ,,cauſa fuit, ut convocaremus omnes hujus urbis incolas, in quatuor cor-,,pora diſtributos, videlicet corpus civitatis, præſidiale, conſiſtorium, & ,,corpus civium, quo nobis proſpiceremus de iis mediis, quæ Deus nobis ,,permittit adhibenda, ad reſiſtendum violentiæ hoſtium noſtrorum, qui ,,procul dubio hiſce ſuis progreſſibus non acquieſcent, ſed promovebunt ,,ea quæ pridem in animo habuerunt, donec hanc urbem in poteſtatem ,,ſuam redegerint, quam jam inde à primordio reformationis Eccleſiarum ,,in Gallia Deus ſæpenumero mirabilem in modum conſervavit, ut eſſet vel-,,uti aſylum tot miſerarum ac ſub perſecutione gementium Eccleſiarum, ,,tum ante tum poſt lanienas, propter confeſſionem nominis ſui. Spem ha-,,bemus in ejus bonitate, futurum ut nos tegat, ut ante, ſua cuſtodia, neque ,,recuſaturum nobis curam ſuæ providentiæ: adverſus quam ſicuti nolu-,,mus ullo modo peccare diffidentiâ, ita nec omittenda nobis ducimus legi-,,tima ſubſidia, quotquot undecunque conquirere poſſumus, ad noſtri con-

ſerva-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„ſervationem. certi forti animo (quem nobis inſevit Deus) inſumere
„quicquid habemus facultatum, ac vitam ipſam, uſque ad ultimam ſangui-
„nis noſtri guttam pro defenſione divinæ veritatis, ob quam hodierno tem-
„pore perſecutionem patimur, quicunque tandem prætextus in contrarium
„affingatur exercitibus per diverſas Galliæ regiones, & terrâ marique adver-
„ſus nos collectis. Si hujus urbis duntaxat intereſſet, res utique digna ſatis
„eſſet cujus ratio haberetur, reſpectu Eccleſiæ Dei quæ ibidem à tot annis
„congregata eſt. neque ullus eſt, qui quidem participet nexui qui nos unit
„corpori Jeſu Chriſti, quin cum vero ſenſu ingemiſcat, ſi videat unum è
„membris ejus maxime notabilibus corruere ſub eorum poteſtatem, à qui-
„bus expectare non poſſumus favorabiliora iis quæ complures perſonæ,
„Eccleſiæ, ac urbes integræ proximè elapſis turbis expertæ fuerunt, in qui-
„bus viri omnes fuerunt trucidati, omnes fœminæ ac virgines vitiatæ, omnes
„infantes crudeliter cæſi, omnes facultates direptæ, omnes mortui, una
„cum civitate ſua, exuſti. Peculiari intereſſe hujus urbis conjungimus pu-
„blicum omnium Eccleſiarum univerſæ Galliæ: &, quantum nobis licet
„aſſcribere cauſis ſecundis, & ſperare de mediis humanis, in veritate vo-
„bis, Domini, dicemus, amiſſa hac urbe, citra omne dubium ſecuturam
„eſſe amiſſionem Eccleſiarum regni hujus univerſi, ſicut & credimus ea
„ſalva, divina favente clementia, reliquas etiam ſalvas fore, ac multorum
„animos ſtabilitum iri, quos alioqui per varias tentationes contingeret va-
„cillare, Non eſt quod multis utamur rationibus, ad perſuadendam rem ita
„manifeſtam. conſtat enim unicuilibet, omnes Galliæ Eccleſias mire exarma-
„tas eſſe, &, è paucis, qui nobis à noviſſima vaſtatione, ſuperſunt, locis,
„hanc unam civitatem ad mare ſitam eſſe, cujus ſitus beneficio, commodiſ-
„ſime, neceſſitate poſtulante, quæ requiruntur foris importari poſſunt. Quo
„uno tanto magis in odium ac invidiam delapſa eſt, conſiderata utilitate
„quam ab ea reliquæ Eccleſiæ perceperunt. Et hac occaſione erupit con-
„juratio facta in extremum ejus excidium adverſus nos vi majore, qui ad-
„verſus Articulos pacis ad Montem Peſſulanum ſancitos, ad continentem
„veluti obſeſſi remanſimus, per propugnaculum cujus demolitio nobis fue-
„rat promiſſa: cumque nobis non ſuperſit porta vere libera, præter eam
„quæ ſpectat mare, ſenſim adverſus nos præparatæ, ac tandem effuſæ fuerunt
„potentes copiæ maritimæ, ad occupandas noſtras ſtationes ac portus, &
„uſum maris nobis adimendum, quo tam arcte concluſi, neceſſitate coge-
„remur nos ſubjicere iniquiſſimis legibus, quas barbara crudelitas impo-
„nere poteſt illis quorum memoriam è medio generis humani conatur ex-
„tirpare. Atque hæc res vehementer nos ſollicitos habet, conſcios nomi-
„natim decreti recens ſanciti in conventu Notabilium, ab Rege convoca-
„torum ad fontem Bellaqueum, continuandum videlicet bellum in hoc
„Statu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„Statu adverſus Hugonottos. Idem ex æquo ſuſpenſas tenet omnes Galliæ „Eccleſias, quæ undiquaque in procinctu ſunt, ut quæ videant ſeſe nobiſ- „cum tot periculis implicitas, à quibus nos extricare non eſt in earum po- „teſtate, niſi Deo nobis extraordinara media excitante, aut vero ordinariis „illis nobis obvenientibus, quæ exigit communis dilectio, quam oportet „eſſe inter omnes ejus electos, unam eandemque religionem profeſſos. Com- „munis cauſa eſt, ob quam vos ac nos exoſi ſumus à poteſtatibus quæ ho- „magium ſceptrorum ac diadematum ſuorum Antichriſto præſtant: ſimulq; „cordatum illud conſilium Eccleſiarum noſtrarum, quæ duabus Synodis „nationis noſtræ proxime elapſis, quarum una Aleziæ, Charantoni altera „congregata fuit, teſtabantur conſtantem ſuum conſenſum in puritate do- „ctrinæ cum Deciſionibus Synodi Nationalis Dordracenæ, ſuper Articulis „qui ibi fuerunt examinati. Ob quam quidem doctrinam ut majores noſtri „corpore & facultatibus fuerunt multati, ita nos quoque parati ſumus pe- „riclitari quæcunque nobis Deus id genus bona fuit largitus, ut ejus veri- „tatem tueamur. Porro quum hoſtium noſtrorum pervicacia nos, vaſtatis „noſtris regionibus, in quibus ſegetes exuſtæ, vineæ proſtratæ, domus agri- „colarum deſertæ, impediverit à convehenda annona, mirum in modum no- „ſtrâ refert, ut indagemus vias ac modos, quibus huic urbi proſpiciatur „de neceſſariis ad ipſius conſervationem, & alimoniam tot miſerarum fa- „miliarum, quæ ad eam confugerunt, ex eo tempore quo hoſtes noſtri ob- „ſederunt, occuparunt, ac deprædati ſunt inſulas Rezam & Oleronam, unde „expulerunt omnes incolas, qui religionem noſtram deſerere gravabantur. „Atque hæc in cauſa ſunt, cur haſce ad vos literas mittamus, per Delega- „tum noſtrum Dom. Papinum, cui in mandatis dedimus, ut eas vobis tra- „dat. per quem rogamus vos tanquam fratres noſtros, ac adjuramus per „omnem affectum quo ferimini ad defenſionem cauſæ Dei, per Chriſtia- „nam veſtram compaſſionem erga miſeros afflictos & perſecutione preſſos, „ut placeat vobis nos habere commendatos in publicis veſtris & privatis „precibus, certi orationem juſti in fide oblatam, magnæ apud Deum eſſe „efficaciæ. Demiſsè inſuper vos orantes, liberaliter nobis de temporali „veſtra benedictione ſubveniatis, nobiſque manus adiutrices veſtræ dilectio- „nis porrigatis, ut quam fieri poteſt celerrime nobis proſpicere poſſimus „de iis quæ ad ferendum onus diuturnæ obſidionis ſunt neceſſaria: quod „quidem onus eo erit majus, & ſuperatu difficilius, quod gravamur ma- „gno numero profugorum quos egeſtas premit. Si Deus, prout ſperamus „ac eum oramus, corda veſtra aperuerit ſenſu noſtrarum calamitatum, ac „viſcera miſericordiæ veſtræ commoverit, optamus ejus rei fructum perci- „pere quam ocyſſime, quum quotidie ad nos minæ deferantur, futurum „ut oſtium portus noſtri adactis in fundum vallis præcludatur, atque ita

„penitus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„penitus impediatur ne navis ulla, parva magnave ad nos poſſit appellere.
„En Domini mei, ſtatus ad quem redacti ſumus, & cujus vos rogamus ut „ſequelam rite expendatis, quæ non terminatur exitio Eccleſiarum Galli„carum, ſed extendit ſe univerſim ubicunque locorum ſedem ſuam habuit „Antichriſtus, ad eam poſtliminio erigendam, per interitum Eccleſiarum „Chriſti, ubicunque eæ floruerunt. Dom. Papinus Delegatus noſter à vo„bis accipiet charitatem quam in nos conferetis, ut ea utatur, juxta man„data quæ a nobis habet. Cui, ſi placet, non gravabimini eam concre„dere. Expectantes autem ejuſdem veros effectus, Deum venerabimur, „omnis boni operis erga afflictos præſtiti compenſatorem, quique pollici„tus eſt, eum qui daturus eſt poculum frigidæ juſto tanquam tali, non per„diturum mercedem ſuam: ut dignetur greges veſtros cuſtodire in pace, „vos replere ſpiritualibus ſuis benedictionibus, & temporales vobis adau„gere incremento tali, quod & vobis ſufficiat, & fratres veſtros ſublevet; „promittentes vobis, præter univerſalem obligationem omnium Eccleſia„rum noſtrarum, nomine civitatis noſtræ ſpeciatim, eam perpetuo impul„ſum iri promta inclinatione, ad demonſtrandum viciſſim omnis generis „bona officia in commodum veſtrarum Eccleſiarum. Ita vovent,
„Domini mei

Humillimi veſtri & affectuoſiſſimi ſervi,
Major, Scabini, Pares, cives, &
incolæ Rupellani. ac omnium nomine

Rupellæ XXVII Sept.
CIↃ IↃ C XXV.

J. David, Major & Capitaneus
civitatis Rupellanæ.

Inſcriptæ erant:

„D.D. meis, D.D. Paſtoribus, Senioribus & Diaconis Eccleſiarum „reformatarum cujuſcunque idiomatis per Provincias federati Belgii.
„Annexum autem erat ſigillum magnum in cera viridi.

Literæ hæ, Miniſtrorum Eccleſiæ per Tranſiſalaniam animos haud parum commoverunt; quapropter ne ſuo in re tanta officio viderentur defuiſſe, duos è ſuo numero, Iacobum Revium & Wilhelmum Stephani, illum Daventriæ, hunc Campis Eccleſiaſten, ablegarunt ad Ordd. Generales, cum tali Epiſtolâ:

„Nobb. Celſiſs. Potentiſs. D. D.

„Calamitoſus admodum ac triſtis ſtatus reformatarum Eccleſiarum „Galliæ, ac nominatim Rupellanæ, innotuit nobis non modo per publicos „rumores, ſed & penitius enarratus fuit pathetico ſcripto a Magiſtratu & „toto corpore illius civitatis ad nos tranſmiſſo. Quo ipſo injecta nobis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,fuit ſollicitudo duarum rerum, quæ nobis ſummopere cordi ſunt: con-
,,ſervationis videlicet dictarum Eccleſiarum ab una, & honeſtæ exiſtimatio-
,,nis V.V. Celſ. ab altera parte, quæ, prout indies cum animi mœrore vi-
,,demus, haud parum periclitatur apud cujuſvis ſtatus homines, ratione na-
,,vium quas V.V. Celſit. placuerat adjungere copiis Regiis, & per quas
,,iiſdem conſtat urbem Rupellanam ſupra modum incommodari. Nolumus
,,temerè è triſti eventu judicium nobis ſumere de intentione V.V. Celſ.
,,Pott. imo nulli dubitamus quin ea prorſus ab eodem fuerit diverſa; In-
,,terim non poſſumus, muneris noſtri & conſcientiæ habita ratione, diutius
,,intermittere, quo minus Celſ. V.V. Pott. quanta poſſumns demiſſione
,,oremus ac moneamus, ut ipſis placeat oculo commiſerante aſpicere tot
,,eximias Eccleſias, quæ nulla nos injuria affecerunt, niſi injuriam quis
,,vocet, quod noctes atque dies apud Deum pro felicitate noſtra fuerunt
,,deprecatæ: quas certi ſumus ad deprædationem ac internecionem ab An-
,,tichriſti mancipiis eſſe venditas; ne innocuus earum ſanguis adverſum
,,nos in cœlum vindictam clamet, ac extremam ruinam regionibus ac Ec-
,,cleſiis noſtris attrahat. Petitio noſtra humillima eſt, ut placeat Celſ. Pott.
,,V.V. naves ſuas ilico revocare, ut iis utantur loco & modo qui ipſis com-
,,modus videbitur, ad defenſionem Patriæ & Eccleſiæ Ieſu Chriſti. Adhæc
,,ut V.V. Celſ. Pott. placeat Eccleſiis Galliæ, & nominatim civitati Rupel-
,,lanæ notabili auxilio adverſus hoſtes ſuos ſubvenire, eo modo quem Celſ.
,,Pott. V.V. judicabunt maxime expedire. Celſ. V.V. Pott. ut confidimus,
,,non ea ratione oculos defigent in fedus cum Majeſtate Galliæ, ut ullo
,,modo videri velint ſeponere ab intuitu ſuo fedus quod cum Deo, & com-
,,munionem quam cum electa ejus Eccleſia habemus; neque ſequiorem
,,in partem accipient noſtram ſuper hoc negotio curam ac ſollicitudinem,
,,quam aliqui a noſtra profeſſione alienam eſſe poſſent exiſtimare: Revera
,,enim, Celſ. ac Pott. D. D. unius corporis membra ſumus, neque conti-
,,nere poſſumus ingentem animarum noſtrarum mœrorem, ortum ex im-
,,minenti exitio tot unius nobiſcum corporis præſtantiſſimorum membro-
,,rum. An ſimiles nos faciemus ſacerdoti & Levitæ, qui immotis animis
,,ſaucium præteribant? An vero imaginabimur fore ut Celſ. Pott. V.V.
,,in malam partem interpretentur obſequioſam interceſſionem noſtram
,,pro chariſſimis fratribus noſtris, patientibus (ut certo nobis perſuade-
,,mus) juſtitiæ cauſa; quum ipſe Deus non fuerit offenſus, eo quod Abra-
,,ham vel ſexies precatus fuerit pro devotis urbibus Sodomæ ac Gomorrhæ?
,,Meliora de V.V. Celſ. Pott. ſentimus, eaſque rogamus in nomine & per
,,paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, quaſi Deo ipſo Celſ. Pott. V.V.
,,per nos rogante, ut velint omnes cogitationes omniaque conſilia ſua in
,,timore Domini convertere ad magnum hoc, juſtum, & pluſquam neceſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,ſarium opus : nec dubitamus Celſ. Pott. V. V. in nomine Dei certo pol-,,liceri, fore ut is hunc veſtrum Zelum, plena benedictione perſonarum ,,veſtrarum, veſtrique regiminis, evidenter compenſet. Deum indeſinenter ,,veneramur,,

,, Nobb. Celſ. Pott. D. D. ut Celſ. Pott. veſtras in ſelici regimine diu ,,incolumes præſtet. Datæ Campis Kal. Decembr. cIↄIↄcxxv. ſtylo ,,vet. à

Celſ. Pott. V. V. obedientibus ac fidelibus ſervis

Miniſtris, Senioribus, & Diaconis omnium reformatarum Eccleſiarum in Provincia Tranſiſalana, ac eorum juſſu & nomine

Petro Plancio p. t. Præſide.
Ioanne Roothuſio p. t. Scriba.

Cum hiſce literis Hagam-Comitis profecti Iac. Revius & Wilhelmus Stephani, eas in conſeſſu Ordd. Gen. exhibuerunt, ibidemque, ac poſtea apud Celſiſs. Principem Arauſionenſium viva voce negotium cujus cauſa ablegati erant, commendarunt. iis ad ſuos reverſis Eccleſiæ Tranſiſalanæ à Paſtoribus ſuis monitæ quale potuerunt ſubſidium pecuniarium comportarunt, ac Rupellanis tranſmiſerunt.

Anno cIↄIↄcxxvi. xiii Januar. decretum à Magiſtratu Daventrienſi, ut liberi Pontificiorum, qui ſcholam publicam frequentarent, in ediſcenda Catecheſi ac frequentandis concionibus, ſe reliquis conformes gererent.

Eodem tempore, ſtudioſi, qui Coloniæ Ubiorum literis operam dabant, auctoritate ejuſdem Magiſtratus revocati.

Kalend. Aug. urbs Aldenzalienſis ab Erneſto Caſimiro Comite Naſſoviæ, nomine Ill. Ordd. & Sereniſs. Principis expugnata, & mœnia ejus ſolo æquata. Miſſus eo Iac. Revius, qui Eccleſiam illam ad Claſſem Daventrianam, quo olim pertinuerat, reduceret, ac ejus adminiſtrationi, donec Paſtor ordinarius fuiſſet electus, conſultis Miniſtris Tubantinis, & ditionis Satrapâ, proſpiceret.

Menſe Septembri ineunte, occupata a Sereniſs. Principe Grolla, Legatus Galliæ, Dudlæus Carletonus, caſtris relictis, ab ipſo Principe xxx equitum ſignis Comitatus Borculoam, & mox, ejuſdem juſſu a Magiſtro equitum Stakenbroeckio, nec non militiæ Tranſiſalanæ Præfecto Schmelſingo, Daventriam deductus fuit, unde Amſtelodamum, & hinc Hagam-Comitis ſe contulit. E præſidio Daventrienſi cohors una peditum, (una cum xiii. aliis aliunde abductis) Grollæ ad ejus cuſtodiam impoſita fuit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

XXX ejuſdem menſis Sereniſs. Princeps Daventriam intravit, ubi a civibus magnifice exceptus, Kal. Octob. Arnhemiam, & poſtridie inde profectus, IV illius menſis die Hagam venit.

Hoc anno Philippus Rovenius Daventrienſis, titulo-tenus Archiepiſcopus Philippenſis, & per Hollandiam vicinaſque Provincias Vicarius Apoſtolicus, edidit;

Tractatum de Miſſionibus, Lovanii typis Haſtenii. ubi & recuſus eſt Anno cIↃIↃcXXXVIII. item Pariſ. cIↃIↃcXXV. additâ defenſione ejuſdem libelli per Camillum Cæſarem S. Theol. & V. Doctorem, nec non Cenſorem librorum Romæ.

Inſtitutiones Chriſtianæ pietatis, libris IV. Anno cIↃIↃcXXXV.

Thus cœlum penetrans, vernaculo idiomate. Bruxellæ typis Pepermanni.

Anno cIↃIↃcXXVII. XXIV Maji confirmatum Daventriæ decretum de Pontificiorum liberis, ſancitum Anno ſuperiori XXIII Januarii.

Circa idem tempus vitam cum morte commutavit Everhardus Bronchorſt, qui Daventriæ natus Anno cIↃIↃLIV. patrem habuit Iohannem Bronchorſt Neomagum, J.U. Licentiatum, matrem Claram Coſteram, Ioh. Coſteri Conſ. Daventr. filiam. His parentibus natus Everardus inter prima adoleſcentiæ initia, artium & linguarum cognitione mediocriter imbutus, propter motus bellicos religionis cauſa cum patre in exilium abiit, ſedibuſque Coloniæ Agrippinæ poſitis, cum literas liberaleſque artes plenius didiciſſet, patre ibidem defuncto, Juriſprud. ſtudiis animum adjecit, ſucceſſione tam mirabili, ut non multo poſt alios docere auſus, tit. ff. de diverſis Reg. Juris Antiqui non ſine magno auditorum concurſu explicuerit; qui mox eundem Commentarium, elegantiſſimum illum quidem, ſed tamen tunc rudem & impolitum Francofurti Anno cIↃIↃcVII. ipſo ignorante ediderunt. qua ex cauſa tandem in ſenectute eum librum recognovit ipſe auxitque, ac demum evulgavit. Colonia digreſſus in aliis celeberrimis Germaniæ Academiis, Marpurgi, Erphordiæ, atque Witebergæ operam dedit ſummis anteceſſoribus Valentino Forſtero, Nic. Vigelio, Matthæo Weſembecio iiſdem Academiis, cum privatim Inſtitutiones Juſtiniani, diverſoſque ff. titulos interpretatus eſſet, Baſilæam profectus ſub maximo J. C^to^. Samuele Grynæo gradum Docturæ in utroque Jure publicè accepit, ſuffragiis & conſenſu, cum omnium, tum etiam Cl. Fr. Hotomanni, qui è Gallia ejectus vivebat tunc illic, ac diplomati ejus ſubſcripſit. factum id Anno cIↃIↃLXXIX. XVI Kal. Septembris. Mox Witebergam regreſſus, Jus civile per annum docuit, ac deinde in Academ. Erphordienſi integro biennio munere publico Profeſſoris functus eſt. Amore patriæ Daven-

ventriam redux, ibi Conſul creatur. quo munere dum fungitur, uxorem duxit Adelheidam a Middelburgo, Gerardi a Middelburgo Conſulis Swollani filiam, è qua liberi ei ſuperſtites fuerunt tres, inter quos filius Gerardus Bronchorſt J. U. & ipſe Doctor. Proditione ac perfidiâ Gubernatoris urbe Regi Hiſpano traditâ, iterum in exilium noſter ejicitur; qua occaſione Lugd. Bat. vocatus eſt in locum Juriſconſultorum Principis Hugonis Donelli, qui Anno CIↃIↃLXXXVII. relictâ eâ Academiâ in Germaniam commigrarat. Ita ille ordinariam Juris Profeſſionem ex eo tempore ſuſcepit, & in hoc munere etiam poſt receptam reſtitutamque Daventriam totos 40 annos ætatem egit. Scripſit IV Centurias legum quæ in ſpeciem contrariæ videbantur, & conciliationes earundem. Ad hæc duas alias Miſcellaneas centurias controverſiarum Juris, atque etiam Methodum feudorum adjecit: præter Commentarium in titulum de Regulis Juris cujus antea eſt facta mentio. Publicavit & Orationes duas, unam, *de Studio Iuris rectè inſtituendo*; alteram, *de Iuriſprudentiæ laudibus*. Item Tractatum *de Privilegiis ſtudioſorum, tum Profeſſorum ac Doctorum*. Fama ejus & exiſtimatio per totam Germaniam mirum in modum magna & illuſtris fuit: ut paſſim apud omnes modo Juriſprudentiæ, modo legum pater appellaretur, non aliter quam ſi proprium id quoddam & gentile familiæ nomen eſſet. Rectoris Academici munere functus eſt Anno CIↃIↃCIV. in quo fide ut optima, ita propenſiſſimo in Acad. affectu geſſit omnia, ac Senatui collegiſque ſuis nunquam defuit; quorum ornamenta & commoda adjuvit auxitque. quæ quidem extant adhuc publicis actorum monumentis conſignata, ut ſemper futurum aliquid ſit quod acceptum feratur ejus beneficentiæ. Memoria ei fuit, ut ipſe dicere ſolebat, ferrea, diligentia adeo perpetua & indefeſſa, ut non contentus intra juriſprudentiæ ſpatia conſiſtere, à nullo ſtudiorum genere continuerit flagrantem animum. quare & politica tractavit, notaſque etiam in Lamb. Danæi doctrinæ civilis aphoriſmos ſeculo publicavit, & ne ea ignorare videretur quæ poſita in Græcarum literarum cognitione ſunt, proverbia Græcorum quæ verſibus comprehendit Illuſtriſſ. Scaliger in opere pulcherrimo quod Stromateus ab illo inſcribitur, Latinè omnia vertit. Studio fuit ſummo in rempubl, atque in religionem: morum comitate, humanitate, facilitate inſigni. ſermones ejus acuti, & ut plurimum literati. ubi ludere aut jocari vellet, nihil triſte, nihil ſterile agnoviſſes. idem inter res ſerias graviſſimus cordatiſſimuſque. valetudine ante plures annos infirmâ ſæpe erat. & intercurrebant morbi qui diu eum lecto affigebant, in quibus ineſſe vis quædam melancholiæ (ut maximis acerrimiſque ingeniis accidere ſolet) videbatur. Ingraveſcente ætate conceſſa ei eſt à lectionum publicarum muniis honorifica vacatio. intra quod tempus ſacræ doctrinæ ſtudiis totum ſe dedit, de quibus quotidie qua publicè qua privatim cum

S. S. Theol. Doctoribus diſſerebat. imo & facundiſſimos literarum ac Antiquitatis Profeſſores, Heinſium maximè ac Voſſium, publicè nonnunquam legentes audire inter literarum oblectamenta habuit. in quibus dum verſatur morbi ingruentis initia ſenſit, ac domum cum eâ febre rediit quæ poſt paucos dies eum extinxit. Sic grandævus ille Doctor, qui jam annum LXXIII penè impleverat leni morte expiravit, animamque cœlo, unde profecta erat reddidit, ſub finem menſis Maji Anno CIↃIↃCXXVII. quem elegantiſſima Oratione publicè laudavit Doctiſs. Petr. Cunæus, è quâ hæc maxime excerpſimus.

Lugd. Bat. ad Petri, ſepulcro inciſum:

Everardi Bronchorſt Daventrienſis JCTI. eximii quod mortale fuit heic quieſcit.

Præclara ingenii monumenta in hominum manibus & admiratione verſantur.

Obiit Anno CIↃIↃCXXVII.

XXVII MAII.

Aſtreæ columen, tuus hic, Daventria, Conſul,
Profeſſor tuus hic, Leida Batava, jacet.
Qua mortalis erat Bronchorſtius, excidit ævo,
Neſcit at è libris gloria parta mori.

Tabulæ æneæ inſculptum ad proximam columnam.

OPT. MEM.

EVERARDI BRONCHORST
DAVENTRIENSIS
JCTI.

Qui in juventute per celebriores Germaniæ Academias munere primum diſcendi, mox etiam docendi, ac deinde Doctoris laureâ inſignis in urbe patriâ conſulatu laudabiliter perfunctus, à Curatoribus illuſtris Academiæ Lugdunenſis in locum Viri Clariſs. Hugonis Donelli JCTI. ſuffectus eſt, rara eruditione, induſtria, diligentia, ac comitate uſus, ordinarii Profeſſoris atque Anteceſſoris juris per annos plus minus XLTA. & ſubinde Magnifici Rectoris titulo, tandem publicis functionibus, ſcriptiſque, & ſenio confectus ac emeritus, Lugduni Batavorum vivere deſiit Anno CIↃIↃCXXVII. cum vixiſſet annos LXXIII.

Monumentum, ſi non æternum, ſaltem durabile, Alitha à Middelburgo conjux, liberique, pietatis ergo P. C.

XX Au-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

xx Auguſt. in lucem venit *Belgicarum Eccleſiarum Doctrina & Ordo, hoc eſt, Confeſſio, Catecheſis, Liturgia, Canones Eccleſiaſtici, Græcè & Latinè.* è quibus Catecheſis quidem jam olim à Friderico Sylburgio, reliqua autem recens à Iacobo Revio in Græcam, & magna ex parte in Latinam quoque linguam verſa erant. Miſſum exemplar ad Cyrillum Patriarcham Conſtantinopolitanum, illi non ingratum fuit, ut oſtendit Excerptum ex literis Ampl. Legati D. Cornelii Hagæ, Conſtantinopoli ſcriptis prid. Kal. Octob. ad D. Feſtum Hommium. eſt autem tale:

,, Gratiſſimum fuit Reverendiſs. Patriarchæ Cyrillo exemplar illud Con-
,,feſſionis & Catecheſeos Eccleſiarum noſtrarum, quibus, ut puro Dei
,,verbo conſentaneis, Præſul ille doctiſſimus aſſentitur. Radios hos æter-
,,næ lucis hauſit ex lectione Patrum, & Doctorum reformatæ Eccleſiæ;
,,quorum libris ante aliquot annos, cum Alexandrinæ ſedi præeſſet, operâ
,,meâ à Potentiſs. Patriæ Patribus donatus fuit. Curabo ut literis Rev. T.
,,reſpondeat, & ſententiam ſuam ſcripto declaret. Præ manibus habet doctam
,,ſuper Symbolum Apoſtolorum explicationem, & novam Græcæ Eccleſiæ
,,Catecheſin, quos brevi, volente Deo, hortatu & inſtructu meo, ne typo-
,,graphia ex Anglia a doctiſſimo monaſticæ vitæ viro Græco huc allata ſine
,,fructu ſit, typis excudi, & inter gentem hanc divulgari curabit, ſpero
,,non parvo cum fructu, nec ſine ſpe reſtaurationis Eccleſiæ Græcæ, cui
,,ſub ignorantiæ tenebris jam diu ſepultæ Romana curia maximas inſidias
,,ſtruit, cum ex gymnaſio Græco ibidem extructo quotidie prodeant larvati
,,Calojeri, qui habitu mentiuntur Græcos, & intus ſunt acerrimi Jeſuitæ,
,,quorum operâ Pontifex utitur, ut Eccleſiæ Orientalis reliquias, ſiquæ ſu-
,,perſunt, tyrannicæ hierarchiæ ſuæ ſubjiciat. Cui conatui cum pius hic
,,vir, & veritatis Chriſtianæ propugnator Cyrillus ſtrenue ſeſe opponat, mi-
,,raberis, quales & quantas clandeſtinas perſecutiones ab iſtis animarum har-
,,pyis patiatur, &c.

Circa hoc temporis res Cæſaris Ferdinandi ita ſecundæ erant, ut a perpaucis ei reſiſteretur, unde in animum induxit, ſubjugata Germaniâ, mari Orientali & Septentrionali frenum quoque injicere. quo fine Comitem Schwatſenburgium menſe Decembri Lubecam miſit ibi cum civitatibus Anſæ Teutonicæ, ſuper Hiſpanicis, Indicis aliiſque utilibus commerciis acturum. Audito Schwartzenburgio, Lubecenſes omnibus civitatibus Hanſeaticis, ſive eæ procul ſive propè ſitæ eſſent, literas Cæſareas tranſmiſerunt, petentes ut a. d. xx. Febr. anni ſeq. in ſuam urbem convenirent, ubi communibus conſiliis quid Cæſari reſpondendum eſſet decernerentur. Daventrienſes, Campenſes, Zwollani literas eorum acceperunt, ſeque ſtatuto die affuturos ſignificarunt: ut & è Gelris Neomagenſes. Harderviceni & Elburgani, ſero eas ad ſe perlatas, neque die condicto adeſſe poſſe reſponderunt,

derunt, confidere ſe interea, fore ut cœtus civitatum Anſeaticarum Lubecæ celebrandus, ac ipſa quoque civitas Lubecana, jura ſua & vetera privilegia tuerentur.

Anno cIↃ IↃc xxviii. xviii Febr. conventus civitatum Anzæ Teutonicæ Lubecæ celebratus fuit, ubi petitio Cæſaris fuit propoſita & ſcripto prolixo conſignata. quid de ea decretum ac ad eam reſponſum ſit, infra dicetur.

xxii Februarii ſuper formulis doctrinæ à Revio Græcè editis, hoc decretum ab Ordd, General. fuit ſancitum:

„ *Excerptum ex Regeſto reſolutionum Celſ. ac Pott. D. D. Ordd. Ge-* „ *neral. Belgii federati.*

„ *Lunæ*, xxii *Febr.* cIↃIↃcxxviii.

„ Quandoquidem Orator Haga nuper ſignificavit, ſpem bonam allucere „propagandæ reform. religionis in oris Græciæ, eaque occaſione delibera-„tum fuit, an non ad hoc magnopere conduceret verſio Græca de Belgica-„rum Eccleſiarum doctrinâ & ordine, a Iacobo Revio Eccleſiaſte Daven-„trienſi emiſſa, habita conſultatione placuit ac decretum fuit, ad promo-„tionem adeo boni & Chriſtiani operis, a dicto Revio mittenda eſſe ducenta „exemplaria non compacta ad collegium rerum maritimarum Amſteloda-„menſe, quæ ab eo, prima oblata opportunitate, Conſtantinopolim ad „Oratorem Hagam tranſmittantur. Eidem autem Revio, poſtquam ea à „dicto Collegio fuerint recepta, de pretio exemplarium a conſilio Status „ſatisfiet.

„ *Convenit cum eodem regeſto:*

Io. a Goch. —— 28.

„ *Apocha.*

„ Conſiliarii Delegati ad collegium rerum maritimarum, Amſtelodami „reſidens, fatentur, Iacobum Revium ad ſeſe tranſmiſiſſe ſarcinam cc. „Catecheſeon Græcarum, mittendam a nobis Conſtantinopolin. Actum „xxviii Aprilis Anno cIↃIↃcxxviii.

G. a Lantſchot, Vt.

Eorundem conſiliariorum mandato

Iacobus Laurentius.

Ampliſs. ac Nobiliſs. D. Cornelio Hagæ, Oratori Ill. D.D. Ordd. federati Belgii.

Conſtantinopolin.

„ S. P. Nobiliſs. & Ampliſs. Domine, Intellexi è literis T. A. tum ex „iis quas ad Ill. Ordd. tum quas ad D. Feſtum Hommium dediſti, latum

à Do-

,,à Domino videri apertum oſtium propagandæ veritati Euangelicæ in Græcia, præ aliis ad eam vehementer inclinare Reverendiſſimum Patriarcham urbis regiæ Cyrillum; ei tuâ operâ, non modo Orthodoxorum Patrum, ac noſtrorum Theologorum ſcripta oblata, verum etiam, rem exiguam, verſionem Græcam confeſſionis noſtræ a me utcunque concinnatam & editam, quamque, ut puro Dei verbo conſentaneam, approbarit. Commodum abſoluta erat, cum hæc mihi inſperanti innoteſcerent, opuſculi mei editio altera, & correctior multo & auctior, itaque divinitus mihi hanc occaſionem oblatam ratus, ab Ill. D. D. Ordd. impetravi, ut nonnulla ejus exemplaria ad vos mitterentur, quibus, prout T. A. viſum fuerit, diſtributis, res tanta, per Dei gratiam nonnihil promoveri poſſet. cujus rei ſucceſſus a clementiſſimo Domino expectandus, & ardentibus votis flagitandus eſt. Rogo A.T. ne in ſanctiſſimo hoc negocio urgendo defatigetur; unum ex his exemplaribus ſibi a me offerri ne moleſtè ferat, è reliquis duobus alterum, niſi grave eſt, Rev. Patriarchæ, alterum R. D. Piſcatori tradi, reliqua quacunque commodum erit ſpargi curet: ignoſcat denique, quod homo ignotus tantâ confidentiâ negocia ſua interpellare non fuerim veritus. Deum rogo ut Eccleſiæ ſuæ pomœria extendere, ac A. T. ejuſdem bono conſervare pergat. Daventriæ, prid. Kal. Mart. cIɔIɔcxxvIII.

T. A. devotiſſ.

Iacobus Revius, *Miniſter*
Eccl. Daventr.

Exemplari Patriarchæ deſtinato inſcriptum erat:

Ἁγιωτάτῳ ἐν Χριστῷ πατρὶ κυρίλλῳ τῷ πάνυ, ἐλέῳ θεοῦ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχῃ Κωνσταντινουπόλεως, τοῦτο τὸ βιβλαρίδιον δεδόσθω ὑπ' ἐλαχίστου τῶν Χριστοῦ ὑπηρετῶν.

Ἰακώβου τοῦ Ρηβίου.

Ex hac verſione Græca multo poſt tempore expreſſa fuit verſio altera Græco-Barbara, ad uſum Græcorum, qnibus corruptum illud idioma vernaculum eſt. Excuſa Lugd. Bat. Anno cIɔIɔcxLvIII.

11 Martii ad meliorem vitam tranſiit Daventriæ Everardus Balck, Daventr. J. U. D. ejuſdemque Profeſſor Hardervici. is in Bituricenſi Galliarum Academia atque alibi jura didicit: deditque

Comment. ad L. Quiſquis. C. ad L. Jul. Majeſtatis. Franekeræ Anno cIɔIɔcxxv.

Orationem de Commodiore perdiſcendi Juris ratione, habitam in illuſtri gymna-

gymnaſio Gelro-Velavico (Harderviceno) *cum prælectiones auſpicaretur.* Anno eodem.

Anno cIↃIↃcXXVIII. *Electorum Juris Civilis libb. duos, in quibus varia J. Civ. loca & quæſtiones noviter explicantur, deciduntur, tractantur.* præfixit eis Encomium collega ejus Iac. Zevecotius in hæc verba:

Ad Themidem

Pro Electis Clariſ. & Doctiſ. V. D. Everardi Balck, J. U. D. & Profeſſoris publici.

Verenda diva, ſola quæ tuo jure
Rerum Magiſtra diceris, ſalus mundi,
Cui tot Catones Belgium, tot heroës
Patriæ parentes, vindices tyrannorum
Debere gaudet: BalckI tui fœtum
Electa Iuris, quæ tibi ſacrat, ſume.
Longoſque commentarios, meras nugas,
Meras charybdes inſciæ juventutis,
Quos barbarorum faſtus aut ſtupor ſcripſit
Omitte tandem. quique tot ſalebroſos
Legum receſſus eleganter explanat,
Nihilque nobis barbarum, nihil vile
Obtrudit uſquam (quale jam magiſtelli
Vani minorum gentium patres edunt)
Sed ubique doctus & Latinus apparet,
Æternitati, quam meretur adſcribe.
Cunctiſque narra, vita ſi fluat conſtans,
Curiſque nullis impedita vel morbis,
Quod hoc patrono reſtituta florebis,
Cui jam perenne fama nomen addixit
Quacunque Titan tollit aut premit lucem.

Omen habuit quod de morbis inſeruit, nam eodem anno morbus ſcorbuti (ſceletyrbem puto vocant) immoderatis vigiliis contractus uſque adeo ingraveſcere cœpit, ut in Patriam, Daventriam deferri optaverit, mutandi, aëris & parentis viſendæ cauſa, ibique ex eodem morbo occubuit II Martii cIↃIↃcXXVIII. parentavit ei eleganti carmine Belgico H. Heidendalius J. C. defuncti affinis.

XXVI Martii Philippus Rovenius (de quo nobis ſuo loco plura dicenda erunt) reformatione Eccleſiæ Aldenzalienſis inſuper habita, ſuam in

in ea adhuc imaginariam ὑπεροχὴν exercere voluit, affixo hoc diplomate.

,, Philippus Dei & Apoſtolicæ ſedis gratia Archiepiſcopus Philippenſis, ,,& per diœceſin Ultrajectenſem, Hollandiam, cæteraſque eis confedera- ,,tas Belgii Provincias Vicarius Apoſtolicus, Præpoſitus Aldenzalenſis: ,,multum Reverendis, & dilectis nobis in Chriſto Decano & Capitulo, ,,totique Clero Collegiatæ Eccleſiæ S. Plechelmi Aldenzaliæ ſalutem in ,,Domino. Cum divina favente gratia jam pridem Eccleſia S. Plechelmi ,,ad priſtina religionis Catholicæ exercitia liberè obeunda ſit reſtituta, omni ,,ſtudio laborandum eſt ut ea quæ ſui officii ſunt ſinguli deinceps in ſuo ,,ordine fideliter & ferventer adimpleant, ne ob culpas neglecti divini ſer- ,,vitii rurſum iram Domini promereamur, & ſit tandem nulla curatio. Quo- ,,circa paterno affectu & ſolicitudine, pro ratione mandati nobis officii, quæ ,,ſæpe ante hac tum per Nos tum per prædeceſſorem noſtrum conformiter ,,ſtatutis & ordinationibus Eccleſiæ vobis præſcripta ſunt, & ſalubriter obſer- ,,vari mandata, recapitulanda & in uſum revocanda duximus, ne coram ,,ſupremo judice Deo, ſi amplius diſſimulaverimus, perditionis animarum ,,nobis commiſſarum rei inveniamur. In primis itaque quia S. Concil. Tri- ,,dentinum mandat Clericis, & nominatim Collegiatarum Eccleſiarum Ca- ,,nonicis, ut intra annum ad requiſitos ordines ſe faciant promoveri, in ,,iiſdemque ipſi per ſe miniſtrent: perſpicuum vero ſit, quod Eccleſia Col- ,,leg. S. Plechelmi Aldenzaliæ ex ſingulari dignitatis prærogativa habeat, ,,quod decem Seniores Canonici debeant eſſe Preſbyteri, qui & hebdomarii ,,vocantur, eo quod per vices ſuis ſeptimanis ſummo altari deſervire de- ,,beant: Unde & ab antiquo ſic obſervatum ſcimus, adeo ut qui in defectu ,,fuerant per annos ferè ſingulos à Decano & Capitulo moniti ſint ſe quali- ,,ficare, ut in protocollo Capituli videre licet, præſertim ab Anno cIↃ ,,IↃLXI. a Decano Virſen, & deinceps ab aliis factum. Itaque & Nos ,,denuo ſub graviſſimis inobedientiæ pœnis diſtricte præcipimus, ut Cano- ,,nici qui debitos Ordines nondum ſuſceperunt, intra annum a die inſinua- ,,tionis præſentis decreti ſuſcipiant illos, alioqui Junioribus illum Ordinem ,,habentibus cedent, nec ad Capitulum ullo modo admittentur, inſuper à ,,perceptione proventuum Præpoſituræ erunt ipſo facto ſuſpenſi: Manenti- ,,bus interim in vigore ſuo ordinationibus factis ab Illuſtriſſ. D. Saſboldo ,,bonæ mem: Anno cIↃ IↃcxii. die xxiv Martii. item A°. cIↃ IↃcxiv. ,,die xiv Aprilis. item noſtris ordinationibus factis A°. cIↃ IↃcxv. die ,,xvi Octobris, nec non A°. cIↃ IↃcxix. die ix Septembr. item A°. cIↃ ,,IↃcxx. die xv Junii. Salvo item decreto Decani & Capituli quod A°. ,,cIↃ IↃcxii. ſalubriter factum, & A°. cIↃ IↃcxviii. die xix Junii re- ,,novatum eſt, & cum præcedentibus noſtris & Illuſtriſſimi Saſboldi decretis

 ,,in

„in loco proviſionali conſueto, ac ad oſtium domus Capitularis diu affixum „permanſit. Porro ſicut ad Capitulum nullus deinceps admittetur, qui „convenientes ſuæ præbendæ Ordines non habet, ita curabunt ſinguli in „ſuis Ordinibus perſonaliter deſervire, ac diebus feſtis præſertim Domi-„nicis non alii quam Canonici in ſummo altari miniſtrabunt. Ad hæc quæ „de loco Paſtoris tum a Nobis, tum a Capitulo ſæpius decreta & ordinata „ſunt, præſertim in noviſſima noſtra viſitatione Anno cIↃ IↃ c xxv. die xxi „Martii, & iterum die vi Junii, accuratiſſime obſervari ſub pœnis illic ex-„preſſis jubemus. Et quia intelleximus quendam non obſtantibus aliquoties „repetitis noſtris ordinationibus quandoque publice cum magno ſcandalo „contra Paſtorem de præcedentia contendiſſe, nec voluiſſe cum ipſo in pro-„ceſſionibus incedere, in publicis etiam precibus ab illo declinando: Hinc „eſt quod eidem, & quibuſvis aliis denuo diſtricte mandamus prædictis or-„dinationibus noſtris & Capituli ſimpliciter acquieſcere, & ſine ulla tergi-„verſatione Paſtori locum (quem ei competere immediate poſt D. Walte-„rum declaravimus) cedere. Quod ſi quis deinceps in minimo vel facto „vel verbo contrarium oſtenderit, eo ipſo privatus erit omni loco, voce & „Jure Capituli, ac proventibus Præpoſituræ: & injungimus Receptori no-„ſtro ut illo caſu ipſi per Nos, vel etiam per Decanum & Capitulum inſi-„nuato, nihil ex iſtis proventibus illi concedat, ſub pœna iteratæ ſolutionis „nobis faciendæ, ad uſum Eccleſiæ vel pauperum. Si nihilominus contu-„max perſtiterit, volumus ut ſine ulla gratia omnibus proventibus præbendæ „ſuæ per Capitulum privetur, adeoque ipſa præbenda omni appellatione „remota privatus exiſtat. Inſuper monemus, & ſub interminatione divini „Judicii præcipimus, ut omnes & ſinguli tam Canonici quam alii de Clero, „Decano debitam obedientiam & reverentiam præſtent, memores juramenti „præſtiti ad formam Capitulorum Eccleſiæ Cathedralis Daventrienſis, & „Metropolitanæ Ultrajectenſis. Incumbit vero Decano omnia quæ Juris & „Statuti ac conſuetudinis ſunt, & per ſuperiores ac Capitulum ordinata & „mandata exequi, quæque ad diſciplinam, habitum, mores Cleri, divi-„numque officium ſpectant; poteſtque contra inobedientes ac delinquen-„tes, tum per ſe, tum per Capitulum, etiam per ſuſpenſionem a proven-„tibus, aut incarceratione, aliaſque pœnas majores procedere, maxime ea „authoritate quam habet a Nobis tanquam Vicarius Generalis diœceſis „Daventrienſis. Vicariæ S. Plechelmi non aliis conferantur quam illis qui „intra annum Preſbyteratus Ordinem ſuſcipere ſint parati & idonei: ſalvo „quod propter ſtudia poterit Decanus & Capitulum per unum duntaxat ul-„terius annum cum iis diſpenſare, ſic tamen ut debita ſacra non negligan-„tur. Tenebuntur etiam Vicarii, nunc & deinceps ſingulis annis dare De-„cano & Capitulo Regiſtra ſuorum proventuum & paramentorum altaris.

„Cura-

,,Curabunt inſuper fundationibus ſuis ſatisfacere, & ad minimum ter in
,,ſeptimana celebrare, horaſque ac dies ſibi ad celebrandum præſcriptos
,,non negligere, ſub pœnis ſuper hiſce alias conſtitutis. Domus Clau-
,,ſtrales quæ reparatione indigent ab iis qui eas poſſident, vel inhabitant,
,,quam primum reparentur, & ſartæ tectæ conſerventur: ſimiliter domus
,,Vicariorum, alioquin curabit Capitulum eas ipſorum ad quos pertinent
,,ſumptibus reparari. Omnes omnino tam Canonici quam Vicarii ſuper-
,,pelliceis induti erunt antequam Chorum intrent, vel Capitulum: &
,,foris & in Eccleſia habitu honeſto & Clericali, ac Tonſura convenienti
,,utentur: qui longiori utuntur capillitio, uſque ad aures tantum decenter
,,compoſitum attondeant: ſi à Decano moniti in his & ſimilibus negligen-
,,tes fuerint, pro ratione culpæ punientur. Cantum Eccleſiaſticum omnes
,,addiſcere ſint ſoliciti, & in eo ſe exercere, habeantque ſinguli libros ſuos
,,proceſſionales, & ad laudem Dei, graviter, tractim, & honeſte cantent
,,quæ canenda ſunt. Qui in diſcendo cantu vel canendo negligentior fuerit
,,pro modo defectuum puniatur. Nullus deinceps ad beneficium Eccleſiaſti-
,,cum admittatur, niſi idoneus ſit per ſe miniſterium ſuum adimplere, ac
,,talis qui moribus & ſcientia ita excultus ſit, ut ſperetur ædificaturus Ec-
,,cleſiam Dei. Præcipimus etiam, ſecundum Sacros Canones & Concil.
,,Tridentini mandatum, ne ullis expectativæ aliquæ beneficiorum concedan-
,,tur, ſed ſolum ubi vacaverint beneficia, dignis tempeſtive provideatur.
,,Si quæ expectativæ aliquibus conceſſæ ſint, eas ex nunc revocamus, &
,,nullius omnino valoris eſſe declaramus. Vigiliæ defunctorum in quadra-
,,geſima bis ad minus ſingulis hebdomadibus decantentur, & extra quadra-
,,geſimam ſaltem ſemel in qualibet hebdomada, quod hebdomarii erit cu-
,,rare ſub pœna decem ſtuferorum toties quoties; curetque ſcriptor tabulæ
,,feriales dies quibus illæ cantandæ ſunt annotare, omiſſis aliis. Ut autem
,,tractius & decentius canantur, concedimus ut trium tantum lectionum
,,Vigiliæ deinceps habeantur. Similiter indulgemus ut in horis Canonicis
,,Lectiones poſthac ex Breviario Romano ad majorem commoditatem &
,,decentiam decantentur. Denique mandamus omnibus & ſingulis ſub ob-
,,teſtatione divini Judicii, ut ab omni ſuſpecto contubernio, impudicitiis,
,,ebrietatibus, compotationibus, tabernarum frequentatione, choreis,
,,ac ludis illicitis abſtineant: ſobriè, piè, ac caſtè vivere curent, verbo de-
,,nique & exemplo ita omnibus prælucere ſtudeant, ut verè Clerici ſeu de
,,ſorte Dei dici & eſſe mereantur. Porro cupimus præſens ſtatutum publice
,,in Capitulo prælegi, & in loco proviſionalis, aut ad oſtium domus Ca-
,,pitularis affigi, ut nullus prætexere poſſit ignorantiam. Hortantes & ro-
,,gantes in Domino R. R[dos]. & Eximios Dominos Decanum & Capitulum,
,,ut ad honorem Dei & Eccleſiæ utilitatem pro executione præſentis ſtatuti

„& conſtitutionis noſtræ ſtrenue laborent, delinquentes abſque ulla conni-„ventia puniendo. Actum Aldenzaliæ die XXVI Martii Anno Domini „CIↃIↃCXXVIII.

Philippus Archiepiſcopus Philippenſis, Vic. Apoſtolicus.

Ex mandato Illmi. ac Rmi. Domini mei, *G. Moickius* Secret.

Lecta ſunt hæc per Reverendum Dominum Decanum, præſentibus R. Canonicis & Vicariis juxta protocollum, nemine contradicente, nona die Iunii, Anno CIↃCIↃCXXVIII.

Henrico M. Friſo, *Secret.*

Huic diplomati, poſtquam publicè affixum eſſet duo è Canonicis hæc ſubſcripſere, alter in hunc modum:

„ Dominus Twickello, proteſtatur de nullitate hujus mandati, ut pleni „ falſitatibus & mendaciis, & non conſentit, nec unquam conſenſit.

Alter in hæc verba:

„ Dus. G. Trutius nec in ſupradictis auditus, nec aderat cum legeretur, „nec conſentit.

Ipſum diploma à noſtræ partis hominibus revulſum ac ad Daventrienſe ſynedrium miſſum fuit, quod una cum reliquis Tranſiſalanæ Provinciæ Eccleſiis apud Ordd. procuravit, nequid ſimilis inſolentiæ in poſterum committeretur.

Menſe Julio, cum Comes Schwartzenburgi Lubecæ apud congregationem civitatum Hanſeaticarum reſponſum urgeret, ad ea quæ Cæſaris nomine propoſuerat, tale accepit: Optare ipſos, ut integrum ſibi eſſet petitioni Cæſaris ſatisfacere, ſed nullo modo in id conſentire poſſe, ut permitterent id quod Cæſar ſuper maritima navigatione ab ſeſe flagitaſſet: cum ſuarum virium non eſſet, opponere ſeſe iis qui mari Orientali utebantur: contra fixum & ſtatutum ſibi eſſe, inhærere ſuæ neutralitati, cujus conſervandæ gratia Legatos ad Cæſarem ſe miſſuros. quod & factum. & miles quoque conſcriptus, ad limites eorum ac libertates, ſi quis eas imminutum iret, protegendas.

Anno CIↃIↃCXXIX. Magiſtratus Daventrienſis in hæreditatem Bodekerianam immiſſus juxta extremam ejus voluntatem, de erigenda illuſtri ſcholâ ſerio cogitare cœpit. unde III Martii die de vocando Profeſſore

Philo-

Philoſophiæ actum. XXIV prælectum in Senatu ſcholaſtico decretum de vocando Philoſophiæ Profeſſore. Cumque per bellum Germaniæ inteſtinum, diſſolutum eſſet gymnaſium Herbornenſe, Profeſſoribus huc illuc dilapſis, viſum fuit Clariſſ. Alſtedii animum per literas tentandum, num ad eam profeſſionem demittere ſe vellet. XXVIII literæ ad Alſtedium confectæ, quibus adjuncta Epiſtola Magiſtratus, & petitio commendationis ad Io. Mauritium Naſſoviæ Comitem.

XXXI Aprilis prælectæ in Senatu ſcholaſtico literæ Alſtedii, quibus ſignificat ſe eſſe in nexu Principis Tranſſylvaniæ, dubitare tamen an ſalvum commeatum in illas oras ab Imperatore ſit impetraturus, qui ſi negetur, inclinare ſe ad hanc profeſſionem amplectendam, qua de re nos certiores facturus ſit. Cum autem D. Schickardus ſe quoque offerret in Profeſſorem Juris, id ipſum Magiſtratui indicari placuit.

XXX Maji Schickardus ad Profeſſionem Juris & Philoſophiæ practicæ à Magiſtratu vocatur.

XXX Junii prælectæ in Senatu Scholaſtico literæ Alſtedii & Schickardi. & hic quidem Profeſſionem Juris amplectebatur, ſed petebat Philoſophia practica non gravari, ſimul ſignificans, ſe ante autumnum adeſſe non poſſe. vocatus ergo fuit in Profeſſorem Juris, videlicet Inſtitutionum & Pandectarum. Quum vero Alſtedius recuſaret Profeſſionem Philoſophiæ citra Profeſſionem Theologiæ, obtentum fuit à Magiſtratu, ut in Profeſſorem Theologiæ vocaretur, idque ei tum à Magiſtratu, tum à Senatu ſcholaſtico XX Julii per literas indicatum. Placuit & Revium mitti in Hollandiam ad quærendum qui Profeſſionem Philoſophicam in ſe ſuſciperet.

Qui dum abeſt, hoſtis Iſala ſcaphis trajecto, in Velaviam irrumpit, & Daventriam, ac urbes Iſalanas reliquas in magnum terrorem conjicit. quumque annonæ in illis magna eſſet penuria, Revius Leida redux Amſtelodami unum è Senatu ſuper ea re conſulit, qui ei ſignificavit ab Ordd. Generalibus decretum, ut naves aliquot frumento onuſtæ eo mitterentur, quibus Daventriæ, Zutphaniæ, Doeſburgi in hac neceſſitate ſubveniretur, petens ut id Senatui Daventrienſi pro indubitato ſignificaret. Revius, dum hoſtis copias adhuc continebat, neque ut quaquaverſum diſcurrerent permittebat, feſtinanter, trajecta Velavia contendit Daventriam. ubi totam rerum faciem mutatam inveniens, ac nihil præter apparatus ac ſtrepitus bellicos conſpicatus, non neglexit tamen de ſucceſſu ſui itineris ad Senatum ſcholaſticum referre, & aliquot Philoſophos quibuſcum de profeſſione egerat, ei indicare. Paulo poſt annona Amſtelodamo adverſo Iſala ſubvehitur, & opportune in eas quas diximus urbes immittitur. quæ deinceps, agricolis meſſem ſuam, ne ab hoſte interciperetur, in eaſdem conjicientibus, à penuriæ metu fuerunt ſublevatæ. Occupatum ab hoſte Amorfoitium. Sed ſtratagemate

a noſtris

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

à noſtris recepta Veſalia, hoſtem ſpe, nos metu liberavit. contigit id XVIII Auguſti die, & nuncio ejus Daventriam delato, tantum ibi gaudium fuit, quantum ab annis compluribus fuiſſe nemo meminerat. XXIV & XXV hujus menſis die relictum Amorfortium, nec multo poſt totus Velaviæ tractus.

XXXI Auguſti prælectæ Daventriæ in Senatu ſcholaſtico literæ Alſtedii ad Revium hiſce verbis ſcriptæ:

„ Τὸ διοδοῦ.

„Nihil magis in votis habeo, Vir Reverende & Doctiſſime, quam inclyto
„veſtro Magiſtratui meam operam in Domino locare. Verum Princeps
„Tranſſylvaniæ vellicat mihi aurem, ut liberem fidem meam, quam ſemel
„dedi, ne forte illis accenſear.

„ οἶσιν οὔ τι βωμός, οὐ πίστις, οὔθ' ὅρκος μένει.

„Quod quidem nequis mihi jure merito poſſit occurrere, collegam meam
„M. Piſcatorem ante hos quatuordecim dies expedivi Viennam, ubi legati
„duo Sereniſſimi Principis me & meos opperiuntur. Reſcribet ille primo
„quoque die, quid movere aut promovere debeam. Cum primum accepero
„reſponſum, reddam vos certiores. Ne vero interea vos in ſuſpenſo te-
„neam, ecce ſanctè promitto, ne non ſolum ad vos venturum, ſed etiam
„Philoſophiæ Profeſſorem adducturum, qui habeat ἅπαντα ὀκνῶ, ſi meum
„iter in Tranſſylvaniam non procedat. quod quidem fermè optarim. Vale,
„Vir Reverende, tuoſque collegas meo nomine plurimum ſaluta. Her-
„bornæ XXV Julii CIↃIↃCXXIX.

„ T. R. *Studioſiſſimus*

„ I.H. Alſtedius.

Inſcriptæ erant:

„ Viro Reverendo & Doctiſſimo Dn. Iacobo Revio, verbi Dei apud
„ Daventrienſes Miniſtro vigilantiſſimo. Dn. ac amico meo pl. honorando.

Daventriæ.

Schickardi etiam literæ prælectæ, quibus ſalvum conductum itineri ſuo procurari flagitabat.

VII Octob. Actum de Matthia Paſore, qui Groningæ Philoſophiam docebat, in Profeſſorem Philoſophiæ & Hebrææ linguæ Daventriam vocando. quod Senatus Scholaſtici conſilium approbatum fuit a Magiſtratu ejuſdem menſis XVI. & miſſus ad eum vocandum Winandus Alſtorphius. XX. deliberatum de cœnobio, dicto *het Lammen-Clooſter* aptando in duo auditoria.

XXX Ejuſdem menſis, quia Paſor venire abnuebat, decretum ut rogaretur David Scanderus venire Daventriam, quo cum ipſo de profeſſione conſilia conferrentur. Interim Henrico Guthberleto Logica & Ethica docendæ imponuntur.

XVII No-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

xvii Novembr. Scanderus venit. quo etiam die de D. Crucigero in Theologiæ Profeſſorem vocando actum. ſciſcitatum de eo apud D. Gomarum, Antonium Matthæum, & Profeſſores Leydenſes. xix Novemb. Scanderus vocatur.

ix Decembr. Vedelius commendatur. xv. viſis literis Ant. Matthæi & Georgii Paſoris, decreta vocatio Crucigeri in Profeſſorem Theologiæ & Hebrææ linguæ. xx. ſcripta ejus vocatio. quo die etiam ſancita ſubſcriptio Canonum Synodi Dordracenæ a Profeſſoribus facienda, formula ejus libro Actorum gymnaſii inſerta.

Hoc anno Sedani editos invenio Pſalmos Lobwaſſeri, ubi inter alios hymnos extat quidam *Matthæi Quadi Daventrienſis*, è rhytmis Friderici IV. Comitis Palatini Electoris ad Rhenum in Pſalmum cxix expreſſus, & in Cantici formam redactus. cujus nomen hic a me annotari non inconveniens eſſe judicavi.

Anno cIↃIↃcxxx. programma quod ſequitur in Senatu ſcholaſtico prælectum, & ut excudatur, ac variis locis affigatur decretum.

Quod felix fauſtumque ſit.

Senatus Scholaſticus Daventrienſis, omnibus virtutis ac literarum cultoribus

S.

„Ampliſſimus Magiſtratus Daventrienſis, triſteis ac undique ferè ejectas
„hac tempeſtate Camœnas miſeratus, hoſpitium eis in hac urbe ape-
„rire, Deo O. M. annuente, decrevit: Gymnaſium videlicet illuſtre, in
„quo ſtudia non humanitatis modo ſed & pietatis excolentur; è quo &
„reipubl. & Eccleſiæ futura columina, cum bono Deo, prodibunt; per
„quod non noſtris duntaxat ſed & poſterorum commodis egregie proſpe-
„ctum iri ſperamus. Præficientur ei viri aliquot divinæ humanæque ſa-
„pientiæ notitia celebres; è quibus (dum reliqui expectantur) Cl. Vir
„Henricus Guthberletus in illuſtri quondam ſcholâ Herbornenſi Philoſo-
„phiæ Profeſſor, & Præſtantiſſ. D. David Scanderus Artium Liberalium
„ambo Magiſtri a. d. xvi Febr. cIↃIↃcxxx. ſtyl. vet. lectiones Philo-
„ſophicas, ille quidem Logicas ac Ethicas, hic vero Phyſicas ac Metaphy-
„ſicas auſpicabuntur. Siquæ ſunt animæ candidæ, ſiqui adoleſcentes vir-
„tutis pariter ac eruditionis amantes (alios enim non moramur) eos hoc
„programmate ad gymnaſium noſtrum ſua gratiſſima præſentia coloneſtan-
„dum peramanter invitamus, ac ne ſui eos incepti merito pœnitere poſſit,
„nos ſedulam navaturos operam (divinum auxilium apprecati) polli-
„cemur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

XV Februarii Guthberletus exhibet Senatui ſcholaſtico vocationem ſuam, & Canonibus Synodi Dordracenæ ſubſcribit.

XVI. Habetur publicus Actus inaugurationis in auditorio Philoſophico. De ſententia Senatus ſcholaſtici à Revio è Cathedra præleguntur leges gymnaſii, deinde Orationes habentur, à Guthberleto de uſu gymnaſiorum publicorum, à Scandero in laudem Philoſophiæ.

Eodem tempore editur ſequens Epicedion, viduæ quondam D. Balthazari à Bodeker, cujus liberalitati erectio hujus gymnaſii debetur.

Epicedium in obitum Nobiliſs. & Ornatiſs. Dnæ. Johannæ à Grotenhues, viduæ quondam D. Balth. à Bodeker.

SI cuiquam proferre diem, ſupremaque poſſet
Funera, vel vitæ pietas, vel gratia morum,
Viveret, & Pylios Bodekeria vinceret annos;
Illa quidem ſenio gravibuſque exercita morbis
Corporis exuvias haudquaquam invita reliquit,
Sed cum cerva fugax, cum per tot ſecula vivat
Corvus edax, cur facta homini eſt natura noverca?
Cur Amita aſpicio triſti te morte peremtam
Quæ me plus oculis, quæ me plus corde ſolebas
Diligere, atque omnes intenta requirere in horas,
Maternæ oſtentans plus quam pietatis amorem?
Cur periere manus inopis ſolatia turbæ?
Cur in morte latent æternis clauſa tenebris
Lumina, nequitiæ quæ nulla redarguit ætas,
Nulla dies vidit triſti ſurgentia faſtu?
Cur rodunt vermes linguam, quæ rodere nullum
Sueverat, at facili miſcebat verba lepore,
Excuſans vitia, atque alienæ credula laudi,
Omniaque in melius vertebat nomina rerum?
Sic ferrugineo veſcuntur apes hyacintho,
Serpilloque, humiliq; thymo, maleſuavibus herbis,
Nec minus inde tamen componunt dulcia mella,
Flagrantique leves diſtendunt nectare cellas.
Felix, ô nimium felix, cui vita tenorem
Ducta per æqualem nunquam de tramite recti
Flexit in ambiguum, quam nec vernante juventa
Ociave, aut molles vicere Cupidinis ignes,
Non inhiantem opibus vidit maturior ætas,
Non ſenii labefecit onus, nec turgida letis,

Nec

Nec ſuſpenſa metu, nec vanis anxia curis,
Perpetuum infracta ſervavit mente vigorem;
Pacis amans, certoque optans decedere jure,
Quam rabido pugnare foro, præſentibus utens,
Præteritis exempla trahens, ſecura futuri,
Rara foris, operoſa domi, non invida magnis,
Æmula nec paribus, nec turbæ dura minori,
Inter opes medias, atque auri multa talenta
Oſtendit fortunam animo ſe ferre minorem;
Blanda ſuis, larga hoſpitibus, ſtudioſa propinquis,
Obſequioſa viro, caſto quem ſemper amore
Viventem, & memori dilexit pectore fato
Defunctum; teſtor te nunc Bodekere, tuoſque
Egregios manes, & magni nominis umbram,
Bodekere, cui tantum patria inclyta debet
Alcuino *quantum numeroſa Lutetia magno:*
Sumptibus ecce tuis nova nunc Academia ſurgit,
Muſarumque adytis ſedem Daventria præbet.
Hic locus eſt, ſi certa fides ſpondentibus aſtris,
Phœbus ubi, nymphæque novem manſura locabunt
Hoſpitia, & ſpreta migrabunt Phocidos unda;
Hic erit ille locus, de quo, ceu fonte perenni,
Plurima naſcetur clarorum turba virorum,
Qui patriæ decores, & nati rebus agendis,
Illuſtrem extendent ventura in ſecula famam.
At tu, quæ mundi aſſiduis erepta periclis,
Nunc Amita æthereas arces, portumque beatum
Secura ſtatione tenes, quæ ſydera cœli
Sub pedibus, nubeſque vides, terraſque jacentes;
Reſpice nos de ſede tua, quibus omnia tecum
Ocia, & in vanos abierunt gaudia queſtus:
Quaſque damus cineri lacrymas, quæ juſta ſepulcro
Solvimus, & memori depromptas pectore grates
Accipe, quoque ſoles vultu dignare nepotem.
Dum memor ipſe mei, dum ſtabit vita ſuperſtes
Nulla dies unquam noſtro te pectore tollet;
Forſan erit, cum fata volent, qui me quoq; functum
Miſcebit charo cineri, quique oſſa ſepulchro
Inferet, atque urna tecum componet eadem.

Obiit Anno 1630. 25. Octob. Ætat. 81.

Vita mihi navis, tellus mare, patria cœlum,
In patriam veni per mare nave mea.
Vita ratis, mors eſt portus, terra æquoris inſtar,
Vela fides, cœlum patria, nauta Deus.
Hac rate, & his velis, nautaque regente per æquor
Ex portu veni ſydeream in patriam.

Non Amitæ ſed matri,

J. GROTENHUES.

Epitaphium Dn. Balth. à Bodeker Veenhuſii.

Bodeker hic jaceo, primæ qui flore juventæ
Aſpera in extremis finibus arma tuli.
Inde domum rediens Muſis habitacula fixi,
Surgeret ut patriæ priſtina fama ſcholæ.
Vixi equidem ut morerer, ſed ne morerer quoque vixi,
Sic mihi mors vitam ſuſtulit, atque dedit.
Bodeker hic ſitus eſt, vita laudatus utraque,
Marte fero juvenis floruit, arte ſenex.

„ Natus eſt anno cIↃ IↃXL. Germaniam, Gallias, Italiam peragravit; „ Africam univerſam, oram maritimam a Freto Gaditano uſq; in Ægyptum, „ ſub Neapolitanis, Siculis, & Melitenſibus triremibus luſtravit; Adfuit pu„ gnæ navali ad Naupactum, ubi Chriſtiani de Turcis nobiliſſimam victoriam „ conſecuti ſunt; Bello Colonienſi, Homburgi præfecti in Belgio Legionis „ equeſtris protribunus fuit. Domum reverſus & ducta uxore, ſed ſterili ma„ trimonio, moriens ampliſſimas facultates ad Illuſtris ſcholæ Daventrienſis „ fundationem teſtamento legavit, quæ deinceps feliciter aperiri cœpit Anno „ cIↃIↃCXXX. XVI Febr. Obiit Anno cIↃIↃCXVII. XI Febr.

XXIII Febr. Initium fit Lectionum publicarum.

XXIV. literæ Crucigeri in Senatu ſcholaſtico prælectæ, in hæc verba:

„ Salutem ac proſperitatem à Deo perennem!

„ Jucundiſſime legi, Reverende & Clariſſime Hieromyſta, fautor ſingu„ laris, quæ publico Magiſtratus veſtri Ampliſſimi nomine mihi tranſmiſſæ „ ſunt literæ. ardentiſſimi, quem pro Dei gloria, ejuſque regno ampliando „ ſpiratis, Zeli, ut & ſummi in me veſtri amoris ac favoris notis maxime „ inſignes. Proinde non poſſum, quin iſti veſtro ad omnem pietatis memo„ riam laudabiliter aperto gymnaſio Divini numinis gratiam, benedictio„ nem, & clementiſſimam ab omni malo protectionem toto pectore ad„ precer, benevolum inſuper, quo in me propendetis, affectum, volunta„ tiſque

„tiſque propenſionem, memori, quoad vixero, mente deprædicaturus.
„Optarim ſanè aliquanto citius iſta mihi obtingere potuiſſet vocatio, quum
„nimirum agerem adhuc dum Hanoviæ. Jam enim abhinc menſibus ali-
„quot Illuſtriſs. & Celſiſs. noſter Haſſorum Princeps ac Dominus, Do-
„minus Gulielmus &c. hic Caſſellis illuſtrem erexit ſcholam, in qua juven-
„tus in Liberalium artium, atque inprimis, quæ ſecundum Deum eſt pie-
„tatis ſtudiis informetur: Cujus Celſitudini Illuſtriſſimæ tam in Profeſſio-
„nis Theologicæ, quam in ἐφορείας atque in alumnos inſpectionis obeun-
„do munere, meam addixi opellam, obſtrinxique fidem. Quo nomine
„Reverentia Tua Ampliſſimo veſtro Senatui, haud gravate, & qua par eſt
„obſervantiâ me purgabit, qui alioqui nil propemodum ardentius cupiam,
„quam ut veſtrum mei explere potuiſſem deſiderium. Enitar interim,
„atque, ut ſpero, conſequar, ut propenſæ illius in me voluntatis & bene-
„volentiæ veſtræ fructum aliquando feratis, ac reapſe intelligatis non pe-
„riiſſe, quam ita collocaveritis gratiam.

„ Deum, quod ſupereſt, ardentiſſimis gemitibus ac votis comprecari
„non deſinam, ut illuſtre Athenæum veſtrum illud, ab omni hoſtili incurſu
„potenter protegat atque aſſerat, ac diutiſſime pietati & literis ſervet, adeo-
„que felice omnium rerum ſucceſſu locupletet, ad ter ſancti ſui nominis
„gloriam, & regni Beſtiæ deſtructionem ac πανωλεθρίαν. Amen.
„ Curſim XXIII Januarii, ſtyli veteris Anno CIↃIↃCXXX.

Qui

Reverentiam Tuam debite colo

Georgius Cruciger Th. D. & Profeſſor Illuſtris Collegii Principalis Caſſellani, & ſtipend. Ephorus.

Inſcriptæ erant:

„ Reverendo & Præcellentiſſimo Theologo Dom. Iacobo Revio, fide-
„liſſimo Eccleſiæ, quæ Daventriæ colligitur, Miniſtro, & verbi Dei præ-
„coni &c. fratri in Chriſto dilecto, &c.

Daventriam.

Eodem tempore obtulit ſe in Profeſſorem Medicinæ Conradus Matthæi,
ſed dilatum fuit hoc negotium in tempus opportunius.

XVIII Martii comparet coram Senatu Scholaſtico Schickardus, & Canonibus Synodi aliiſque formulis ſubſcribit.

Commendatur a D. Brederodio, Ordinum Belgii negociorum geſtore
in urbe Baſilea, ut & à Cl. Riveto & Altingio, Nic. Videlius Profeſſor Philoſophiæ

loſophiæ & Miniſter Eccleſiæ Genevenſis. decernitur petenda a Magiſtratu ejus vocatio ad Profeſſionem Theologiæ & linguæ Hebrææ.

XXX Martii vocatur a Senatu Vedelius, & literæ ad ipſum, ut & A. Magiſtratum & Rever. ſynedrium Genevenſe hoc fine mittuntur.

XIII Aprilis Schickardus Orationem Inauguralem habet.

XXVI Maji de Wernero Teſſchenmakero in Doctorem Medicinæ vocando actum.

VII Junii lectæ in Senatu Scholaſtico literæ Vedelii, quibus Profeſſionem ſe amplecti ſignificat, ſcriptæ IV Maji. Quum autem monitus fuiſſet, ut gradum Doctoratus ante adventum ſuum aſſumeret, eum obtinuit in itinere, Baſileæ XXIV Junii, poſtquam biduo ante, publicè pro eo acquirendo diſputaſſet. libet ſubjicere programma promotoris, eſt autem tale:

Sebaſtianus Beckius novi Teſtamenti in Academia Baſileenſi Profeſſor, Decanus & Promotor, univerſis & ſingulis Philo-Theologis gratiæ & pacis Chriſti incrementa.

„QUos unus ille Doctor noſter Jeſus Chriſtus ad dexteram Dei Patris „ſedens, Eccleſiæque ſuæ Paſtores & Doctores dans, per Unctio„nem Spiritus ſui, donis ad docendum neceſſariis, ſermone ſcientiæ & fa„cultate prophetandi, egregiè inſtruxit, ſicque Ordini Doctorum Ipſemet „inſeruit; illi ſane, poſteaquam honeſtiſſimis Academiarum, ex præſcripto „Verbi Dei reformatarum, Legibus & Conſtitutionibus ſatisfecerunt, ſo„lenni illo Doctoratus Axiomate, more rituque Majorum εὐσχημόνως jure „merito exornantur, atque ita Eccleſiis & Scholis traduntur & commen„dantur, tanquam Luminaria candelabro imponenda, ut per gratiam Filii „hominis, qui eſt in medio candelabrorum, & lucidas Stellas manu ſua te„net, ſplendeant omnibus, qui ſunt in domo Dei.

„In horum autem numero excellit Reverendus & Præſtantiſſimus Vir, „D. M. Nicolaus Vedelius Palatinus. Is enim vitam inculpatam, fidem „ſuam orthodoxam & ſanum cum Eccleſiis noſtris conſenſum, Doctrinam „variam & excellentem, lectionem multiplicem, linguarum, Hebrææ, Græ„cæ & Latinæ, peritiam, & docendi diſſerendique dexteritatem, tum olim „Heidelbergæ, ubi Philoſophiæ Gradum ſingulari cum applauſu conſecutus „eſt, tum nobis heic Baſileæ luculentiſſimis omnique exceptione majoribus „teſtimoniis, eruditiſſimiſque collationibus & diſſertationibus, tum jam „pridem Genevæ, ubi per decennium ſacro verbi Miniſterio functus eſt, ac „Profeſſionem publicam per duodecennium & amplius magna cum laude „ſuſtinuit, tum denique publice omnibus, evulgatis multis eruditiſſimis lu„cubrationibus, ſufficienter comprobavit. Unde etiam factum eſt, ut nuper

„ab

„ab Ampliſſimis inclytæ reipubl. Daventrienſis proceribus ad Profeſſionem
„Theologicam invitatus & legitime vocatus ſit, eamque ob cauſſam, eorun-
„dem conſilio & voluntate, Doctoratus Theologici laureâ ornari à nobis
„poſtulaverit.

„Quod ergo Deus Opt. Max. Eccleſiæ ſcholæque Chriſtianæ, inprimis
„Daventrienſi, felix fauſtumque eſſe velit, Præſtantiſſimo huic Candidato
„noſtro, ubi prius de illuſtri & hoc tempore ſcitu maxime digna quæſtione,
„Quænam Arminianorum fides ſit & religio? pro more diſſeruerit, hono-
„res, quos doctrina & virtus ejus meretur, cauſſæque graviſſimæ requirunt,
„Doctoratus Theologici gradum & inſignia, ad diem Jovis proximum, qui
„menſis hujus Junii erit XXIV, auctoritate publicâ, more religioſo & ſolen-
„ni, Deo clementer annuente, conferemus.

„Omnes itaque Univerſitatis noſtræ proceres, fautores, cives, culto-
„res, amatores, reverenter & amanter rogamus, ut ſacræ huic noſtræ Pane-
„gyri frequentes intereſſe, Dominique Candidati honoribus favere dignen-
„tur. Nos viciſſim omnibus & ſingulis officia noſtra, quantacunque à nobis
„proficiſci poſſunt, quâvis oblatâ occaſione offerimus.

„Sub Rectoratu

„*Magnifici, Clariſſimi, Ampliſſimique Viri, D.* Ioh. Iacobi Feſchl,
„*Iur. Vtr. Doct. & Profeſſoris, Reipublicæq; Syndici conſultiſs.*

XI Auguſti Vedelius comparuit, XVIII autem menſis die Vocationem Magiſtratus Senatui Scholaſtico exhibuit, ac formulis conſenſus ſubſcripſit.

Menſe Septembri, ad conventum Deputatorum ab omnibus unitarum Provinciarum Synodis, Hagam profecti ſunt, Synodi Tranſiſalanæ juſſu Iacobus Revius & Everardus Schuttenius, inſtructi literis tum Synodalibus, ad ipſum conventum, tum eorum qui ex Ordine equeſtri Zwollæ tum præſentes erant, atque ipſius civitatis Zwollanæ, ad Deputatos Ordd. Tranſiſalaniæ in conſeſſu Ordd. Generalium, datis VII hujus menſis. ubi actum de gliſcente indies audacia factionis Arminianæ, deque mediis per quæ ei occurri neceſſum eſſet. Conſcriptus hoc fine libellus ſupplex ad Ill. Ordd. Generales, ſubſignatus omnium nomine, ab Ægidio Burſio Eccleſiaſte Middelburgenſi, electo totius cœtus Præſide, & Sebaſtiano Dammanno Eccleſiaſte Zutphanienſi, conventus Scriba: A toto porro conventu hic libellus in cœtu Ordd. fuit exhibitus, & viva voce a D. Præſide Burſio negotium breviter commendatum. Reſponſum fuit, Potentiſs. eorum Celſitt. rem tanti momenti mature diſcuſſuras, & quamprimum quid ſuper ea ſtatuiſſent ſignificaturas.

Dum expectatur reſponſum D. D. Ordd. adornatur ſupplex libellus alter; Sereniſs. Principi exhibendus, cui adjunctus fuit libellus quem Ordd. ex-

exhibitum modo diximus. Exhibiti hi fuerunt libelli Sereniſs. Principi, XXVII Septembr. die, præſentibus omnibus, a Scriba Dammanno, qui & ipſe habita oratiuncula totum negotium eidem commendavit. Princeps, poſtquam nobis gratias egit, pro honore ſibi habito, & fiducia quam in ipſo poneremus, reſpondit, ſe omnia collaturum quæ ſuarum eſſent virium, ad conſervationem amplitudinis ac ſplendoris Eccleſiæ reformatæ: adjiciens ſe ipſo facto plura præſtiturum, quam verbis nobis poſſet polliceri. Quod ad libellum ſupplicem quem Ill. Ordd. exhibueramus, laudare ſe quidem quam inſtitiſſemus viam, agnoſcere etiam ex uſu reipubl. futurum, ſi Miniſtri Remonſtrantium dudum in exilium acti, reditu prohiberentur, conventicula eorum impedirentur, & præcipue, maledica ſcripta ſupprimerentur, ſed valde vereri, ut Ill. Ordd. in decretum tale unanimiter conſentirent, neque enim facile expectari poſſe, ut una Provincia ſe ab alia circa hoc negocium ſuffragiis ſuperari, aut præjudicium ſibi fieri pateretur.

XXVIII menſis die ab Ordd. accerſiti Miniſtri, tale ad libellum ſuum ſupplicem reſponſum habuerunt, D. D. Ordines Generales, intellecta propoſitione eorum viva voce facta, & lecto ſupplice libello, Eccleſiarum nomine ab eiſdem exhibito, apographa ejus fieri juſſiſſe, quæ eo quo oporteret eſſent tranſmittenda, ſuas porro Illuſtr. Celſit. ſuper eis quæ requiſita erant decreturos, prout ipſis ad regionum ac Eccleſiarum bonum conducere videretur.

Quo accepto reſponſo, Præſes Illuſtriſs. eorum Celſitt. petitionem noſtram iterato commendavit, Cumque pridie ejus diei Sereniſs. Principi libellum quoque ſupplicem exhibuiſſemus, idem Præſes id Ill. Ordd. ſignificavit, & apographum ejus illis tradidit.

Hoc Anno obiit Daventriæ, fere ſeptuagenarius, Gerardus Bruneſius Canonicus Daventrienſis: Conſularis ibidem viri filius. is Latinitate donavit

Praxin vitæ ſpiritualis, juſſu Nic. Sfondrati Card. & Epiſcopi Cremonenſis, Pont. Max. Greg. XIV. editam Coloniæ, typis Birckmannicis, Anno CIↃIↃLXXXVI.

Item, *è Flandrico vertit libellum Adriani Adrianii è Societ. Jeſu, de Confeſſione.* ibid. CIↃIↃLXXXVII.

Eodem Anno edidit Iac. Revius *Poëmata* ſua *Belgica*, quæ *Tranſiſalana inſcripſit*. prodierunt Daventriæ apud Sebaſtianum Wermbouts. Nec non

Laurentii Vallæ Viri Clariſs. de Collatione Novi Teſtamenti libros duos, ſuis Notis illuſtratos. prodierunt Amſtelodami ex officina Henrici Laurentii.

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃcxxxi. è Synodo Daventrienſi literæ datæ ad Miniſtros Eccleſiarum Helveticarum, in hæc verba:

„ Reverendi &c.

„ Literæ veſtræ, a. d. xxiii Maji Anno cIↃIↃcxxx. Tiguro datæ „ad R. R. & Cl. D.D. Profeſſores Academiæ Leydenſis, eorundem operâ, „ex voto veſtro, etiam ad noſtras manus pervenerunt. Sed, quod annua „noſtra Synodus in hunc demum diem incidat, hinc accidit, ut citius, „quod ſane optaſſemus, cum eadem non potuerint communicari. Id vero „ſimulac factum, tam luculentum Zeli vere divini & fraterni amoris teſti- „monium abſque reſponſo affectus mutui indice tranſmittendum non eſſe „omnes judicarunt. Calamitates noſtras, Viri Reverendi, pericula, oppro- „bria quæ pro divina veritate ſuſtinemus, adeo vivis coloribus depinxiſtis, „ac ſi ipſi in rem præſentem veniſſetis, ac omnia oculis perluſtraſſetis: „Solicitudinem veſtram pro ſalute ac incolumitate tam noſtra, quam Ec- „cleſiæ univerſæ, iis verbis patefeciſtis, quæ ſunt, ut ſapientiſſimus Rex „ait, ſimilia aculeis, & ſimilia clavis infixis, lectiſſima, & quorum dul- „ciſſima recordatio animis noſtris nunquam elabetur. Hortationibus ve- „ſtris ſomnolentos, ut ſperamus, excitaſtis, currentibus vero calcar addi- „diſtis. Quid aliud, fratres in Chriſto verè dilecti, noſtrarum eſt partium, „quam infinitas R,R. V.V. agere habereque gratias pro tam prolixo, tam „benevolo affectu, &, quod caput, & qui unicus ſcriptionis veſtræ ſcopus „eſt, facto ipſo declarare, hoc ſtudium veſtrum, hanc tenerrimam curam „erga nos, non fuiſſe inanem aut infructuoſam? Quod quidem gnaviter „hactenus agimus, ac porro, Deo annuente, agemus. Enimvero, Viri „R. R. ac Clariſs. res rationeſque Eccleſiarum noſtrarum, licet admodum „acciſæ, quæ Dei eſt clementia nondum adeo ſunt deploratæ & depoſitæ, „ut non, vel in mediis anguſtiis, optatiſſimum à Domino eventum ſperare „audeamus. Habemus, ejus beneficio, Paſtores fidos, Eccleſias concordes, „& ipſius periculi communis intuitu magis unitas. Exulat ab eis ſpiritus „ille erroris ac vertiginis qui interiora earum antea pervadebat. Adverſarius „ſuo indicio è latebris extractus, dum apertiore Marte pugnat, facilius ca- „vetur ac repellitur. Nec deſunt (& Deus plures excitabit) Patriæ patres, „ac veri Eccleſiæ nutritii, qui inſtaurandis ejus rupturis manus accommo- „dent. Tentatio nos non cepit niſi humana, fidelis autem eſt Deus, qui non „ſinet nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed una cum tentatione præſta- „bit etiam exitum, ut poſſimus eam ſufferre. Idem exuberanti ſua gratia „benedicat Eccleſiis veſtris, ſcholas veſtras & Academias in majus provehat, „urbes veſtras à vi & inſidiis Antichriſti ac ejus aſſeclarum, omnique adeo „funeſto caſu tutas in perpetuum & inconcuſſas præſtet. Valete in Domino,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„R. R. ac Cl. V. V. fratres in Chriſto honorandi, ac noſtri in ſanctiſſimis „veſtris ad Deum precibus memores eſſe nunquam deſinite.

„ Daventriæ è Synodo noſtra XVI Junii Anno CIↃIↃCXXXI.

XXV Auguſti obiit David Scanderus Philoſophiæ Profeſſor, ſepultus ejuſdem diei XXVIII. ut eſt in ſequenti programmate:

Rector & Profeſſores Illuſtris Gymnaſii Daventrienſis, Lectori Salutem.

„QUicunque in hac inclytâ civitate Daventrienſi verſantur, uberioris præ„ſertim ac piæ eruditionis acquirendæ cauſa, norunt quam acerbum „vulnus huic illuſtri Gymnaſio Deus Opt. Max. inflixerit. Obiit enim „XXV hujus menſis circa undecimam noctis Clariſſimus ac Doctiſſimus Vir „Dⁿ. David Scanderus Cotbutenſis Luſatus, Philoſophiæ Magiſter, ejuſdem„que in hoc gymnaſio Profeſſor ſolertiſſimus. Nam poſtquam febri ardente „correptus decimum tertium diem attigiſſet, & morbi illius vehementis & „vitæ hujus languidæ finem ſimul eſt conſequutus. Luget ſchola obitum „præclari Viri, condolet pro ſua bonitate Magiſtratus Ampliſſimus, nec „abſque mœrore eſt Eccleſia: boni denique omnes, quotquot eum norant, „triſti hoc caſu afficiuntur. Nec id ſine cauſa, præſertim duplice: primo „quod in ipſo ætatis flore annos natus quaſi viginti novem, & quidem tum „cum nondum biennium in ſchola hac docuiſſet, deceſſit, adeoque præma„ture ereptus bono & ſpei publicæ videtur. Deinde quod præclaræ doctri„næ, dexteritatis, virtutis ac pietatis ipſius fructu gymnaſium hoc illuſtre „orbatum ſit. Sed duo nos contra ſolantur: divina ſcilicet providentia ac „voluntas in qua acquieſcere nos pietas docet, nec pro immaturo habere „deceſſum illius qui ad vitæ terminum à ſapientia illa adoranda præfixum „pervenit. Cui ſapientiæ etiam hoc placuit, ut, qui primus omnium (quod „in defuncti honorem dicimus) in Profeſſione publica laboraverat ex quo „illuſtrem hanc ſcholam pietas Ampliſſimi Magiſtratus aperuit, primus ab „ea ſtatione decederet. Solatur nos ex altera parte lucrum quod Clariſſimus „ille Scanderus (noſter olim, nunc plane Dei) in hac publica jactura fecit. „Ut enim piè in Domino vixerat, ita beatè in eo obdormivit, hoc eſt, in „confeſſione Chriſti, invocatione Dei, fiducia Salvatoris ſui. Quare mor„tem in lucro habet ὁ μακαρίτης Scanderus, per quam ex hac miſeriarum „valle ad cœlum, ex hoc Kedar ad æterna Hieroſolyma, ex hoc deſerto ſpi„narum & ſerpentum feraciſſimo ad cœleſtem Canaan triumphabundus „pervaſit. In cæteris noſtrum eſt, illius exemplo & ex præſcripto Dominico „parare nos mature ad piam ἀνάλυσιν, ne imparati opprimamur; ac in ti„more Domini vivere, quo ubi horula noſtra venerit in gratia ipſius mori

„ac

,,ac in gloria ejus regnare queamus. Et quoniam hodierna Dominica quæ
,,eſt XXVIII hujus menſis, τȣ μακαρίτȣ Scanderi corpuſculum terræ man-
,,dabitur ex qua deſumtum eſt; noſtrarumetiam partium eſt, honoris, quem
,,ei debemus, ultima perſolvere. Quare omnes & ſingulos Magnificos, No-
,,biliſſimos, Ampliſſimos, Reverendos, Conſultiſſimos, Experientiſſimos,
,,Clariſſimos, Præſtantiſſimos, Doctiſſimos, Ornatiſſimos literarum Pa-
,,tronos, fautores, cultores, amatores, ſtudioſos oramus, rogamus, horta-
,,mur, ut hac ipſa die ſtatim à concione pomeridiana in templo Cathedrali
,,compareant, atque funus illud deductione ſua in charitatis ac συμπαθείας
,,Chriſtianæ documentum, nec non in teſtimonium ſpei quam de beata
,,corporum reſurrectione conceperunt, proſequantur. P. P. Daventriæ
,,XXVIII Auguſti ſtilo veteri CIↃIↃCXXXI.

XXI Septembr. Iac. Revius vocatur ad miniſterium Eccleſiæ Roteroda-menſis. Subſcripſerat vocationi Levinus Beeckmannus Eccleſiaſtes, nec non duo Seniores, duoque Diaconi. adjecta erat approbatio Magiſtratus ſubſcripta ejus nomine P. vander Horſt, & Claſſis, Samuëlis Gruteri Præſidis & Olivarii Hircini ſcribæ nomina ſubjecta habens. Adjunctæ erant Celſiſs. Arauſionenſium Principis literæ, ad Daventrienſe ſynedrium, verum nihil potuit obtineri.

XVI Septemb. commendati ad Profeſſionem Philoſophiæ loco Scanderi Henricus Reneri, & Wilhelmus ab Iſendoorn.

III Octobr. eligitur Henr. Reneri.

IV Octobr. approbatur ejus electio à Magiſtratu.

VII Octobr. vocatio ſcripta.

XX Octob. lectæ in Senatu ſcholaſtico literæ Reneri, quibus vocationem ſe accipere ſignificat. In ejus autem diſceſſum prodierunt quæ ſequuntur.

Lachrymæ Leydenſes ex abitu Clariſs. acutiſſimique Philoſophi D. M. Henrici Reneri Daventriam ad Profeſsionem Philoſophicam vocati.

Illa ego, quæ dicor Magnorum Magna Virorum
Leyda parens, queror, heu! fœtibus orba meis.
Voſſius unus abeſt, & abeſt Barlæus; at ille
Fit levior, quia me deſtituère, dolor.
Culpa tamen nulla eſt, niſi ſit mihi gloria culpæ,
Gloria, quâ ſtudiis claret uterque meis.
Si queror, illa meo par non eſt cauſſa dolori;
Amiſiſſe parum eſt, quod retinere nefas.
Sed potui (pudor eſt damnoſam prodere culpam)
Servare amiſſum, quem fleo mæſta, virum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Reneri meus ille, meus mihi charior ipſo
  Lumine, diſceſſit, lumen & ipſe meum.
Speravi magnum magno de nomine nomen,
  Verſa eſt in triſtes ſpes mea tota ſonos.
Quacunque aſpicio, dolor, & dolor occupat omnes;
  Sic magis ad lacrymas hæc quoque cauſſa facit.
Cernis inornato Sophiam ſquallere capillo,
  Quæque caput tenebris extulit ante, latet.
Quæ dabat argutas (ſed cujus Numine?) voces;
  Vix benè Reneri nomine balba vocat.
Haud aliter languet, quam cum Sol lucidus orbem
  Deſtituit radiis vivificare ſuis.
Aut qualis luget mercator damna pyropi,
  Qui poterat clarum nocte referre diem.
Non inhonora tamen (quid enim celavero?) lucem
  Reſpuit; illuſtris non fuit illa magis.
Scilicet iſta tuæ debetur gloria curæ,
  Franco, decus Sophiæ, deliciumque meæ.
Et merito triſtatur adhuc, quia perdita nobis
  Altera de gemmis gemma duabus abeſt.
Quis potius gemino non malit cernere viſu?
  Quis non, alterutro ſi caret, uſque gemit?
Nec rigido noſtros ſpectavit lumine fletus,
  Cum daret extremum mutua lingua vale:
Sed memini, magis ire parat, minus ire laborat:
  In curſu noſter pone trahebat amor.
Sic ſua ſemper amat teneræ cunabula vitæ
  Iuppiter, & doctis gaudet Apollo choris.
Pace tua dicam, Daventria, Patria tellus
  Nil modo Leydenſi Pallade majus habet.
Hippocratas, Baldos, Divique Oracula Cœli,
  Et numero reliquas ex Helicone Deas.
Heinſius, hæc alius velut inter Numina Phœbus
  Parnaſſum Batava format in urbe novum.
Quiſquis amat Muſas, (& amat Renerius omnes)
  Pendulus à noſtro neſcit abire ſinu.
Nempe trahit cunctos victuræ gloria famæ;
  Æternumque mea nomen ab arte venit.
Baudius, Heurniades, Iunius poſt funera vivunt,
  Innumeroſque alios Leyda perire vetat.

Inter-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Interea potuit (dolor aſpera verba miniſtrat)
Linquere, quem prius eſt ſuetus amare, locum.
Quid juvat excultæ donis cumulâſſe Minervæ?
Quid juvat excelſis annumerâſſe viris?
Fama mihi nocuit, celebratæ ſum rea laudis:
Hoc ſolum potui demeruiſſe modo.
Si ſchola promeritos non deſignavit honores,
Iudicii longas non tulit ipſe moras.
Nec Profeſſorem dedignatura fuiſſet:
Hoc titulo, vel eâ judice, dignus erat.
Culpabunt alii interea, lentamque vocabunt,
Objicientque meæ triſtia fata ſcholæ.
Aſt ego fortunam contra damnabo malignam,
Quæ deſideriis non fuit æqua meis.
Æquior ergo tuis certè eſt, Daventria, votis,
Quo mala me privat, te beat illa viro.
Non tamen invideo, nec enim mea diceris hoſtis,
Te nec amicitiæ jus violâſſe reor.
In fatis fuerat jactura; benignior ergo eſt,
Quâ dicor Patriæ conſuluiſſe ſcholæ.
Nec te, Reneri, licet altera poſſidet, odi;
Sed Profeſſori grator, abeſſe queror.
Et queror, & dubito num ſit qua medela querelæ,
Nam ſors, quæ nocuit, ſola juvare poteſt.
Si tamen à nobis ſemper, quod deprecor, abſis;
Crede, meus cuncto tempore vivet amor.
Vive diu pariter Pylios ſervatus in annos,
Et ſchola doctrinis floreat aucta tuis.
Vive, & ſi magnum, quod ſpero, parturis unquam,
Accedat titulis gloria veſtra meis.
Legia me genuit, fruitur Daventria, dices,
Leyda ſed ingenuis artibus excoluit.
Sis licet avulſus, minuet tua fama dolorem,
Nam meus à veſtro nomine creſcet honos.

J. A. D.
L.

XVI Novembr. coram Senatu ſcholaſtico comparuit Renerus, & exhibita vocatione, formulis conſenſus in religione manus ſuæ ſignum appoſuit.

XXIII Novembr. Profeſſio Metaphyſica ad tempus ſuſpenditur, ſubſtituta ejus loco profeſſione Oratoria.

XXVIII Novembr. Oratio inauguralis a Renero fuit habita.

XI Decemb. literæ ab Ordd. Generalibus, ad Ordd. Provinciæ Tranſiſalanæ, & ab his ad Magiſtratum Daventrienſem mittuntur, quibus petitur, ut Iacobo Revio ſignificent, privatam ſuam novæ verſionis Vet. Teſt. recenſionem eſſe maturandam, ut a. d. Kalend. Julii proximè inſtantis Lugdunum Batavorum ſe conferat, ibi cum reliquis ei rei deſtinatis, opus univerſum reviſurus & ad umbilicum perducturus.

Eodem Anno edidit idem Revius *Hiſtoriam Pontificum Romanorum contractam, & compendio perductam uſque ad annum æræ Chriſtianæ* CIↃIↃCXXXII. prodiit Amſtelodami apud Ioannem Ianſſonium.

Anno CIↃIↃCXXXIII. IX Julii Gregoriani Lugd. Bat. convenerunt Interpretes, & Reviſores interpretationis Vet. Teſt. eximio illi operi optatum finem impoſituri. Interpretes, qui adhuc in vivis erant, Io. Bogermannus Leovardienſis, & Guil. Baudartius Zutphanienſis Eccleſiæ Miniſter. Reviſores præſentes erant, è Gelria Antonius Thyſius S. S. Theol. Doct. & Profeſſor tunc temporis in Academia Lugd. Bat. ex Hollandiâ Auſtrali Io. Polyander S. S. Theol. Doct. & Profeſſor ibidem. ex Hollandia Boreali Abdias Widmarius Eccleſiaſtes in Uytgeeſt. Ultrajecto, Arn. Teeckmannus Eccleſiaſtes Ultrajectinus, è Tranſiſalania Iac. Revius Miniſter Eccleſiæ Daventrienſis, Groninga & Omlandia Franciſcus Gomarus S. S. Theol. Doct. & Profeſſor in Acad. Groningana. Aberant adhuc in Zelandia Jodocus Larenus, Paſtor Vliſſinganus, è Friſia Bern. Fullenius Paſtor Leovardienſis, qui non multo poſt acceſſerunt.

Ipſo illo die, invocato divino nomine Moderatores hujus conventus electi fuere, In Præſidem videlicet Io. Bogermannus, cui in caſu neceſſariæ abſentiæ ſubſtituebatur Io. Polyander, in ſcribam vero Iacobus Revius.

XXVII Septemb. abſoluta fuit reviſio pentateuchi.

Anno CIↃIↃCXXXIV. V. Januarii ad finem perducta fuit Lugduni Bat. recenſio verſionis librorum omnium Vet. Teſt. hiſtoricorum.

Poſtridie incœpti fuerunt libri Hagiographi.

XV Januarii Renerus Daventria Ultrajectum vocatur & dimittitur: Vedelio ad tempus Profeſſio Philoſophica delegatur.

VI Martii. de vocando ordinario Philoſophiæ Profeſſore actum: commendati Giſbertus ab Iſendorn & filius Bachovii Hardroviceni.

XII Aprilis Lugd. Bat. ad finem perducta fuit recenſio librorum Hagiographorum, & recenſio majorum Prophetarum incœpta.

IX Maji G. ab Iſendoorn, venit Daventriam.

VII Aug.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

VII Aug. Lugd. Bat. reviſio Majorum Prophetarum abſoluta fuit, & Minorum initium factum.

XIII Aug. G. ab Iſendoorn ſubſcripſit formulæ conſenſus in religione. Vitam ejus ex ipſius ad me data Epiſtola, hic lector habes:

„ Natus (inquit) ſum Edæ in Veluâ, III Non. Decemb. CIↃIↃCI.
„ patre Guilelmo ab Iſendoorn, matre Margareta Barners, Gyſberti Barners
„ Conſulis Zutphanienſis filiâ. Pater (quod in matris Ephemeridibus inve-
„ ni) è vivis exceſſit III Martii CIↃIↃCIII. à matre (tribus ante obi-
„ tum ejus menſibus) deductus ſum Hardervicum initio Maji CIↃIↃCVII.
„ ubi jactis Latinæ, Græcæ & Hebrææ linguæ fundamentis, & ad lectiones
„ publicas promotus ſub Jodoco Hœingio perpetuo Dictatore, Logicam
„ Molinæi, Timpleri Metaphyſicam, Homerum, Pindarum, Heſiodum, Iſo-
„ cratem, Theognidis quoque ſententias audivi: ſub Johanne Iſaacio Pon-
„ tano Phyſicam, Arithmeticam & Sphæram, ſub Iacobo Wernero Juris
„ Doctore & Profeſſore primo in illuſtri Gymnaſio Ethicam & Politicam:
„ ſub Antonio autem Thyſio partem locorum communium Bucani & Pſal-
„ morum Hebraïcorum. Diſputationes Phyſicas ſub Pontano habui varias,
„ ſub Thyſio unicam de Novi Teſtamenti miniſterio ſacro. Anno CIↃIↃCXVI
„ viſa obiter nova Academia Groningana, Franequerana item, & Leidenſi,
„ Sedanum me contuli, ubi Philoſophis me præcipue mancipavi, Gualtero
„ Donaldſono, Arthuro Jonſtono, &, qui ipſi ad tempus ſucceſsit, Ioanni
„ Smith, Eccleſiæ Noviomagenſis Paſtori primario, Theologo, Philoſo-
„ pho, antiquario ſummo. In Hebræis ibidem audivi N. Boucquillonium:
„ in Theologia Andream Melvinum, Danielem Tilenum (qui tum tem-
„ poris cœpit ad Arminii partes tranſire) ſicut & Iacobum Cappellum,
„ Hiſtoriæ ſacræ Profeſſorem & Eccleſiaſten. Hîc cum ſeſquiannum circi-
„ ter ſubſtitiſſem, luſtrata Gallia Belgica, & Celtis, oppidiſque plurimis
„ ad Ligerim, ſalutavi Salmurii Franciſcum Gomarum & Franconem Burgerſ-
„ dicium, itemque N. Cappellum, cui me per literas commendarat Iaco-
„ bus Cappellus frater, Dominus de Tilloy, ſupra laudatus. Tandem Lu-
„ tetiæ ſedem fixi, varios ibi Philoſophos audivi, ſed ſolidum biennium à
„ Jani Cecilii Frey, Medicinæ Baccalaurei, poſtea Licentiati, atque etiam
„ Doctoris, Philoſophorum Decani, ore præſertim pependi. Davidis in-
„ terim Sanclari & Iacobi Martinii lectionibus Mathematicis non neglectis.
„ Interim diverſis temporibus, ut illic moris eſt, gradus Academicos aſ-
„ ſumſi, ac primum quidem Artium Baccalaureus, poſt Magiſter, tandem
„ Philoſophiæ Doctor creatus ſum Anno CIↃIↃCXX. Hinc Galliæ ferè
„ omnibus Academiis, quas ante non videram, luſtratis, Maſſiliam adii,
„ Cartagenam & Alicantam in Hiſpania vidi, Sed, quia mores iſtius gentis
„ adhuc adoleſcenti non placebant, pauculis ſeptimanis poſt eadem navi

„ per

„per varios caſus, tempeſtates & piratarum incurſiones Maſſiliam iterum „delatus ſum: inde paucis ſeptimanis poſt in Liguriam, ubi aliquantulum „temporis me detinuit ſuperbiâ nulli urbium ſecunda Genua. Hinc Piſana „& Senenſi Academiis,& inſignibus aliquot Italiæ urbibus luſtratis, ad eum „locum delatus ſum, cui dominatur is, qui nec Deus eſt, nec homo, ſed „neuter & inter utrumque. Ibi ad ſemeſtre ferè ſubſtiti. Mortuus eſt interea „temporis Paulus V. cui in ſede peſtilentiæ paucis diebus poſt ſuccedebat „Gregorius XV. Inde Neapolim, atque iterum mense Majo Romam me „deportavi. Inde oppidis multis peragratis Lauretum tandem, & fabulo„ſum iſtud Chriſti naſcentis hoſpitium, vidi, poſtea quoque magnum iter „emenſus, magnam illam omnium ſcientiarum matrem Bononiam non per„functoriè vidi: tandemque ſuperatis Alpium jugis in amatam mihi Gal„liam redii. Lutetiam præcipue incolui, Medicinæ & Philoſophiæ ſtudiis „deditus. Ita tenuit me Gallia ad annum uſque Domini CIↃIↃCXXIX. „Cumque obiter Belgium inviſere ſtatuiſſem, impetrato jam antè gradu „Baccalaureatus & Licentiæ in Medicinâ, & animus eſſet in Galliam re„meare, aliter viſum fuit ei, qui ſupra nos vult: in gravem namque mor„bum hîc incidi. Inde variæ & honeſtæ mihi oblatæ conditiones: inter „alias mortuo Davide Scandero, tentatus fui per Caſparum Sibelium & Hen„ricum Guthberletum, Viros Clariſſimos, in Hollandiam à Daventrienſi„bus miſſos. Sed non potui tum illis operam meam addicere. Succeſſit „ergo deſuncto Henricus Reneri. Cum autem hic Ultrajectum vocatus eſſet „ad novum gymnaſium, iterum de me cogitatum eſt, & Tu Leidæ tum de„gens Deputatus, ut Cathedram Philoſophicam, ſi forſan Hagæ fuiſſem Co„mitum, nomine Magiſtratus Daventrienſis mihi offerres. Ita habent literæ „à Magiſtratu ad me miſſæ & manu Secretarii Haecxbergii ſignatæ. Putabat „enim Renerius p. m. me cum convictoribus & diſcipulis Lochorſtiis illuc „conceſſiſſe. Verum hîc habitantem invenit me tabellarius, literaſque vo„catorias exhibuit XII Kalend. April. CIↃIↃCXXXIV. Daventriam ergo „ſub medium Aprilis cum familia commigravi. Inde placuit Curatoribus „novæ Academiæ Ducatus Gelriæ & Comitatus Zutphaniæ me XII Kalend. „Aug. CIↃIↃCXLVII. ad primariam Philoſophiæ Profeſſionem evo„care. Diu tergiverſatus tandem IV Non. Septemb. in nomine Domini „victas manus dedi, adeoq; impetrata à Daventrienſibus honeſta dimiſſione, „convaſatis omnibus Hardervicum me tranſtuli &c. Vale, & amare perge

Tibi æternum ſacrum

Giſb. Iſendoorn.

Hardervici III Kal. Jun. CIↃIↃCXLIX.

Edidi

Edidi

Anno cIↄIↄcxxxiii. *Effatorum Philoſophicorum centurias duas, in* 8°.

Anno cIↄIↄcxxxvi. *Collegii Philoſophici Daventrienſis partem primam, in quâ exercitationes, ferè Logicæ,* xxiv. *in* 8°.

Anno cIↄIↄcxxxviii. *ejuſdem Collegii partem ſecundam, in quâ exercitationes Ethicæ* xviii. *in* 8°. *ei nunc titulus Breviarium Ethicum.*

Anno cIↄIↄcxl. *Compendium Logicæ Peripateticæ in* 8°.

Anno cIↄIↄcxlii. *Phyſiologiam Peripateticam, quæ anno ſequenti recuſa eſt nongentis quæſtionibus auctior, in* 4°.

Anno cIↄIↄcxliii. *Effatorum Philoſophicorum, quibus præſertim explicantur Prædicabilia & Prædicamenta, centurias* v. *in* 8°. *Quæ ſpectant ad reliquas Logicæ partes, lucem videbunt, ſi Deus vitam, Academia ocium relegendi conceſſerit: effectas enim jam diu habeo duodecim alias centurias: aliquot quoque Ethicas, Politicas, Phyſicas, & Metaphyſicas.*

Anno cIↄIↄcxlv. *Logicam Peripateticam, in* 4°.

Nunc ſub prælo eſt Ethica prolixior in 4°. *cujus partem excuſam mitto: reliquam exſpectabis ubi colophonem impoſuero.*

Eſt quoque ſub prælo Logica prolixior per theoremata & quæſtiones controverſas Scholaſticè tractatas, in 4°. *Sed tantum ſexdecim folia ſunt excuſa, & perveni ad Prædicamentum uſque Subſtantiæ.* hæc *Iſendorinus.*

Kalend. Septemb. Lugd. Bat. Prophetis minoribus recenſendis finis impoſitus. ſicque integra reviſio Interpretationis Vet. Teſt. per divinam benedictionem perfecta. pro quo beneficio debitæ Deo gratiæ actæ, & conventus cum ſingularis lætitiæ ac fraternæ dilectionis & mutuæ benevolentiæ teſtificatione ſolutus eſt.

Ad Ill. D. D. Ordd. Generales Delegati fuere è reliquorum numero Bogermannus, Polyander, Gomarus, Revius, qui eos de negocio ad finem perducto certiores facerent, iis pro religioſo Zelo & paterno in tam præclarum opus affectu, gratias agerent, utque in eo continuare vellent, quo idem mature prelo mandaretur, & in manus Eccleſiæ Jeſu Chriſti perveniret, demiſſe peterent. quæ à Delegatis facta, deque iis ad reliquos συνεργοὺς, relatum fuit.

Anno cIↄIↄcxxxv. menſe Martio obiit Henricus Guthberletus, Logices Profeſſor, cujus vita è ſequenti programmate cognoſci poteſt.

Rector & Profeſſores Illuſtris Gymnaſii Daventrienſis Lectori Salutem.

„QUinquennium Academicæ hujus ſcholæ expiravit, & cum eo, proh „dolor! alter Profeſſor illius, quem nunc lugemus. Is fuit Clariſſi„mus Vir Dn. Henricus Gutberlethus, Philoſophiæ & Artium Liberalium „Magiſter, illiuſque in illuſtri hoc gymnaſio Profeſſor, nec non Pædagogéi „Rector. Qui Hirsfeldiæ Cattorum cIↄIↄLXXII. natus, cum ibi, Mar„purgi & alibi ſe inſtruxiſſet ea virtute & eruditione per Dei gratiam, qua „ſcholis adeoque etiam Reipublicæ & Eccleſiæ prodeſſe poſſet, initio Dil„lenburgum à Perilluſtri Comite Naſſovico vocatus, ſcholam aulicam ibi „regendam ſuſcepit. Quo munere cum non ſine laude & fructu per aliquot „annos defunctus eſſet, Herbornam accitus fuit, ubi in Pædagogéo aliquan„diu magna cum dexteritate docuit. Sed cum altior ejus & exquiſitior „doctrina eſſet, quam quæ in ſubſelliis inferioribus velut abſcondita hære„ret, ad Academicam Profeſſionem in illuſtri ſcholâ ibidem exercendam „admotus eſt, Anno milleſimo ſexcenteſimo quinto. Cum ſpartam illam „nactus eſſet, tuitus eam eſt ad Annum uſque decimum ſeptimum illius ſe„culi. Quantopere autem exornarit illam, teſtatur inſignis fructus qui ex „illius Philoſophica ſcientia, non ſolum per vivam vocem (quæ adhuc in „pluribus auditorum ipſius auribus hinc inde in Germania, Belgio & alibi „etiamnum reſonat) ſed & per publica monumenta ſcriptorum & volumi„num Philoſophicorum, eaque eruditiſſima, ad quam plurimos redundavit „atque etiamnum redundat. Cum in Palæſtra illa tot annis jam deſudaſſet, „ac ſimul Pædagogéi Herbornenſis Rectoratu ſive Inſpectione defunctus „eſſet, à Magiſtratu Hammonenſi in Marcano Comitatu, ad ſcholam ibi re„gendam vocatus eſt. Quâ in ſtatione poſtquam per biennium & amplius „ſubſtitiſſet, ab Ampliſſimo & laudatiſſimo Magiſtratu inclytæ hujus reipub. „quod ei virtus illius, eruditio & in docendo dexteritas nota eſſet, Anno de„cimo nono currentis ſeculi huc vocatus eſt ad Pædagogicæ ſcholæ Recto„ratum obeundum. Hîc vero teſtis eſt tota Daventria, quanta cum laude, „vigilantia, induſtria, felicitate muneri huic quamdiu vires ei ſuppetebant „præfuerit! Tandem cum pietas ac prudentia laudatiſſimi Magiſtratus ſcho„lam Academicam hîc erigeret, etiam τῷ μακαρίτῃ noſtro partes ſuæ in „ea commiſſæ fuêre. Reſumſit igitur Profeſſionem Philoſophiæ cujus ve„tus myſtes erat, eamque quinquennio hoc exercuit. Tot & tam varia ſta„dia ac ſpatia in juventute inſtituenda cum decurriſſet, tandem æquum fuit

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,eum ad metam omnibus piis certam atque expectatam pervenire. Quam ,,quidem laſſus & ex multo curſu anhelus ac feſſus attigit, comitem trahens ,,infirmam ſenectam ſed non tam ſpatio Annorum qui ſexaginta tres (tem- ,,pus præſertim inſignibus Viris climactericum) fuêre, quam multitudine ,,laborum gravem atque attritam. Acceſsit morbus ſat diuturnus; quo du- ,,rante corpuſculum quidem ipſius afflictum fuit, ſed immotus, invictus, ,,integer ſemper ſtetit animus ipſius Chriſtianus, pius & verè Philoſophi- ,,cus, qui ipſi perpetuus fuerat. Unde rebus ſuis maturè compoſitis ad bea- ,,tam ἀνάλυσιν totum ſe comparavit, terreſtribus cogitationibus & ſolli- ,,citudinibus longum valere juſsis. Et ſic tandem anima ipſius viribus ſuis ,,integra ex imbecilli & terreſtri hoc domicilio ad beataſſedes emigravit, ,,ubi felice quiete fruens diem illum expectat quo *domicilio manibus non facto* ,,*æterno in cœlis ſuperinduetur.* Efferetur funus ipſius hodierno die qui eſt XXVII ,,Martii; ad quod cohoneſtandum omnes ac ſingulos literarum Patronos, ,,fautores, amicos, ſectatores, & ſtudioſos reverenter, officioſe amice invi- ,,tamus, & ut dum funus alienum intuentur, ſuæ propriæ mortalitatis no- ,,biſcum memores ſint etiam atque etiam hortamur. P. p. Daventriæ XXVII ,,Martii Anno CIↃIↃCXXXV.

Libri editi à M. H. Guthberleto, qui ad manus noſtras pervenerunt,

Vindicatio aliquot Diſputationum, nonnullis ſchediaſmatibus M. Caſpari Finckii in ſcholâ Gieſſenſi Profeſſoris, oppoſitarum. Herbornæ Naſſov. Anno CIↃIↃCX.

Pathologia, hoc eſt, doctrina de humanis affectibus Phyſicè & Ethicè tractata. Herborn. Naſſ. Anno CIↃIↃCXV.

Phyſicæ, hoc eſt, naturalis Philoſophiæ compendioſa inſtitutio, editio 2ª. Herbornæ CIↃIↃCXXIII.

Ethicæ liber unus, editio 2ª. ibid. CIↃIↃCXXX.

Chronologia, ante obitum auctoris abſoluta, poſt mortem autem edita, Amſtelodami ab Henrico Laurentio, Anno CIↃIↃCXXXIX.

XXV April. eligitur in Rectorem Io. Cellarius.

XXV Maji Cellarius comparet & ſubſcribit &c.

Anno CIↃIↃCXXXVI. menſe Majo peſte obiit Martinus Schickardus J. U. D. & Profeſſor cujus vitæ curriculum perſtringit quod ſubjiciemus programma:

Rector & Profeſſores Illuſtris Gymnaſii Daventrienſis
Lectori benevolo S. P.

,,REctiſſimè dictum eſt à Poëta, neſcio, quo;
,, *Nemo tam Divos habuit faventes,*

,, *Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri:*
,, *Res Deus noſtras celeri citatas*
,, *Turbine verſat.*

,,Comprobant hoc multi morbi & quidem mortiferi, qui ubique hoc gra-
,,viſſimo anno ſæviunt, & non quiſquilias modo hominum ac ablegmina, ſed
,,ipſa quoque lumina ac columina totius reipubl. ſubito conſumunt & de
,,medio tollunt. Teſtatur id tota hæc civitas, quæ jam penè atrata & in pullâ
,,veſte incedit, teſtatur illuſtre hujuſce urbis Gymnaſium jam ſexenne: cui
,,mortis inopinæ & immaturæ acerbitate ereptus eſt, eheu! vir magno inge-
,,nio, admirabili doctrina & ſingulari prudentia celeberrimus, D. Martinus
,,Schickardus, J.U.D. ejuſdemq; facultatis primus in Academica hac ſchola
,,Profeſſor publicus, qui, ut Servius olim Sulpitius, controverſias ſemper
,,tollere malebat, quam litium actiones conſtituere. Dignus certe, dignus
,,erat, cui multos neceſſitas illa fatalis per annos pepercisſet, neque bovi laſſo
,,fortius jam pedem figenti hoc ad ruinam impedimenti objeciſſet. Natus
,,autem fuit hic quondam noſter venerandus Collega, anno cIↃIↃLXXIX.
,,die XXIX Julii, Sigenæ Naſſoviorum, patre Henrico Schickardo Quæ-
,,ſtore & urbis Conſule: qui tenellum puſionem, primum domi ſuæ probe
,,pietatis & Latinæ Græcæque linguæ fundamentis imbutum, Herbornam
,,poſtea, Marpurgum, Coloniam, Argentinam, Heidelbergam aliaſque
,,ad Germaniæ florentiſſimas Academias, tanquam ad ſcientiarum omnium
,,emporia ire juſſit. Ubi cum multos per annos immenſum Philoſophiæ,
,,Theologiæ, ac tandem Juriſprudentiæ ſibi theſaurum collegiſſet, ſuam pe-
,,riclitaturus fortunam, magno auſu, ſine Præſide, Jureconſultorum cathe-
,,dram Anno cIↃIↃCIV. Heidelbergæ ſolus adſcendit, & ingenti cum
,,omnium applauſu ac admiratione, publicam in diſputationem vocavit
,,leges & juris laqueos ac receſſus: quorum longe facilior illi fuit ſolutio,
,,quam nodi Gordii, quem uno ictu diſſecabat Alexander Magnus, expli-
,,catio. Et jam vix anni XXV. ejus ætatis abierant, cum veneranda Themis
,,caput ipſi feſta redimire tiara cogitat, & Myſten utriuſque juris eum ſalu-
,,tare: ſed animus in peregrinatione totus nondum expetiit, quos jam du-
,,dum meritus erat, honores. Anno ergo demum cIↃIↃCVI. examen
,,rigidum ſeu rigoroſum (ut vocant) ipſi ſubeundum fuit: neque tamen
,,virtus ejus frangi potuit, ſed in modum palmæ, contra quælibet aſſur-
,,gens onera, injectas moles alacriter dejecit. Unde coram Sereniſſimo
,,Electore Frederico IV. Comite Palatino (qui propria manu noſtrum
,,athletam in Auditorium deduxerat, ac poſtea domum reducebat) ſolemni-
,,ter Juris Civilis ac Canonici Doctor renunciatus fuit anno ætat. ſuæ XXVII.
,,Neque multi effluxerant dies, cum a Ioanne Naſſoviæ Comite, invictiſſi-
,,morum Principum Mauritii & Henrici patruo, ad Profeſſionem Juri-
,,dicam

,,dicam Herbornæ propemodum invitus admovetur. Quam Spartam quanto-
,,pere XXIV annorum decurſu exornarit, vel nobis tacentibus, teſtantur
,,præclara ejus ſcripta, quæ tamdiu in manibus habebuntur, quam diu Ro-
,,manæ literæ ſtabunt, quam diu civilis prudentia florebit, quam diu Juris
,,dicundi ratio ulla inter homines manebit. Teſtantur id quoque variæ ejus
,,legationes, expeditiones cauſarum, & ſalutaria conſilia: quibus non modo
,,quatuor Naſſoviæ Comites, Wilhelmum puta Friſiæ quondam Guberna-
,,torem, Ioannem, Georgium & Erneſtum, ſed & infinitos pene Germa-
,,niæ Principes mirifice juvit. Hæc viri incomparabilis fama effecit, ut
,,Ampliſſimus hujus urbis Magiſtratus Juriſconſultorum hunc verticem, ad
,,jus publice in illuſtri hoc Gymnaſio docendum, invitarit eo tempore,
,,quo Mars & Bellona miſeræ Germaniæ viſcera miris modis dilacerabant:
,,Quod quidem munus, quanta cum laude, duos jam menſes ultra ſexen-
,,nium ſuſtinuerit, fruſtra ſimus, ſi oſtendere conemur. Quot illi vigi-
,,latæ noctes, quot controverſiæ deciſæ, quæ alioqui multos adhuc forſan
,,penderent per annos? Non illum ſpes favoris flexit, non metus offenſæ
,,abripuit, non movit aſinus aurum portans, nec inanes loculi a tramite
,,recto deduxerunt: inſtar marinæ rupis immotus reſtitit. Ad ſummam, ut
,,olim tribunitiæ domus fores noctu ſimul & interdiu omnibus patuêre ci-
,,vibus: ita Schickardi, proh dolor! quondam noſtri implorare auxilium
,,templorum antiſtitibus licuit, ſcholarum pulpitis conceſſum fuit, litibus fo-
,,renſibus liberum & omnibus vitæ ordinibus permiſſum. Sed fuerunt hæc,
,,& magnus ille vir bonis ac doctis omnibus triſte ſane ſui deſiderium reli-
,,quit: nam, ſecundo hujus menſis die, dolore capitis tentari cœpit, mox
,,febri peſtifera conflictari, quæ lethali ſuo veneno corpus alioqui ſatis fir-
,,mum lectulo ſtatim affixit, vires debilitavit, ac tandem quinto poſt die vita
,,motuque omni privavit. Ingraveſcente autem morbo, cum jam dubia ſpe
,,vitæ ſpiritum duceret, nihil a priſtina ſua virtute alienum fecit: ſed, ſine
,,ullo corporis aut vultus motu, ita tranquille placideque deceſſit, ut non è
,,vita ad mortem, ſed ex labore ad quietem, ex ætate brevi ad perpetuam,
,,ab exilio hoc quidem miſero ac permoleſto ad jucundiſſimam beatiſſi-
,,mamque illam animarum patriam, Dei ſedem atque ſolium migrare vi-
,,deretur, cum vixiſſet annos LVI. menſes IX, dies X. Faciemus ei funus
,,die craſtino, qui eſt X. Maji & quo Rectoratum, quem jam per annum
,,geſſerat, ſolenniter de more fuiſſet depoſiturus: ad hoc cohoneſtandum,
,,ut Viri Magnifici, Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Reverendi, & Clariſſimi,
,,nec non Studioſi juvenes, hora ſolita, dato ſigno confluant, & defuncti
,,viduæ ac ſex ejus pupillis perpetuam felicitatem, toti denique familiæ fa-
,,cilem hujus paternæ virtutis æmulationem nobiſcum comprecentur, vehe-
,,menter oramus. P. P. Daventriæ IX Maji CIↃIↃCXXXVI.

Edita à D. Martino Schickardo:

Jus Inſtitutionum Auguſtiſſ. Imperatoris Iuſtiniani, in XX *Diſputationes redactum.* Herbornæ Naſſoviorum Anno CIↃIↃCXIV.

Logica Juridica. Item, *duo Commentarioli, unus de principiis Juris, alter ad fragmentum LL.* XII *Tab.* ibid. CIↃ IↃCXV.

Kalend. Jul. Iacobus Tichlerus Daventrienſis, tum temporis Paſtor Elburgenſis, edidit Tractatum Belgicum, cui titulus: *Hiſkiæ oprechtigheyt, gebleecken in ſijn geſontheyt, ſieckte, ende geneſinge, voor-geſtelt in* 18 *Predicatien over het* 38 *Capittel Eſaiæ.* Excuſum Campis.

XII Jul. datæ ſunt literæ Bipontinorum ad Eccleſias Belgicas, quæ & ad noſtram Synodum pervenere, hiſce conſcriptæ verbis:

„ Eccleſiis Orthodoxis, in confederatis Belgii Provinciis ſalutem, ab „unico ſalutis fonte Jeſu Chriſto, Bipontinatus ſacri verbi Miniſtri.

„ Ducatus Bipontinus, ditio Illuſtriſſimi Ducis Friderici Palatini, patria „noſtra chariſſima, hactenus indefeſſam pauperum exulumque curam ha„bere conſuevit. In illa enim perſecutione, quæ ante decennium in Archi„palatinatu graſſari cœperat, adeo humaniter excipiebamus, tractabamus, „alebamus omnes & ſingulos tecta ſubſidiaque noſtra petentes, ut nemo „Miniſtrorum eſſet, qui ſuum ſtipendium vel æqualiter, vel proportionali„ter egentibus diſtribuere dubitaret. Quid multis? Exiguus iſte Ducatus, „utut per crebras exactiones incurſioneſque militum vehementer afflictus, „ultra integrum quinquennium Archipalatinorum Pella fuit. O nos feli„ces, ſi adhuc in dantium, & non accipientium terminis verſaremur! Dare „enim beatius quam accipere, Chriſto teſte, Act. 20.35. Verum, ô quanta, „tam brevi temporis ſpatio rerum immutatio! ô quam cadaveroſa nunc af„flictiſſimæ noſtræ patriæ facies! Quocunque enim aures vertas, audias vel „vociferantes, vel lamentantes; quocunque oculos, videas vel fame tabe„ſcentes, vel tumeſcentes, vel miſeras animas trahentes. Vici, oppida, ante „bene habitata, nunc vacua extant: Incolæ ſuperſtites in urbem unam atque „alteram confluxerunt, & horum plurimi prorſus nulla cum re ſunt, reli„qui vero, quibus aliquid ſupereſt, adeo ab infeſto & crudeli milite exhau„riuntur, ut neque domeſticorum, neque peregrinorum pauperum, etiamſi „lubentiſſime vellent, rationem habere poſſint, quippe qui ipſi, vel herba„rum radicibus & arborum foliis, plerunque ſine pane, ſine ſale, ſine adipe „veſcantur. Caninæ, equinæ, felium carnes pro deliciis habentur. Quid? „tanta rabies famis nonnullos agitat, ut mortuorum hominum cadavera, „paululum obeſiora, in cibum poſtulare fuerint auſi. Filia aliqua ſuras ma„tris exectas devoravit. Ex vicinis binis mulieribus, de equinis carnibus

„manus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„manus conſerentibus, altera occubuit. Prope Bipontium in pago Nuiſch-
„weiler, parentibus mortuis, duo reſtabant liberi, frater & ſoror: hac mor-
„tua frater pro cibo uſus eſt. Accidit ut mendicus, qui id temporis eo ap-
„pulit, à famelicis occiſus, & devoratus ſit. Exempla talia hic fere ſunt
„innumera. In oppidis noſtris non uſque adeo copioſis, trecenti & plures
„mendicantes obambulant, & vix micas panis impetrant. Superioribus
„proxime annis, milite Hiſpano iſtic degente, graviſſimæ patriam noſtram
„urſerunt calamitates, at nunc longe graviores: Tunc interdum in pagis,„
„extra urbes, licebat eſſe tutis, nunc minime. Tunc agri ſegetum pleni
„nunc maximam partem in toto Palatinatu jacent inculti. Tunc ſpes meſſis,
„nunc, pauciſſimis locis exceptis, plane nulla. Hæc eſt illa dies, hæc illa
„ſunt tempora, quibus Deum noſtrum contemtus verbi ſui vindicem expe-
„rimur acerrimum, in minis veraciſſimum. Dicta calamitas non tantum
„contingit plebeios, verum etiam nos ſacri verbi præcones, defunctorum-
„que orphanos & viduas, exutos omnibus ſuis bonis, ſuorumque ſtipendio-
„rum, per temporum injuriam, prorſus expertes; nos inquam, contingit,
„qui nil tam cupimus, quam ut poſſimus miſericordiâ Dei reſervatis ſacro
„miniſterio ſervire, docendo, inſtituendo, corrigendo, conſolando; At
„unde nos, unde noſtros ſuſtentemus, vix ac ne vix quidem habemus. Quid
„in tanto, & vitæ noſtræ, & æternæ auditorum noſtrorum ſalutis periculo
„(periclitabuntur enim abſque omni dubio, ubi nos ab illis diſceſſerimus)
„conſilii? Confugiamus ad Magiſtratus? At Magiſtratus, at Principes, ſub-
„ditis ſuis ad incitas redactis, non potis ſunt juvare. Confugiamus ad Electo-
„ralis Palatinatus Miniſtros, & copioſi illius hactenus ex diverſis Provinciis
„ad illos tranſmiſſi ſubſidii participationem rogemus? At illi iiſdem qui-
„bus nos calamitatibus preſſi, partim fame, gladio, morbis cecidere, par-
„tim hinc inde diſperſi, & injuriis violenti militis expoſiti, miſere vitam
„trahunt. Confugiamus ad auditores noſtros? At plerique fame, gladio,
„morbis periere, reliqui vero Codro (Iro) ſunt pauperiores. Quid ergo?
„Ad vos Revv. Doctiſſ. & pietatis, & charitatis exercitiis undequaque ter-
„rarum Clariſſ. Viri, Ad vos, inquam, in Chriſto fratres. ad vos, in
„Chriſto ſorores, qui degitis in Geldria, Hollandia, Zelandia, Friſia, Bra-
„brantia, Tranſiſalania, Ultrajecto, Groninga. cujuſcunque ſitis Ordinis,
„ſtatus, conditionis confugimus, & ea qua par eſt reverentia precamur,
„rogamus, oramus, noſtrûm vos miſereſcat, miſericordiæ veſtræ fontes,
„ad nos, & Eccleſias noſtras derivate, faciles, benignos & clementes vos
„Bipontinatus ſacri verbi Miniſtris præbere, conferte, conferte, quod, quan-
„tumcumque lubet, in noſtram ſuſtentationem. Iſtam noſtram petitionem,
„quæ prima eſt (hactenus enim ex Bipontinatu nullas in genere eleemoſy-
„nas neque rogavimus, neque accepimus) ſummopere vobis cordi futu-

„ram

„ram minime dubitamus. In gravioribus ſiquidem Majores veſtri, vos quo-
„que Jeſu Chriſti, communis noſtri Servatoris ac Domini obſervantes
„fuiſtis. Plurimi veſtrûm, quanti eum fecerint, quam ſanctis ejus dictis
„audientes eſſent, ſanguine ſuo demonſtrarunt. Quare ergo quod minus eſt,
„particulam ſcilicet rei veſtræ, à tam fidis Chriſti cultoribus non ſperare-
„mus? Atque eo magis, cum ipſe Dominus Salvator adeo ſibi placere opera
„beneficentiæ oſtenderit, ut vel guttulis aquæ diſcipulis ſuis porrectis,
„gratuitam quidem, at copioſiſſimam mercedem ſtatuerit. Nos quod at-
„tinet, in precibus noſtris Veſtrûm ſemper erimus memores, Deum Tri-
„unum orantes, vobis longiſſime halcyonia largiatur, conſervet ab omni
„malo, propulſet quicquid detrimenti Sathan vobis meditatur, vos regat,
„ornet, augeat, & ſic benedicat, ut egentibus porro ſubvenire poſſitis.
„Datæ Meiſenheimio, ſede in Bipontinatu Sereniſſimæ Palatinæ, Illu-
„ſtriſſimi Ducis & Principis nuper defuncti, Ioannis Palatini, viduæ. Duo-
„decimo Iulii, Anno cIↄIↄcxxxvi.

Subſignatæ erant:

„ Fridericus Goelerus Miniſter
„Eccleſiæ Meiſenheimenſis, & vici-
„narum inſpector.

„ Juſtus Wolffius, Paſtor Circel-
„lanus, nomine Miniſtrorum Præ-
„fecturæ Bipontanæ.

Ioannes Pantaleon Candidus,
Inſpector Lichtenbergenſis.

Juſtus Mörſelius, Paſtor Leinſ-
villanus, nomine Miniſtrorum
Archi-præfecturæ Neocaſtella-
næ.

Adjecta erant:

„ Alia quædam horrendæ & inauditæ famis exempla, quæ in Bipontinatu
„& confiniis evenere, bonâ fide conſcripta.

„ Poſtquam Cæſariani, præterito anno, capto Biponto, numeroſiſſimo-
„que exercitu Lotharingiam petentes, omnia longe lateque devaſtaſſent ac
„depopulati eſſent, tam dira & horrenda fames inſecuta, ut maxima pars
„hominum, præſertim ruri degentium, glandibus, omnigenis herbis, ur-
„ticis, tribulis, gramine, radicibus, foliiſque arborum, plerumque ſine
„pane, ſine ſale & adipe, veſci coacta ſit.

„ Corio itidem, pellibuſque boum, equorum, ovium (prius tamen
„ambuſtis pilis) limacibus quoque, raniſque cum inteſtinis & ovis, ſub ini-
„tium veris, maximo numero pro cibis uſi ſunt.

„ Vidimus non tantum canum & felium carnes, ſed etiam jumentorum
„cadavera multo pretio divendi ac conſumi.

„ Vidimus eadem ad ſepes longo tempore, ad ſex & amplius ſeptimanas
„projecta, aut in aquis hærentia devorari.

„Vidi-

„ Vidimus Hornbaci, in patria noſtra, famelicos de fœtu equarum ab-
„ortivo, vix ſeſquipithamam adæquante, ad verbera digladiantes.

„ Quin tanta multos agitabat fames, ut nec ab eſu carnium humanarum
„abſtinuerint. In diœceſi Bliſo-Caſtellana, prope Bipontum, cadavera
„hominum fame enectorum, quibus vix cutis oſſibus hærebat, nihilomi-
„nus aperta, cor, jecur, pulmones exemta & devorata ſunt.

„ Ad declinandam famem alterum alterius vitæ inſidias ſtruxiſſe, &
„violentas intuliſſe manus, certum eſt: Hinc multi peregrinantes, præſer-
„tim in ditione Bitenſi, interfecti. Liberi quoque nonnulli hinc inde in-
„tercepti & trucidati ſunt. Prope Landoviam puer trium quaſi annorum,
„militis præſidiarii filius, à muliere mendicante interceptus, verum à matre
„ſuperveniente, cum illa jam jam fune collum fractura eſſet, liberatus, ipſa
„à matre irâ inflammatâ interemta fuit.

„ Diram hanc & horrendam famem horrenda multorum millium mors
„& ſtrages excepit, ex quibus aliquos ad tres menſes, vix animam trahen-
„tes, tandemque omnem cibum averſantes, ſine pane vitam produxiſſe,
„certum eſt,

„ In pago Reiſchweiler, prope Bipontum, Ioannis Petri Laëri Miniſtri
„vidua, ſex liberos, priuſquam ipſa interiiſſet, oculis ſuis vidit fame conta-
„beſcentes. Vidua Arbogaſti Kummelii Paſtoris Erbacenſis, itidem cum
„quatuor liberis inedia periit.

„ Homines aliqui, interfectis prius & devoratis canibus rabioſis, ſimiliter
„rabie perciti, & in furorem adacti ſunt.

„ Plurima cadavera hominum, & ruri, & in pagis, in nonnullis quoque
„oppidis, inſepulta vel computruerunt, vel à canibus, lupis, aliiſque beſtiis
„dilaniata ſunt.

„ Hinc tanta regionum iſtarum ſolitudo, ut vel in trecentis pagis, non
„unum hominem cernere detur. Pauciſſimi enim illi qui adhuc in vivis
„ſunt, vel in dumetis, vel in oppidis (in quibus etiam vix decimus quiſque
„ſupereſt) latent, miſerrime vitam trahentes; Et niſi Deus clementiſſime
„proſpexerit, ob defectum alimoniæ, nihilominus ipſis fame pereundum
„erit.

„ Veriſſime igitur cum Propheta Jeſaia calamitoſiſſimum patriæ noſtræ
„ſtatum deplorare licet, cap. 1. *Reliquum filiæ Zionis eſt inſtar urbis deſolatæ,*
„*inſtar tugurioli in cucumerario, inſtar ædiculæ in vineis. Niſi Dominus Zebaoth*
„*nobis reliquias feciſſet, eſſemus veluti Sodoma ac Gomorrha.*

„ Deus Ter Optimus Maximus, qui occidit & vivificat, ad inferos du-
„cit & reducit, tandem hæreditatis ſuæ commiſereatur, & horrendas iſtas
„furoris ſui plagas clementiſſime mitiget ac avertat, faxitque ut alii hæc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„exempla intuentes, ad veram reſipiſcentiam exuſcitentur, ſibi diſcant à ſe-„curitate & contemtu verbi divini cavere, ne ſimiles experiri cogantur „pœnas.

„Nomine omnium Bipontinatus Mini-„ſtrorum ablegati,

Iohannes Wilhelmus Rauſchius, Paſtor Munbacenſis exul.

m. p.

Ioh. Chriſtianus Neuhardus, Paſtor Ohmbacenſis, exul.

Anno CIↃIↃCXXXVII. II Martii vocatus ad Miniſterium Eccleſiæ Daventrienſis Bernardus Wijngaerden Woerdenas.

II Aprilis Bern. Wijngaerden in Miniſterio confirmatus.

XVIII Junii, D. Ioanni Chriſtenio, id petenti, permittitur lectionem Juridicam habere. Ad Profeſſionem, præter ipſum, nominati ſunt D. Mæſtertius, Cupius, Cabeljavius, Wiſſembachius.

Kalend. Jul. Ioannes Coſterus Daventrienſis, Miniſter verbi Divini in Swarte-ſluys, edit Tractatum Belgicum, inſcriptum; *Den Sorch-duyvel, gepaſt op de ſeden van onſen tijdt.* Excuſus eſt Campis apud Petrum Henricum à Wieringen.

III Julii Chriſtenius Daventriæ eligitur in Profeſſorem Juris Civilis. & VIII Aug. formulis conſenſus in religione ſubſcribit. vitæ ſuæ curriculum verbis quæ ſubjiciemus ipſe delineavit:

„Iohannes Chriſtenius natus eſt in Holſatia non procul Crempis & Gluck-„ſtadio, loco honeſto, patre erudito, qui ibidem verbi Divini Miniſterio „fungebatur. Puer adhuc ſingulari amore literarum ſtudia complectebatur: „Ideoque diligentia præceptorum bene inſtructus tantum profecit, ut anno „ætatis decimo quarto in ſchola Hamburgenſi, quæ tunc florebat, primæ „Claſſis auditor conſtitueretur. Eodem tempore accidit, de quo ſibi ad-„huc plurimum gratulatur, ut familiarius innoteſceret Clariſſimo Elmen-„horſtio, qui in laboribus ſuis illius opera multum utebatur, & primus ei „oculos aperuit, viamque monſtravit ad politiores literas ſerio capeſſendas. „Hujus Elmenhorſtii τȣ͂ μακαρίτȣ commendatione adjutus cum in Acade-„mia Julia & aliis aliquamdiu Juriſprudentiæ operam dediſſet, & Lubecæ „Canonicatum obtinuiſſet, ibidem ſtudiorum & fortunarum ſedem collo-„care decreverat; ſed Deo aliter viſum fuit. Ideoque ad Academiam Lei-„denſem ſe contulit, ubi præcipue coluit viros maximos Danielem Hein-„ſium, & Petrum Cunæum. Poſtea ex Galliis redux factus, cum videret

„Ger-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,Germaniam undique bellorum tempeſtatibus infeſtari, conſtituit fortunam
,,experiri in Belgio, qui locus præ cæteris à prima ætate ipſi arriſit, Deo-
,,que vota ejus adjuvante, anno trigeſimo ſeptimo a Daventrienſibus ad
,,Profeſſionem Juridicam in locum Conſultiſſimi Schickhardi evocatur.
,,In lucem dedit

Tabulas Inſtitutionum Imperialium,

Exercitationes Juridicas,

Collegium Juridicum octodecim diſputationibus Inſtitutiones fuſius explicans.

,,Admodum Reverende & Clariſſime Vir,

,,Memini ante aliquod tempus, cum forte Lugduni morarer, me Reve-
,,rentiæ Tuæ exhibuiſſe brevem Synopſin de curriculo vitæ meæ. Ex illo
,,tempore Daventria, dulciſſima ſtudiorum nutrix, adhuc aliquot annos me
,,tenuit: nec aliæ occupationes meæ fuerunt, quam quæ muneri meo conve-
,,nirent. In jucundo iſto literarum otio nonnulla ad Jus pertinentia com-
,,mentatus ſum; quorum potiſſima nondum in lucem prodierunt: priditura
,,tamen, Deo juvante, ſimul ac commode Typographum invenero. Ante
,,biennium edidi diſſertationem de Philomathia, ad nobile illud JC. Pom-
,,ponii effatum, quod extat in l. 20. D. d. fideicom. libert. Editæ præterea
,,ſunt diverſæ Orationes. Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſepti-
,,mo, menſe Decembri, Nobiliſſimi Curatores Academiæ Gelricæ me hono-
,,rifice invitarunt ad primariam Juris Profeſſionem: quam tandem menſe
,,Martio Anni ſequentis, poſtquam ab Ampliſſimo Magiſtratu Daventrienſi
,,honeſtam mei dimiſſionem impetraſſem, ſuſcepi, primumque novæ Aca-
,,demiæ Rectoratum, ita volentibus & decernentibus novæ Academiæ No-
,,biliſſimis Curatoribus, adminiſtravi: Imo & primam Doctoralem lauream
,,in Ducali hac Provincia Juris Candidato publice contuli. Non permitte-
,,rent mihi leges modeſtiæ, quas libentiſſime ſequor, hujus hiſtoriolæ enar-
,,rationem, niſi juſſus a te eſſem. Interim plurimum debere me fateor
,,inſigni benevolentiæ tuæ, quod in libro tuo locum mihi eſſe velis inter
,,honoratos Reipublicæ patriæ Viros. Deus Optimus Maximus, Vir cele-
,,berrime, Te cum honoratiſsima matrefamilias Tua, omnique familia,
,,diutiſsime incolumem ſervet. Dabam Hardervici pridie Kalendas Junii
,,Juliani. Anno Chriſti cIↄIↄcXLVIIII.

Admodum Reverendæ & Clariſſimæ Dignitati Tuæ

Omni ſtudio

Devotus

Ioh. Chriſtenius.

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃcxxxvIII. menſe Aug. vocatus fuit ad Medicinam extra ordinem docendam Engelbertus Teſſchenmakerus. ut è ſequenti programmate videre eſt:

Rector & Profeſſores Academiæ Scholæ Daventrienſis

Lectori S.

,,DUbium non eſt quin omnes ii, præcipue Magiſtratus Orthodoxi, ,,qui Academicis ſtudiis favent, eaque magis ac magis florere cupiunt, ,,eo ipſo palam faciant ſe Reipubl. & Eccleſiæ utilitatem ſerio & toto ani- ,,mo quærere. Quo in cenſu cum Ampliſſimus & nunquam ſatis laudandus ,,Magiſtratus hujus inclytæ Reipubl. ſit; non contentus Profeſſores Theo- ,,logiæ, Juriſprudentiæ & Philoſophiæ jam per octo annos foviſſe; etiam ,,Medicinæ profeſſionem extraordinarie introducendam in commodum ,,ſtudioſæ juventutis eſſe duxit. Quas partes cum demandarit Clariſſimo & ,,Doctiſſimo Viro Dn. Engelberto Teſſchenmaeckero Medicinæ Doctori; ,,is hac ipſa ſeptimana initium profeſſionis ſuæ cum bono Deo eſt facturus, ,,quemadmodum etiam Spartam quam nactus eſt, egregie per illius gratiam ,,eſt ornaturus. Invitamus igitur etiam atque etiam Ornatiſſimos Studio- ,,ſos, quos tam ſalutaris ac liberalis ſtudii amor tenet, ut occaſione optata ,,quam etiam in ea parte Ampliſſimus Magiſtratus hujus urbis commodis ,,ipſorum offert, hic utantur, fructus uberes ex laboribus tam publicis ,,quam privatis prædicti Viri Clariſſimi percepturi. Oratio inauguralis ſive ,,præliminaris *De dignitate & utilitate Anatomiæ* habebitur die Auguſti ,,horâ Deus Opt. Max. benedicat magis ac magis Ampliſſimo Magiſtra- ,,tui totique Reipubl. Daventrienſi, Eccleſiæ ſuæ halcyonia ſemper in ea ,,concedat, & illuſtri huic Gymnaſio incrementa bonis omnibus grata lar- ,,giatur. PP. Daventriæ xII Auguſti ſtyli veteris cIↃIↃcxxxvIII.

Vitam ejus, ex funebri programmate Anno cIↃIↃcxLIx Daventriæ affixo cognoſcas licet, eſt autem tale:

Rector Academicæ Scholæ Daventrienſis Studioſæ juventuti

Salutem.

,,HÆc tria magni æſtimantur inter homines, multumque creduntur ha- ,,bere præcipui, Vigor ætatis, Præclaræ artes, & Probitas morum. ,,Lacedæmonii ſacris ludiſque publicis tres choros inducebant: primus ,,ſenum erat, canentium: Ἀ'μες ποτ' ἦμες ἄλκιμοι νεανίαι. *Nos quondam* ,,*eramus ſtrenui juvenes manu:* altero juvenes perſonabant; Ἀ'μες δέγ' ἐσμέν· ,,αἰ ἦ λῆς αὐγάσδεο· *Hoc nos vocamur: ſi libet, probes licet:* tertius, pueri, ,,hoc

,,hoc canticum deſaltabant: Α'μες δεγ' ἐσσόμεθα πολλῷ κάῤῥονες· *At nos fu-*
,,*turi fortiores plus ſatis.* Haud dubie id præſtantiſſimum judicaverunt, quod
,,qui haberent, eos id apud Spartanos vaniloquentiæ ignaros venditare
,,publice juſtum erat; qui non haberent, alii habuiſſe, alii promittere glo-
,,rioſum putarent. Cteſias Medicus & Hiſtoricus, ex illis, qui Cyrum mi-
,,norem adverſus Artaxerxen fratrem rebellantem ſecuti eſſent, cum in
,,manus hoſtium veniſſet, non modo vincula & alia captivitatis mala effu-
,,git, ſed etiam à magno rege in amicorum cohortem eſt aſſumtus. Denique
,,Triginta-viri Athenis, homines ſceleratiſſimi & crudeliſſimi, quicquid
,,aliud erat nobilium & bonorum civium, cædibus & exiliis vexaverunt;
,,Socrati vero palam reſponſanti manus injicere non ſuſtinuerunt. Sic illi
,,inter hoſtes claritudo artium, huic inter tyrannos & prædones publicæ li-
,,bertatis vitæ innocentia ſecuritatem præſtitit.

,, Cæterum hæc tanta privilegia neminem ſolvere neceſſitatibus naturæ,
,,nimis heu magno nuper experimento nobis cognoſcendum dedit Engel-
,,bertus Teſchenmacherus, Medicinæ Doctor, Phyſices & Medicinæ Pro-
,,feſſor, Medicuſque & Mathematicus hujus urbis celeberrimus. Natalium
,,ejus laudem habent, Elverfeldia, non ignobile oppidum in Principatu
,,Montano; annus hujus decurrentis ſeculi octavus; dies a. d. pridie Nonas
,,Apriles Gregorianas (ſic enim illic tempora numerant) qui Paſchæ feſtum
,,proxime antecedebat; Engelbertus Teſchenmacherus Medicinæ Doctor,
,,& quondam in patria, nunc hac in civitate publice valetudines regens,
,,Anna à Dieſt, mœſtiſsimi parentes, quibus nunc turbato mortalitatis or-
,,dine, ipſis effœtis filius paullo ante florentiſsimus, dolor atque decus ma-
,,gnum, efferendus eſt.

,, Et tirocinium quidem ſtudiorum in urbe patria depoſuit ſub oculis pa-
,,rentum, quibus ætati teneræ nulla fidelior cuſtodia. Cumque indies no-
,,biles profectus majorem ſpem facerent, ad ſcholam Naſſovicam Herbor-
,,nenſem, mire tunc celebrem, præſtantibuſque viris ac flore juventutis af-
,,fluentem, miſſus, quæ bene jacta fundamenta attulerat, iis ampliora im-
,,molitus eſt & ſuperſtruxit. Coloniæ dehinc Agrippinenſis, inter primas
,,Germaniæ, Academia patriæ arti jam totis viribus incumbentem feliciter
,,provexit; Lugdunenſis Batava, omnium Belgicarum ſine controverſia
,,princeps, omnibus numeris abſolutum dimiſit.

,, Itaque, qui per arduam Virtutis ſemitam magnis paſsibus laboribuſque
,,graſſatus erat, is quin ad honoris eniteretur faſtigium, & fructibus indu-
,,ſtriæ ſuæ afficeretur ampliſsimis, non potuit dubitari. Primum ſummos in
,,arte medendi titulos bene merito alumno ſuo congeſsit prædicta Academia
,,Batava Lugdunenſis, Anno Chriſtiano cIↃIↃcxxxvI. ante diem
,,xI Kalend. Decembres. Unde domum reduci domeſticumque optimum

„Magiſtrum in morbis curandis & ſanitate hominum tuenda ſectandi, jam„que in ea re magnum uſum conſecuto, Ampliſsimus ſpectabiliſque Sena„tus hoc in Gymnaſio, cujus ornandi excellentibus doctoribus curam præ„cipuam ſemper oſtendit, docendæ extra ordinem Medicinæ poteſtatem „fecit, Anno Chriſti cIↃIↃcxxxviii. menſe Sextili. Additur deinde „patri collega, ut ſtipendio quoque invitatus publicaque auctoritate civi„tatis Medicum ageret: ſimulque Mathematici, quando à compluribus „annis Daventrienſe Calendarium celebratum erat, munus & commoda illi „decernuntur, Anno Chriſti cIↃIↃcxliv. menſe Novembri. Denique „mandatur in hac ſchola Academica provincia ordinaria ſcientiæ rerum „naturalium explicandæ. Anno Chriſti cIↃIↃcxlvii. menſe Septem„bri: qua quidem ita defunctus eſt, ut perpetuo non modo Profeſſoribus „collegis ſe commodum & unanimem, ſed omnibus etiam auditoribus uti„lem facilemque præbuerit.

„ Neque inter poſtrema, ſi non inter prima, felicitatis humanæ cenſen„dum, nactum eſſe uxorem ex animi ſententia, virginem modeſtia & pietate „probatiſſimam, gente etiam in Ducatu Clivenſi clara, Eliſabetham à „Groen, Conſulis Reſenſis filiam. Cum hac ducta Anno Chriſti cIↃIↃc „xlii. a. d. xvii Kalend. Octobres ſine querela & jucundiſſime, quod „ſuperfuit, vixit. Nec defuit conjugio fœcunditas, ſed è tribus filiis ſolus „ſuperſtes Cornelius; reliqui præmiſſi, quo ipſe profectus eſt iii Nonas „Junias hora undecima noctis, quando piâ illâ animâ Deo datori commen„datâ reſignatâque, plenus ſanctæ fiduciæ, atque illum, cujus mors noſtram „mortem tranſitum in meliorem vitam fecit, ſuſpirans placide exſpiravit. „Vixit annos xli, menſes duos.

„ Vos Nobiliſſimi & lectiſſimi Juvenes, præſtate frequentes ſupremum „munus reliquiis optime de vobis meriti Præceptoris veſtri, ac mortalitatis „recordamini, quod Rex ille Muſicus & hymnorum Deo gratiſſimorum „Poëta præſentiſſimum acquirendæ prudentiæ inſtrumentum cenſuit. Juſta „fient vii Idus Junias ſeu proximo die Veneris hora ſecunda pomeridia„na. Valete. P. P. Daventriæ vi Idus Junias Julianas Anno Chriſti „cIↃIↃcxlix.

Eodem Anno Martinus Schoockius Profeſſionem Philoſophicam Daventriæ adiit. Ejus vitæ curriculum, ex ipſius autographo deſcriptum, tale eſt:

„ Martinus Schoockius natus eſt Ultrajecti Anno cIↃIↃcxiv. Kalend. „April. circa horam decimam nocturnam patre Giſberto Schoock F. Ar„noldi Conſulis Bommeliani per annos complures, & matre Iohanna à „Voorſt. Schoockiorum gens ante annos trecentos in faſtis nota, incu„nabula ſua debet Dordraco primæ Hollandiæ civitati, ac inter ſuos gentiles

„præter

„præter Petrum Schoock ante ſeculum Zuyt-Hollandiæ Prætorem & Dor-
„dracenum Scabinum, ejuſque filium Tilemannum parentis in Scabinatu
„ſucceſſorem, cenſet quoque Giſbertum Schoock S.S. Theologiæ Docto-
„rem, & in Lovanienſi Academia Profeſſorem atque Rectorem Magnifi-
„cum, alioſque complures, qui Bommeliæ in Geldria (vulgo *Salt-Bommel*)
„honores geſſerunt, honeſtiſq; affinitatibus (nominatim *Neidonum, Baldewi-*
„*norum, Moilardorum, Maſiorum, Brittenorum, Lottemorum, Vorſtermannorum,*
„*& Raëtiorum*) familiæ honoratæ majorem ſplendorem fœnerari ſtuduerunt.
„Prima literarum fundamenta poſuit domi ſub avo materno Antonio à
„Voorſt, viro docto & portentoſæ memoriæ; cujus ſubſidio totum No-
„vum Teſtamentum, & Pſalterium, melioremque Virgilii partem, etiam
„cum luminibus captus eſſet, identidem repetere ſolet, tali quaſi exercitio,
„nepotumq; inſtitutione cæcitatis incommodum edulcando. Poſtea frequen-
„tavit Gymnaſium Hieronymianum, atque moderante præ cæteris Viro Cl.
„D. Antonio Æmylio illius tum Regente, nunc in Academia Ultrajectina
„Profeſſore Hiſtoriarum celeberrimo, eouſq; profecit, ut anno XXIX. hujus
„ſeculi ad capiendum uberiorem ingenii cultum ad Academiam Friſiorum,
„quæ Franekeræ eſt, ablegatus fuerit. In ea audivit Iohannem Hachtin-
„gium Philoſophum acutum, & Adrianum Metium Mathematicum longe
„celeberrimum: prima quoque Theologiæ fundamenta poſuit ſub Reve-
„rendis, atque de Eccleſia Orthodoxa meritiſſimis Viris D. Guilielmo Ame-
„ſio, D. Iohanne Maccovio, & D. Meinardo Schotano, Theologiæ Docto-
„ribus & Profeſſoribus eximiis: cum vero aëra illum valetudini ſuæ minus
„ſecundum eſſe crederet, ex conſilio amicorum anno XXXII. Leidam
„abiit, adhæſitque Philoſopho ſummo D. Franconi Burgerſdicio, diſerto
„ad hoc in Theologia manuductore & Doctore D. Antonio Walæo Theo-
„logiæ Profeſſore accurato. Oblata dein commoda in Patria occaſione, in
„eam rediit, inſtitutiſque Philoſophicis & Theologicis Collegiis varios
„nobiles & egregios adoleſcentes in diſciplinam accepit, qui dum in Con-
„ſiſtorio quoque menſe declamant, viſus eſt præludere illuſtri Gymnaſio,
„quod anno XXXIV. ibi erectum eſt, & cujus membrum, extraordinaria
„Profeſſione Latinæ & Græcæ linguæ admiſſa, cœpit eſſe ſub finem anni
„XXXV. paucis menſibus poſt Gymnaſio Academiæ titulo inſignito, ipſe
„primus in Philoſophia lauream accepit, quemadmodum ante in Gymnaſio
„primam Diſputationem propoſuerat Ultrajecti. hæſit uſque ad finem anni
„XXXVIII. quo à Magiſtratu Daventrienſi accitus eſt ad docendas Hiſto-
„rias & Eloquentiam in illuſtri ſuo Gymnaſio, quod ut illuſtrius redderet,
„ultro ſuperaddidit lectionem Græcam & Geographicam. Anno XL. abiit
„ad Academiam Groningæ & Ommelandiæ, in qua adhuc hodie per Dei
„gratiam Logicam & Phyſicam docet.

Edidit,

Edidit, aut hoc anno edita legentur:

Deſperatiſſima cauſſa Papatus cum Auctario adverſus Fromondum.
Diſſertatio de Natura Soni & Echus.
Admiranda Methodus novæ Philoſophiæ Carteſianæ.
Diſſertatio de Ovo & Pullo tertia editione admodum locupletanda.
Diſſertatio de bonis Eccleſiaſticis.
Volumen primum Orationum.
Hiſtoriæ Naturalis veſtibulum reſeratum.
De Scepticiſmo, libri ſex.
Diſſertatio de Turffis.
De Cerviſia Commentarius accuratus.
Hiſtoria Novorum & Antiquorum Enthuſiaſtarum.

Reliqua affecta non commemoro.

Schoockio Groningam profecto ſucceſſit in Profeſſione Hiſtoriarum & Eloquentiæ Ioannes Fridericus Gronovius, cujus vitam ex ipſius manuſcripto ecce habes:

„I. F. G. natus Anno CIↃIↃCXI. ante diem VI Eid. Septembres; „Hamburgi in ædibus avi materni, Canonici & Duci Holſatiæ Comitique „Schaumburgico à Conſiliis; patre Davide Gronovio, Wiſmariâ Megapo-„litanorum, JC^to^. Iohanni Frederico Archiepiſcopo Bremenſi, Epiſcopo „Lubecenſi Duci Holſatiæ, à Conſiliis per continuos octodecim annos, „poſt & venerabilis Collegii Canonicorum Hamburgi, denique civitatis „Bremenſis Syndico. Tirocinia ſtudiorum poſuit apud parentes domi Veur-„dæ, ubi erat diœceſeos regia, per præceptores privatos, juvenes jam cor-„roboratæ ætatis, & qui ſe & alios tam in moribus quam in ſtudendo regere „poſſent, ex Academia aliqua arceſſitos & honeſtis præmiis invitatos. Anno „hujus ſeculi XXVI Bremam miſſus, quod initium illi ſcholæ publicæ fre-„quentandæ, per ſemeſtre hibernum primæ claſſis diſcipulum egit: æſtate „ſequenti Gymnaſio adſcriptus eſt, & partim illic, partim in Hamburgenſi „Gymnaſio, Profeſſores auſcultando & conſulendo ſtudia provexit uſque „ad annum XXXI. Quum menſe Februario in Comitatu illuſtrium & ma-„gnificorum Virorum, qui ab Archiepiſcopo, à Ducibus Holſatiæ & Mega-„politanis, à civitatibus Lubecenſi ac Bremenſi ad Comitia Principum Pro-„teſtantium legabantur, profectus, viſis obiter Lipſienſi & Ienenſi Aca-„demiis, conſedit Altorfii Noricorum, & Juris præcipue ſtudium Bremæ „pulchre incœptum, excoluit; etſi à Michaële Virdungo, qui tunc unus „ex illa felici literis ætate illic ſuper, identidem ad haſce revocaretur. „Interea patre defuncto, anno XXXIII menſe Aprili domum rediit: ſe-

„quenti

„quenti anno Groningam ivit, & Antonio Matthæo, quicum patri ejus olim „Marpurgi Cattorum familiaritas fuerat, adſiduus adhæſit: ſed citius inde, „quam initio conſtituerat, pellectus in Hollandiam, ipſos quinque annos, „variis locis, majore quam unquam contentione & fere totus in literis egit; „etſi legum interim ſtudium nunquam omnino deponeret. Anno XXXIX. „menſe Aprili rebus convaſatis, neque ſperans ſe poſthac in Fœderato Bel-„gio ſedes poſiturum, mare tranſiit, & celebrioribus Angliæ urbibus lu-„ſtratis, in Galliam trajecit. Dum Juliomagi Andium menſes fere ſex deſi-„det, auctore & inſtigatore ex Profeſſoribus homine Germano doctiſſimo „prid. Kal. Martias Gregorianas Anni XL. ſummos in jure honores Aca-„demicos in magna celebritate & honoratorum civium & ſtudioſorum pro-„meruit ac ſuſcepit. Viſa deinde & Italia ac proxima illi Germania (nam „prope ad limitem Imperii per Auſtriæ fines, inde uſque Ratiſbonam, ubi „tunc Cæſar agebat, proceſſit) per Boiarios, Vindelicos, Helvetioſque „in Galliam, mox in Belgium rediit, eo animo, ut in patriam urbem rever-„teretur, ac ſedes ibi collocaret. Sed Daventrienſem Hiſtoriarum & Elo-„quentiæ cathedram, quo literis ante ipſum annum Romæ acceptis ſollici-„tatus erat, etiamnum vacuam offerentibus iterum Ampliſſimis ejus ſcholæ „Curatoribus, re deliberata, libens annuit. Cujus conſilii nec dum eum „pœnituit, inventa præſertim ibidem conjugii & honeſti, & concordis, & „fœcundi conditione. Edidit

Diatriben ad Statii Papinii ſylvas Hagæ.

Libros tres obſervationum Lugduni Batavorum.

Elenchum Antidiatribes adverſus Emericum Cruceum Lutetiæ Pariſiorum.

Commentarium de Seſtertiis Daventriæ.

T. Livium cum Notis perpetuis.

Marcumque & L. Senecas, recenſitos & Notis adornatos Lugduni memoratæ.

Tropempticon ad Legatos Fœderati Belgii, cum Pacificationi Monaſterienſi interfuturi Daventriæ conveniſſent.

Gratulationem ad Principem Auriacum Gulielmum ſecundum, cum paternum imperium, ab Ordinibus delatum, ſimul cum hæreditate adiiſſet, Amſterodami typis deſcriptam.

Circa hæc Vedelius ad Franekeranam Profeſſionem vocatus dimittitur. Edita ſunt ab eo:

Notæ in Epiſtolas Ignatii. Com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Commentarius de tempore utriuſque Epiſcopatus S. Petri, Antiocheni & Romani. Genevæ Anno cIↄ Iↄcxxiv.

Rationale Theologicum, ſeu de neceſſitate & vero uſu principiorum rationis ac Philoſophiæ in controverſiis Theologicis. ibid. Anno cIↄ Iↄcxxviii.

Remede contre l'Apoſtaſie. ibid. Anno eodem. Idem Latinè ſub titulo: *Panacea Apoſtaſiæ.* ibid. Anno cIↄIↄcxxix.

S. Hilaire, ou Antidote, contre la triſteſſe. ibid. Anno cIↄ Iↄ cxxx. Idem Latinè, cum inſcriptione: *S. Hilarius, ſeu Antidotum contra triſtitiam, pro ſancta hilaritate.* Lugd. Bat. Anno cIↄ Iↄ c xxxii.

De prudentia veteris Eccleſiæ. Amſtel. Anno cIↄ Iↄ c xxxiii.

De Deo Synagogæ contra Caſp. Barlæum. Hardervici Anno cIↄ Iↄcxxxii.

Arcanorum Arminianiſmi partes iv. Lugd. Bat. apud Fr. Hegerum.

De Epiſcopatu Conſtantini Magni, ſeu, de poteſtate Magiſtratuum reformatorum, circa res Eccleſiaſticas. Leovard. Anno cIↄ Iↄ cxlii.

Opuſcula Theologica. Franekeræ.

Anno cIↄIↄcxxxix. 1 Octob. vocatus fuit ad Profeſſionem Theologicam Daventrienſem D. Henricus a Dieſt. cujus vitæ breviculum ab ipſo nobis tranſmiſſum ſubjungemus:

„Henricus a Dieſt, natus Anno Domini cIↄIↄxcv. xix Decemb. „ſtylo novo, Altenæ, in Comitatu Marcano, Clivenſi Ducatui annexo, „patre Quæſtore & Prætore, Simeone a Dieſt, matre Annâ vander Beke: „educatus in ſtudiis, Tremoniæ, ſub Rectore Beurhuſio V. Cl. Sigenæ, „ſub Pædagogearcha Ernholdo, eximio Logico, & Didactico; Herbor-„næ, ſub celeberrimis Profeſſoribus, Alſtedio, Gutberleto, Paſore, Piſca-„tore; Baſileæ, ſub Buxtorfio, Lucio, Grynæo; Heidelbergæ, ſub Baum-„bachio, ac Clariſſimis Theologis, Pareo, Sculteto, Altingio; hiſque duo-„bus ad Synodum Dordracenam profectis, & gliſcente bello in Germania, „iterum Baſileæ, ſub Cl. Theologis, Sebaſt. Beckio, & Ioh. Wollebio: „ubi, poſtquam à Facultate Theologica bis honoratus eſſet Profeſſione ex-„traordinaria, quæ provectioribus in Theologia Studioſis demandari ſolet, „feriis Canicularibus, applaudente Facultate Theologicâ Heidelbergenſi, „Doctor Theologiæ promotus eſt, Anno cIↄIↄcxxi. 11 Sept. ſtyl. vet. „Inde in patriam rediens, quum omnia in Germania arderent bellis, Leidam „ſeceſſit, atque ibi conſenſu Profeſſorum Collegia privata inſtituit: donec, „Anno cIↄIↄcxxiv. exeunte, ad Miniſterium Eccleſiæ Emricenſis, „cujus præcipua pars tunc erat Regimen Electorale Brandeburgicum, evo-

„caretur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„caretur; quod adminiſtravit per triennium. A Miniſterio Eccleſiaſtico,
„Anno cIɔIɔcxxvII. menſe Octobri, vocatus ad Profeſſionem Theo-
„logiæ & linguæ Sanctæ, in illuſtri Gymnaſio Gelro-Velavico, quod eſt Har-
„dervici, eandem per duodecim annos integros ſuſtinuit. Hardervico Da-
„ventriam evocatus, Anno cIɔIɔcxxxIx. I Octob. eidem Profeſſioni
„hactenus invigilat. S. Miniſterii ac Profeſſionis fructus publici hi exſtant:

Conciones pœnitentiales, & aliæ.

Mellificium Catecheticum.

De ratione ſtudii Theologici neceſſaria inſtructio.

Enchiridion Theologiæ.

Theologia Biblica.

Funda Davidis.

Anno cIɔIɔcxL. xII Januarii D. Dieſtius Orationem inauguralem habuit, *de Animæ ſtatu poſt mortem.*

Mentionem ſupra fecimus Philippi Rovenii Daventrienſis, ei hoc & ſequuto anno Ultrajecti dica grandis impacta fuit, quam hic inſeri lectoris intereſt. quæ hoc anno acta ſunt, ſubjectum diploma oſtendet. ita autem habet:

„Ad requiſitum Nobiliſs. D. Henrici Valkenarii, Domini a Valcke-
„naer, Duckenborch, Lis, Gieſſen, de Wenert &c. Prætoris civitatis
„Ultrajectinæ, nomine officii Actoris: per me Apparitorem, vigore decreti,
„honorati hujus Judicii, dati v Octob. cIɔIɔcxxxIx, per edictum
„citatur Philippus Rovenius Daventrienſis, ad comparendum perſonali-
„ter coram honorato Judicio civitatis Ultrajectinæ, die Martis qui erit xv
„Octobr. cIɔIɔcxxxIx. ante meridiem, hora nona, ut ibi audiat ejuſ-
„modi poſtulatum, finem, & concluſionem, qualem ſua nobilitas adverſus
„ipſum ſumere ac inſtituere volet, eo nomine, quod attentaverit ſibi aſſcri-
„bere qualitatem Archiepiſcopi Philippenſis, & diœceſeos Ultrajectinæ, nec
„non Hollandiæ, Zelandiæ, aliarumque federatarum Belgii Provinciarum,
„ac ditionis Tranſiſalanæ &c. Vicarii Apoſtolici: Supremum harum regio-
„num Magiſtratum, ac nominatim Rectores hujus civitatis Ultrajectinæ
„habere ac ſugillare pro hæreticis, rebellibus, & illegitimis Magiſtratibus,
„collationes prælaturarum, Canonicatuum, aliorumque beneficiorum à
„dictis Magiſtratibus factas, pro nullis, illegitimis, ac invalidis declarare,
„ac ipſe in dictâ ſuâ, nullâ, aſſumtâ qualitate prælaturas, Canonicatus &
„beneficia in Eccleſiis hic & alibi, etiam ad nominationem Regis Hiſpaniæ
„conferre, diſpenſationes erogare, alioſque actus Epiſcopales in hac urbe
„(tanquam loco ſuæ reſidentiæ) exercere: Omnia ad magnum præjudi-
„cium ſtatus harum regionum, vilipendium ſupremi Magiſtratus, nec non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

„cum uſurpatione, infractione, & turbela Patriæ celſitudinis ac juriſdictio-
„nis. Denique Romæ, Coloniæ, ac alibi tractare & agere cum Legato
„Regis Hiſpaniæ, & per eundem, ad componendum dicti Regis, hujus
„autem Status diſpendium, obque alios plures actus factaque criminoſa,
„cum intimatione in forma.

Publicatum è Curia Vltrajectina, cum debita aſſiſtentia ſubſtituti Prætoris, ac Scabinorum. V *Octob.* cIↃIↃcxxxix.

Et ſubſignatum

H. à Coeſvelt.

x. Martii Prætor Ultrajectinus, Senatui ibidem exhibuit actionem ſuam adverſus Ioannem Wachtelaer Canonicum S. Mariæ, qua refert Philippum Rovenium, ſeſe dicentem Archiepiſcopum Philippenſem &c. ut ſupra, Anno cIↃIↃcxxx. in eadem ſua prætenſa qualitate dediſſe, & per ſacellanum ſuum & Secretarium Godefridum a Moock expediri feciſſe literas patentes, per quas idem Wachtelaer una cum Iacobo Bool, & Theodoro de Witte conſtituuntur Viſitatores generales per univerſam diœceſin Ultrajectinam. Iiſdem poteſtatem dediſſe, omnia loca ſibi Rovenio ſubjecta viſitandi, monendi &c. eundem Wachtelarium inſtrumento dato xxviii Julii cIↃIↃcxxxiii. nominaſſe Vicarium ſuum generalem. quo inſtrumento inter alia præcipiatur, ut Archipreſbyteri diœceſeos Ultrajectinæ ipſo præſente, aut vero Vicario ejus generali congregentur. ejuſdemque inſtrumenti confectum fuiſſe apographum, ad uſum ejuſdem Vicarii. Conſtitutum porro fuiſſe diplomate dato ix Novemb. cIↃIↃcxxxiii. ut ab Epiſcopo, aut prædicto reo tanquam ejus generali Vicario adminiſtraretur ærarium commune, ad ſumtus pro bono publico faciendos, & ad occurrentia onera ſublevanda. Ita ut prædictus reus ſit Vicarius Archiepiſcopi Ultrajectini, eundem abſentem repræſentans, atque ita uſurpans poteſtatem ſupremam, D. D. Ordinibus Provinciæ Ultrajectinæ competentem. Quo reſpectu idem reus crimen læſæ Majeſt. ſecundum jura commiſerit. Eundem reum in eiſdem commiſſionibus primum nominari, atque adeo præcipuum eſſe. Eum prætenſæ huic qualitati poteſtatique ab Archiepiſcopo, eo quo dictum eſt modo ſibi collatæ, non modo non contradixiſſe, verum eam amplexum, tanquam viſitatorem & Vicarium generalem Rovenii, multos actus ſuperioritatis & juriſdictionis exercuiſſe. Inter alia auſum fuiſſe, inſtrumento dato xvii. Octob. cIↃIↃcxxxi. variis ſacrificulis aliiſque clericis ruri commorantibus, ſigillatim diſtrictus ſuos conſtituere ac aſſignare, ſub propriæ manus ſignaculo, adhærentibus & approbantibus nonnullis ſacrificulis, qui eandem conſtitutionem rei ſua ſubſcriptione firmarint. In quibus diſtricti-

bus

bus iidem ſacerdotes religionem ac ſuperſtitiones Romanenſes, adverſus
edicta regionis, eſſent exercituri. Eum per hæc notorie exercuiſſe actus Epi-
ſcopales,& uſurpaſſe poteſtatem ſupremi Magiſtratus, ac ejuſdem juriſdictio-
nem turbaſſe. Prout, abdicato Hiſpaniarum Rege in federato Belgio, omnis
poteſtas, ſuperioritas, & juriſdictio, quæ penes Ultrajectinum Epiſcopum,
in ſpiritualibus ac ſecularibus in hac diœceſi quondam fuit, devoluta ſit ad
Nobb. ac Pott. Ordd. hujus Provinciæ. Citra quorum antecedentem con-
ſenſum ac approbationem nemini licuerit ullos Miniſtros Eccleſiæ, perſo-
naſve Eccleſiaſticas aut Paſtores ordinare, committere, aut delegare. Ut
appareat per Canonas Eccleſiaſticos hujus Provinciæ, aliaque Acta Synoda-
lia auctoritate Ordd. ſtabilita. Reum proinde, ratione dictæ uſurpationis
ac turbatæ juriſdictionis, de jure incurriſſe graves atque etiam corporales
pœnas. Cum ea non ſint facta niſi in hac Provincia, ubi ſola reformata
religio recepta eſt, atque ita regimen in regimine introductum. Ordo ad-
verſus ordinem in negotio religionis erectus. ac per id, ſubditi harum
regionum diverſæ poteſtati, auctoritati, ac dependentiæ, quam Nobb.
ſuarum poteſt. obnoxii facti. nec non prætenſæ cenſuræ & correctioni
Eccleſiaſticæ ipſius rei ac ſuorum ſubjecti: ſimulque abſterriti ab obedientia
quam Nobb. ſuis poteſtatib. ut & decretis harum regionum debeant. quando-
quidem, ex jure ſcripto, quicunque ſubditos, qui ſtabant ſub obedientia
Principis, ab ea abſtrahit, graviter punitur. Annis inſuper cIↄIↄcxxII.
& cIↄIↄcxxIII. ac circa illos, Romæ mota diſputatione inter præten-
ſum Epiſcopum & Vicarium Apoſtolicum Rovenium ab una, & Jeſuitas re-
liquoſque ordinatos religioſos ab altera parte, coram Papa ibidem, ſuper
controverſia, num Jeſuitis in Belgio federato dogmata ſua propagare, nec
Rovenio nec cuiquam alii tanquam capiti ſubjectis, licitum foret, nec ne?
eundem Rovenium tunc temporis eo fine Romam ablegatum, una cum
Bolio, Gravio, aliiſque, conſcio, adiutore, & mandante eodem aliiſque
ei adhærentibus ſacrificulis Romanenſibus in hiſce oris, multis uſos fuiſſe
mediis quibus ejuſdem Rovenii prætenſam ſuperioritatem in hiſce regioni-
bus tuerentur, eamque à Papa confirmari ac ſtabiliri curarent. Actiones
ejuſdem Rovenii Romæ ſpectaſſe ad commoda Regis & Infantis Hiſpaniæ,
& ad ſubditos harum Regionum, & ad obedientiam ejuſdem Regis dedu-
cendos in eaque continendos. Eundem Rovenium Romæ cum eſſet, ſuper
hac negociatione cum reo conſilia miſcuiſſe, eique inter alia ſignificaſſe,
ſe Rovenium, ut de Jeſuitis ibidem apud Papam triumpharet, non ſemel im-
ploraſſe ac adhibuiſſe interceſſionem Infantis, & Legati Hiſpaniæ. prout
pateat ex Epiſtola xxvI Novembr. ab eodem Rovenio ad reum miſſa, in
verbis: *Ad Vivem Infantis Oratorem mandatum pervenit, res noſtras promovendi &c.*
Item ex Epiſtola, data in die S. Martini Anno cIↄIↄcxxII. in verbis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Cardinales apud Oratorem Infantis nobis hoſpitium parari petierunt &c. Illuſtriſſ. D. Vives, Orator Infantis, omnia offert obſequia, dicitque, ſibi jam binis literis à Sereniſſ. Infante injunctum, ut noſtra promoveat, & ad audientiam Pontificis & Cardinalium nos deducat &c. Item per Epiſtolam Iacobi Bolii, datam eodem die, quæ penes reum inventa eſt, in verbis: *D. Vives Sereniſſ. Infantis Orator ſerio & affectuoſe deſiderat nos juvare &c.* Et poſtea: *D. Vives totum ſe offert, quem ſi in omnibus ſequamur, habebimus Coadiutorem &c.* Et per Epiſtolam datam XXVI Novemb. cIↄIↄcXXII. *D. Vives nos ad audientiam duceret.* Item: *Cum eodem D. Vives (qui nos totis viribus nititur juvare) Avum acceſſimus* &c. *Avus mandavit D. Vives, ut negotiorum noſtrorum fieret procurator: qui gaudens id accepit, & ſibi gratulatur quod & ab Infante, & ab Avo talis ſit conſtitutus* &c. *Infantis literæ ibi integræ lectæ, quæ etiam poſt diſceſſum noſtrum, alias in noſtram commendationem miſerat &c.* Et per Epiſtolam miſſam VII Januar. cIↄIↄcXXIII. *D. Vives, qui quaſi ſuum exiſtimat agi negotium, hic novas accepit à Sereniſſ. Infante literas, quibus petit, ad unionem ſervandam, unum ſolum debere eſſe apud nos Caput.* Ita ut reus notitiam habuerit, eorum quæ cum Infante ejuſque Legato, ad ſtabiliendum in hiſce oris unum caput, aliaque ad obſequium Regis Hiſpaniæ, Romæ ac alibi tractata & negociata fuere. Ad hæc, nomine Romanenſium per haſce oras, conſcio reo, apud Infantem requiſitum fuiſſe, uti liceret ſibi ibidem cenſum, tributa, vectigalia &c. conducere. Certo argumento, quod iidem Romanenſes, conſcio etiam reo, etiamnum agnoſcant Regem & Infantem Hiſpaniæ, ſeſeque nitantur ſubducere obedientiæ ſupremo harum regionum Magiſtratui a ſe debitæ. Significaſſe inſuper reo Iacobum Bolium, familiarem correſpondentiam & tractatus ad commoda Regis Hiſpaniarum ſpectantes, quos idem Rovenius & ſui, cum iiſdem regionum noſtrarum hoſtibus habuerunt. ut inter alia eſt in eadem Epiſtola XXIX Novembr. cIↄIↄcXXII. in verbis: *Vives nos libenter ſuo palatio excepiſſet, & ægre tulit nos cubiculum conduxiſſe, verum mihi id conſultum fuit viſum, quia noſtrates oculos & aures habent uſque ad hæc loca, ac vereor, ne noſtra cum illo converſatio nobis aliquando fraudi ſit &c.* Ita ut idem Bolius cum ſuis, nec non ipſe reus probe cognitum habuerint, ſe graviter adverſus ſtatum harum regionum, & ſupremum Magiſtratum delinquere, veritique ſint, ſiquando delicta ſua fuiſſent patefacta, fore ut graviter eorum cauſa punirentur. Quandoquidem autem dicta negociatio Romæ inſtituta, tum cum Papa & Cardd. tum vel maxime cum Infante & Legato Hiſpaniarum, criminalis eſt in ſummo gradu, cujus negociationis reus non modo conſcius fuit, eamque reticuit, ac revelare neglexit, verum inſuper cum dictis negociantibus conſilia miſcuit, ac perſonam dicti Rovenii, ipſo abſente hic in prætenſis ſuis functionibus repræſentavit, utique etiam in illo graviter & ſummè adverſus ſtatum harum regionum deliquit; Non

modo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

modo ad eandem negociationem conſilio & auxilio præſtito, verum etiam
miſſa & aſſignata pecunia, ad ingentem ſummam redeunte: quam in
his oris colligi procuravit, & per mercatorum literas cambii & creden-
tiæ ad Rovenium aliosque cum eo Delegatos tranſmiſit, inſumſitque in ſum-
tus itineris, & litis ac negociationis ſupra memoratæ, commodum Regis
Hiſpaniæ, harum vero regionum detrimentum. Per quam aſſignationem,
collectionem, ac procurationem pecuniarum ad uſus Rovenii (qui harum
regionum hoſtis erat) ejuſque complicum, reus, vigore decreti Præpott.
D. D. Ordd. Generalium, Anni cIↄIↄcxxII. vitæ ac facultatum
amiſſionem incurrit. Prout idem reus, per correſpondentiam, favo-
rem, & ſubſidium iiſdem hoſtibus præſtitum (vi decreti Nobb. & Pott.
D. D. Ordd. hujus Provinciæ, Anni cIↄIↄcxxIII.) tanquam cri-
mine læſæ Majeſt. perpetrato, pœna dignus eſt. Præter quæ idem reus, ad
harum regionum detrimentnm correſpondit cum dicto Rovenio, abhinc
annos xvIII. & quidem inter alia, ſuper militia harum regionum. Prout
idem Rovenius inter alia, in Epiſtola ad reum ſcripta die Martini Anno
cIↄIↄcxxII. ſignificavit quantopere ſibi diſpliceret rumor levatæ obſi-
dionis Bergæ ad Zomam, ac proinde regionum harum proſperitatis, in
verbis: *Perlata hic fuit triſtis fama, ſolutæ obſidionis Bergæ ad Zomam, ſpero
rumorem falſum eſſe, certitudinem abs te expectamus &c.* pandens ea ratione
animum ſuum male affectum ac inimicum adverſus hunc ſtatum. Et ſic de-
ſiderans mutationem ſtatus reipubl. & hoſtis reipubl. exiſtens. quod & ipſum
reus legitimo ſuo Magiſtratui revelare tenebatur. nec tamen fecit. Præter
hæc omnia citatum Rovenium, quem ſciebat, & ſcire tenebatur, in hiſce
oris non modo peregrinum & non admiſſum Eccleſiaſticum, verum etiam
formalem hoſtem eſſe, ab eo, adverſus edicta, hoſpitio exceptum fuiſſe.
A quo & commiſſionem xxvII Aug. Anno cIↄIↄcxxx acceperit, ad
publica quædam negocia Coloniæ Agrippinæ perficienda, negocianda, &
dirigenda citra conſenſum ſummi harum regionum Magiſtratus, neque re
hac Nobb. Potentt. Ordinibus, aut urbis hujus Rectoribus, Magiſtratui
ipſius legitimo, revelata. idque in cauſis ad politiam ac religionem harum
regionum, atque ita earundem ſtatum pertinentibus; cum notoria uſurpa-
tione juriſdictionis, & Majeſtatis læſione, nec non aſſumtione qualitatum,
quas Rovenio non licebat in reum cum ſuis conferre, neque reo cum ſuis
eas acceptare, nedum uſurpare, & effectui mandare: cum crimen ſit,
ſe gerere pro Magiſtratu aut Officiario. Eidem reo conſtitiſſe de multifa-
riis actibus hoſtiliter a Rovenio adverſus hunc ſtatum perpetratis. Prout &
Iacobus Bool crimen læſæ Majeſt. incurrerit, eo quod Rovenio in negocia-
tionibus ſuis & ſollicitationibus Romæ factis auxilio fuerit, eumque de
omnibus per Epiſtolas certiorem fecerit, quod repugnet harum regionum
ſupre-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

ſupremo dominio & celſitudini. Reum cum eorum quæ ſupra recenſita ſunt conſcius eſſet, ea legitimo ſuo Magiſtratui revelare debuiſſe: qui è contrario animum ſuum inimicum & perfidum uſque eo manifeſtarit, quod non ſolum ea ſilentio involverit, ſed inſuper cum eiſdem colluſerit, ac una cum prædicto Bolio, a tam formali hujus ſtatus hoſte, cujus ipſe Vicarius eſt, illicitas commiſſiones acceperit & inſinuarit. quo ipſo ex jure notorio crimen læſæ Majeſt. ac perduellionis admiſerit. Reum præterea notabilem pecuniæ ſummam, nominatim Anno proxime elapſo cIↄIↄcxxxIx. transſcripſiſſe & ſuppeditaſſe perſonis Eccleſiaſticis in hoſtili territorio degentibus. eandemque pecuniam a ſubditis harum regionum acceptam ad uſus conventuum & collegiorum hoſtilium tranſportari & erogari curaſſe; ad imminutionem mediorum harum regionum, & ſubventionem earundem hoſtibus factam. Quo & ipſo idem incurrerit pœnam læſæ Majeſt. vigore primi Articuli, decreti Anno cIↄIↄcxxI. Eundem reum, ſuper hæc omnia, hoſpitio excepiſſe præter dictum Rovenium, hoſtem harum regionum, Gothofredum a Moock, ſacerdotem Romanenſem, ſacellanum ac Secretarium ejuſdem Rovenii, ac proinde & ipſum harum regionum hoſtem. multis quoque ſacrificulorum aliiſque vetitis conventiculis in hiſce regionibus interfuiſſe. Eundem reum, cum ratione latitationis ſuæ & fugæ conceſſa eſſet citatio in perſona per edictum, ter per campanæ pulſum citatum ac vocatum fuiſſe, qui ſingulis illis vicibus ſententiam de defectu adverſus ſeſe emanare permiſerit. Citatumq; ad videndum exhiberi Prætoris intentum ejuſque verificationem, ac audiendam ſententiam &c. non comparuiſſe. quo nomine D. actor hoc ſuum Intentum exhibeat. Quapropter, quum de jure reus ratione correſpondentiæ cum Rovenio aliiſque harum regionum hoſtibus, tractatuum ac negociationum Romæ cum Papa, Cardinalibus, Infante, & Regis Hiſpan. Legato, ad detrimentum hujus ſtatus, & commodum ejuſdem Regis habitarum, quas neutiquam revelarit, ſed omni modo adjuverit ac promoverit, pecuniam ſuppeditarit & transſcripſerit, prætenſam ſuperioritatem Rovenii approbarit & pro ſua parte ſtabiliverit, perſonam ejus & functiones, eo ab hac urbe abſente, ſuſtinuerit obſervaritque, diſtrictus ſacrificulorum ruri ac alibi reſpective aſſignarit, qualitates viſitatoris & Vicarii generalis à Rovenio acceperit, ſibi arrogarit, & exercuerit; atque ita celſitudinem harum regionum, & juriſdictionem ſupremi Magiſtratus uſurparit, turbaritque, nec non earundem turbatoribus & uſurpatoribus, & publicis harum regionum hoſtibus opem & auxilium ſubminiſtraverit, inconceſſa Collegia & Presbyteria cum aliis fecerit atque erexerit, pecunias ſubditorum harum regionum ad eos uſus, & ad conventus in regionibus hoſtilibus transſcripſerit, & inſumſerit, atque ita regimen in regimine, & turbelam ac innovationem in negocio religionis machinatus

ſit, quæ omnia, notoria crimina rebellionis & læſæ Majeſtatis ſunt; His de cauſis concludit eo fine, ut per ſententiam definitivam hujus judicii, reus declaretur privatus eſſe omni exceptione declinatoria, dilatoria, & peremtoria, tutelis ac defenſionibus, ac porro pronuncietur commiſiſſe crimen læſæ Majeſt. rebellionis, ac perduellionis adverſus hunc ſtatum, præbenda ſua in Eccleſiâ S. Mariæ, ac omnibus ſuis facultatibus ad uſum Domini multandum, & ſiquando in manus juſtitiæ eum pervenire contigerit, gladio plectendum, ita ut mors inſequatur. Condemnandum porro in expenſas ac ſumtus juſtitiæ alioſve &c. Super omnia &c.

Subſcripſerat

Nic. à Meerkerck.

Sententiæ

Concluſæ ac pronunciatæ X. *Martii* CIↃIↃCXL. *ac primo adverſus Philippum Rovenium.*

„VIſo à Judicio civitatis Ultrajectinæ Intento eidem judicio tradito, „nomine ac vice Henrici Valkenarii, Domini in Valkenaer &c. „Prætoris hujus civitatis, ratione Officii actoris, adverſus Philippum „Rovenium Daventrienſem, per edictum in perſona citatum, & emanen„tem, una cum citationibus, intimationibus, verificationibus, actis & „munimentis a D. actore exhibitis, per quæ apparet, citatum & emanen„tem in fine Anni CIↃIↃCXXI. poſt expirationem duodecennalium indu„ciarum, quum eſſet perſona dicta ſpiritualis, adverſus decreta, clam, ſine „commeatu, nec indicato nomine ſuo aut qualitate, in haſce oras, & no„minatim in hanc urbem Ultrajectinam veniſſe, atque ad tempus ibidem „hæſiſſe, nec non, conatum fuiſſe ſibi proſpicere de commodo domi„cilio, ſuamque reſidentiam hic conſtituere, ad regionum harum detri„mentum. Eundem ſe qualificaſſe nominaſſeque Archiepiſcopum Phi„lippenſem & Ultrajectinum, nec non Hollandiæ, Zelandiæ, aliarumque „Provinciarum federatarum Vicarium Apoſtolicum, & in ea qualitate di„verſos actus Epiſcopales exercuiſſe ac celebraſſe, in eadem prætenſa qua„litate contuliſſe multas ac varias prælaturas, Canonicatus, aliaque bene„ficia, tam hic in Eccleſiis quam alibi, etiam ad præſentationem Regis „Hiſpaniæ & Archiducum Auſtriæ, tanquam prætenſorum Principum Bel„gii, ſugillantem dictorum beneficiorum poſſeſſores, tanquam illegitimos „ac iniquos detentores, & eorundem collatores tanquam hæreticos, rebel„les, & illegitimos regentes. Eundem annis CIↃIↃCXXII. & CIↃIↃCXXIII. „una cum Iacobo Bolio Ultrajectino aliiſque ipſorum complicibus, Romæ

,,apud Papam & Cardinales, ſuper ſua prætenſa ſuperioritate in ſpirituali-
,,bus per Belgium federatum, conſciis, conſultoribus, & mandantibus
,,ejuſdem Belgii Romanenſibus ſacrificulis, adverſus Jeſuitas, alioſque ordi-
,,natos religioſos proceſſiſſe, egiſſe, ac negociatum eſſe, ac in eadem nego-
,,ciatione & actione uſum fuiſſe interceſſione & auctoritate Regis & In-
,,fantis Hiſpaniæ & utriuſque legatorum, ac diſerte declaraſſe, eandem in-
,,terceſſionem tendere ad commodum eorundem Regis & Infantis, ad quos
,,Pontificii federati Belgii ſummopere inclinarentur, & in quorum obe-
,,dientia pro virili ſua parte eos continere ſtuderet, ac vereretur, ne eo-
,,rum animi ab iis alienarentur, niſi in dicta ſua prætenſa ſuperioritate per
,,interceſſionem & auctoritatem dictorum Regis & Infantis conſervaretur;
,,Eundem cum complicibus ſuis ad eandem negociationem pecunias ex hiſce
,,oris emunxiſſe. Eum, quantumvis, per reductionem urbis Grollanæ,
,,juxta capitulationes ea de re ſancitas, tanquam hoſtis federati Belgii, te-
,,neretur intra bimeſtre inde diſcedere, nihilominus, non modo clam ibi-
,,dem hæſiſſe, aut vero frequenter eo rediiſſe, idque frequentaſſe, abſque
,,ullo commeatu aut permiſſione; verum etiam, hic Ultrajecti commora-
,,tum fuiſſe, eamque urbem nominaſſe ac habuiſſe pro loco ſuæ reſiden-
,,tiæ. Ibidem & alibi Pontificias ſuperſtitiones exercuiſſe, inſuperque de
,,integro multos & diverſos actus hoſtiles perpetraſſe, gerentem ſe pro
,,Epiſcopo Philippenſi & Ultrajectino, nec non Hollandiæ, Zelandiæ,
,,aliarumque unitarum Provinciarum Vicario Apoſtolico, celebrantem in
,,eadem prætenſa qualitate diverſos actus Epiſcopales; conferentem mul-
,,tos ac varios Canonicatus aliaque beneficia, tam in hiſce Eccleſiis quam
,,alibi: Habentem in eadem prætenſa qualitate hic Ultrajecti Ioannem
,,Wachtelaer (civem hujus urbis, & Canonicum S. Mariæ) titulo Vicarii
,,ſui generalis; erigentem hic Vicariatum generalem, inſuperque commu-
,,ne ærarium; inſtituentem ejus adminiſtratorem ſe ipſum tanquam Archie-
,,piſcopum, aut dictum ſuum Vicarium Ioannem Wachtelaer. Eundem in
,,hiſce oris collectas curaſſe fieri, ac ipſum de collectis nummis diſpo-
,,ſuiſſe; adhæc Viſitatores, ſacrificulos, alioſque nominatos Eccleſiaſticos
,,creaſſe magno numero. nec non alios quoque Vicariatus & collegia in
,,hiſce regionibus erexiſſe, Archiepreſbyteros conſtituiſſe, urbes in parœ-
,,cias diſtribuiſſe, & parœciis peculiares dictos ſpirituales Paſtores aſſi-
,,gnaſſe, iiſque coadiutores adjunxiſſe: præter hæc, diſpenſationes in cau-
,,ſis matrimonialibus conceſſiſſe, ac illegitima declaraſſe ea conjugia quæ
,,ſecus atque ipſe conſtituerat, eſſent celebrata. Quæ omnia quum ſint gra-
,,viſſima ac atrociſſima delicta, adverſus celſitudinem, religionem, legiti-
,,mum regimen, & pretioſe emtam libertatem harum regionum, conſe-
,,quentiæ perquam noxiæ, & pernicioſi exempli, quæ proinde in republ.

,,in

,,in qua juſtitia & politia vigent impunita eſſe non debent: Iccirco, idem
,,Judicium, jus adminiſtrans, citatum, nec comparentem, privavit, ac
,,præſentium vigore privat omnibus exceptionibus declinatoriis, dilatoriis,
,,& peremtoriis, tutelis ac defenſionibus, quas quoquo modo potuiſſet
,,proponere, ac exulare jubet toto vitæ ſuæ tempore è federato Belgio, ita
,,ut nunquam ei eo redire liceat, ſub pœna ſupplicii quod hoſtibus harum
,,regionum debetur; facultates porro omnes ejus fiſco addicit, ſalvo, ut ex
,,eis exolvantur impenſæ juſtitiæ, ad taxationem Judicii.

Actum & pronunciatum Vltrajecti,
x. *Mart.* cIↄIↄ cxl.

Subſignatum erat

Petr. Bor.

Adverſus Ioannem Wachtelaer:

,,VIſo, à Judicio civitatis Ultrajectinæ Intento quod eidem judicio ex-
,,hibitum fuit, nomine ac vice Nob. Henrici Valkenaer, Domini in
,,Valckenaer &c. Prætoris hujus urbis, nomine Officii actoris adverſus
,,Ioannem Wachtelaer, civem hujus urbis, & Canonicum S. Mariæ ibi-
,,dem, citatum edicto in perſona, & emanentem, una cum citationibus,
,,intimationibus, verificationibus, actis & munimentis à D. actore exhi-
,,bitis, è quibus patuit, reum, quantumvis tanquam civis & incola hujus
,,urbis, ſecundum omnia civilia ac gentium jura teneretur eidem per
,,omnia fidem præſtare, nihilominus hujus ſui officii oblitum, non modo
,,poſt expirationem duodecennalium induciarum, magnam habuiſſe cor-
,,reſpondentiam cum Philippo quodam Rovenio Daventrienſi, formali ac
,,acerbo harum regionum hoſte, verum etiam, eundem ſuo hoſpitio hic
,,Ultrajecti excepiſſe, neque, quod vi decretorum debebat, detuliſſe.
,,Eundem Rovenium, ſe gerentem pro Archiepiſcopo Philippenſi & Ultra-
,,jectino, nec non Hollandiæ, Zelandiæ, cæterarumque unitarum Pro-
,,vinciarum Vicario Apoſtolico, una cum Iacobo Bolio Ultrajectino, aliiſ-
,,que ipſorum complicibus, Annis cIↄ Iↄ c xxii, & cIↄ Iↄ c xxiii.
,,Romæ cum Papa, Cardinalibus, Legatis Hiſpaniæ & Infantis tractaſſe
,,ſuper ejuſdem Rovenii prætenſa ſuperioritate in ſpiritualibus per Bel-
,,gium federatum, omnia conſcio, conſultore, & approbatore reo, una
,,cum aliis ſacrificulis Romanenſibus in eodem Belgio. Tractatus illos ac
,,negociationes ſpectaſſe ad commodum Regis & Infantis Hiſpaniæ, atque
,,ad Romanenſes per dictum Belgium continendos in obedientia, affectu,
,,& ſubjectione erga dictos Regem ac Infantem Hiſpaniæ, ad notorium
,,præjudicium ac perturbationem ſtatus ejuſdem Belgii. Eundem Rovenium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

,,& Iacobum Bolium, de hac ſua machinatione & tractatu, reum identidem ,,per literas certiorem feciſſe, ac inter alia etiam, ut nomine Pontificio- ,,rum in hiſce regionibus ab Infante requireretur conſenſus, quo liceret ,,ſibi tributa & vectigalia in hiſce regionibus conducere. Reum inſuper, ,,nummos, ab horum reditibus acceptos, ad promovendam dictam nego- ,,ciationem Romam transſcripſiſſe. & cum dicto Rovenio, non modo ſuper ,,recenſita negociatione & tractatibus conſilia miſcuiſſe, verum etiam, ,,ſuper bello cum communi harum regionum hoſte. Reum, cum dicto Ro- ,,venio, etiam poſt receptam Grollam, correſpondentiam ſuam continuaſſe, ,,ſeque pro ejuſdem Vicario generali geſſiſſe. Dictum Rovenium, tan- ,,quam prætenſum Archiepiſcopum Ultrajectinum, Vicariatum generalem ,,in hac urbe erexiſſe, ac inſuper commune ærarium, cujus adminiſtratio ,,eſſet penes eundem prætenſum Epiſcopum, aut penes reum, tanquam ejus ,,Vicarium generalem. Reum etiam diverſa alia onera & commiſſiones, à ,,Rovenio ſibi collatas, acceptaſſe, ac proinde in ea quoq; qualitate diſtrictus ,,ſacrificulorum nonnullorum ruri diſtribuiſſe & aſſignaſſe. Eundem, præ- ,,ter Rovenium, etiam hoſpitio excepiſſe Gothofredum a Moock, ejuſdem ,,Rovenii ſacellanum & Secretarium, neque ea de re Magiſtratum certiorem ,,feciſſe. Eundem nummorum aliquam ſummam, ex hiſce regionibus, etiam ,,Anno CIↃIↃCXXXIX. proxime elapſo, ad ſpirituales in ditione ho- ,,ſtili tranſmiſiſſe. Quæ omnia cum ſint gravia & atrocia delicta, adverſus ,,ſupremum Magiſtratum & decreta harum regionum, pernicioſæ conſe- ,,quentiæ, quæ in republ. in qua juſtitia & politia vigent aliis in exemplum ,,expedit puniri: Iccirco judicium ſupradictum, juſtitiam adminiſtrans, ,,reum & emanſorem privavit, & præſentium vigore privat omni exceptio- ,,ne declinatoria, dilatoria, & peremtoria, tutela & defenſione, quas ,,quoquo modo potuerit proponere: ejiciens eum in exilium ex hac urbe ,,ejuſque territorio, nec non dominio Vreeſuicano, aliter nominato, *de* ,,*Vaert*, ad dies vitæ ſuæ, cum interdictione, ne eo revertatur, ſub pœna ,,quæ per decreta ſupremi harum regionum Magiſtratus emanavit. Decla- ,,rans inſuper eundem citatum, excidiſſe Canonica ſua præbenda S. Mariæ ,,ſupradictæ, & aliis ſuis quibuſcunque beneficiis. Condemnans eundem ,,in mulctam pecuniariam IↃC. florenorum, ac inſuper in omnes ſumtus ,,Juſtitiæ ſuper cauſa ejus expenſos, ad judicii taxationem.

Actum & pronunciatum Vltrajecti,
X. *Martii* CIↃIↃCXL.

Subſcriptum erat

Petr. Bor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Hoc Anno edidit Iac. Revius *Pſalmos Davidicos lingua Belgica, rhytmis Dathenianis in formam accuratiorem concinnatis.* prodierunt Daventriæ ex officina Nathanaëlis Coſtii.

Anno cIↄIↄcXLI. prodiit Harlemi tertia editio *Poëmatum Tranſmarinorum*, *Ioannis van de Veen* Daventrienſis, inſignis in patrio idiomate Poëtæ. Apud Paſchaſium à Weſbuſch.

Non multo poſt exiit ejuſdem Poëma, cui *Pomo Adami* nomen fecit, continet autem Emblemata moralia, tabulis æneis adornata, excuſa Amſtelodami, à Ioanne Everardo Cloppenburgio.

IX Maji Bernardus Wijngaerden diſceſſit Daventriâ, vocatus ad Miniſterium Leidenſe; edidit, dum Leydæ Eccleſiæ præfuit, tractatum Belgico idiomate in caput IX. ad Rom. adverſus Iacobum Batelerium, cui titulum fecit: *Fedus Vitæ*, &c.

Ejus loco ad Miniſterium Eccleſiæ Daventrienſis provectus fuit Ioannes Lubbertus a Goor, Eccleſiaſtes in Bloemendael propè Harlemum.

XXIX Aug. literæ Daventriam perferuntur, quibus ſignificatur Iac. Revium, è tribus a Nobb. D. D. Curatoribus Academiæ Leydenſis nominatis, ab Ill. Præpott. D. D. Ordd. Hollandiæ & Weſt-Friſiæ electum eſſe ad regimen Collegii Theologici in eadem Academia. vocatio ipſi & ſynedrio Daventrienſi offertur à Io. a Wevelichove Syndico & Nobb. D. D. Curatoribus a Secretis. quam Revius acceptavit, & a Synedrio & Senatu Daventrienſi cum multa benevolentiæ ſignificatione dimiſſus eſt. Succeſſerunt ei in Miniſterio Daventrienſi Iacobus Tichlerus, & Gulielmus ter Schmitten.

Et hæc quidem ſit non incommoda hujus Hiſtoriæ Epocha, quam ſuccincta narratione vitæ ac ſtudiorum ſuorum ab auctore concludi, rogat lectores ut æqui bonique conſulant, & ſequentia legendo percurrere non graventur. ita autem habet:

Jacobus Revius Patrem habuit Ricardum Revium Conſulem Daventrienſem, matrem Corneliam Heyingiam, Ioannis Heyingii Conſulis & Camerarii Daventrienſis filiam, natus Daventriæ Anno cIↄIↄLXXXVI. menſe Novembri, unde ſeſqui-menſe poſt prodita Hiſpanis urbe, ulnis maternis elatus, & Amſtelodamum ad patrem (qui de ſuſpectis Præfecti actionibus Ordines moniturus urbe tunc aberat) perductus fuit. ibi ætate paulo provectior, primo linguæ Gallicæ rudimentis tinctus, mox Latinis & Græcis literis ſub Cornelio Vekemanno, ejuſque genero Huberto Salignaco operam dedit.

dedit. Hinc ad Academiam Lugduno Batavam ſe contulit, ubi Philoſophiæ ſtudiis ſub Gilb. Jacchæo, & Theologiæ ſub Gomaro & Trelcatio animum applicuit. Gliſcere circa id tempus incipiebant inter Arminium (qui & ipſe Theologiam ibidem publicè profitebatur) & collegas ejus ſuper Prædeſtinatione & capitibus annexis controverſiæ, qua occaſione uſus inde diſceſſit Revius Franequeram Friſiorum, ubi Magiſtris uſus Druſiis Patre & filio, Hebraïcæ literaturæ guſtum hauſit. Hinc Anno cIↄ Iↄ c x. Galliæ viſendæ avidus, navi Rothomagum primo, & inde terreſtri itinere Lutetiam pervenit, Aureliam, Blæſos. Turones, Salmurium acceſſit, cui cum præſidio præerat Nobiliſſimus D. Philippus Mornæus Pleſſiaci Marliani Dominus. cumque Academia ibi eſſet reformatæ religionis ad tempus ibidem hæſit. viri docti ac celebres in ea tunc florebant D. Cragius, D. Bodius Trochoregius, Scoti, D. Boucherellus Miniſter, aliique non pauci. Dum hic commoratur, excurrit Doveonem, ubi amphitheatrum eſt, cujus mentio in ſcriptis Lipſianis occurrit. Laudunum quoque Pictonum, & Flexiam Andium expatiatus eſt. Collegium ibi Jeſuitarum luſtravit, & templum ubi cor regis Magni, deaurato operculo incluſum, ante magnum altare elatum viſitur. Cænomanum poſtea metropolim cum adiiſſet, Salmurium reverſus, ſalutato D. Pleſſæo, iter ulterius proſequutus eſt, Andegavum verſus, urbem Academiâ & latomiis cumprimis illuſtrem, Arcem & armamentarium inſigne, & quæ inibi obſervatu digna cum vidiſſet, Nannetes Aremoricorum ſe contulit, ac inde Rupellam Santonum, ubi poſtquam jucundè aliquot hebdomadas tranſegiſſet, Burdegalam Vaſconum metropolim ſe contulit, ubi antiquum Deorum Tutelarum (ut vocant) fanum, & amphitheatri, quod nunc palatium Gallieni appellant, rudera cum voluptate conſpexit. Burdegalâ Toloſam, Aquitaniæ Parlamentum devectus eſt. Gymnaſium hic inſigne habent Patres Societatis Jeſu, cui præfixum hoc Epigramma:

Hanc Capitolini proceres, auctore Senatu
Virtuti Muſiſque dicant feliciter ædem
Auſpiciis, Henrice, tuis, & limine primo
Hinc belli lauros, hinc longæ pacis olivas
Fortunæ monumenta tuæ immortalia ponunt.

Hinc relectis veſtigiis Montalbanum venit, urbem ditionis Quercetanæ, fluvio Tarni impoſitam, ubi Academia eſt literarum, Philoſophiæ, & reformatæ Theologiæ ſtudiis dicata. Unde Cadurcum Quercetanorum, patriam Clem. Maroti, & inde Lemovicum metropolim profectus, Pictavium deinde vidit, ac poſtea Toarſiam quæ imperio D. de Tremolliâ parebat. Et hinc deſideratum hoſpitium Salmurium repetiit. unde adverſo Ligeri

Aure-

Aureliam revectus, ibi dum ſubſiſtit, Nationis Germanicæ primo Bibliothecarius, deinde Aſſeſſor ſive Orator creatus fuit. Anno cIↄIↄcxii. in patriam reverſurus, equo Lutetiam Pariſiorum delatus, inde Peronam, limitem regni pervenit, unde carpento vectus (erat enim tempus induciarum) Cameracum, Valencenas, Montes Hannoniæ, Hallas Brabantiæ (ubi imago Divæ Virginis a Lipſio celebrata) Bruxellam, Andoverpiam vidit. unde in patriam reduci per Hollandiam, Daventria longæ viæ terminus fuit.

Miniſterio Eccleſiæ (qui ſcopus ſtudiorum ejus erat) primo in Comitatu Zutphaniæ admotus fuit, unde Anno cIↄIↄcxiv. Daventriam vocatus, aliquam multos annos Eccleſiam illius urbis cum collegis ſuis rexit. Deſponſavit ibidem ſibi Anno cIↄIↄcxv. Id. Sept. Chriſtinam Auguſtiniam, filiam Conradi Auguſtini Conſulis, qui una cum parente Revii conſulatum ſuſceperat, ac ſimul cum eo, per proditionem Stanlæanam in exilium abierat, ſed ille quidem recepta urbe reverſus, & uſque ad mortem conſulatu functus fuit, cum Revii parens rebus ſuis conſultius putarit Amſtelodami reliquum vitæ tranſigere.

Ex Auguſtini filia Revius ix ſuſcepit liberos, è quibus filia unica ſuperſtes manſit. Anno cIↄIↄcxli. xiii Septemb. Daventriâ Lugdunum Bat. fuit vocatus ad regimen Collegii Theologici Ill. Ordd. Holl. & Weſt-Friſiæ. ei regimini inauguratus fuit Anno cIↄIↄcxlii. vii eid. Januar. & vii menſis ſequentis in Senatu Academico gradu Doctoratus in S. Theologia donatus. Defuncta Anno cIↄIↄcxliii. xxiii Decemb. uxore Chriſtina Auguſtinia triennio poſt ad ſecunda vota tranſiit, ducta uxore Anna Bartens vidua Marci de Witte. Porro quæ Daventriæ in lucem edidit Revius ad Annos cIↄIↄcxii. cIↄIↄcxvii. cIↄIↄcxxiv. cIↄIↄcxxvii. cIↄIↄcxxx. cIↄIↄcxxxii. cIↄIↄcxl. recenſita fuerunt. Lugduni Batavorum publici juris ab eo facta ſunt quæ ſequuntur:

Oratio inauguralis, de Origine & uſu Gymnaſiorum, ac nominatim Collegii Theologici Lugdunenſis apud Batavos. Lugd. Bat. apud Franciſcum Hegerum, Anno cIↄIↄcxlii.

Hiſtoria vitæ, doctrinæ, ac rerum geſtarum Davidis Georgii hæreſiarchæ, conſcripta ab ipſius genero Nicolao Bleſdikio. Daventriæ apud Nathanaëlem Coſtium, Anno eodem.

Examen Diſſertationis D. Nic. Vedelii de Epiſcopatu Conſtantini Magni, ſeu, de poteſtate Magiſtratuum reformatorum circa res Eccleſiaſticas. Amſtelodami apud Ioannem Ianſonium. Anno eodem.

Suarez repurgatus, ſive, Syllabus Diſputationum Metaphyſicarum Fran-

Franciſci Suarez Societ. Jeſu Theologi cum Notis Iac. Revii, quibus quæ ab Auctore illo rectè tradita ſunt, ubi opus eſt, illuſtrantur aut defenduntur, quæ vero in Philoſophiam, ac præcipuè Theologiam peccavit, indicantur ac refelluntur. Lugd. Bat. apud Franciſcum Hegerum, Anno cIↃIↃcxliv.

Libertas Chriſtiana circa uſum capillitii defenſa, qua ſex ejuſdem Diſputationes de Comâ ab exceptionibus viri cujuſdam docti vindicantur. Et ejuſdem Tractatus Appendix. Lugd. Bat. apud Adrianum Wijngaerden, Anno cIↃIↃcxlvii.

Methodi Carteſianæ conſideratio Theologica. Lugd. Bat. apud Hieronymum de Vogel, Anno cIↃIↃcxlviii.

Abſterſio macularum, quæ ab Anonymo quodam, calumnioſæ præfationis in Notas Carteſianas Auctore, ipſi aſperſæ fuerunt. Lugd. Bat. apud hæredes Ioannes Nicolai à Dorp, Anno eodem.

Ioannis Piſtorii Woerdenatis, ob Euangelicæ veritatis aſſertionem apad Hollandos primò omnium exuſti Martyrium, deſcriptum à Guilielmo Gnaphæo Hagienſi, tunc temporis in eundem cum beato Martyre carcerem conjecto, nunc autem è Manuſcripto editum. Lugd. Bat. apud Wilhelmum Chriſtiani Boxium, Anno cIↃIↃcxlix.

Daventria illuſtrata. Lugd. Bat. apud Petrum Leffen, Anno cIↃIↃcl.

Excerpta è libello quodam edito à Carolo Everwinio Miniſtro Eccleſiæ Gallo-Belgicæ in urbe Goudana (ſuper poteſtate Magiſtratus in deponendis Eccleſiæ Paſtoribus *) cum reſponſione Iacobi Revii,* linguâ Belgicâ. Lugd. Bat. apud Cornelium à Banheyningen, Anno cIↃIↃcl.

Statera Philoſophiæ Carteſianæ, qua principiorum ejus falſitas, & dogmatum impuritas expenditur ac caſtigatur &c. Lugd. Bat. apud Petrum Leffen.

Alia quæ affecta habet, ſuo tempore prodibunt, Deo O. M. vitam ac otium clementer largiente. cui pro exantlato hoc labore, ſit laus & benedictio in æternum. Amen.

Brevi-

Breviculus eorum qui Magiſtratum Daventriæ geſſerunt, ab Anno cIↃIↃVIII. *uſque ad finem hujus Hiſtoriæ.*

Anno cIↃIↃVIII. die cathedræ Petri, in Senatum Daventriæ allecti fuere,

Scabini.

Petrus Godſchalcus.
M. Hermannus Ludolphus.
Ioannes a Leyden.
Andreas Bonnien.
Ioannes Strubbe.
Ioannes vanden Have.
Ioannes Borck.
Rodolphus de Wreede.
Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Cornelius a Sallant.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.

Conſiliarii.

Otto a Dotinchem.
Wicherus a Randen.
Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes Boeſel.
Ioannes a Winſem.
Henricus a Rhemen.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
Bartholdus vander Beeck.

Camerarii.

Mag. Hermannus Ludolphus. | Ioannes a Leyden.

Anno cIↃIↃIX.

Scabini.

Otto a Dotinchem.
Wicherus a Randen.
Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes Boeſel.
Ioannes a Winſem.
Henricus a Rhemen.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
Bartholdus vander Beeck.

Conſiliarii.

Petrus Godſchalcus.
M. Hermannus Ludolphus.
Ioannes a Leyden.
Ioannes Strubbe.
Andreas Bonnien.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Cornelius a Sallant.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Henricus a Doorninck.
Ditericus ab Averenck.

Camerarii.

Otto a Dotinchem. | Wicherus a Randen.

Anno cIↄIↄx.

Scabini.	*Conſiliarii.*
Petrus Godſchalcus.	Otto a Dotinchem.
M. Hermannus Ludolphus.	Wicherus a Randen.
Ioannes a Leyden.	Henricus a Bulderen.
Ioannes Strubbe.	Petrus a Mouwijck.
Andreas Bonnien.	Ioannes Boeſel.
Ioannes vanden Have.	Ioannes a Winſem.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.	Henricus a Rhemen.
Cornelius a Sallant.	M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
Gerardus Crijt.	M. Ditericus Gelmers.
Rodolphus a Twickeloe.	Heſſelus ab Averenck.
Henricus a Doorninck.	Bartholdus vander Beeck.
Ditericus Heſſels.	Ioannes Huginck, *qui noƈte occiſus eſt, eodem Anno* XXIX *Oƈtob.*

Camerarii.

Ioannes a Leyden.	Otto a Dotinchen.

Anno cIↄIↄxI.

Scabini.	*Conſiliarii.*
Henricus a Bulderen.	Petrus Godſcalcus.
Petrus a Mouwijck.	Hermannus Ludolphus.
Ioannes Boeſel. *mortuus* XXIX *Febr.*	Wicherus a Randen.
Ioannes a Winſem.	Ioannes vanden Have.
Henricus a Rhemen.	Gerardus Swaefken, Gerardi F.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.	Cornelius a Sallant.
M. Ditericus Gelmers.	Gerardus Crijt.
Heſſelus ab Averenck.	Rodolphus a Twickeloe.
Bartholdus vander Beeck.	Henricus a Doorninck.
Gerardus a Leyden.	Heſſelus ab Averenck.
Gerardus Reiners.	Everardus Stuirman.
Ioannes a Greiten.	Iacobus Henrici.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.	Henricus a Bulderen.

Anno cIↄIↄxII.

Scabini.	*Conſiliarii.*
M. Hermannus Ludolphus.	Petrus Godſcalcus.
Wicherus a Randen.	Henricus a Bulderen.

Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Cornelius a Sallant.
Gerardus Crijt, Wilhelmi F.
Rodolphus a Twickeloe.
Henricus a Doorninck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldenicl.
Henricus Plaetman.

Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
Henricus a Rhemen.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
Gerardus a Leyden.
Gerardus Reiners.
Ioannes a Greit.
Ditericus a Kuinre.

Camerarii.

M. Hermannus Ludolphus.
Wicherus a Randen.

Anno cIↄIↄxIII.

Scabini.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
Henricus a Rhemen.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
Bartholdus vander Beeck.
Gerardus a Leyden.
Gerardus Reiners.
Ioannes a Greit.
Ditericus a Kuinre.

Conſiliarii.

M. Hermannus Ludolphus.
Wicherus a Randen.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Cornelius a Sallant.
Gerardus Crijt, Wilhelmi F.
Rodolphus a Twickeloe.
Henricus a Doorninck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldenicl.
Henricus Plaetman.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.
Henricus a Bulderen.

Anno cIↄIↄxIV.

Scabini.

M. Hermannus Ludolphus.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Henricus a Doorninck.

Conſiliarii.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
Henricus a Rhemen, *obiit 2 Martii.*
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Heſſelus ab Averenck.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici,
Macarius ab Oldeniel.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.

Gerardus vanden Berge.
Bartholdus vander Beeck.
Gerardus a Leyden.
Ioannes a Greit.
Ditericus a Kuinrẽ.

Camerarii.

M. Hermannus Ludolphus.
Ioannes vanden Havẽ.

Anno cIɔIɔxv.

Scabini.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
M. Ditericus Gelmers.
Bartholdus vander Beeck. *obiit die omnium Sanctorum.*
Gerardus a Leyden.
Gerardus Reiners.
Ioannes a Greit.
Ditericus a Kuinrẽ.

Conſiliarii.

M. Hermannus Ludolphus.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt, Wilhelmi F.
Rodolphus a Twickeloẽ.
Henricus Doorninck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldeniel.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt̃.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Swaefken, Henrici F.

Anno cIɔIɔxvi.

Scabini.

M. Hermannus Ludolphus.
Ioannes a Leyden.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Ioannes vanden Have.
Gerardus Crijt, Wilhelmi F.
Rodolphus a Twickeloẽ.
Ditericus a Doorninck.
Henricus ab Averenck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.

Conſiliarii.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
Gerardus a Leyden.
Gerardus Reiners.
Ioannes a Greit.

Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Macarius ab Oldeniel.

Camerarii.

M. Hermannus Ludolphus.
Ioannes vanden Have.

Anno cIↄIↄXVII.

Scabini.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Henricus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
Gerardus Reiners.
Ioannes a Greit.
Macarius ab Oldeniel.

Conſiliarii.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt, Wilhelmi F.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Henricus Ludolphus.
M. Engbertus a Dotinchem.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.
M. Gerardus Swaefken.

Anno cIↄIↄXVIII.

Scabini.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt, Wilhelmi F.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
M. Engbertus a Dotinchem.
Ioannes de Heiden.

Conſiliarii.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus vanden Berge.
Gerardus Reiners
Ditericus toe Herkel.
Martinus Blaeuwe.
Macarius ab Oldeniel.

Camerarii.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.

Anno cIↄIↄxix.

Scabini.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Macarius ab Oldeniel.
Ditericus toe Herkel.
Martinus Blaeuwe.
Matthias Lunenborch.
Reinerus ten Duinen.

Conſiliarii.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
M. Engbertus a Dotinchem.
Ioannes de Heiden.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck. | M. Gerardus Swaefken.

Anno cIↄIↄxx.

Scabini.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt, Wilhelmi F.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Everardus Stuirman.
Ioannes Henrici.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
M. Engbettus a Dotinchem.
Ioannes de Heiden.

Conſiliarii.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Heſſelus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Macarius ab Oldeniel.
Ditericus toe Herkel.
Martinus Blaeuwe.
Matthias Lunenborch.
Reinerus ten Duinen.

Camerarii.

Ioannes a Leyden. | Ioannes vanden Have.

Anno cIↄIↄxxi.

Scabini.

Henricus a Bulderen.
Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Winſem.

Conſiliarii.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.

M. Ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Heſſelus ab Averenck. *obiit 3. Dominica AEgidii.*
Gerardus Reiners.
Macarius ab Oldeniel.
Ditericus toe Herkel.
Martinus Blaeuwe.
Reinerus ten Duinen.
Matthias Lunenburch.

Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Everardus Stuirman.
Iacobus Henrici.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
M. Engbertus a Dotinchem.
Ioannes de Heiden.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.

Gerardus Crijt.

Anno eodem.

Per ſeditionem, Senatus ex parte mutatus eſt, creatique.

Scabini.

Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.
Matthias Lunenborch.
Arnoldus a Dortmont.
Iacobus Staekebrant.
Hermannus vander Beeck.

Conſiliarii.

Macarius ab Oldeniel.
Ditericis toe Herkel.
Petrus Staelbijter.
Ioannes Suſelaer.
Henricus Cuyper.
Hermannus Roeck.
Luycken Bruyns.
Everardus Dapper.
Ioannes Lueſſe.
Gerardus a Kuinre.
Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.

Camerarii.

* *

**

Anno cIɔIɔxx.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.

Conſiliarii.

Ioannes a Leyden.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Ditericus toe Herkel.

Maca-

Macarius ab Oldeniel.
Matthias Lunenborch.
Ioannes Suſelaer.
Hermannus Roeck.
Arnoldus a Dortmont.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.

Martinus Blaeuwe.
Petrus Staelbijter.
Henricus Cuyper.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
Iacobus Staekebrant.
Hermannus vander Beeck.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.

Gerardus Crijt.

Anno cIↄIↄxxiii.

Scabini.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
Gerardus Swaefken.
M. Ditericus Gelmers.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldeniel.
Matthias Lunenborch.
Ioannes Suſelaer.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grotenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.

Camerarii.

Ioannes a Leyden.

Ioannes vanden Have.

Anno cIↄIↄxxiv.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldeniel.
Matthias Lunenburch.
Ioannes Suſelaer.
Hermannus Roeck.

Conſiliarii.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken.
M. Ditericus Gelmers.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.

Bernar-

Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck. | Gerardus Crijt.

Anno cIↄIↄxxv.

Scabini.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
M. Ditericus Gelmers.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldeniel.
Matthias Lunenburch.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.

Camerarii.

Ioannes a Leyden. | Ioannes vanden Have.

Anno cIↄIↄxxvi.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt.
Rodolphus a Twickeloe.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Matthias Lunenburch.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.

Conſiliarii.

Ioannes a Leyden.
M. Gerardus Swaefken, Henrici F.
Ioannes vanden Have.
M. Ditericus Gelmers.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck. | Gerardus Crijt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↄIↄxxvii.

Scabini.

Ioannes a Leyden.
Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
M. Ditericus Gelmers.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Gerardus Crijt.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldeniel.
M. Engbertus a Dotinchem.
Matthias Lunenborch.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.

Camerarii.

Ioannes vanden Have.
Gerardus Swaefken, Henrici F.

Anno cIↄIↄxxviii.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldeniel.
M. Engbertus a Dotinchem.
Matthias Lunenburch.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.

Conſiliarii.

Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.
Luycken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.
Iacobus a Winſem.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.

Anno cIↄIↄxxix.

Scabini.

Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.

Gerar-

Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Martinus Blaeuwe.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſẽ.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.
Iacobus a Winſemẽ.

Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Macarius ab Oldeniel.
M. Egbertus a Dotinchem.
Matthias Lunenburch.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laerẽ.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.

Gerardus Crijt̃.

Anno cIↄIↄxxx.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
M. Engbertus a Dotinchem.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Ioannes Stockman.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laerẽ.
Everardus Dapperẽ.
Martinus a Lith.

Conſiliarii.

Ioannes van den Have.
M. Gerardus Swaefken.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Ditericus toe Herkel.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.
Iacobus a Winſemẽ.

Camerarii.

Petrus a Mouwijck.

Gerardus Crijt̃.

Anno cIↄIↄxxxI.

Scabini.

Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinreẽ.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Leyden.
Gerardus Crijt.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
M. Engbertus a Dotinchem.

Ditericus toe Herkel.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.
Iacobus a Winſem.
Hermannus Roeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Iacobus a Lengel.

Camerarii.

Gerardus Reiners.
Henricus Plaetman.

Anno cIↄIↄxxxii.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
Ioannes a Leyden.
Gerardus Crijt.
Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
M. Engbertus a Dotinchem.
Bernardus ten Grootenhuys.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Iacobus a Lengel.
Martinus de Quade.

Conſillarii.

Ioannes vanden Have.
M. Gerardus Swaefken.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Ditericus toe Herkel.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.
Iacobus a Winſem.

Camerarii.

Gerardus Crijt.
Ditericus ab Averenck.

Anno cIↄIↄxxxiii.

Scabini.

M. Gerardus Swaefken.
Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Ditericus toe Herkel.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
Ioannes vanden Have.
Gerardus Crijt.
Iacobus Henrici.
M. Engbertus a Dotinchem.
Bernardus ten Grootenhuys.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Martinus de Quade.

M. Ger-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

M. Gerlacus Doys.
Iacobus a Winſem.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Leyden junior.

Camerarii.

Gerardus Reiners.
Henricus Plaetman.

Anno cIↄIↄxxxiv.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.
Iacobus Henrici,
M. Engbertus a Dotinchem.
Hermannus vander Beeck.
Bernardus ten Grootenhuys.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Martinus de Quaſe.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Leyden.

Conſiliarii.

M. Gerardus Swaefken.
Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Ditericus toe Herkel.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
M. Gerlacus Doys.
Iacobus a Winſem.
Ditericus Weeſe.

Camerarii.

Gerardus Crijt.
M. Engbertus a Dotinchem.

Anno cIↄIↄxxxv.

Scabini.

M. Gerardus Swaefken.
Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.
Ditericus toe Herkel.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
M. Gerlacus Doys.
Ditericus Weeſe.
Ioannes ten Averſt.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.
Iacobus Henrici.
M. Engbertus a Dotinchem.
Hermannus vander Beeck.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Hermannus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Leyden.
Ioannes a Kuinre.
Wilhelmus ab Averenck.

Camerarii.

Gerardus Reiners.
Henricus Plaetman.

Anno cIↄIↄxxxvi.

Scabini.

Petrus a Mouwijck.
Iacobus Henrici.
Henricus Plaetman.
M. Engbertus a Dotinchem.
Hermannus vander Beeck.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Leyden.
Ioannes a Kuinre.
Wilhelmus ab Averenck.

Conſillarii.

M. Gerardus Swaefken.
Gerardus Crijt.
Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Ditericus a Brunsfelt.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
M. Gerlacus Doys.
Ditericus Weeſe.
Ioannes ab Averſt.
Hermannus Martenſen.

Camerarii.

Henricus Plaetman. | M. Engbertus a Dotinchem.

Anno cIↄIↄxxxvii.

Scabini.

M. Gerardus Swaefken.
Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Ditericus a Brunsfelt.
M. Engbertus a Dotinchem.
Luycken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
M. Gerlacus Doys.
Ditericus Weeſe.
Ioannes ab Averſt.
Hermannus Martenſen.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
Gerardus Crijt.
Iacobus Henrici.
Henricus Plaetman.
Hermannus vander Beeck.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Leyden.
Ioannes a Kuinre.
Wilhelmus ab Averenck.

Camerarii.

Gerardus Reiners. | Ditericus ab Averenck.

Anno cIↄIↄxxxviii.

Scabini.

Henricus Plaetman.
Ditericus a Brunsfelt.

Conſiliarii.

Petrus a Mouwijck.
M. Gerardus Swaefken.

Hermannus vander Beeck.
Henricus ab Eeſchede.
Ioannes a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Kuinre.
Wilhelmus ab Averenck.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Franciſcus Wijntjes.

Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Iacobus Henrici.
Ditericus a Kuinre.
Luyken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
M. Gerlacus Doys.
Ditericus Weeſe.
Ioannes ab Averſt.
Hermannus Martenſen.

Camerarius
quem Communitas utriuſque Cameræ conſtituit,
Gerardus Reiners.

Anno cIↃIↃxxxix.

Scabini.

M. Gerardus Swaefken.
Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Iacobus Henrici.
Ditericus a Kuinre.
Luycken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.
Ditericus Weeſe.
Hermannus Martenſen.
Ditericus ter Stalle.

Conſiliarii.

Henricus Plaetman.
Iacobus Winſem.
Ioanees a Laer.
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Leyden.
Ioannes a Kuinre.
Wilhelmus ab Averenck.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Franciſcus Wijntjes.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.

Camerarius.
Ditericus ab Averenck.

Anno cIↃIↃxl.

Scabini.

M. Gerardus Swaefken.
Gerardus Reiners.
Ditericus a Kuinre.
Iacobus a Winſem.
Ioannes a Laer.

Conſiliarii.

Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Henricus Plaetman.
Luycken Bruyns.
Ioannes Lueſſe.

Lam-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes a Kuinre.
Franciſcus Wijntjes.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.

Hermannus vander Beeck.
M. Gerlacus Doys.
Ioannes a Leyden.
Ditericus Weeſe.
Hermannus Martenſen.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Ditericus ten Stalle.

Camerarius.

Iacobus a Winſem.

Anno cIↄIↄxLI.

Scabini.

Ditericus ab Averenck.
Gerardus Reiners.
Henricus Plaetman.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Martinus de Quade.
Hermannus Martenſen.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Franciſcus Wijntjes.
Ditericus ten Stalle.
Gerardus a Mouwijck.

Conſiliarii.

M. Gerardus Swaefken.
Iacobus Henrici.
Ditericus a Kuinre.
Iacobus a Winſem.
Ioannes a Dotinchem.
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Leyden.
Ditericus Weeſe.
Ioannes a Kuinre.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.

Camerarius.

Ditericus ab Averenck.

Anno cIↄIↄxLII.

Scabini.

Ditericus ab Averenck.
Ditericus a Kuinre.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Hermannus Martenſen.
Franciſcus Wijntjes.
Ditericus ten Stalle.
Gerardus Mouwijck.

Conſiliarii.

M. Gerardus Swaefken, Gerardi F.
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes de Leyden. *obiit.*
Ditericus Weeſe.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
M. Otto Baſterts.

Gerar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Gerardus Swaefken, Henrici F.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Ioannes Draeck.

Camerarius.

Ditericus ab Averenck.

Anno cIↃIↃXLIII.

Scabini.

M. Gerardus Swaefken.
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ditericus Weeſe.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
M. Otto Baſterts.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Ioannes Draeck.
Winoldus a Twickeloe.

Conſiliarii.

Ditericus ab Averenck.
Iacobus Henrici.
Ditericus a Kuinre.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Hermannus Martenſen.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Franciſcus Wijntjes.
Ditericus ten Stalle.
Gerardus a Mouwijck.
Gerardus Swaefken.

Camerarius.

Iacobus a Winſem.
qui obiit 3. Maji, ſucceſſit autem
Ioannes a Dotinchem.

Anno cIↃIↃXLIV.

Scabini.

M. Gerardus Swaefken, *obiit.*
Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ditericus Weeſe.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
M. Otto Baſterts.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.

Conſiliarii.

Ditericus ab Averenck.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Hermannus Martenſen.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus a Mouwijck.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ioannes Draeck.
Winoldus a Twickeloe.

Petrus Doys.
Hermannus Heſſels.

Camerarius.

Ioannes a Dotinchem.

Anno cIↄIↄXLV.

Scabini.

Ditericus ab Averenck.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioanees a Laer.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.
Petrus Doys.
Hermannus Heſſels.
Ioannes Doornebus.
Lubbertus a Kuinre.

Conſiliarii.

Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ditericus Weeſe.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
Gerardus a Mouwijck.
M. Otto Baſterts.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Ioannes Draeck.
Winoldus a Twickeloe.

Camerarius.

Hermannus vander Beeck.

Anno cIↄIↄXLVI.

Scabini.

Lambertus a Bulderen.
Ioannes a Dotinchem.
Ioannes Coſter.
Ditericus ten Stalle.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
M. Otto Baſterts.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Ioannes Draeck.
Winoldus a Twickeloe.
Gerardus Wenckum.

Conſiliarii.

Ditericus a Bulderen.
Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.
Petrus Doys.
Hermannus Heſſels.
Ioannes Doornebus.
Lubbertus a Kuinre.

Camerarius.

Ioannes a Dotinchem.

Anno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno CIↃIↃXLVII.

Scabini.

Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.
Petrus Doys.
Ioannes Heſſels.
Ioannes Draeck.
Lubbertus a Kuinre.

Conſiliarii.

Lambertus a Bulderen.
Ioannes Coſter.
Ditericus ten Stalle.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardns ab Irte.
M. Otto Baſterts.
Nicolans Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Winoldus a Twickeloe.
Gerardus a Wenckum.
Henricus a Marckel.
Deficit unus.

Camerarius.

Hermannus vander Beeck.

Anno CIↃIↃXLVIII.

Scabini.

Ioanns Coſter.
Ditericus ten Stalle.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
M. Otto Baſterts.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Lubbertus a Kuinre.
Gerardus a Wenckum.
Henricus a Marckel.

Conſiliarii.

Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus a Bodeker.
Ioannes Draeck.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.

Camerarius.

Ioannes Coſter.

Anno CIↃIↃXLIX.

Scabini.

Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.

Conſiliarii.

Ioannes Coſter.
Ditericus ten Stalle.

Ioannes a Laer.
Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.
Ioannes Draeck.
Petrus Doys.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.

Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Lubbertus a Kuinre.
Gerardus a Wenckum.
Henricus a Markel.
Ioannes Iacobi.

Camerarius.

Hermannus vander Beeck.

Anno cIↃIↃL.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus Twickeloe.
Gerardus a Kuinre.
Gerardus a Wenckum.
Henricus a Markel.
Ioannes Iacobi.

Conſiliarii.

Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Laer.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.
Ioannes Draeck.
Petrus Doys.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.

Camerarius.

Ioannes a Dotinchem.

Anno cIↃIↃLI.

Scabini.

Ioannes a Laer.
Franciſcus Wijntjes.
Ioannes Coſter.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Martinus Bodeker.

Conſiliarii.

Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Dotinchem.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierincx.

Ioan-

Ioannes Draeck.
Petrus Doys.
Gerardus a Wenckum.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Hamaecker.

Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Lubbertus a Kuinre.
Henricus a Markel.
Ioannes Iacobi.

Camerarius.

Ioannes Coſter.

Anno cIↄ Iↄ lii.

Scabini.

Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Dotinchem.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Martinus Bodeker.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Lubbertus a Kuinre.
Henricus a Markel.
Lubbertus a Winſem.

Conſiliarii.

Ioannes Lueſſe.
Ioannes a Laer.
Franciſcus Wijntjes.
Ioannes Coſter.
Gerardus Swaefken.
Ioannes a Gemen.
Ioannes Draeck.
Petrus Doys.
Gerardus a Wenckum.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Hermannus a Mouwijck.

Camerarius.

Hermannus vander Beeck.

Anno cIↄIↄliii.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus Swaefken.
Martinus Bodeker.
Ioannes Draeck.
Gerardus a Wenckum.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.

Conſiliarii.

Ioannes Lueſſe.
Hermannus vander Beeck.
Ditericus ten Stalle.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Lubbertus a Kuinre.
Hermannus a Mouwijck.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Hamaker.

Lubbertus a Winſem, Lic.
Jodocus Coenen.

Camerarius

Ioannes Coſter.

Anno cIↃIↃLIV.

Scabini.

Franciſcus Wijntjes.
Ditericus ter Stalle.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Lubbertus a Kuinre.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Ioannes Hamaker.
Ditericus Scharf. L.

Conſiliarii.

Ioannes a Dotinchem.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardns Swaefken.
Martinus Bodeker.
Ioannes Draeck.
Gerardus a Wenckum.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Jodocus Coenen.
Ioannes Suſelaer.

Camerarius.

Franciſcus Wijntjes.

Anno cIↃ IↃ LV.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus Swaefken.
Ioannes Draeck.
Gerardus a Wenckum.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Jodocus Coenen.
Ditericus Scharf. L.

Conſiliarii.

Hermannus vander Beeck.
Ditericus ten Stalle.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Lubbertus a Kuinre.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Ioannes Hamaker.
Ioannes Suſelaer.

Camerarius.

Ioannes Coſter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃLVI.

Scabini.

Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Hermannus Heſſels.
Henricus a Markel.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Ioannes Hamaker.
Petrus Weſterhuys.
Ægidius a Lith.

Conſiliarii.

Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus Swaefken.
Heſſelus ab Averenck.
Lubbertus a Kuinre.
Gerardus a Wenckum.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Suſelaer.
Ditericus Scharf. L.
Ioannes Snellius.
Henricus Voeth.

Camerarius.

Ioannes a Dotinchem.

Anno cIↃIↃLVII.

Scabini.

Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus Swaefken.
Heſſelus ab Averenck.
Lubberus a Kuinre.
Gerardus a Wenckum.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ditericus Scharf. L.
Ioannes Snellius.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.

Conſiliarii.

Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Hermannus Heſſels.
Henricus a Markel.
Petrus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem..
Ioannes Hamaker.
Petrus Weſterhuys.
Ægidius a Lith.

Camerarius.

Ioannes Coſter.

Anno cIↃIↃLVIII.

Scabini.

Hermannus vander Beeck.
Ioannes a Dotinchem.

Conſiliarii.

Ioannes Coſter.
Arnoldus ab Oldeniel.

Fran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Franciſcus Wijntjes.
Gerardus ab Irte.
Nicolaus Gierinckx.
Hermannus Heſſels.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem.
Ioannes Hamaker.
Petrus Weſterhuys.
Ægidius a Lith.
unus deeſt.

Gerardus Swaefken.
Heſſelus ab Averenck.
Lubbertus a Kuinre.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Iacobi.
Ditericus Scharf. L.
Ioannes Snellius.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.

Camerarius.

Franciſcus Wijntjes.

Anno cIↄ Iↄ LIX.

Scabini.

Gerardus ab Irte.
Gerardus Swaefken.
Heſſelus ab Averenck.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Iacobi.
Ditericus Scharf. L.
Ioannes Snellius.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.

Conſiliarii.

Ioannes a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Arnoldus ab Oldeniel.
Nicolaus Gierinckx.
Petrus Doys.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem.
Petrus Weſterhuys.
Ægidius a Lith.
Ioannes Kreyinck.

Camerarius.

Gerardus ab Irte.

Anno cIↄ Iↄ LX.

Scabini.

Ioanns a Dotinchem.
Franciſcus Wijntjes.
Arnoldus ab Oldeniel.
Petrus Doys.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.

Conſiliarii.

Gerardus ab Irte.
Gerardus Swaefken.
Heſſelus ab Averenck.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Jodocus ten Grootenhuys.

Her-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem, L.
Petrus Weſterhuys.
Ægidius a Lith.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.

Ioannes Iacobi.
Ditericus Scharf. L.
Ioannes Snellius.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.

Camerarius.

Ioannes a Dotinchem.

Anno cIↃIↃLXI.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Gerardns ab Irte.
Gerardus Swaefken.
Petrus Doys.
Henricus a Markel.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Iacobi.
Ditericus Scharf. L.
Ioannes Snellius.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
M. Ioannes ter Spille.

Conſiliarii.

Arnoldus ab Oldeniel.
Heſſelus ab Averenck.
Hermannus Heſſels.
Winoldus a Twickeloe.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem.
Petrus Weſterhuys.
Ægidius a Lith.
Henricus Hoenraet.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.

Camerarius.

Gerardus ab Irte.

Anno cIↃIↃLXII.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Gerardus ab Irte.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Petrus Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ægidius a Lith.
Ioannes Kreyinck.

Conſiliarii.

Gerardus Swaefken.
Heſſelus ab Averenck.
Petrus Doys.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Iacobi.
Ditericus Scharf.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Ioannes Kreyinck.
Doct. Stephanus a Rhemen.

Camerarius.

Henricus a Markel.

Anno CIↃIↃLXIII.

Scabini.

Gerardus Swaefken.
Heſſelus ab Averenck.
Petrus Doys.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Iacobi.
Ditericus Scharf. L.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Ioannes Kreyinck.
Doct. Stephanus a Rhemen.

Conſiliarii.

Ioannes a Dotinchem.
Gerardus ab Irte.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Petrus Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ægidius a Lith.
Ioannes Heyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.

Camerarius.

Petrus Doys.

Anno CIↃIↃLXIV.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Gerardus ab Irte.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Petrus a Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ægidius a Lith.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.

Conſiliarii.

Heſſelus ab Averenck.
Petrus Doys.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ioannes Iacobi.
Ditericus Scharf. L.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Ioannes Heyinck.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Wilhelmus Huerninck. L.

Camerarius.

Henricus a Markel.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↃIↃLXV.

Scabini.

Gerardus ab Irte.
Heſſelus ab Averenck.
Petrus Doys.
Jodocus ten Grootenhuys.
Ditericus Scharf. L.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Ioannes Heyinck.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Wilhelmus Huerninck. L.

Conſiliarii.

Ioannes a Dotinchem.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Ioannes Iacobi.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Petrus Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ægidius a Lith.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.

Camerarius.

Petrus Doys.

Anno cIↃIↃLXVI.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Petrus Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ægidius a Lith.
Henricus Hoenraet.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.

Conſiliarii.

Gerardus Crijt.
Heſſelus ab Averenck.
Petrus Doys.
Ioannes Iacobi.
Jodocus ter Bruggen.
Ditericus Scharf. L.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Ioannes ter Spille.
Ioannes Heyinck.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Wilhelmus Huerninck. L.

Camerarius.

Lubbertus a Winſem. Licent.

Anno cIↃIↃLXVII.

Scabini.

Petrus ab Irte.
Heſſelus ab Averenck.

Conſiliarii.

Ioannes a Dotinchem.
Henricus a Markel.

Petrus Doys.
Ditericus de Quade.
Ditericus Scharf. L.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Ioannes Kreyinck.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Wilhelmus Huerninck. L.

Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus Winſem. L.
Petrus a Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ægidius a Lith.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.

Camerarius.

Petrus Doys.

Anno cIↃIↃLXVIII.

Scabini.

Ioannes a Dotinchem.
Henricus a Markel.
Hermannus a Mouwijck.
Lubbertus a Winſem. L.
Petrus a Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.

Conſiliarii.

Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
Petrus Doys.
Ditericus Scharf. L.
Ditericus de Quade.
Henricus Voeth.
Henricus Dorre.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Ioannes Kreyinck.
Wilhelmus Huerninck L.
Gerardus a Brunsfelt.

Camerarius.

Lubbertus a Winſem.

Anno cIↃIↃLXIX.

Scabini.

Arnoldus ab Oldeniel.
Gerardus ab Irte.
Petrus Doys.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Lubbertus a Winſem. L.

Conſiliarii.

Ioannes a Dotinchem.
Hermannus a Mouwijck.
Petrus Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.

Diteri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Ditericus Scharf. L.
Henricus Voeth.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Ioannes Heyinck.
Wilhelmus Huerninck. L.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Giſbertns Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Ioannes Bruyns.

Camerarius.

Henricus a Markel.

Anno cIↃ IↃ LXX.

Scabini.

Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Petrus Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Henricus Hoenraet.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Giſbertus Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Warnerus ab Oldenbarnevelt.

Conſiliarii.

Arnoldus ab Oldeniel.
Ioanns a Dotinchem.
Gerardus ab Irte.
Lubbertus a Winſem. L.
Henricus Voeth.
M. Ioannes ter Spille.
Ioannes Kreyinck.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Ioannes Bruyns.

Camerarius.

Henricus Hoenraet.

Anno cIↃ IↃ LXXI.

Scabini.

Gerardus ab Irte.
Hermannus Heſſels.
Henricus a Markel.
Hermannus a Mouwijck.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Ioannes vander Beeck.
Gerardus a Brunsfelt.
Ioannes Bruyns.

Conſiliarii.

Arnoldus ab Oldeniel.
Ditericus de Quade.
Lubbertus a Winſem. L.
Petrus Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Henricus Voeth.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Wilhelmus Huerninck. L.

Warnerus ab Oldenbarnevelt.
Franciſcus vander Hulſen.

Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.

Camerarius.

Henricus a Markel.

Anno cIↃ IↃ LXXII.

Scabini.

Arnoldus ab Oldeniel.
Henricus a Markel.
Petrus a Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.
Warnerus ab Oldenbarnevelt.

Conſiliarii.

Gerardus ab Irte.
Hermannus Heſſels.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Henricus Voeth.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Gerardus a Brunsfelt.
Ioannes Bruyns.
Franciſcus vander Hulſen.
Bernardus a Winſem. L.

Camerarius.

Aſſuerus Coſter.

Anno cIↃIↃLXXIII.

Scabini.

Hermannus Heſſels.
Ditericus de Quade.
Hermannus a Mouwijck.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Ioannes Bruyns.
Franciſcus vander Hulſen.
Bernardus a Winſem. L.

Conſiliarii.

Henricus a Markel.
Petrus a Weſterhuys.
Ioannes Snellius.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Hademannus a Laer.
Winoldus ter Loe.
Henricus Cockman.
Lambertus Berents.

Camerarius.

Ditericus de Quade.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↄIↄLXXIV.

Scabini.

Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Lubbertus a Winſem. L.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Aſſuerus Coſter.
Ioannes vander Beeck.
Gerardus a Brunsfelt.
Franciſcus vander Hulſen.
Winoldus ter Loe.
Lambertus Berents.
Winoldus a Mouwijck.

Conſiliarii.

Hermannus Heſſels.
Ioannes Snellius.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Wilhelmus Huerninck. L.
Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.
Ioannes Bruyns.
Hademannus a Laer.
Macarius ab Oldeniel.
Engbertus a Dotinchem.
Michaël ab Irte.

Camerarius.

Henricus Hoenraet.

Anno cIↄIↄLXXV.

Scabini.

Ioannes Snellius.
Henricus Hoenraet.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Doct. Stephanus a Rhemen.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Ioannes Bruyns.
Hademannus a Laer.
Henricus Cockman.
Lambertus Berents.

Conſiliarii.

Hermannus Heſſels.
Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Petrus a Weſterhuys.
M. Ioannes ter Spille.
Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Franciſcus vander Hulſen.
Bernardus a Winſem. L.
Winoldus a Mouwijck.
Winoldus ter Loe.

Camerarius.

Aſſuerus Coſter.

Anno cIↄIↄLXXVI.

Scabini.

Ioannes Snellius.
Ioannes Kreyinck.

Conſiliarii.

Hermannus Heſſels.
Henricus a Markel.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Jodocus ter Bruggen.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Giſbertus Lueſſe.
Ioannes Bruyns.
Winoldus a Mouwijck. L.
Macarius ab Oldeniel.
Engbertus a Dotinchem.
unus deficit.

Ditericus de Quade.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Aſſuerus Coſter.
Gerardus a Brunsfelt.
Franciſcus vander Hulſen.
Bernardus a Winſem. L.
Hademannus a Laer.
Winoldus ter Loe.
Ioannes Kiver.

Camerarius.

Giſbertus a Lueſſe.

Anno cIↄIↄLXXVII.

Scabini.

Ioannes Snellius.
Henricus Hoenraet.
Ioannes Kreyinck.
Reynerus Swaefken.
Gerardus a Brunsfelt.
Ioannes Bruyns.
Bernardus a Winſem. L.
Hademannus a Laer.
Winoldus ter Loe.
Winoldus a Mouwijck. L.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes Kiver.

Conſiliarii.

Henricus a Markel.
Ditericus de Quade.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
M. Ioannes ter Spille.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe.
Lambertus Berents.
Engelbertus a Dotinchem.
Ioannes a Breda.
Doct. Hermannus Scharf.

Camerarius.

Henricus Hoenraet.

Anno cIↄIↄLXXVIII.

Scabini.

Henricus a Markel.
Henricus Hoenraet.
M. Ioannes ter Spille.
Aſſuerus Coſter.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.

Conſiliarii.

Ditericus de Quade.
Ioannes Snellius.
Ioannes Kreyinck.
Jodocus ter Bruggen.
Reynerus Swaefken.
Gerardus a Brunsfelt.

Giſber-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Giſbertus Lueſſe.
Lambertus Berents.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes Kiver.
Doct. Hermannus Scharf.
Doct. Ioannes Dorre.

Ioannes Bruyns.
Bernardus a Winſem. L.
Hademannus a Laer.
Winoldus ter Loe.
Winoldus a Mouwijck. L.
Ioannes a Breda.

Camerarius.

Giſbertus Lueſſe.

Anno cIↄIↄLXXIX.

Scabini.

Henricus Hoenraet.
Iodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Gerardus a Brunsfelt.
Hademannus a Laer.
Winoldus ter Loe.
Ioannes a Breda.
Doct. Hermannus Scharf.
Rodolphus Lubeley.
Gerardus ab Holten.

Conſiliarii.

Henricus a Markel.
Ioannes Snellius.
Giſbertus Lueſſe.
Ioannes Bruyns.
Winoldus a Mouwijck. L.
Macarius ab Oldeniel.
Doct. Ioannes Dorre.
Gerardus Röver.
Matthias a Wenckum.
Ioannes a Walbeeck.
Henricus a Limborch.
Ioannes Kiver.

Camerarius.

Winoldus ter Loe.

Anno cIↄIↄLXXX.

Scabini.

Henricus a Markel.
Henricus Hoenraet.
Jodocus ter Bruggen.
Aſſuerus Coſter.
Giſbertus Lueſſe.
Winoldus a Mouwijck. L.
Macarius ab Oldeniel.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes a Breda.
Doct. Ioannes Dorre.

Conſiliarii.

Ioannes Snellius.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Gerardus a Brunsfelt.
Hademannus a Laer.
Winoldus ter Loe.
Ioannes Kiver.
Doct. Hermannus Scharf.
Gerardus ab Holten.

Matthias a Wenckum.
Rodolphus Lubeley.

Ioannes a Walbeeck.
Henricus a Limborch.

Camerarius.

Aſſuerus Coſter.

Anno cIↄIↄLXXXI.

Scabini.

Henricus a Markel. *obiit* 4 *Martii.*
Henricus Hoenraet.
Aſſuerus Coſter. *obiit* 21 *Septembris.*
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes vander Beeck.
Reynerus Swaefken.
Winoldus ter Loe.
Macarius ab Oldeniel.
Engbertus a Dotinchem. *obiit* 21 *Maji.*
Ioannes Kiver.
Doct. Hermannus Scharf.
Rodolphus Lubeley. *obiit* 6 *Septemb.*

Conſiliarii.

Ioannes Snellius.
Jodocus ter Bruggen.
Giſbertus Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Winoldus a Mouwijck. L.
Ioannes a Breda.
Doct. Ioannes Dorre.
Gerardus ab Holten. *obiit* 21 *Decemb.*
Matthias a Wenckum.
Ioannes a Walbeeck.
Henricus a Limborch.
Ditericus Oelbeke.

Camerarius.

Henricus Hoenraet.

Anno cIↄIↄLXXXII.

Scabini.

Henricus Hoenraet.
Jodocus ter Bruggen. *obiit.*
Ioannes Heyinck.
Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Ioannes a Breda.
Doct. Ioannes Dorre.
Henricus a Limborch.
Ditericus Oelbeke.
Otto a Dotinchem. *obiit.*
Petrus Roeck.

Conſiliarii.

Wilhelmus Huerninck. L.
Reynerus Swaefken.
Bernardus a Winſem. L.
Winoldus ter Loe.
Winoldus a Mouwijck. L.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes Kiver.
Doct. Hermannus Scharf.
Matthias a Wenckum.
Ioannes a Walbeeck.
Reynerus ab Averenck.
Ioannes a Bocholt.

Camerarius.

Ioannes Heyinck.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Anno cIↄIↄLXXXIII.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Wilhelmus Huerninck. L.
Reynerus Swaefken.
Gerardus a Brunsfelt.
Bernardus a Winſem. L.
Winoldus ter Loe~.
Ioannes Kiver~.
Doct. Hermannus Scharf.
Doct. Ioannes Dorre~.
Ioannes a Walbeeck.
Ioannes a Bocholt.
Ioannes a Bloos.

Conſiliarii.

Henricus Hoenraet.
Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe~.
Winoldus a Mouwijck. L.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes a Breda.
Matthias a Wenckum.
Henricus a Limborch.
Ditericus Oelbeke~.
Reynerus ab Averenck.
Petrus Roeck. *obiit* 30 *Iulii.*
Egbertus Hamaker~.

Camerarius.

Winoldus ter Loe~.

Anno cIↄIↄLXXXIV.

Scabini.

Henricus Hoenraet.
Wilhelmus Huerninck. L.
Ioannes a Breda.
Giſbertus Lueſſe.
Bernardus a Winſem. L.
Winoldus ter Loe~.
Macarius ab Oldeniel.
Doct. Ioannes Dorre~.
Henricus a Limborch.
Ditericus Oelbeke.
Reynerus ab Averenck.
Egbertus Ramaker~.

Conſiliarii.

Ioannes Kreyinck.
Reynerus Swaefken. *obiit.*
Gerardus a Brunsfelt.
Winoldus a Mouwijck. L.
Ioannes Kiver~.
Ioannes a Breda.
Doct. Hermannus Scharf.
Matthias a Wenckum.
Ioannes a Walbeeck.
Ioannes a Bocholt.
Ioannes a Bloos.
Petrus Scholier~.

Camerarius.

Bernardus a Winſem~. Licent.

Anno cIↄIↄLXXXV.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Wilhelmus Huerninck. L.

Conſiliarii.

Henr. Hoenraet. *obiit* 18 *Martii.*
Ioannes vander Beeck.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Gerardus a Brunsfelt.
Bernardus a Winſem. L.
Winoldus a Mouwijck. L.
Macarius ab Oldeniel.
Doct. Hermannus Scharf.
Ioannes a Walbeeck.
Henricus a Limburch.
Ditericus Oelbeke.
Ioannes a Bloos.
Nicolaus ab Eſſen.

Giſbertus Lueſſe.
Winoldus ter Loe.
Ioannes Kiver.
Ioannes a Breda.
Doct. Ioannes Dorre.
Matthias a Wenckum. *obiit 28 Octob.*
Reynerus ab Averenck.
Ioannes a Bocholt.
Petrus Scholier.
Ioannes Martens.

Camerarius.

Wilhelmus Huerninck. Licent.

Anno cIↄIↄLXXXVI.

Scabini.

Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe.
Bernardus a Winſem. L.
Winoldus ter Loe.
Macarius ab Oldeniel.
Doct. Hermannus Scharf.
Doct. Ioannes Dorre.
Henricus a Limborch.
Reynerus ab Averenck.
Ioannes a Bocholt.
Nicolaus ab Eſſen.
Doct. Everardus a Bronchorſt.

Conſiliarii.

Ioannes Heyinck.
Wilhelmus Huerninck. L.
Gerardus a Brunsfelt.
Winoldus a Mouwijck. L.
Ioannes Kiver.
Ioannes a Breda.
Ioannes a Walbeeck.
Ioannes Bloos.
Petrus Scholier.
Ditericus Oelbeke.
Ioannes Martens.
Gerardus Verheyden.

Camerarius.

Winoldus ter Loe.

Eodem Anno XXX. *Octob. nomine Ordinum Generalium, & Leyceſtriæ Comitis, per Electorem Colonienſem Truckſeſium alioſque extra ordinem Senatus mutatus, hique electi fuere:*

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Wilhelmus Huerninck. L.
Doct. Hermannus Scharf.
Petrus Scholier.
Doct. Everardus Bronchorſtius.

Conſiliarii.

Ioannes a Breda.
Nicolaus ab Eſſen.
Gerardus Verheyden.
Henricus a Steen-halen.
Engbertus Leemgraven.

Ricar-

Ricardus Revius.
Wilhelmus ter Loe.
Gualtherus a Brienen.
Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Ioannes a Werven.
Ioannes a Markel.

Ioannes Gulicker.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Winſem, L.
Wilhelmus ter Bruggen.
Bernardus Marienborch.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.

Camerarius.

Petrus Scholier.

Anno CIↃIↃLXXXVII.

urbe prodita:

Scabini.

Wilhelmus Huerninck. L. *mortuus ante extraordinariam electionem, de qua mox.*
Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe.
Ioannes Berents.
Bernardus a Winſem. L.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes a Breda.
Ditericus Oelbeke.
Reynerus ab Averenck.
Ioannes Martens.
Doct. Arnoldus Kiſtemaker.
M. Ioannes Helmius.

Conſiliarii.

Gerardus a Brunsfelt.
Winoldus ter Loe. *mortuus.*
Winoldus a Mouwijck. L.
Ioannes Kiver.
Ioannes a Walbeeck.
Henricus a Limbergen.
Ioannes a Bocholt.
Ioannes a Beloos.
Gerardus Verheyden.
Everardus Hemmingius.
Macarius Pinninck.
Iacobus a Lith.

Camerarius.

Giſbertus Lueſſe.

Eodem Anno XXIII *Junii a Cancellario Tranſiſalaniæ Ioanne ab Oert, Commiſſario Regiæ Majeſt. Hiſpaniæ, ejuſque Graphiario Nicolao van den Have, extra ordinem repetita eſt electio, creatique*

Scabini.

Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe.
Bernardus a Winſem. L.
Macarius ab Oldeniel.

Conſiliarii.

Gerardus a Brunsfelt.
Winoldus a Mouwijck. L. *obiit 12 Sept.*
Ioannes a Walbeeck.
Everardus Hemmingius.

Michaël ab Irte.
Ditericus Oelbeke.
Doct. Arnoldus Kiſtemaker.
M Ioannes Helmius.
Arnoldus Huerninck.
Ioannes Huygens.
Otto ten Stalle.

Macarius Pinninck.
Ioannes Ooſtendarp.
Henricus Iacobi.
Ioannes ter Bruggen.
Winoldus ab Eenſchate.
Gerardus Kreyinck.
Ioannes a Werven.
Henricus a Merwe.

Camerarius.

Giſbertus Lueſſe.

Anno cIↄIↄLXXXVIII.

Scabini.

Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Ioannes Bruyns. *obiit* 13 *Iunii.*
Macarius ab Oldeniel.
Everardus Hemmingius.
Doct. Arnoldus Kiſtemaker.
Macarius Pinninck.
Henricus Iacobi.
Ioannes Huygens.
Ioannes a Werven.
Henricus a Merwe.

Conſiliarii.

Bernardus a Winſem. L.
Michaël ab Irte.
Ioannes a Walbeeck.
Ditericus Oelbeke.
M. Ioannes Helmius.
Arnoldus Huerninck.
Ioannes Ooſtendarp.
Ioannes ter Bruggen.
Winoldus ab Eenſchate.
Otto ten Stal.
Gerardus Kreyinck.
Gerardus Coſman.

Camerarius.

Macarius ab Oldeniel.

Anno cIↄIↄLXXXIX.

Scabini.

Giſbertus Lueſſe.
Gerardus a Brunsfelt.
Michaël ab Irte.
Ditericus Oelbeke.
Everardus Hemmingius.
Doct. Arnoldus Kiſtemaker.
M. Ioannes Helmius.
Arnoldus Huerninck.
Ioannes Huygens.

Conſiliarii.

Ioannes vander Beeck.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes Kiven.
Ioannes a Walbeeck.
Macarius Pinninck.
Ioannes Ooſtendarp.
Henricus Iacobi.
Ioannes ter Bruggen.
Otto ten Stal.

Winol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Winoldus ab Eenſchate.
Gerardus Coſman.
Wilhelmus ab Heeck.
Iohannes a Werven.
Henricus a Merwe.
Lambertus Bruyns.

Camerarius.

Ditericus Oelbeke.

Anno cIↃIↃxc.

Scabini.

Ioannes vander Beeck.
Gerardus a Brunsfelt.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes Kiver.
Doct. Arnoldus Kiſtemaker.
Macarius Pinninck.
Ioannes Oostendarp.
Henricus Iacobi.
Ioannes Huygens.
Henricus a Merwe.
Gerardus Coſman.
Lambertus Bruyns.

Conſiliarii.

Giſbertus Lueſſe.
Michaël ab Irte.
Ioannes a Walbeeck.
Ditericus Oelbeke.
Everardus Hemmingius.
M. Ioannes Helmius.
Arnoldus Huerninck.
Ioannes ter Bruggen.
Otto ten Stal.
Winoldus ab Eenſchate.
Wilhelmus ab Heeck.
Ditericus Lulofs.

Camerarius.

Macarius Pinninck.

Anno cIↃIↃxcI.

Scabini.

Ioannes vander Beeck.
Giſbertus Lueſſe.
Michaël ab Irte.
Ioannes a Walbeeck.
Ditericus Oelbeke.
Doct. Arnoldus Kiſtemaker.
M. Ioannes Helmius.
Ioannes Huygens.
Winoldus ab Eenſchate.
Gerardus Coſman.
Wilhelmus ab Heeck.
Ditericus Lulofs.

Conſiliarii.

Gerardus a Brunsfelt.
Macarius ab Oldeniel.
Ioannes Kiver.
Everardus Hemmingius.
Ioannes Ooſtendarp.
Henricus Iacobi.
Henricus a Merwe.
Lambertus Bruyns.
Macarius Pinninck.
Arnoldus Huerninck.
Everardus a Rijſſen.
Ioannes Schutte.

Camerarius.

Ioannes vander Beeck.

Eodem

Eodem Anno IV. *Junii ſtylo antiquo Mauritius Naſſoviæ Comes, urbe receptâ Magiſtratum veterem, utpote Regi Hiſpaniarum juramento obſtrictum, gratioſe dimiſit, & de conſilio Deputatorum Equeſtris Ordinis ac civitatum, ſequenteis ab eo in Senatum allecti fuere: imminuto Conſiliariorum numero.*

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Petrus Scholier.
Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Ioannes Verwer. *qui electioni renunciavit, at Zutphaniam ſe contulit.*
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Engbertus ter Bruggen, *excubiarum præfectus, qui & ipſe excuſari petiit.*
Otto Roeck.

Conſiliarii.

Hermannus a Winſem.
Hermannus Goſuinus.
Petrus Temminck.
Ioannes ter Vijl.

Camerarius.

Martinus Stegeman.

Anno cIↄIↄxcii.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Petrus Scholier.
Wilhelmus ter Loe.
Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Ioannes a Werven. *Zutphaniam domicilium tranſtulit.*
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Hermannus a Winſem.
Iacobus a Bocholt.
Otto Roeck.

Conſiliarii.

Nicolaus ab Eſſen.
Henricus a Steen-halen.
Martinus Stegeman.
Hermannus Goſuinus.

Camerarius.

Wilhelmus ter Loe.

Anno cIↄIↄxciii.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf. *Abdicavit ſe anno ſeq. eo quod monetæ urbanæ præfectus eſſet. non multo autem poſt mortuus eſt.*
Wilhelmus ter Loe.
Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Hermannus a Winſem.

Conſiliarii.

Petrus Scholier.
Henricus a Steenhalen.

Her-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Hermannus Goſuinus.
Ditericus Heyinck.

Camerarius.

Ioannes Heyinck.

Anno cIↄIↄxciv.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Petrus Scholier.
Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Hermannus a Winſem.
Hermannus Goſuinus..

Conſiliarii.

Ioannes a Breda. *obiit 25 Decemb.*
Wilhelmus ter Loe.
Henricus a Steenhalen. *obiit 15 Aug.*
Wilhelmus ter Loe.

Camerarius.

Doct. Hermannus Scharf.

Anno cIↄIↄxcv.

Scabini..

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Petrus Scholier.
Everardus Traeſſen.
Didericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Hermannus a Winſem. *obiit 5 Nov.*
Adolphus Donckel.

Conſiliarii.

Wilhelmus ter Loe.
Hermannus Goſuinus.
Ditericus Heyinck.
Ditericus Voſſius.

Camerarius.

Petrus Scholier.

Anno cIↄIↄxcvi.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Hermannus Goſuinus.
Adolphus Donckel.
Ditericus Voſſius.

Conſiliarii.

Wilhelmus ter Loe.
Engbertus Leemgraven.
Paulus Rijckers.
Gerardus a Suchtelen.

Camerarius.

Everardus Traeſſen.

Anno cIↄIↄxcvii.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.

Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Adolphus Donckel.
Ditericus Voſſius.
Gerardus a Suchtelen.

Conſiliarii.

Wilhelmus ter Loe.
Engbertus Leemgraven.
Hermannus Goſuinus.
Paulus Rijckers.

Camerarius.

Ioannes Heyinck.

Anno cIↄIↄxcviii.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct Hermannus Scharf.
Everardus Traeſſen.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Hermannus Goſuinus.
Adolphus Donckel.
Ditericus Voſſius.
Paulus Rijckers.

Conſiliarii.

Wilhelmus ter Loe.
Engbertus Leemgraven.
Gerardus a Suchtelen.
Nicolaus Holtinck.

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno cIↄIↄxcix.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Everardus Traeſſen.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Adolphus Donckel.
Ditericus Voſſius.
Paulus Rijckers.
Gerardus a Suchtelen.

Conſiliarii.

Petrus Scholier.
Hermannus Goſuinus.
Ditericus Heyinck.
Nicolaus Holtinck.

Camerarius.

Martinus Stegeman.

Anno cIↄIↄc.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Petrus Scholier.
Everardus Traeſſen.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Ditericus Heyinck.

Adol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Adolphus Donckel.
Paulus Rijckers.

Conſiliarii.

Ditericus Sticke.
Ditericus Voſſius.
Gerardus a Suchtelen.
Nicolaus Holtinck.

Camerarius.

Everardus Traeſſen.

Anno CIↃIↃCI.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Petrus Scholier.
Everardus Traeſſen.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Ditericus Heyinck.
Adolphus Donckel.
Ditericus Voſſius.
Paulus Rijckers.

Conſiliarii.

Otto Roeck.
Hermannus Goſuinus.
Gerardus a Suchtelen.
Nicolaus Holtinck.

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno CIↃIↃCII.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Everardus Traeſſen.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Ditericus Heyinck.
Adolphus Donckel.
Ditericus Voſſius.
Paulus Rijckers.
Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.

Conſiliarii.

Ditericus Sticke.
Otto Roeck.
Hermannus Goſuinus.
Nicolaus Holtinck.

Camerarius.

Doct. Hermannus Scharf.

Anno CIↃIↃCIII.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Ditericus Heyinck.
Adolphus Donckel.
Ditericus Voſſius.
Gerardus a Suchtelen.
Nicolaus Holtinck.
Engbertus a Dotinchem.

Conſiliarii.

Everardus Traeſſen.
Ditericus Sticke.
Otto Roeck.
Hermannus Goſuinus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno cIↄIↄcIV.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf.
Everardus Traeſſen.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Ditericus Heyinck.
Adolphus Donckel.
Gerardus a Suchtelen.
Nicolaus Holtinck.
Engbertus a Dotinchem.

Conſiliarii.

Ditericus Sticke.
Otto Roeck.
Hermannus Goſuini.
Ditericus Voſſius.

Camerarius.

Doct. Hermannus Scharf.

Anno cIↄIↄcV.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Everardus Traeſſen. *obiit.*
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Ditericus Heyinck.
Adolphus Donckel.
Gerardus a Suchtel n.
Nicolaus Holtinck.
Engbertus a Dotinchem.

Conſiliarii.

Ditericus Sticke.
Hermannus Goſuinus.
Ditericus Voſſius.
Lubbertus toe Pas.

Camerarius.

Martinus Stegeman.

Anno cIↄIↄcVI.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Doct. Hermannus Scharf. *obiit 16 Decemb.*
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Conradus Auguſtinus. *obiit 29 Decembr.*
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Ditericus Heyinck.
Adolphus Donckel.
Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.

Conſiliarii.

Hermannus Goſuinus.
Nicolaus Holtinck.
Lubbertus toe Pas.
Ioannes ab Hemert.

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno cIↄIↄcVII.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.

Bernar-

Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Otto Roeck.
Adolphus Donckel.
Paulus Rijckers.
Gerardus a Suchtelen.
Nicolaus Holtinck.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes ab Hemert.
Ioannes a Geſcher.

Conſiliarii.

Ioannes Heyinck.
Martinus Stegeman.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.

Camerarius.

Iacobus a Bocholt.

Anno CIↃIↃCVIII.

Scabini.

Ioannes Heyinck.
Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Otto Roeck.
Adolphus Donckel.
Nicolaus Holtinck.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.

Conſiliarii.

Paulus Rijckers.
Gerardus a Suchtelen.
Ditericus Scharf.
Iacobus a Lith.

Camerarius.

Petrus Scholier.

Anno CIↃIↃCIX.

Scabini.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Otto Roeck. *obiit* 18 *Octob.*
Martinus Stegeman.
Adolphus Donckel.
Nicolaus Holtinck.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Iacobus a Lith.

Conſiliarii.

Gerardns a Suchtelen.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus Kiver.

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno CIↃIↃCX.

Scabini.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Nicolaus Holtinck.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Everardus Rouſe.
Henricus Kiver.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.
Iacobus a Lith.
Ioannes Loedinck.

Camerarius.

Nicolaus Holtinck.

Anno cIↄIↄcxi.

Scabini.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.
Bernardns a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus Kiver.
Iacobus a Lith.

Conſiliarii.

Adolphus Donckel.
Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes Loedinck.

Camerarius.

Iacobus a Bocholt.

Anno cIↄIↄcxii.

Scabini.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Adolphus Donckel.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Iacobus a Lith.
Everardus Rouſe.
Henricus Kiver.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.
Hermannus a Bloos.
Henricus Kluppel.

Camerarius.

Petrus Scholier.

Anno cIↄIↄcxiii.

Scabini.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Adolphus Donckel.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Iacobus a Lith.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Ditericus Scharf.
Henricus Kluppel.
Doct. Albertus a Limbergen.

Camerarius.

Bernardus a Weſickẽ.

Anno cIↄIↄcxiv.

Scabini.

Petrus Scholier̃.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Adolphus Donckel.
Engbertus a Dotinchem̃.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Iacobus a Lith.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Doct. Albertus a Limbergeñ.

Conſiliarii.

Ditericus Scharf.
Henricus Kiver̃.
Henricus Kluppel.
Ioannes Delinck.

Camerarius.

Iacobus a Bocholt̃.

Anno cIↄIↄcxv.

Scabini.

Petrus Scholier̃.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Iacobus a Lith.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus Kiver̃.

Conſiliarii.

Engbertus a Dotinchem̃.
Ioannes Loedinck.
Ioannes Delinck.
Henricus a Markel.

Camerarius.

Martinus Stegemañ.

Anno cIↄIↄcxvi.

Scabini.

Petrus Scholier̃.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegemañ.
Engbertus a Dotinchem̃.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus Kiver̃.
Henricus a Markel.

Conſiliarii.

Ditericus Scharf.
Iacobus a Lith.
Ioannes Loedinck.
Ioannes Lulof.

Camerarius.

Bernardus a Weſickẽ.

Anno cIↄIↄcxvii.

Scabini.

Petrus Scholier̃.
Ditericus Sticke.

Bernar-

Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Martinus Stegeman.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus Kiver.
Henricus a Markel.

Conſiliarii.

Ditericus Scharf.
Iacobus a Lith.
Ioannes Loedinck.
Ioannes Lulof.

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno cIↃIↃcxvii.

Scabini.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke
Bernardus a Weſicke.
Iacobus a Bocholt.
Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.

Conſiliarii.

Iacobus a Lith.
Henricus Kiver.
Doct. Nicolaus a Bocholt.
Hermannus vander Beeck.

Camerarius.

Petrus Scholier.

Anno cIↃIↃcxviii.

Scabini.

Petrus Scholier.
Ditericus Sticke.
Bernardus a Weſicke.
Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulofs.
Doct. Nicolaus a Bocholt.
Hermannus vander Beeck.

Conſiliarii.

Engbertus a Dotinchem.
Iacobus a Lith.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno cIↃIↃcxix.

Scabini.

Petrus Scholier.
Bernardus a Weſicke.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Doct. Nicolaus a Bocholt.
Hermannus vander Beeck.

Doct.

Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.
Iacobus a Lith.
Henricus Vrieſewijck.

Camerarius.

Ditericus Scharf.

Anno cIↃIↃcxx.

Scabini.

Petrus Scholier.
Bernardus a Weſicke.
Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Ioannes Lulof.
Doct. Nicolaus a Bocholt.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.

Conſiliarii.

Henricus Kluppel.
Henricus a Markel.
Hermannus vander Beeck.
Henricus Vrieſewijck.

Camerarius.

Bernardus a Weſicke.

Anno cIↃIↃcxxi.

Scabini.

Bernardus a Weſicke.
Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Ioannes Lulof.
Doct. Nicolaus a Bocholt.
Hermannus vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.

Conſiliarii.

Everardus Rouſe.
Henricus Kluppel.
Henricus a Markel.
Henricus Vrieſewijck.

Camerarius.

Ioannes ab Hemert.

Anno cIↃIↃcxxii.

Scabini.

Gerardus a Suchtelen.
Engbertus a Dotinchem.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Hermannus vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.

Conſiliarii.

Henricus Kluppel.
Doct. Nicolaus a Bocholt.
Henricus Vrieſewijck.
Adrianus a Bocholt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Camerarius.

Everardus Rouſe.

Anno cIↄ Iↄc xxiii.

Scabini.

Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Gerlacus Doys.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Hermannes vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.

Conſiliarii.

Bernardus a Weſicke.
Engbertus a Dotinchem.
Henricus Vrieſewijck.
Henricus Wilhelmi.

Camerarius.

Henricus a Markel.

Anno cIↄIↄcxxiv.

Scabini.

Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Ditericus Scharf.
Hermannus a Bloos. *obiit menſe Septemb.*
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Doct. Nicolaus a Bocholt. *obiit menſe Octobr.*
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.

Conſiliarii.

Gerlacus Doys.
Henricus Vrieſewijck.
Henricus Wilhelmi.
Gerardus Donckel. L.

Camerarius.

Gerardus a Suchtelen.

Anno cIↄIↄcxxv.

Scabini.

Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Ditericus Scharf. *obiit menſe Aug.*
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Ditericus vanden Colck.

Conſiliarii.

Hermannus vander Beeck.
Henricus Vrieſewijck.
Henricus Wilhelmi.
Gerardus Hiſſinck.

Camerarius.

Ioannes Lulof.

Anno

Anno cIɔIɔcxxvi.

Scabini.

Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Hermannus vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Ditericus vanden Colck. *obiit menſe Majo.*

Conſiliarii.

Henricus Vrieſewijck.
Henricus Wilhelmi.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.

Camerarius.

Ioannes ab Hemert.

Anno cIɔIɔcxxvii.

Scabini.

Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Ioannes Lulof.
Hermannus vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.

Conſiliarii.

Henricus a Markel.
Henricus Wilhelmi.
Gerardus Hiſſinck.
Damianus Petri.

Camerarius.

Everardus Rouſe.

Anno cIɔIɔcxxviii.

Scabini.

Gerardus a Suchtelen.
Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Hermannus vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus a. Donckel.
David Scholier.

Conſiliarii.

Henricus Wilhelmi.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.
Damianus Petri.

Camerarius.

Ioannes Lulof.

Anno cIɔIɔcxxix.

Scabini.

Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Hermannus vander Beeck.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
David Scholier.
Damianus Petri.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Henricus Wilhelmi.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.

Camerarius.

Everardus Rouſe.

Anno cIↄIↄcxxx.

Scabini.

Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Hermannus vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
David Scholier.
Ditericus Doys. *obiit menſe Aug.*

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Henricus Wilhelmi.
Stephanus a Rhemen.
Damianus Petri. *obiit menſe Iunio.*

Camerarius.

Hermannus vander Beeck.

Anno cIↄIↄcxxxi.

Scabini.

Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Hermannus vander Beeck.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Thomas Verwer.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Gerardus Hiſſinck.
Caſparus Dapper.
Gerlacus Doys.

Camerarius.

Ioannes Lulof.

Anno cIↄIↄcxxxii.

Scabini.

Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Henricus a Markel.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Henricus Wilhelmi.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.
Caſparus Dapper.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Gerardus Hiſſinck.
Bernardus Jaſpers.
Antonius Daems.

Camerarius.

Everardus Rouſe.

Anno cIↃIↃcxxxiii.

Scabini.

Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Henricus Wilhelmi.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.
Caſparus Dapper.
Bernardus Jaſpers.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
Gerardus Hiſſinck.
Antonius Daems.
Everardus Voſſius.

Camerarius.

Adrianus a Bocholt.

Anno cIↃIↃcxxxiv.

Scabini.

Ioannes ab Hemert.
Everardus Rouſe.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Henricus Wilhelmi.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.
Caſparus Dapper.
Bernardus Jaſpers.

Conſiliarii.

Gerardus a Suchtelen.
David Scholier.
Antonius Daems.
Everardus Voſſius.

Camerarius.

Ioannes Lulof.

Anno cIↃIↃcxxxv.

Scabini.

Everardus Rouſe.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Henricus Wilhelmi.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.
Caſparus Dapper.
Bernardus Jaſpers.
Giſbertus ab Hemert.

Conſiliarii.

Henricus Vrieſewijck.
David Scholier.
Antonius Daems.
Everardus Voſſius.

Camerarius.

Everardus Rouſe.

Anno cIↄIↄcxxxvi.

Scabini.

Everardus Rouſe.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.
Caſparus Dapper.
Everardus Voſſius.
Giſbertus ab Hemert.

Conſiliarii.

Adrianus a Bocholt.
Henricus Wilhelmi.
Ditericus Scharf.
Doct. Ioannes Sticke.

Camerarius.

Doct. Ægidius Nylant.

Anno cIↄIↄcxxxvii.

Scabini.

Everardus Rouſe.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.
Giſbertus ab Hemert.
Doct. Ioannes Sticke.
Ioannes ten Have.

Conſiliarii.

Petrus ter Schmitten.
Rijckmannus Heydenrijck.
Ioannes Rôvecamp.
Sibertus a Bocholt.

Camerarius.

Everardus Rouſe.

Anno cIↄIↄcxxxviii.

Scabini.

Everardus Rouſe.
Ioannes Lulof.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.
Doct. Ioannes Sticke.
Ioannes ten Have.
Sibertus a Bocholt.

Conſiliarii.

Bernardns Jaſpers.
Petrus ter Schmitten.
Rijckmannus Heydenrijck.
Ioannes vander Beeck.

Camerarius.

Doct. Ægidius Nylant.

Anno cIↄIↄcxxxix.

Scabini.

Everardus Rouſe.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Gerardus Hiſſinck.
Stephanus a Rhemen.

David

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

David Scholier.
Bernardus Jaſpers.
Doct. Ioannes Sticke.
Petrus ter Schmitten.
Sibertus a Bocholt.

Conſiliarii.

Rijckmannus Heydenrijck.
Ioannes Rövecamp.
Ioannes vander Beeck.
Rodolphus Hermanni.

Camerarius.

Adrianus a Bocholt.

Anno cIↄIↄcxl.

Scabini.

Everardus Rouſe.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Stephanus a Rhemen.
David Scholier.
Bernardus Jaſpers.
Giſbertus ab Hemert.
Doct. Ioannes Sticke.
Petrus ter Schmitten.
Ioannes vander Beeck.

Conſiliarii.

Gerardus Hiſſinck.
Ioannes Rövecamp.
Sibertus a Bocholt.
Rodolphus Hermanni.

Camerarius.

Doct. Ægidius Nylant.

Anno cIↄIↄcxli.

Scabini.

Everardus Rouſe.
Doct. Wilhelmus Marienborch.
Adrianus a Bocholt.
Doct. Ægidius Nylant.
Gerardus Donckel. L.
Gerardus Hiſſinck.
David Scholier.
Bernardus Jaſpers.
Giſbertus ab Hemert.
Doct. Ioannes Sticke.
Petrus ter Schmitten.
Ioannes vander Beeck.

Conſiliarii.

Rijckmannus Heydenrijck.
Sibertus a Bocholt.
Rodolphus Hermanni.
Doct. Ioannes a Schreeck.

Camerarius.

Doct. Wilhelmus Marienburch.

FINIS.

Aucto-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

AUCTORIS
ANAGRAMMATOPÆGNION,
in florentem, captam, liberatam urbem Daventriam.

DAVENTRIA.

I. *TERNA DIVA.*

TERNA quidem DIVA eſt Tripolis, verum illice formâ
Vincere me ſocias judicet ipſe Paris.

II. *VNA ID ERAT.*

Quid ternas mirare urbes? ah! deſine. quod tres
Eſſe vides, UNA ID non ita nuper ERAT.

III. *NI DVRA ATE!*

Hoſpitium miſeris turritia Daventria præſto,
Clara viris opibuſque, ATE NI DURA fuiſſet.

IV. *AD TE RVINA.*

O aureum Tranſiſulaniæ jubar,
AD TE RUINA quam cito venit gradu!

V. *RATA VENDI.*

Se RATA (quod res eſt) VENDI, tibi brachia tendit
Leyceſtre, ah! urbem proditione leva.

VI. *AERA DVINT.*

AERA DUINT hoſtes, expertæ credite, nemo
Fidus erit. nummis invia nulla via eſt.

VII. *EIA, DANTVR.*

EIA, age, quid ceſſas? DANTUR tibi perfide, nummi,
Vilis erit pietas jam tibi, vilis honos.

VIII. *AVARI DENT?*

An DENT AVARI? pollicentur dum petunt,
Nacti precantur maximam malam crucem.

IX. *EN, ADIVRAT.*

EN, divos Iber ADJURAT. vult fallere. dices:
Non licet hoc. quid, tu quod facis ergo licet?

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

X. *UNA ERADIT.*

A proavis laus ſiqua tibi eſt (nam propria nulla eſt)
UNA ERADIT eam, Standule. perfidia.

XI. *IN RE TUA DA.*

IN RE TUA DA, vende, perde, diſſipa,
At vendere urbem grande cenſetur ſcelus.

XII. *DEAURANTI.*

Auro tacta peris. nequicquam limina ſervas,
Quippe DEAURANTI mœnia tota patent.

XIII. *RUIT DANAE.*

Caſta RUIT DANAE poſtquam ruit aureus imber,
Me quoque qui ſtravit aureus imber erat.

XIV. *EN TU ARIDA.*

EN TU beata nuper, urbium decus,
Nunc ſolitudo (quis putaſſet?) ARIDA!

XV. *TARDAVINE?*

TARDAVINE? rogas inepta? certè
Tardaſti jugulare proditorem.

XVI. *DAVI ERANT.*

Ne carpe cives; proditorem præſidem
Cavere durum eſt. DAVI ERANT, non Oedipi.

XVII. *VINA DARET.*

O VINA, quondam læta quæ dedit, DARET!
Opes ſed hauſit Celtiber Daventriæ.

XVIII. *UNDE TIARA?*

UNDE hæc TIARA quæſo flamini novo?
Regnabit ille, tu miſella ſervies.

XIX. *UNDE IRATA?*

UNDE IRATA duci? propriis iraſcere culpis.
Hæ tibi funeſtum promeruere diem.

XX. *UNDA ET IRA.*

UNDA mali, ET gravis IRA Dei te, Patria, mergit:
Huic puras, ſi vis vincere, funde preces.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

XXI. *ITA NVDARE?*

Ah! ITA jam NUDARE? ſimul cui Norica tellus
Bructeraque haud modicas accumulabat opes?

XXII. *VNI ADERAT.*

UNI ADERAT prodeſſe bonis, cohibere furentes,
Ah! mihi nunc uni gloria talis abeſt.

XXIII. *DA INTVEAR.*

DA Pater INTVEAR purgatam cædibus urbem,
Sancitum & veræ relligionis opus.

XXIV. *DA VIREANT.*

DA VIREANT animi quos ſors, Pater, aſpera fregit.
Mœnia da ſurgant quæ pede preſſit Iberus.

XXV. *DA VARIENT.*

DA VARIENT caſuſque truces atque alea Martis,
Noſtraque manſurâ tempora pace bea.

XXVI. *VNA RIDEAT.*

Ridet recepta ſuaviter Zutphania,
O fac ut UNA RIDEAT Daventria!

XXVII. *DET VRANIA.*

URANIA è Princeps tibi dat Zutphania pacem,
Adſit, & hæc idem DET mihi pace frui.

XXVIII. *DIANA RVET.*

Excubias, Dux clare, tuas ſi cernat, amica
De cœlo DIANA RUET, tibi ut oſcula figat.

XXIX. *NE ITA DVRA.*

Nunc in bella furis, flammaſque & tela laceſſis?
Ah miſera! in proprios NE ſis ITA DVRA penates.

XXX. *ADITVRA-NE?*

Quid faciam infelix? ADITURANE Principis ora?
Cuine ego ſum totâ trieteride dicta rebellis?

XXXI. *ADNVAT IRE.*

ADNUAT IRE; ipſum blandâ prece compellabo,
Pars mihi pacis erit victricem tangere dextram.

XXXII. *ADI. RENVAT?*

Prorſus ADI, RENUAT? nihil eſt manſuetius illo,
Cuique fides pietaſque mage & clementia cordi.

XXXIII. *TARDA VENI.*

Si TARDA VENI, parce Princeps optime,
Tenella crura compedes urgent graves.

XXXIV. *ANTEA DVRI.*

ANTEA qui DURI fuerant ad juſſa Philippi
Dulce tuum, Princeps, expetiere jugum.

XXXV. *VIDE ANTRA.*

Huc ades, & fuerant quæ culta palatia nuper
Qualia mutarit miles in ANTRA VIDE.

XXXVI. *DE VNA TRIA.*

UNA DE urbe tibi veniunt TRIA prœmia. civis
Seavati, pulſique hoſtis, cultique Tonantis.

XXXVII. *VNA ADERIT.*

UNA ADERIT ſeu pacis opus, ſeu prælia volvis,
Nec tibi dedecori, maxime ductor, erit.

XXXVIII. *DAT VENARI.*

VENARI DAT Jova, idem, fortiſſime Princeps,
Impulit in caſſes oppida bina tuos.

XXXIX. *TRADE VINA.*

Nunc TRADE VINA, nunc camœnam ſuſcita,
Revixit aurâ Principis Daventria.

XL. *NVDA RETIA.*

Urbibus ac populis qui implebat Parma ſagenam
Te duce, magne ducum, RETIA NUDA trahit.

XLI. *E TRIDVANA.*

E TRIDUANA febre te ſanam puta
Poſtquam trienni ſervitute libera es.

XLII. *AN ERVDIAT.*

Perdat AN ERVDIAT Dominus, mea Patria, ſentis:
Sauciat, & medicas admovet ille manus.

XLIII. *NAE! ADVRIT.*

NAE! quæ malignis hoſtibus probro fuit
Fulgore nunc ADVRIT invidos ſuo.

XLIV. *VADANT REI.*

Jam VADANT quicunque REI ſunt criminis hujus.
At redeant civeſqui boni, priſcuſque ſenatus.

XLV. *DAT RVINAE.*

Datam ruinæ luximus Daventriam,
Jam DAT RUINÆ perfidos Daventria.

XLVI. *NVDA IERAT.*

NVDA IERAT ſub triſte jugum, ſed ab hoſte redemtam
Nunc habitu paullò ſplendidiore vides.

XLVII. *EN, DAT IVRA.*

EN, quæ tyranni mœſta ſuſtulit jugum
DAT JURA caris non ſuperba civibus.

XLVIII. *VANA RIDET.*

Quæ VANA RIDET, vera maximi facit
Riſum perennem rideat Daventria.

XLIX. *INTER VADA.* A°. 1624.

Foſſa riget glacie, riget Iſala, ſed duce Chriſto
Servata eſt, INTER dum VADA bina jacet.

L. *NATVRA DEI.*

Nota mihi eſt NATURA DEI. quid cætera jactas?
Una Daventriadum gloria, noſſe Deum.

FINIS.

LVGDVNI BATAVORVM,
Typis WILHELMI CHRISTIANI BOXII.
cIↄIↄcLI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16

4:16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 C 16